28-4-2.

Biblioteca [illegible]
GRAN[illegible]
Sala a
[illegible]te 33
[illegible] 34

57

Del Coll.º de la Comp.ª de Jesus de Granada. R. 10 956 BBª

R. P. F. Compuso el Mº Pedro de Montenegro.

LEANDRI

DE SSMO SACRAMENTO,

NAVARRI, OPPIDI DE VILLA-FRANCA,
ORDINIS DISCALCEATORVM SANCTISSIMÆ TRINITATIS
Redemptionis Captiuorum, olim in Complutensi & aliis Hispaniæ Academiis,
Theologiæ Professoris; postmodum dicti Ordinis Prouincialis,
& Definitoris Generalis: nunc verò totius suæ Religionis
Ministri Maioris, ac Generalis.

QVÆSTIONVM MORALIVM THEOLOGICARVM

IN DECEM DECALOGI PRÆCEPTA;

Pars II. & in ordine VII. In qua de Iuramento & Voto agitur.

Cunctis Opus perutile; duplici Indice locupletatum, Primo Tractatuum, Disputationum, & Quæstionum: Altero verò Sententiarum, rerumque notabilium.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI,
Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA PUBLICA U. H. EN GRANADA.
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

i18786340

ILLVSTRISSMO AC REVERENDISSMO D. D.

DIDACO ESCOLANO

OLIM IN SVPREMO FIDEI SENATV CONSILIARIO,
poſt Maioricenſi Epiſcopo, núncque Tiraſonenſi Præſuli,
Regiæ, & Catholicæ Maieſtatis à Conſiliis, &c.

EN alterum prodo, Illuſtriſſime Antiſtes, in Decalogi leges librum, cuius in fronte nomen inſcribo præclarum, vt deligam omen & auſpicium, quippe,

a — *Recto ſi tramite ſeruat*
Sidera Chaldæus, ſi Theſſalus elicit vmbras,
Fulgura ſi Thuſcus nouit, ſi gramina Colchus,
Si Lyciæ ſortes ſapiunt, ſi noſtra volatu
Fata loquuntur aues.

a *Sidon. paneg. Maiorani.*

Certius oraculũ Hiſpano viro eſt, te, Iacobe mi, (fas ſit ex onotomãtia præſagio diuinare quodã nomẽclatoribus Numina opitulari) ardẽti prælio inito, Patronũ nũcupaſſe. Adſis, nomenq; tuum, & iunctæ vmbone phalanges ruent, videbórque mihi, vt & Lipſio, ille eſſe, aut certè futurus, qui

b *Celſior exſurgit pluuiis, auditque ruentes*
Sub pedibus nimbos, & cæca tonitrua calcat.

b *Lipſ. centur. 2. ad Belg. Epiſt. 99.*

Igitur ex quo oculos inieci meos tuam in animi nobilitatẽ (tanta cum ſit, & quemq; vel ſublimitatis gradũ facilè conſequatur, & generoſi pectoris grandia, inclytáque vbiquè ſemper dimittat veſtigia) inextinguibili in te exarſi amore, & flagranti quadam ingenij meditatione in tuum me contuli obſequium, intentus meorum ſtudiorum tibi

dicare conatus. Et licèt perſæpè pudeat alicuius encomia propalam ſcribere,quia ferè nuſquã calumniator deficit, qui dentes acuat, linguámq; effrenet, vt, & truculenter dilacerando trucidet, & probrosè conuiciando carpat; aſt, perfricata fronte, tuas poſſum,haud fallor,dare in propatulo laudes:cùm gnaris,& ignaris, probis,& probris fueris, síſque ſemper benè viſus. Síque nec momus deſit,is tamen fruſtrà.

c Ouid. 1.Metamorphoſ. *Exululat, fruſtráque loqui conatus ab ipſo,*
Colligit os rabiem, ſolitæque cupidine cædis
Vtitur—

d Cicer. orat. pro M.Marcell. Quapropter iamiam d *diuturni ſilentij, quo eram his tẽporibus vſus, finem hodiernus dies attulit. Tantam enim manſuetudinẽ, tam inuſitatã, inauditámq; clementiam, tantum in alta poteſtate rerum modũ, tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinam tacitus nullo modo præterire poſſum*: nam,

Iuſtitiæ munus ſemper ſua cuique rependit.
Námque hoc eſt æquum, quod ſua cuiq; refert,

Vt Ethicus quidam canebat. Nouêre plerique tuum nobiliſſimum genus, clariſſimámq; originem ex illuſtriſſima Eſcolanorum ſtirpe, per D. Petrum Eſcolanum Longarij villæ Fundatorem, & Conſtructorem:sátque notum Eſcolanos eſſe Venitãdux,& Alfaræ Dominos. Quę miſſa facio, cum alibi ſint à Gaſpare Eſcolano,vti pleráque, æternis tradita monumentis. Nec loquar de Illuſtriſſimo, ac nulli ſecundo,cognomento de Ledeſma, quo per lineam maternam decoraris. De clariſſimis officiis Aulicis,ac dignitatibus Palatinis,

nis, quibus vtriusque lineæ Progenitores pollue-
re, nec verbum, esto sis,

e —*Titulis insignis auorum.* e *Lucan lib. 8.*

Quia maiora me vocant: quandoquidem,

f *Nominibus cum sis generosus auorum,*
Exuperas morum nobilitate genus. f *Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 3.*

O virum ineffabilem! sanguine licet sis è diuo-
rum genere, diuúsque inter Quirites; lucidior sa-
nè (influit origo) tuimet meritis.

g *Hinc tua me virtus rapit, & miranda per omnes* g *Ouid. ad Pison.*
Vita modos, quæ si deesset tibi fortè creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.
Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triũphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Proficerent, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cui laus est in origine sola.

Vix natus, & ad magna; adultus ad maiora. Ani-
mi dotes te fecere in hac Complutensi Acade-
mia Philippicum Togatum, Clementinarúm-
que è suggestu Dictatorem, &

h *Qualis discutiens Lucifer astra* h *Senec. in mort. Claud.*
Aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris,
Qualis cum primùm tenebris aurora solutis
Induxit rubicunda diem, Sol aspicit orbem,
Lucidus, & primus à carcere concitat axes,
Talis—

Iacobe aderas. Ob ipsas Salmanticæ suscepisti
gradum, & inter Papinianos, & Vlpianos illius
scholæ fuisti numeratus. Quod ibi de te ipse
Apollo cecinit, audias:

i *Vincat mortalis tempora vitæ* i *Annæus, in Lud. mort. Claud.*

Ille mihi ſimilis vultu, ſimiliſque decore
Nec cantu, nec voce minor: fœlicia laſsis
Sæcula præſtabit, legúmque ſilentia rumpet.

Maiorica te habuit Theſaurarium, & Canonicum, Lerena, Vallis-Oletum, Corduba, Toletũ, & Matritum fidei Inquiſitorem. E ſupremo itidem fidei Senatu ad ſacras inſulas Maioricenſes fuiſti aſſumptus, & demum ad Tiraſonenſes promotus. Paucis plurima dixi; nil tamen ago, dum ſingula non percurro. Decreui; aſt,

l *Lucan. lib. 6.* l *Protinus aſtrictus caluit cruor*
—Et in venas extremáque membra cucurrit.

m *Senec. in Hercul. Oet. act. 3.* —m *Cor attonitum ſalit*
Pauidúmque trepidis palpitat venis iecur.

Cauſam ſcrutor:

n *Plaut. in Captiu.* n *Quin quieſcis cor meum? j, ac ſuſpende te.*
Ha, monet, linque pennam

o *Plaut. ibid.* —o *Ego miſer vix adſto præ formidine.*

Haud poſſibilia non ſunt intendenda. Sat enim dixiſſe potius tot dignitates eum, quàm ipſum ambiiſſe tot dignitates. O rem mirabilem! Vidimus hominem (fallar, ni dicam Angelum) qui

p *Nazianz. de diuerſ. vit. gener.* p *Ingentes non curat opes, ſubſelliáque alta*
Non, quod mortale eſt, ſerpit, humíque Deus.

Gaudeat Tiraſo tali Præſule, rumpátque moras in gaudio: imminet illi orbitas, dúmque poſſidet tale pignus, gaudeat. Silui hucúſque, fama enim dixiſſe curauit.

Tibi deditiſſimus in Chriſto ſeruus.

FR. LEANDER de Sanctiſſimo Sacramento.

FACVLTAS ORDINIS.

FR. FRANCISCVS A SANCTO IVLIANO, Maior ac Generalis Miniſter Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum. Tenore, ac virtute præſentium, decõſenſu noſtri Definitorij, facultatem concedimus vt ſeptima Pars Quæſtionum Moralium Theologiæ in ſecundum Decalogi præceptum de Iuramento, & Voto, à R. P. N. Fr. LEANDRO de Sanctiſſimo Sacramento, noſtræ Sacræ Religionis Theologiæ Profeſſore elaborata, & à grauioribus & doctioribus eiuſdem Religionis Theologis recognita, & approbata typis mandetur; & ad communem vtilitatem in lucem prodeat. In quorum fidem præſentes fieri iuſſimus, manu noſtra ac Secretarij Chirographo ſubſcriptas, impreſſioné-que ſigilli, noſtri Officij munitas, in hoc noſtro Matritenſi Conuentu, die decima nona Menſis Iulij, anni Domini milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi tertij.

FR. FRANC. de Sancto Iuliano, Magiſter Generalis.

Locus ſigilli,

Mandato P. N. Miniſtri Generalis.

FR. ANTONIVS de Conceptione, Secret.

APPRO

APPROBATIO.

EGo infrà ſcriptus Doctor Theologus Facultatis Pariſienſis eundem præbeo aſſenſum impreſſioni Tomi ſecundi Quæſtionum Moralium Theologiæ in ſecundum Decalogi præceptum, de iuramento & Voto, à R. adm. P. LEANDRO de Sanctiſſimo Sacramento Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum conſcripti, quem dedi pro primi Tomi Impreſſione, quatenus non minùs ſanam & ſolidam Doctrinam contineat, cuius rei fidem facio. Actum hac die 14. Ianuarij 1664.

FR. IOANNES ROBE'

APPROBATIO.

SEPTIMAM partem Quæſtionum Moralium Theologiæ in ſecundum Decalogi præceptum, de Iuramento & Voto à R. P. LEANDRO Ordinis Redemptionis Captiuorum, conſcriptam legi ego infraſignatus Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, nihilque in ea deprehendi, quod bonos mores aut Fidem Orthodoxam offendat. Quapropter illam cenſeo luce publica dignam. Lugduni die 14. Ianuarij 1664.

FR. CYRILLVS MOREL Carmeli
Lugdunenſis Prior.

INDEX

INDEX TRACTATVVM,

DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM,

EARVMQVE RESPONSIONVM;

Quæ in hac ſeptima parte de iuramento, & voto continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

De iuramento. pagina 1.

DISPVTATIO PRIMA.

De eſſentia, & quidditate iuramenti. pag. 1.

QVÆSTIO I. AN iurare, ſit Deum in teſtem adducere, & inuocare? ibid.

℟. *Vt certum: quod ſic.* ibid.

II. An iuramentum, ſit adductio, ſeu inuocatio Dei, in teſtimonium veritatis illius rei, quam affirmamus, vel negamus? ibid.

℟. *vt certum: quod ſic.* ibid.

III. An, iuramentum, dicatur à Iure? pag. 2.

℟. *Quod ſic.* ibid.

IV. An hæc tria, *iuramentum, iuſiurandum, & Sacramentum*, ſint ſynonima? ibid.

℟. *Eſſe: cum aliqua tamen differentia.* ibid.

V. Quid velit iurans per inuocationem diuini Nominis? ibid.

℟. *vt Deus manifeſtet eam rem, quam iurans dicet, eſſe veram.* ibid.

VI. An vt iuramentum, quoad Deum in foróque interno obliget, requiratur vt fiat per verba externa, aut per contactum rei ſacræ? ibid.

℟. *vt certum: non requiri, ſed ſat eſſe ſi fiat mente.* ibid.

VII. An ſaltem, vt iuramentum, quoad homines, & in foro externo obliget, ſit faciendum verbis: an verò ſufficiat, quod fiat ſignis? ibid.

℟. *Vt quid veriſimum, ſufficere quod fiat ſignis externis.* ibid.

VIII. An, vt iuramentum in foro externo obliget, ſit neceſſarium quod fiat per contactum alicuius rei ſacræ, vt crucis, aut Euangeliorum? pag. 3.

℟. *vt quid verum: Non eſſe neceſſarium, niſi in caſibus in quibus id ius requirit.* ibid.

IX. An caſu quo lex ſanciat, quod iuramentum præſtetur, tactis Euangeliis: ſat ſit ad eius valorem, quod fiat per tactum alterius libri ſacri, aut crucis? ibid.

℟. (quid quid alij dicant:) *Non eſſe ſatis attento iure: benè tamen attenta conſuetudine.* ibid.

X. An, ſi atteſtetur Notarius, quod Titius v.g. iuratus teſtimonium dixerit: ſit præſumendum, talem teſtem iuramentum ſolemniter præſtitiſſe, tactis Euangeliis aut cruce? ibid.

℟. *Præſumendum eſſe.* ibid.

XI. An in caſibus iure expreſſis in quibus cauetur, vt iuramentum fiat tactis Scripturis, aut Euangeliis: debeant Epiſcopi aut aliæ Perſonæ in Sacris conſtitutæ, tactis ipſis, iurare? ibid.

℟. *probabilius: nec debere Epiſcopos, nec Presbyteros ſic iurare, niſi id ius expreſsè petat, benè tamen reliquas Eccleſiaſticas perſonas.* ibidem.

XII. An cenſendus ſit verè iurare, qui ſubſcribit ſcriptum aliquod, in quo iuramentum continetur? pag. 4.

℟. *Quod ſic.* ibid.

XIII. An iuramentum mentale, neceſſariò requirat actus tres? ibid.

℟. *Quod ſic: duplicem, videlicet intellectus, & alterum voluntatis.* ibid.

XIV. In quo ex præaſſignatis actibus conſiſtat formaliter, & eſſentialiter iuramentum mentale? ibid.

℟. *quod in vltimo intellectus.* ibid.

XV. Quos actus requirat iuramentum vocale, & in quo illorum formaliter conſiſtat? ibid.

℟. *Quod requirit quatuor.* ibid.

XVI. An, ad eſſentiam iuramenti requiratur neceſſario intentio iurandi? ibid

℟. *Quod ſic.* ibid.

XVII. An,

XVII. An ad essentiam iuramenti requiratur necessariò plena deliberatio? pag.5.
Resp. *vt certum, requiri.* ibid.
XVIII. An iuramentum sit actus licitus, & honestus? ibid.
Resp. *de fide certum: Quod sic.* ibid.
XIX. An, non sit licitum passim iurare? ibid.
Resp. *Quod non.* ibid.
XX. An, vt iuramentum sit licitum & honestum, requirat tres comites, seu conditiones, nempe, veritatem, iustitiam, & iudicium? ibid.
R. *vt certum: quod sic.* ibid.
XXI. An prædicti tres comites, ad honestatem omnis iuramenti requirantur? pag.6.
R. *vt certum. Requiri.* ibid.
XXII. An, tres dicti comites sufficiant pro honestate cuiusvis iuramenti? ibid.
R. *vt certum: sufficere.* ibid.
XXIII. An iuramentum sit actus virtutis Religionis? ibid.
R. *vt certum: Esse.* ibid.
XXIV. An licitum sit cuipiam iurare per creaturas, absolutè spectatas, vt creaturæ sunt? ibid.
R. *vt quid certissimum: Nec licere, nec valere iuramentum sic factum.* ibid.
XXV. An saltem sub aliqua alia ratione, seu consideratione, sit licitum per creaturas iurare, seclusō omni iure prohibente, si quod est? ibid.
R. *vt quid certum: quod sic.* ibid.
XXVI. An saltem, hic modus per creaturas iurandi, sit illicitus, eo quod, iure diuino aut humano sit prohibitus? pag.7.
R. *vt certum: Non esse illicitum, quia nullo iure est prohibitum.* ibid.
XXVII. An ad essentiam iuramenti sit necessarium, vti hoc verbo, *iuro*? ibid.
R. *vt quid certissimum: quod non.* ibid.
XXVIII. An ad essentiam, & valorem iuramenti requiratur, vt res in testem adducta, sit in se sacra? ibidem.
R. *probabilius: quod sic.* ibid.
XXIX. An si quis, existimans librum profanum esse Euangeliorum, iuraret per Euangelia in eo contenta, iuraret verè? ibid.
R. *vt certum: verè iurare.* ibid.
XXX. An saltem Christiani iurantes per falsos deos; teneantur, ex vi iuramenti, implere promissū? p.8.
R. *vt certum: Non teneri, ex vi iuramenti.* ibid.
XXXI. An, qui intendit iurare per verba, quæ iuramenta non sunt, velut, *verè, profectò faciam hoc*; obligaretur ad impletionem talis iuramenti, ex vi iuramenti? ibid.
R. *manere obligatum, si sciat, quid sit iurare; aliàs non.* ibid.

DISPVTATIO II.

De diuisione iuramēti, deque eius speciebus.

QVÆST. I. AN iuramentum rectè diuidatur in assertorium, promissorium, contestatiuum, comminatorium & execratorium? pag.8.
R. *Quod rectè.* ibid.
II. An dentur aliæ species iuramenti? ibid.
R. *dari alias quinque.* ibid.
III. An omnia iuramenta assignata sint eiusdem speciei? pag.9.
R. *omnia esse, præter iuramentum blasphemū.* ibid.
IV. An sit opus in confessione explicare, quale iuramentum quis violauerit; an scilicet, fuerit execratorium; an comminatorium, an per Deum, an per creaturas, &c. ibid.
R. *Non esse opus: nisi sit iuramentum blasphemum.* ibid.
V. An, si periurium sit iudiciale, debeat circunstantia iudicij in confessione exprimi? ibid.
R. *debere exprimi.* ibid.

DISPVTATIO III.

De variis modis, ac formulis iurandi. p.9.

QVÆST. I. AN sint aliquæ formulæ iurandi, de quibus, apud omnes constet, eas habere vim, & rationem iuramenti? ibid.
R. *vt certum: Esse omnes illas, quibus Deus, vel diuina inuocantur in testes.* ibid.
II. An hæc verba: *testis est mihi Deus*, verum contineant iuramentum? ibid.
R. *probabilius, quod sic.* pag.10.
III. An etiam, verum contineant iuramentum, hæ formulæ: *Deus scit, vel, audit quod dico*: vel, *coram Deo dico, aut loquor?* pag.10.
R. *continere, si dicta verba proferantur inuocatiuè: secus, si enunciatiuè.* ibid.
IV. An saltem, iuraret qui diceret: *Deus scit me verum dicere?* ibid.
R. *melius: quod sic.* ibid.
V. An hæc verba: *viuit Deus, viuit Dominus*, verum contineant iuramentum? ibid.
R. *probabilius: quod sic.* ibid.
VI. An verè iuret qui dicit, *Deus est veritas, quod hoc ita est.* Hispanè. *Dios es verdad, que es assi?* pag.11.
R. *probabiliùs: quod verè iuret.* ibid.
VII. An hæc verba: *Voueo Deo ita esse, vel non esse.* Hispanè, *voto à Dios, que esto es assi, ò no es assi*: sint verum iuramentum, quando materia non est capax voti, vel iuramenti? ibid.
R. *verum esse, & valdè graue.* ibid.
VIII. An deinde, hæc verba: *Promitto tibi Deo*, Hispanè; *yo os prometo à Dios*; contineant verum iuramentum? ibid.
R. *melius, quod sic.* ibid.
IX. An item, verba: *Iuro me facturum hoc: vel iuro hoc ita esse*; sint verum iuramentum? ibid.
R. *probabiliùs, quod sint, spectato rigore verbi iuro; secus verò, attento vsu communi hominum, &c.* ibid.
X. An, referat ad verum iuramentum, vt fiat per præpositionem, *Per*; an per præpositionem, *In*? ibid.
R. *probabiliùs, nihil referre.* pag.12.
XI. An iuramentum faciat, qui dicit: *Par Dios, Por Dios que si: Por Dios que es recia cosa esta?* ibid.
R. *Quod non faciat, nisi expresè iurare velit, &c.* ibid.
XII. An in his verbis: *Per animam meam*, Hispanè, *Por mi alma*: iuramentum contineatur? ibid.

R. *vt*

℟. *vt longè probabilius: contineri.* ibid.

XIII. An etiam his verbis: *in anima mea*, Hiſpanè, *En mi alma*, contineatur iuramentum? ibid.

℟. *vt longè probabilius: etiam contineri.* ibid.

XIV. An ſint iuramenta: *In mea conſcientia, & per meam conſcientiam?* pag. 13.

℟. *probabilius: Non eſſe; niſi aliàs, pronuncians dicta verba, velit expreſsè iurare.* ibid.

XV. An ſaltem iuret, qui dicit: *Iuro per meam conſcientiam?* ibid.

℟. *probabilius adhuc non iurare, niſi aliàs ſpecialiter velit per talia verba iurare.* ibid.

XVI. An ad minus, iuramentum faciat, qui dicit: *Teſtis eſt mihi conſcientia mea?* ibid.

℟. *probabilius: adhuc non facere; niſi aliàs id expreſsè velit.* ibid.

XVII. An iuret qui dicit: *Iuro mihi, iuro per meipſum*; aut *iuro pro me.* Hiſpanè, *Iuro a mi, iuro por mi, ò por quien ſoy?* ibid.

℟. *probabilius: Non iurare.* ibid.

XVIII. An hæc verba: *Iuro in fide mea*, vel, *per fidem meam*, aut, *ſub fide mea*, verè contineant iuramentum? ibid.

℟. *probabilius: Non continere ex natura rei iuramentum.* pag. 14.

XIX. An ſaltem ſint iuramentum hæc verba: *In bona fide: in bona fide iurata*, aut, *per bonam fidem iuratam.* Vulgò. *En buena fe. En buena fe iurada. Por mi buena fe iurada?* ibid.

℟. *probabilius: Non eſſe iuramenta.* ibid.

XX. An ad minus iuret, ſi quis dicat: *In fide Chriſtiani*, aut *boni Chriſtiani*: vel, *per fidem Chriſtiani*: Vulgò, *A fe de Chriſtiano: à fe de buen Chriſtiano*, &c. ibid.

℟. *adhuc non iurare: niſi aliàs velit per verba dicta intelligere fidem Chriſti.* ibid.

XXI. An contineant iuramenta hæc verba. *In fide Religioſi*, aut *Sacerdotis. A fe de Religioſo, ò Sacerdote?* ibid.

℟. *Non continere, niſi aliud conſtet de intentione proferentis.* ibid.

XXII. An ſi quis Religioſus dicat: *Per habitum Sanctiſſimæ Trinitatis, S. Frãciſci, aut S. Dominici*, &c. cenſeatur verè iurare? pag. 15.

℟. *Quod ſic.* ibid.

XXIII. An etiam verè iuret qui dicit, *Per fidem Chriſti: Per fidem Dei*, aut, *per fidem Dei*, vel, *in fide Dei?* ibid.

℟. *vt quid certum, verè iurare.* ibid.

XXIV. An verè iurent mulieres, quæ dum pueros minantur, digito naſo, aut fronti applicato, dicunt: *Per iſtam*, Hiſpanè, *Para eſta que me lo aueis de pagar.* Vel, *per iſtam crucem. Por eſta cruz que me lo aueis de pagar?* ibid.

℟. *Nõ iurare: niſi aliàs, crucẽ efformẽt in frõte.* ibid.

XXV. An faciat quis iuramentum, cum per Deum, aut, per propriam vitam interrogatus, *An ita res ſe habeat? abſolutè reſpõdet, ita rem ſe habere.* ibid.

℟. *Quod non facit iuramentum?* ibid.

XXVI. An ſit iuramentum dicere, *Per totum*, vel, *per vitam eius, per quod iurare poſſum.* Hiſpanè, *Por todo lo que puedo iurar: ò Por vida de lo que puedo iurar?* ibid.

℟. *Quod non ſit.* ibid.

XXVII. An ſaltem ſit iuramentum dicere: *Iuro ad talem: per vitam talis: voueo talem.* Hiſpanè, *Iuro a tal: por vida de tal, voto a tal?* ibid.

℟. *Quod adhuc nõ ſunt iuramẽta dicta verba.* ibid.

XXVIII. An iuret qui dicit: *Iuro à ſan oy?* ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XXIX. An ſit iuramentum dicere: *Per meam vitam, aut ſalutem*, vel, *per vitam, aut ſalutem Patris, vel Fratris mei, aut alterius hominis?* pag. 16.

℟. *Eſſe iuramentum ex vi verborum, & ideo verè iuraret qui talia verba diceret, niſi aliàs expreſsè intenderet non iurare.* ibid.

XXX. An ſit iuramentum dicere: *Per vitam mei Equi*, aut, *per conſeruationem huius arboris, aut alterius rei inanimatæ?* ibid.

℟. *Eſſe iuramentũ ex vi verborum: niſi aliàs talia verba dicantur ad euitandum iuramentum verum?* ibid.

XXXI. An qui facit homagium; ideſt, *Pleito è omenaje*, faciat iuramentum? ibid.

℟. *probabilius, quod ſic.* ibid.

XXXII. An faciat iuramentum, qui dicit: Iuro per has barbas; per has veſtes: per filum meæ tunicæ. Per palleres: Per ignem hunc: Per hunc aërem, & ſimilia vilia, & nullius pretij? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XXXIII. An ſaltẽ faceret iuramentũ qui diceret: per hunc aërẽ, ignẽ, terrã, Dei pluuiam aut paleã? ibid.

℟. *Quod tunc ſic.* ibid.

XXXIV. An ſit licitũ iurare per dictas viles creaturas, prout referũtur ad deũ, vt per hãc paleã Dei? p. 17.

℟. *Quod non ſit licitum.* ibid.

XXXV. An ſaltem ſit licitum iurare, per Idola, aut per dœmones, vt ſunt Dei creaturæ? ibid.

℟. *Quod non ſit licitum.* ibid.

XXXVI. An contineant iuramenta hæc verba: *Amen, amen dico vobis?* ibid.

℟. *probabilius, quod non.* ibid.

XXXVII. An iuret ſi quis dicat: In veritate, in realitate veritatis: verè, certè, profectò, ſanè, reuerà, ſincerè? ibid.

℟. *vt certum: quod non, niſi proferens hæc verba, iurare per illa intendat, &c.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De iuramento execratorio. pag. 17.

QVÆST. I. QVid ſit iuramentum execratorium? ibid.

℟. *quod eſt illud quo nos diuinæ vltioni ſubiicimus, ſi verum non ſit quod aſſerimus.* ibid.

II. Quotuplex ſit iuramentum execratorium? ibid.

℟. *quod duplex, explicitũ nẽpe, & implicitũ?* ibid.

III. An ſit iuramentum execratorium dicere. Hæc *faciat mihi Deus, & hæc addat* (mente intelligendo malum aliquod) *niſi hoc ita ſit.* pag. 18.

℟. *Affirmatiuè.* ibid.

IV. An ſit iuramentum execratorium dicere: *Nunquam Deus mihi parcat, me ſaluet, tueatur; Mala morte obeam: non viuam vſque manè. Malum Paſcha mihi Deus impertiat. Ardeam in Inferno*, ſi hoc ita non ſit? ibid.

℟. *vt certum, quod ſic.* ibid.

V. An contineant iuramentum execratorium hæc verba: *Maledicti nummi quos habeo. Maledicta bucella quam edi.* Hiſpanè. *Maldita ſea la blanca que tengo. Maldito el bocado que he comido?* ibid.

℟. *vt certum, quod non.* ibid.

VI. An ſaltem contineant iuramenta hæc verba: *tot Angeli tollant animam meam quot vicibus hodie hoc*

hoc feciſti ; aut, *quot aureos habes.* Hiſpanè *tantos Angeles vengan por mi alma, quantas vezes as echo eſto oy : ò ducados tienes !* ibid.
℟. *Quod nec hæc verba contineant iuramenta,* ibidem.
VII. An hæc dicendi forma: *Melius me Deus ſeruet*; aut, *Meliorem fortunam habeas, quod hoc ita ſit.* Vulgò, *Mejor me guarde Dios : Mejor bentura tengas, que eſſo es aſſi,* iuramentum includát? ibid.
℟. *Non includere iuramenta ſi dicta verba pronuncientur comparatiuè : bene tamen, ſi affirmatiuè.* ibid.
VIII. An ſint iuramenta hæc verba: *Habear vt perfidus, aut hæreticus, mendax ; aut iniquus ſim ego, ſi hoc non ita ſit.* Vulgò. *Sea oy tenido por perfido, o hereſe, ò memtiroſo : ò ruyn ſea oy, ſi eſto no es aſſi ?* pag. 19.
℟. *Quod non ſint.* ibid.
IX. An ad minus iuramentum execratorium contineant hæc verba : *Occidar, amputentur mihi aures, ſi hoc ita non eſt.* Vulgo. *Que me corten las orejas, ſi eſto no es aſſi ?* ibid.
℟. *Non continere, vt comumniter ea proferuntur.* ibidem.

DISPVTATIO V.

De formis iuramenti quæ habent adnexam blaſphemiam in Deum, & Sanctos. pag. 19

QVÆST. I. QVid eſt blaſphemia ? ibid.
℟. *quod eſt locutio contra Deum per modum conuitij* ; aut, *maledictio, & conuitium in Deum iactatum.* ibid.
II. Quotuplex ſit blaſphemia ? ibid.
℟. *Quod in primis diuiditur, in latè, & ſtrictè dictam, ſecundò, in hæreticalem, & ſimplicem.* ibid. & ſeq.
III. Quotuplex ſit blaſphemiæ hæreticalis ſpecies, vel modus ? pag. 20.
℟. *Quod quadruplex.* ibid.
IV. Quotuplex eſt blaſphemia ſimplex ? ibid.
℟. *Quod etiam quadruplex ?* ibid.
V. An blaſphemia, non ſolum ore ; ſed etiam mente, aut Scriptura, committi poſſit ? ibid.
℟. *Quod omnibus his modis.* ibid.
VI. An deinde, non tantum ore, corde & ſcripto; ſed etiam factis, & ſignis, blaſphemia committi poſſit ? ibid.
℟. *probabilius, quod propriè loquendo, non committatur, niſi ſolis verbis.* ibid.
VII. An de ratione blaſphemiæ ſit affectus, ſeu voluntas expreſſa inhonorandi Deum, ſeu, derogandi illius Diuinæ Maieſtati, aut bonitati ? ibid.
℟. *probabilius : quod non ; quia ſufficit implicita voluntas.* ibid.
VIII. An ratione blaſphemiæ ſit, quod conuitium, ſeu verbum contumelioſum, falſitatem contineat ? ibid.
℟. *probabilius, quod non ſit.* pag. 21.
IX. An, conuitium, ſeu verbum contumelioſum in Sanctos, ſit blaſphemia ? ibid.
℟. *vt certum : Quod ſit.* ibid.
X. An ſit etiam blaſphemia, conuitium iactatum in cæteras creaturas, ſiue rationales ; vt ſi quis dicat ; vel imprecetur aliquod malum Patri ſuo, tempeſtati, aut ventis, &c. ibid.
℟. *Non eſſe blaſphemiam, ſi proferens præſcindat à relatione in Deum, &c.* ibid.
XI. An blaſphemia ſit peccatum virtuti religionis oppoſitum ? ibid.
℟. *vt certum : Quod ſic.* ibid.
XII. An blaſphemia ex genere ſuo ſit peccatum mortale ? ibid.
℟. *vt certum : Quod ſit.* ibid.
XIII. An blaſphemia propriè dicta, & deliberatè, & ſeriò prolata contra Deum & Sanctos ; poſſit ex leuitate materiæ eſſe venialis ? ibid.
℟. *vt mihi certum : quod non poſſit.* ibid.
XIV. An blaſphemia contra Deum, aut Sanctos ioco prolata, ſit etiam peccatum mortale ? pag. 23.
℟. *Quod licet aliqui abſolutè id affirment : alij verò negent. Clarius dico poſſe in aliquo caſu, rarò tamen, eſſe venialem : ſi non maneat verè in eſſe blaſphemiæ.* ibid.
XV. An verba blaſphema iactata in Sanctos, non quatenus Sancti formaliter ſunt; ſed materialiter, vt quidam homines ſunt, tunc eſſet blaſphemia venialis, ſi ioco dicerentur ? ibid.
℟. *Eſſe venialem, ſi tunc verba blaſphema eſſent leuia : ſecus, ſi grauia.* ibid.
XVI. An ſit peccatum veniale, blaſphemia ex indeliberatione, aut inaduertentia prolata in Deum ? pag. 23.
℟. *quod ſit veniale.* ibid.
XVII. An ſaltem mortaliter peccet, qui blaſphemat ex habitu, etiamſi, nec ſufficienter, nec plenè, ſed ſolum aliquantulum, ad blaſphemias aduertat ? ibid.
℟. *Non peccare mortaliter in actu, ſed in cauſa.* Lege quæſtionem. ibid.
XVIII. An ſaltem peccet mortaliter actu, ille, qui inaduertenter, & inconſiderander blaſphemat ; eſt tamen ita habitualiter diſpoſitus, quod etiamſi aduerteret, blaſphemaret ? ibid.
℟. *probabilius, quod nec hic peccaret mortaliter actu, ita vt nouum peccatum committat.* ibid.
XIX. An blaſphemia in Deum, vt ſic differat ſpecie, à blaſphemia in Sanctos ? ibid.
℟. *probabilius, quod ſic.* pag. 24.
XX. An pœnitens teneatur in Confeſſione explanare diuerſitatem, aut qualitatem blaſphemiarum in Deum: v.g. an fuerit, *Pœniteat Deum : per Dei vitam, &c.* ibid.
℟. *probabilius, quod non teneatur.* ibid.
XXI. An ſaltem teneatur pœnitens explicare in confeſſione, contra quem fuerit blaſphemia, an contra Deum, an contra Sanctos ? ibid.
℟. *probabilius : Teneri.* ibid.
XXII. An etiam teneatur pœnitens explicare, an blaſphemia fuerit contra B. Virginem, an contra alios Sanctos ? ibid.
℟. *probabilius : etiam teneri.* ibid.

§. II.

De variis modis & formulis blaſphemandi in Deum, & ſanctos. pag. 24.

XXIII. AN ſit blaſphemia, iurare verum, vel falſum, per falſos deos, vt per Martem aut Iouem, &c. ibid.
℟. *Quod ſic, ſi id fiat ſeriò.* ibid.

XXIV. An item, esset blasphemus ille, qui iuraret per aliquam creaturam, etiam sanctam, sistendo in ea tanquam in infallibili veritate? ibid.

℟. *tanquam certum: quod esset.* ibid.

XXV. An sint blasphema omnia illa verba, quæ continent fidei debitæ Deo abnegationem? ibid.

℟. *tanquam certum: Esse, vt sunt: non credo in Deum: nego, vel renego Deum, &c.* ibid.

XXVI. An deinde sint blasphemiæ, omnes illi modi loquendi, in quibus Deo, vel Sanctis aliquem dolorem, & pœnitudinem tribuimus? pag.25.

℟. *vt certum: Esse. Vnde blasphemia est dicere, Pœniteat Deum, malum Deo contingat, &c.* ibid.

XXVII. An item sint blasphemiæ illa verba, quæ derogant omnipotentiæ Dei? ibid.

℟. *vt certum, quod sic.* Et ideo sunt hæc: *Non est potestas in Deo. Velit nolit Deus, hoc ita fiet, Deum tædeat, &c.* ibid.

XXVIII. An sit blasphemia laudare Deum obscœnis verbis? ibid.

℟. *tanquam certum: Quod sit.* ibid.

XXIX. An omnia iuramenta, quæ fiunt per pudenda Christi, & Sanctorum, sint blasphema, & mortalia? ibid.

℟. *vt certum (quidquid alij dixerint) talia iuramenta esse blasphema, & mortalia, etiam secluso contemptu, & scandalo.* ibid.

XXX. An etiam sint blasphema iuramenta, quæ fiunt per honesta membra Dei: *vt per caput; Per sanguinem; Per corpus, per intestina*, aut, *per capillos Christi Domini*; aut *D. Petri?* ibid.

℟. *vt verius, quod talia iuramenta non sint blasphemia, si iurans intendat id asserere loquendo de Christo Domino, vt homo est: secus si id vellet tribuere Deo, vt Deus est.* ibid.

XXXI. An sit blasphemus, qui in iurgio tum ira & indignatione dicit: *ô cuerpo de Dios con vos: ô sangre de Dios. Cuerpo de S. Pablo con tal hombre, &c.* ibid.

℟. *vt ferè certum, quod non, casu, quo indignatio illa, esset contra illum cum quo contenditur, & non contra Deum.* ibid.

XXXII. An saltem esset blasphemus, qui cum ira diceret: *O fides Dei cum tali homine! ô virgo Deipara cum tali bellua, non homine?* pag.26.

℟. *probabilius, quod non; nisi casu, quo ex ira in Deum vel virginem concipiantur.* ibid.

XXXIII. An sit blasphemia dicere: Diabolum esse omnipotentem, aut sanctum: Puellam amasiam esse deam. Fatum omnia regere, & gubernare? ibid.

℟. *vt certum. Esse claram blasphemiam.* ibid.

XXXIV. An item sit blasphemia dicere; *Natus sum in hoc fato: in hac Astrorum constellatione. Sic tandem futurum erat, &c.* ibid.

℟. *Probabilius, quod licet dictæ propositiones sint malè sonantes, non tamen blasphemæ.* ibid.

XXXV. An sint blasphema hæc verba: *Renego talem: Pœniteat talem: Per vitam talis.* Vulgò, *de tal: Pese à tal: Por vida de tal?* ibid.

℟. *Non esse; nisi aliàs proferens hæc verba, per illud, talem, intelligat Deum.* ibid.

XXXVI. An sit blasphemus Italus, qui suo idiomate dicit: *Al dispetto di Di*: vel, *Rinego Di.* Hispanus verò, suo; *Al despecho de Di*: ò, *Renego de Di*, tacita vltima vocali *o*, vel *os.* ibidem.

℟. *quidquid alij dicant, non esse blasphemum, si omittat illam syllabam, o*, vel, *os, vt effugiat iurare.* ibid.

XXXVII. An sit saltem blasphemus Italus, dicens: *Al dispetto di quel becco, che mi tiene, & sostiene al mondo.* Hispanè. *Al despecho de aquel cabron, que me tiene, y sustenta en el mundo?* pag.27.

℟. *Non esse blasphemum, nec præsumi, nisi constet, talia verba proferre in contemptum Dei.* ibid.

XXXVIII. An hæc Italica verba: *Poter di Dio; Pofar di Dio: Possanza di Dio*: Hispanè. *Poter Dios: Potencia de Dios*; importent blasphemiam? de ibid.

℟. *quod non.* ibid.

XXXIX. An sint blasphemiæ hæc verba blasphema, sub conditione, non absolutè, prolata: *Non credo Deum*, seu, *nego Deum, Crucem, Euangelia, si ita non est. Deus est iniustus, si te non percussero?* ibid.

℟. *Probabilius, esse blasphemias hæreticales, non absolutas, sed sub conditione absolutè, & de præsenti prolatas.* ibid.

XL. An iurare per vitam Dei, vel, Sanctorum, sit blasphemia? ibid.

℟. *quod hoc iuramentum in praxi, vt blasphemum punitur, quidquid alij esse blasphemum negent.* ibid.

XLI. An committat blasphemiam qui dicit: *Hoc ita verum est, sicut Euangelium*, aut, *sicut Deus verus est*, vel, *sicut Christus natus est ex Maria Virgine?* pag.28.

℟. *probabilius: committere, si velit affirmare tantam esse certitudinem in eo dicto, quanta est in illa fidei veritate: secus aliàs.* ibid.

XLII. An locutiones positæ in quæstionibus præcedentibus, sint absolutè iudicandæ blasphemæ, quando non constat de sana proferentis intentione? ibid.

℟. *probabilius, quod non.* ibid.

XLIII. An iuramentum factũ, per intemeratam Deiparæ virginitatem, sit blasphemum? ibid.

℟. *probabilius: Non esse.* ibid.

XLIV. An sit blasphemus, qui ad confirmandam facetiam, adducit aliqua verba Scripturæ Sacræ? ibidem.

℟. *probabilius: Non esse blasphemum, sed sacrilegum.* ibid.

XLV. An verba contra Deum in ebrietate, vel phræneſi, vel ex inaduertentia, orta, ex inueterata consuetudine blasphemandi, sint blasphemiæ? pag.29.

℟. *quod non.* ibid.

XLVI. An, quando aliqua externa verba quæ non clarè, sed dubiè, ex se videntur continere Dei contumeliam, sint censenda continere, & esse consequenter blasphema? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XLVII. An iuramentum falsum, & iniustum, eo ipso, quod tale sit, sit blasphemum? ibid.

℟. *omnino (quidquid alij dubitent) minimè esse blasphemum?* ibid.

XLVIII. An sit blasphemia dicere: *Per corpus Dei Patris*: aut, *Per eius barbam*, aut, *Per alas Spiritus Sancti?* ibid.

℟. *vt certum: esse blasphemiã, & hæreticalem.* ibid.

XLIX. An qui eodem iracundiæ impetu, vnico continuato actu, seu sermone, plures blasphemias in Deum, vel in aliquem Sanctum, profert, vnum tantum peccatum committat? ibid.

℟. *vt probabilius, vnum tantum peccatum committere.* ibid.

L. An, saltem committat diuersa peccata, in Deum, vel in aliquem Sanctum, qui vno actu continuato plures blasphemias diuersi generis profert? pagina 30.
Ꝛ. *probabilius, quod non committat, nisi vnum.* ibidem.
LI. An saltem plura peccata committat, qui vnico impetu erga plures Sanctos, plures profert blasphemias? ibid.
Ꝛ. *probabiliùs, adhuc non plura, sed vnicum peccatum committere.* ibid.
LII. An, qui maledicit diabolo peccet mortaliter? ibidem.
Ꝛ. *Quod non: imò nec venialiter aliquando.* ibid.
LIII. An saltem maledicere hominibus, optando eis malum; v.g. *Possit crepare, occidi, &c.* sit mortale? ibid.
Ꝛ. *vt certum quod sit peccatum mortale blasphemia, si maledicuntur vt sunt creaturæ Dei, aut aliquid eius. Si verò non vt sunt aliquid Dei, etiam est mortale peccatum contra charitatem.* ibid.
LIV. An qui imprecantur mortem filiis, ne in futurum delinquant, vel quid turpe faciant: peccent mortaliter? ibid.
Ꝛ. *Quod non.* ibid.
LV. An maledicere creaturis irrationabilibus, secundum se, & propter ipsas, sit mortale? pag. 31.
Ꝛ. *vt certum, quod non: secus si maledicerentur, vt sunt bona proximi.* ibid.
LVI. An, quando quis maledicit diei, horæ, loco, ventis, pluuiis, &c. peccet mortaliter? ibid.
Ꝛ. *Esse peccare mortaliter aliquando; aliquando, nec venialiter.* ibid.

§. III.

De blasphemia quoad absolutionem & reseruationem, & punitionem. pag. 31.

LVII. AN blasphemiæ hæreticales solùm possint puniri à Dominis inquisitoribus? ibidem.
Ꝛ. *vt certum (quidquid alij dixerint) solum posse puniri, & cognosci ab illis.* ibid.
LVIII. An etiam de blasphemiis non hæreticalibus possint cognoscere Domini inquisitores, easque punire? ibid.
Ꝛ. *multo probabilius: Non posse.* ibid.
LIX. An si vnus Iudex procedat, & pœnam blasphemo non hæreticali adæquatam imponat: possit nihilominus alius Iudex procedere? pag. 32.
Ꝛ. *vt certum: quod non: benè tamen si posuisset pœnam inadequatam.* ibid.
LX. An olim in lege veteri pœna mortis afficerentur blasphemi? ibid.
Ꝛ. *Quod sic.* ibid.
LXI. An etiam in lege noua, blasphemi vltimis supplicijs, ideſt, pœna capitis, seu mortis puniantur? ibid.
Ꝛ. *tali pœna puniri iure ciuili.* ibid.
LXII. An etiam iure Canonico statuta fuerit pœna mortis blasphemantibus in Deum? ibid.
Ꝛ. *vt certum: quod non, sed varia alia pœna.* ibid.
LXIII. An de facto, & communiter puniantur blasphemi aliquibus determinatis pœnis? pag. 33.
Ꝛ. *quod sic. Legantur.* ibid.
LXIV. An blasphemus condemnatus pro tali, repellendus sit, à testimonio dicendo, tanquam infamis? ibid.
Ꝛ. *Repellendum esse à testimonio dicendo in omnibus causis exigentibus testes omni exceptione maiores: non in alijs.* ibid.
LXV. An qui consuetudinem blasphemandi habet, teneatur sub mortali illam extirpare? ibid.
Ꝛ. *vt certum, teneri.* ibid.
LVI. An blasphemus possit absolui à confessore absque imposita ab ipso pœnitentia grauissima? ibid.
Ꝛ. *probabilius: Posse absolui absque grauissima pœnitentia imposita.* ibid.
LXVII. An, qui consuetudinem habet blasphemandi, sit arcendus ab absolutione sacramentali; vel ei hæc differenda? ibid.
Ꝛ. *probabiliùs: Non esse arcendum, si cum vero dolore accedat: licet possit Confessarius absolutionem differre: casu, quo conueniat pœnitentis saluti.* ibid.
LXVIII. An audiens blasphemantem, teneatur eum grauiter increpare, etiamsi nulla spes emendæ adsit? pag. 34.
Ꝛ. *probabilius: Non teneri eum grauiter increpare: benè tamen corrigere eum fraternè si speratur emenda, & concurrant alia circunstantia requisita.* ibid.
LXIX. An, audientes blasphemum, teneantur ad denunciandum illum Iudici? ibid.
Ꝛ. *vt certum, teneri.* ibid.
LXX. An qui blasphemias hæreticales pronunciant, denunciandi sint Inquisitoribus: qui verò non hæreticales, Episcopis, vel iudicibus? ibid.
Ꝛ. *vt certum: quod sic.* ibid.
LXXI. An blasphemi præcipuè hæreticales, debeant ante denunciationem, fraternè corripi si spes sit emendæ? ibid.
Ꝛ. *Quod non, si crimen blasphemiæ sit publicum: secus si sit occultum, & sit spes emendæ.* ibid.
LXXII. An sit denunciandus blasphemus publicus, qui statim ac pronunciauit blasphemiam, plenè se retractat, percutiendo sibi pectus, & os? pag. 35.
Ꝛ. *probabilius esse denunciandum.* ibid.
LXXIII. An blasphemia hæreticalis, sit reseruata in foro Sacramenti Pœnitentiæ, Inquisitoribus tantum? ibid.
Ꝛ. (*quiquid alij sentiant*) *quod si talis blasphemia sit prolata ab hæretico, omnino sit reseruata DD. Inquisitoribus: secus si sit prolata ab homine irato, non tamen hæretico.* ibid.
LXXIV. An blasphemia publica, & notoria, sit iure canonico, reseruata Episcopo? ibid.
Ꝛ. *vt ferè certum, minimè esse reseruatam ipso iure.* ibid.

DISPVTATIO VI.

De personis, quæ iurare possunt, tam in iudicio, quàm extra. pag. 36.

§. I.

De personis quæ in iudicio iurare possunt. ibid.

QVÆST. I. AN, omnes homines, qui non sunt aliquo iure excluſi, possint in iudicio

iudicio iurare? ibid.
Rz. *tanquam certum: posse.* ibid.
II. An excludantur à testificando in iudicio pueri, & puellæ ante annos pubertatis; qui in pueris, quatuordecim; in puellis duodecim sunt? ibid.
Rz. *vt certum: excludi à iure.* ibid.
III. An saltem, si dicti pueri, & puellæ, ante annos pubertatis, sponte iurare velint, admitti possint vt in iudicio testificentur? ibid.
Rz. *vt probabilius: quod non possunt admitti.* ibidem.
IV. An, si aliqui, de facto, ante pubertatem ad testificandum in iudicio admittantur, faciant plenam fidem? ibid.
Rz. *Quod non; sed solum magnam præsumptionem.* ibid.
V. An eademmet ætas sufficiat ad testificandum in ciuilibus, & in criminalibus? ibid.
Rz. *Quod non. Quia in ciuilibus requiritur, & sufficit ætas quatuordecim annorum, in criminalibus ætas viginti.* ibid.
VI. An in aliquibus criminalibus causis, possint ad testificandum recipi minores anno vigesimo? pag. 37.
Rz. *quod benè in aliquibus: vt in crimine læsæ Maiestatis, & aliis tribus casibus.* ibid.
VII. An, non attento iure communi, sed iure nostro Hispano; possint in criminalibus admitti testes, qui minores sint vigesimo anno? ibid.
Rz. *Affirmatiuè.* ibid.
VIII. An etiam attento iure communi, qui nondum vicesimum annum excesserunt: possint recipi in testes ad probationem nefandi criminis? ibid.
Rz. *æquè probabiliter, quod nec possint.* ibid.
IX. An, attento iure ciuili, possint mulieres, quæ vicesimum annum excesserunt, esse testes in criminalibus causis? ibid.
Rz. *vt ferè certum: posse.* ibid.
X. An, etiam iure canonico attento, possint mulieres, quæ vicesimum annum compleuerunt, admitti ad testificandum in criminalibus causis? pagina 38.
Rz. *probabilius: quod non, attento hoc iure.* ibid.
XI. An, excludatur à iuramento iudiciario, inimicus eius, contra quem testimonium ferre debet? ibid.
Rz. *vt certum: quod sic.* ibid.
XII. An, vt inimicitia à testificando aliquem repellat, debeat esse capitalis? ibid.
Rz. *vt certum; quod debeat esse capitalis, loquendo de causis ciuilibus: Immò, & vt verius, etiam loquendo de causis criminalibus.* ibid.
XIII. An periurus repellatur à testificando in iudicio? ibid.
Rz. *vt certum: quod sic.* ibid.
XIV. An, vt periurus repellatur à testimonio dicendo, sufficiat, quod sit periurus notorius, notorietate facti, etsi in iudicio non sit conuictus? pag. 39.
Rz. *æquè probabiliter; Non sufficere, sed requiri necessario, vt periurium sit in iudicio conuictum.* ibid.
XV. An saltem possit periurus, in sua causa, ad iurandum à iudice admitti? ibid.
Rz. *Non posse admitti ad iurandum in causa propria de re sibi vtili: benè tamen de onerosa.* ibid.
XVI. An infames infamiâ iuris, à iuramento in iudicio repellantur? ibid.
Rz. *vt certum: repelli.* ibi
XVII. An etiam infames infamiâ facti debeant repelli à iuramento in iudicio? ibid.
Rz. *Quod debent regulariter repelli.* ibid.
XVIII. An, socius criminis debeat à iudiciali iuramento excludi? pag. 40.
Rz. *vt certum: debere ordinariè.* ibid.
XIX. An, in aliquibus delictis possit socius criminis, contra socios esse testis? ibid.
Rz. *Posse in omnibus criminibus, exceptis crimine hæresis, læsæ Maiestatis, sodomiæ, falsificationis monetæ,* &c. ibid.
XX. An in dictis casibus, possit socius criminis esse integer testis contra socios; ita vt semiplene probet? ibid.
Rz. *æquè probabiliter: non posse esse integrum testem, nec semiplenè probare.* ibid.
XXI. An homo vilis, & inops à iuramento iudiciali repellatur? ibid.
Rz. *Quod sic, casu quo suspicio sit, vt facile corrumpi possit pecuniâ.* ibid.
XXII. An laïcus admittatur in iudicio ad testificandum contra clericos? ibid.
Rz. *vt certum, quod non admittitur in causis criminalibus: benè tamen in ciuilibus. Sicuti etiam in exceptis criminibus,* &c. ibid.
XXIII. An Sacerdotibus sit interdictum in iudicio ex leui causa iurare? pag. 41.
Rz. *Quod sit.* ibid.
XXIV. An saltem sit licitum Sacerdotibus, iurare in iudicio pro necessitate, vel magna vtilitate? ibidem.
Rz. *esse omnino eis licitum.* ibid.
XXV. An assignari possint causæ in quibus iure permittitur Sacerdotibus, vt sint testes in iudicio, & ibi iurare? ibid.
Rz. *Quod sic. Sunt enim causæ sex.* Lege illas. ibid.
XXVI. An clerici possint, sine sui Prælati licentia in manu laici iurare? ibid.
Rz. *Posse: exceptis tribus casibus, qui requirunt licentiam Episcopi, vel Papæ.* ibid.
XXVII. An Sacerdotes, cum iusiurandum præstant, teneantur sacra tangere? ibid.
Rz. *Non teneri, nisi in causis grauibus, vel iure expressis.* ibid.
XXVIII. An consanguinei descendentes, vel ascendentes eius, pro quo est testimonium dandum, repellantur à testificando in iudicio? ibid.
Rz. *vt certum, repelli.* ibid.
XXIX. An item repellantur à testificando in iudicio collaterales, & affines eius, pro quo est testimonium dandum? ibid.
Rz. *etiam repelli huiusmodi, vsque ad quartum solum gradum.* ibid.
XXX. An prædicti consanguinei & affines possint interdum admitti ad testificandum pro reo? p. 42.
Rz. *Posse interdum; nempe ad eius innocentiam probandam, & in aliis casibus expressis.* ibid.
XXXI. An repellantur à testificando domestici eius, qui testes producit? ibid.
Rz. *vt certum: repelli in omni causa, excepta vna.* ibid.
XXXII. Qui nomine domesticorum intelligantur & dicantur? ibid
Rz. *Quod intelligantur, vxor, filij, serui, & liberti, &c.* ibid
XXXIII. An pagani, Iudæi, & apostatæ à fide, & ali ex alia lege; possint testificari contra Christianum? ibid.

Rz. vt.

Ꝛ. *vt certum : Non posse , nisi in crimine læsæ Maiestatis Diuinæ , & humanæ.* ibid.

XXXIV. An , vt iuramentum in iudicio forensi licite proferatur , debeat fieri debito tempore à ieiuno ? ibid.

Ꝛ. *quod debet fieri debito tempore, & à ieiuno, ex consilio.* ibid.

XXXV. An , vt duo testes plenè probare dicantur, etiam circunstantiæ aliquæ sint necessè requisitæ ? ibid.

Ꝛ. *quod sunt requisita quatuor.* ibid.

§. II.

De personis quæ extra iudicium iurare possunt. pag.43.

XXXVI. AN Deus Opt. Max. iurare possit ? pagina 43.

Ꝛ. *vt certum , quod possit ; non propriè , sed metaphoricè, & improprie.* ibid.

XXXVII. An Deus, non solum per simplicem attestationem , sed etiam per execrationem , possit iurare ? ibid.

Ꝛ. *vt longè probabilius : solùm posse per simplicem attestationem.* ibid.

XXXVIII. An Christus Dominus, iurare potuerit ?

Ꝛ. *vt certum : Quod potuit , & propriè.* ibid.

XXXIX. An Angeli boni loquentes cum hominibus iurare etiam possint, & aliquando iurauerint? ibid.

Ꝛ. *vt certum : posse, & iurasse.* ibid.

XL. An etiam, Angeli inter se loquentes possint iurare ? ibid.

Ꝛ. *vt certum : Non posse , saltem ratione status.* ibid.

XLI. An Angeli mali , loquentes inter se , aut cum Angelis bonis possint iurare ; & de facto iurent ? ibid.

Ꝛ. *quod licet possint : de facto tamen non iurent.* ibid.

XLII. An Angeli mali , loquendo cum hominibus, interdum iurent ? pag.44.

Ꝛ. *quod interdum iurent ad decipiendos homines.* ibid.

XLIII. An , homines viatores sint capaces iuramenti ? ibid.

Ꝛ. *quod non : solum enim sunt, qui sunt capaces rationis.* ibid.

XLIV. An Pagani , qui nullum omnino Deum cogitant, vel admittunt ; vt Athæi , qui animam immortalem non credunt , sint capaces iuramenti ? ibid.

Ꝛ. *vt certum : quod non.* ibid.

XLV. An saltem gentiles , qui , licet verum Deum ignorent , falsos tamen deos cognoscunt , & colunt, sint capaces iuramenti ? ibid.

Ꝛ. *vt certum : verè, in re , non esse capaces iuramenti.* ibid.

XLVI. An Iudæi, Mauri, Turcæ , & alij, qui verum Deum , licet imperfecto modo agnoscunt , sint capaces iuramenti ? ibid.

Ꝛ. *vt certum : quod sic.* ibid.

DISPVTATIO VII.

De comitibus, seu conditionibus iuramenti, nempe , de veritate , iustitia , & iudicio. pag.44.

QVÆST. I. AN, vt iuramentum quodlibet sit licitum, & honestum , debeat habere veritatem, iustitiam, & iudicium ? ibid.

Ꝛ. *Debere.* ibid.

§. I.

De veritate requisita in iuramento assertorio. ibid.

II. AN veritas in iuramento assertorio, consistat formaliter in eo vt iurans existimet verum esse , id quod iureiurando affirmat , vel negat ? ibid.

Ꝛ. *melius affirmatiuè.* ibid.

III. An defectio veritatis in iuramento assertorio , si res sit grauis , semper sit mortalis ? pag.45.

Ꝛ. *vt quid certissimum : semper esse (nisi absit perfecta libertas.)* ibid.

IV. An etiam defectus veritatis in materia leui , sit etiam mortalis in iuramento assertorio ? ibid.

Ꝛ. *etiam vt quid certissimum : semper esse mortalem.* ibid.

V. An iuramentum assertorium falsum, factum causâ ioci, etiam sit periurium mortale ? ibid.

Ꝛ. *vt quid certissimum (quidquid alij dixerint) esse mortale.* ibid.

VI. An sit etiam mortale, iurare rem dubiam vt certam ? ibid.

Ꝛ. *tanquam certum : etiam esse mortale.* ibid.

VII. An iuret falsum , peccétque mortaliter , qui per hyperbolem , iurat rem , quæ vt sonat , vera non est ? pag.46.

Ꝛ. *vt certum : Non iurare falsum, nec consequenter peccare mortaliter.* ibid.

VIII. An certitudo veritatis , quam exigit assertorium iuramentum , debeat esse euidens , & omnino infallibilis ? ibid.

Ꝛ. *vt certum : quod non , sufficit enim certitudo moralis.* ibid.

IX. An , vt Scholastici verè iurent , aliquem Scholasticum ad scholas accessisse , tempore requisito ad cursum conficiendum ; sufficiat , quod racionabiliter id credant , eo quod illum viderint eo tempore communiter ad scholas adeuntem ? ibid.

Ꝛ. *id sufficere.* ibid.

X. An , liceat persuadere alicui , vt iuret obiectum quidem verum , sed quod ille ignorat ? ibid.

Ꝛ. *non licere , nisi iuraturus prius sibi persuadeat probabili fundamento persuadentis, ita esse.* ibid.

XI. An etiam in iudicialibus , sufficiat certitudo moralis , quæ consurgit ex auditu fide digni , vt quis rem tanquam certam iuret ? pag.47.

Ꝛ. *Non sufficere : nisi in tali, vel tali casu.* ibid.

XII. An scholasticus possit iurare aliquem ex suis sociis

sociis, toto anno scholas frequentasse, cum id non fecerit, nisi per maiorem partem anni? ibid.

℟. *Sufficere, nisi aliàs expresse id constitutiones Vniuersitatis petant, & extent in viridi obseruantia.* ibid.

XIII. An, vt licitum sit iuramentum, sufficiat, vt res de qua profertur, secundum modum, & sensum humanum sumpta, sic se habeat? ibid.

℟. *sufficere.* ibid.

§. II.

De iustitia in iuramento assertorio requisita.

XIV. AN iustitia in iuramento assertorio requisita, consistat in eo, quod actus iurandi sit iustus, & rectus? pag. 47.

℟. *quod sic.* ibid.

XV. An, ex eo precisè, quod aliqua res iniusta, & iniqua iuretur ab aliquo, deficiat in tali iuramento iustitia? ibid.

℟. *quod non ex eo precisè; sed ex eo quod rem iniustam, & iniquam, iniustè, & iniquè iuret.* ibid.

XVI. An defectus iustitiæ in iuramento assertorio, sit mortalis, vel venialis, secundum quod narratio confirmata iuramento, mortalis, vel venialis fuerit? pag. 48.

℟. *probabilius quod non ex eo; sed ex eo quod iuramentum assumatur vt medium, & instrumentum ad finem prauum, & ideo si hic est mortalis, mortale erit iuramentum; sit venialis, veniale.* ibid.

§. III.

De iudicio in iuramento assertorio requisito. pagina 48.

XVII. AN iudicium in iuramento assertorio requisitum, consistat in eo, quod adsit matura consideratio de necessitate, vel vtilitate iurandi? ibid.

℟. *vt certum, quod sic.* ibid.

XVIII. In quonam consistat necessitas, & vtilitas requisitæ ad honestatem iuramenti? ibid.

℟. *id prudenti arbitrio esse iudicandum.* ibid.

XIX. An defectus iudicij repertus in iuramento, constituat culpam mortalem, sicut defectus veritatis? pag. 49.

℟. *vt certum: quod non.* ibid.

XX. An saltem si desit iudicium ex parte negligentiæ, & inquisitionis necessariæ ad perpendendum, an sit verum, & iustum quod iuratur; tunc defectus iudicij sit mortalis? ibid.

℟. *Quod erit mortalis si negligentia sit grauis; venialis verò, si leuis.* ibid.

XXI. An qui notabiliter est negligens in inquirenda veritate rei, quam iurat, excusetur à mortali, casu quo contingat esse verum, quod iurauit? ibid.

℟. *vt certum: Non excusari.* ibid.

XXII. An si quis dum initio iurare cæpit, non plenè animaduertit esse mendacium, & cum aduertit, non cessat; peccet in hoc casu mortaliter? ibid.

℟. *peccare mortaliter.* ibid.

XXIII. An iurare falso cum aduertentia plena excusetur à mortali, si id fiat ex aliquo bono fine ibid.

℟. *Non excusari.* ibid

§. IV.

De iuramento promissorio, & de veritate, iustitia, & iudicio ad illud requisitis. Vbi etiam multa de voto. pag. 50.

XXIV. AN etiam ad iuramentum promissorium licitè præstandum, requirantur illi tres comites, quos requirit iuramentum assertorium? ibid.

℟. *vt certum: requiri.* ibid.

XXV. An eamdemmet, & vnicam veritatem habeat iuramentum promissorium, ac assertorium? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XXVI. An defectus veritatis de præsenti in iuramento promissorio (seu in voto) semper sit mortalis, etiãsi res, quæ promittitur sit parua, & leuis? ibid.

℟. *vt certum; semper esse mortalem.* ibid.

XXVII. An peccet peccato mortali, qui iuramento (aut voto) promittit aliquid per hyperbolem, aut exaggerationem? ibid.

℟. *vt certum: non peccare mortaliter.* ibid.

XXVIII. An, vt quis non peccet quando aliquid per hyperbolem iuramento (aut voto) promittit, debeat habere animum illud implendi, iuxta sensum hyperbolicum? ibid.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

XXIX. An peccet mortaliter qui promittit cum iuramento (aut voto) aliquid, quod credit, non posse adimplere, eo quod sit impossibile? pag. 51.

℟. *vt multò probabilius, imò vt mihi certum, peccare mortaliter.* ibid.

XXX. An saltẽ liber sit à mortali qui iuramento (aut voto) promittit aliquid, quod si non probabiliter, leuiter tamẽ, credit promissũ posse adimplere? ibid.

℟. *adhuc vt multò probabilius, quod nõ sit liber.* ib.

XXXI. An deinde sit mortale, iurare (aut vouere) rẽ aliquã alteri, animo dubio adimplendi illã? ibid.

℟. *vt certum: etiam esse mortale.* ibid.

XXXII. An peccet mortaliter qui alteri iuramento (aut voto) promittit rem aliquam grauem, & iustam, animo exequendi illam si postea iuramentum (aut votum) frangat, & non impleat? ibid.

℟. *vt certum, peccare mortaliter.* ibid.

XXXIII. An etiam peccet mortaliter qui iuramento (aut voto) rem leuem alteri promittit, animo illam exequendi, si postea illud non impleat? ibid.

℟. *probabilius: tunc non peccare mortaliter, etiamsi res parua promissa, sit tota materia iuramenti aut voti.* pag. 52.

XXXIV. An qui iurat, aut vouet rem exiguam quotidie dicendam, v.g. vnum *Aue Maria*, & nunquam implet, peccet mortaliter? pag. 52.

℟. *Quod licet alij affirment: alij verò negent: Ego cum aliis distinguam: in praxi verò tene quod non pecces mortaliter.* ibid.

XXXV. An similiter solùm peccet venialiter, qui iurat, aut vouet erogare quotidie modicam eleemosynam, & nunquam tale iuramentum aut votum implet? pag. 53.

℟. *Quod licet existiment peccare mortaliter. Alij vero venialiter; & nos distinguamus. In praxi verò tene solum peccare venialiter.* ibid.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

§. V.

De iuſtitia requiſita in iuramento promiſſorio, & voto. pag. 53.

XXXVI. AN ſit peccatum mortale iurare (aut vouere) aliquod mortale committere, vt fornicari, grauiter ſe vindicare, &c.? ibid.

℟. *vt certum: eſſe peccatum mortale, nec tale iuramentum obligare*, &c. ibid.

XXXVII. An etiam peccet mortaliter qui iurat (aut vouet) aliquod veniale committere, animo adimplendi illud? ibid.

℟. *vt longè probabilius: Quod non; ſed ſolum peccet venialiter.* ibid.

XXXVIII. An ſaltem peccet mortaliter qui adimplet iuramentum (aut votum) rei venialis, eo quod iurauerit (aut vouerit) tale veniale facturum? ibid.

℟. *Quod, licet alij affirment: Alij vero negent, ego ſic diſtinguo dicendo, quod regulariter loquendo non peccat niſi venialiter ob ignorantiam vulgarē; mortaliter m vero ſi hanc excludas.* pag. 54.

XXXIX. An itē peccet mortaliter, qui ſecluſa omni ignorantia iurat (aut vouet) ſe facturum aliquid contra conſilia Euangelica, vt ſe non futurum Religioſum, &c.? ibid.

℟. *vt longè probabilius, quod non; ſed venialiter ſolum.* ibid.

XL. An qui iurauit (aut vouit) non daturum eleemoſynam (quando ad eam non tenetur) non ingreſſurū Religionem, &c. peccet ſaltem venialiter ſi poſtea det eleemoſynam, ingrediatur Religionem, &c.? ibid.

℟. *vt certum, non peccare.* ibid.

XLI. An iurare (aut vouere) rem indifferentem, ſit ex ſe veniale? ibid.

℟. *eſſe veniale, defectu iuſtitiæ.* ibid.

XLII. An ſaltē ſit immunis à veniali qui iurat (aut vouet) rem, aut actum indifferentem ex obiecto, propter honeſtum finem? ibid.

℟. *vt certum tunc iurantem eſſe immunem à veniali.* ibid.

XLIII. An iuramentum (aut votum) factum à principio de re indifferenti, poſtea obliget, ſi poſt aliquot dies talis res fiat bona? pag. 55.

℟. *Non obligare.* ibid.

XLIV. An ille qui ab aliquo didicit certam medendi artem ſub iuramento (aut voto) non communicandi illam aliis; teneatur ad tale iuramentum ſeu votum? ibid.

℟. *Non teneri, ſi adſit neceſſitas illius modi medendi: ſecus aliàs.* ibid.

XLV. An peius ſit iurare (aut vouere) quempiam ſe facturum rem venialem, aut contra conſilia Euangelia, aut indifferentem, animo non implendi; quàm animo implendi? ibid.

℟. *quod peius ſit iurare (aut vouere) animo non implendi, ſecus de illo qui iurat (aut vouet) rem mortalem animo exequendi.* ibid.

XLVI. An ſit neceſſe, diſtinctè fateri, quoties quis cum mendacio; & quoties cum dubio; & quoties cum animo non implendi aliquid iurauerit? ibid.

℟. *Quod non, ſed ſat eſſe fateri, ſe toties falſo iuraſſe.* ibid.

XLVII. An homicidium ſit grauius peccatum periurio? ibid.

℟. *probabilius quod non; ſed potius contra.* ibid.

XLVIII. An periurium ſit etiam grauius peccatum, quàm parricidum? pag. 56.

℟. *probabilius: Quod non.* ibid.

XLIX. An grauius peccatū ſit, iurare verū per falſos deos: quàm iurare falſum per verū Deū? ibid.

℟. *vt quid certum: grauius eſſe iurare verum per falſos deos.* ibid.

DISPVTATIO VIII.

De conſuetudine iurandi.

QVÆST. I. QVotuplex eſt conſuetudo iurandi? ibid.

℟. *Quod, licèt alij dicant eſſe duplicem: Alij triplicem; ego verò, quadruplicem eſſe dico.* ibid.

II. An conſuetudo iurandi per ſe ſumpta, ſit diſtinctum peccatum ab ipſiſmet actibus iurandi, ex quibus conſurgit? ibid.

℟. *vt certum: Quod non.* ibid.

III. An quæcumque iurandi conſuetudo conſtituat hominem in ſtatu peccati mortalis; & teneatur qui illā habet, eam ſub mortali extirpare. pag. 57.

℟. *vt longè multò probabilius: Quod non quæcūq; conſuetudo iurandi conſtituit hominē in ſtatu mortalis peccati*, &c. vt eſt conſuetudo iurandi, *cum aduertentia tamen ad veritatem rei iuratæ.* ibid.

IV. An ſaltem conſuetudo iurandi aduertenter verum, adiuncta conſuetudini mentiendi abſque iuramento, conſtituat ſic iurantem in ſtatu peccati mortalis, vt ſub eadem culpa teneatur illam extirpare? ibid.

℟. *probabilius: Nec talē conſuetudinē conſtituere iurantē in ſtatu peccati mortalis; ſed venialis.* ibid.

V. An conſuetudo iurandi falſo aduertenter: vel ſine aduertentia an ſit verum, vel falſum; conſtituat ſic iurantam in ſtatu peccati mortalis; & teneatur ſub eodem mortali talem conſuetudinem extirpare? ibid.

℟. *vt certum: Quod ſic.* ibid.

VI. An qui aſſuetus eſt paſſim iurare ſine aduertentia, an verum, vel falſum iuret; peccet mortaliter, etiamſi verum iuret? pag. 58.

℟. *vt certum: tunc non peccare mortaliter.* ibid.

VII. An conſuetudo iurandi abſque aduertentia, an iuretur, nec ne; conſtituat ſic iurantem in ſtatu peccati mortalis; vt quoties ſic iuret, ſemper mortaliter peccet? ibid.

℟. *probabilius, affirmatiuè.* ibid.

VIII. Cur inaduertentia, quæ in omnibus fere rebus à peccato excuſat (vt ſæpe diximus) non excuſet ab illo, quando datur ad iuramentum, & veritatem rei iuratæ, vt nuper diximus? ibid.

℟. *Quod inaduertentia ſemper excuſat; ſed malitia horum actuum, non conſiſtit in illa, ſed in quadam aduertentia iurantis*, &c. ibid.

IX. An ſaltem deſinant eſſe peccata iuramenta indeliberata, ex praua conſuetudine iurandi orta, poſtquam Pœnitens talem conſuetudinem, efficaci propoſito, retractauit? pag. 59.

℟. *Tunc iam non eſſe peccata, nec in ſeipſis, nec in ſua cauſa.* ibid.

X. An etiam præfata iuramenta, ex conſuetudine orta, deſinant eſſe peccata, poſtquam pœnitens, ſimplici propoſito, talem conſuetudinem retractauit? ibid.

℟. *Non deſinere eſſe peccata.* ibid.

XI. An neganda ſit abſolutio iis, qui habent conſuetudinem iurandi? ibid.

℟. *Vt*

Rz. *vt certum negandam esse, si non habeat efficax propositum corrigendæ talis consuetudinis: secus aliàs.* ibid.

XII. An teneatur pœnitens, qui sæpius proposuit emendam, nec id fecit, acceptare aliquam pœnam vel remedium, iudicio confessoris, pro singulis iuramentis temerariis, ad tollendam consuetudinem iurandi? ibid.

Rz. *probabilius: Non teneri in rigore.* ibid.

DISPVTATIO IX.

De iuramenti, & voti obligatione, & materia. pag. 60.

QVÆST. I. AN iuramentum, sicuti votum, obliget tanquam priuata lex? ibid.

Rz. *probabilius, quod sic obliget iuramentum promissorium.* ibid.

II. An obligatio implendi iuramentum promissorium sit ex genere suo, sub mortali? ibid.

Rz. *vt certum: quod sic.* ibid.

III. An, obligatio, quam includit iuramentum assertorium, sit maior, quàm obligatio voti? ibid.

Rz. *Quod sit.* ibid.

IV. An, item obligatio iuramenti promissorij rei futuræ (v.g. ingrediendi Religionem) facti Deo; sit maior quàm obligatio voti, vt sic? ibid.

Rz. *vt certum: quod sic.* ibid.

V. An, iuramenta de re futura facienda in honorem Dei, semper includant votum? ibid.

Rz. *probabilius: quod licet talia iuramenta regulariter includant votum: possint tamen ita fieri, vt promissionem, aut votum non includant.* ibid.

VI. An obligatio iuramenti promissorj, quod votum non includit, sit maior quam obligatio voti? p. 61.

Rz. *probabilius: quod maior sit obligatio voti.* ibid.

VII. An qui iurat aliquid facturum sine promissione aliqua, sed cum solo proposito: teneatur ad faciendum quod iurauit? ibid.

Rz. *vt certum: Teneri.* ibid.

VIII. An iuramenti facti homini non includentis promissionem, vnica sit tantum obligatio? ibid.

Rz. *vt certum: vnicam tantum esse.* ibid.

IX. An etiam iuramenti facti homini includentis promissionem, sit item vnica obligatio? ibid.

Rz. *vt multò longè probabilius, non vnicam, sed duplicem esse; vnam homini, & alteram Deo.* ibid.

X. An obligatio iuramenti promissorij facti homini, directè & principaliter sit respectu Dei? pagina 62.

Rz. *Quod primario est respectu Dei: secundariò vero respectu hominis.* ibid.

XI. An si quis iuret, se daturum aliquid alicui homini absenti; teneatur dare illi promissum casu, quo nullus, nominè ipsius legitime acceptet? ibid.

Rz. *probabilius: non teneri, si ante acceptationem, tale iuramentum reuocet.* ibid.

XII. An iuramentum factum soli Deo, (aut votum,) de materia mala; indifferenti, impedienti maius bonum, de re impossibili, aut ob malum finem, obliget? ibid.

Rz. *vt certum: quod non.* ibid.

XIII. An iuramentum factum soli Deo, (aut votum) de re difficillima, obliget in conscientia? ibid.

Rz. *vt certum: obligare.* ibid.

XIV. An quando materia iuramenti, seu voti, partim est licita, & partim illicita, partim possibilis, & partim impossibilis, seruandum sit, quoad partem licitam, & possibilem? ibid.

Rz. *Quod sic; saltem casu quo iurans, aut vouens id non fecerit per modum vnius.* ibid.

XV. An etiam iuramentum, seu votum, factum partim de re licita, & partim de illicita: aut partim de re possibili, & partim de impossibili, obliget in conscientia, casu quo vtraque pars collectiuè, & per modum vnius iuretur, aut votum fiat? p. 63.

Rz. *quidquid alij sentiant; nec adhuc obligare.* ibid.

XVI. An iuramentum seu votum, non peccandi mortaliter, sit omnino validum? ibid.

Rz. *vt certum: Esse omnino.* ibid.

XVII. An tale iuramentum, seu votum sit etiam validum, si fiat ab homine fragili, & peccatis dedito, & periculum transgressionis habente? ibid.

Rz. *multò verius: etiam esse validum.* ibid.

XVIII. An, votum seu iuramentum non peccandi mortaliter, sit consulendum? ibid.

Rz. *Quod non: nisi sit in materia determinata.* ibid.

XIX. An homo fragilis, & peccatis deditus, peccaret emittendo votum, aut faciendo iuramentum non peccandi mortaliter? pag. 64.

Rz. *quod peccaret, sed solum venialiter: licet interdum posset & mortaliter.* ibid.

XX. An iuramentum, seu votum nunquam peccandi obliget? ibid.

Rz. *Quod non obliget, si intentio promittentis fuit se obligare ad omnia peccata vitanda.* ibid.

XXI. An item, minime obliget iuramentũ vel votũ nunquã peccandi mortaliter, nec venialiter? ibid.

Rz. *Non obligare.* ibid.

XXII. An tale iuramentum, seu votum obliget saltem ad partem possibilem: nempe ad vitanda omnia peccecata mortalia? ibid.

Rz. *probabilius adhuc non obligare ad partem possibilem.* ibid.

XXIII. An saltem votum, seu iuramentum verè disiunctiuum non peccandi mortaliter aut venialiter, sit validum, & obliget quoad partem possibilem, nempe ad non peccandum mortaliter? p. 65.

Rz. *probabilius: Non esse validum, nec quoad partem possibilem obligare.* ibid.

XXIV. An, licèt non sit validum iuramentum, aut votũ, de non peccãdo venialiter in genere (vt habitũ est) sit validum casu quo quis promittat omnia peccata venialia, quantũ in se est, vitare? ibid.

Rz. *probabilius: validum esse.* ibid.

XXV. An qui iurauit, aut vouit absolutè, & in genere, abstinere se à venialibus: teneatur ex vi iuramenti, aut voti, abstinere ab illis venialibus, quæ in particulari facilè saltem vitare potest? ibid.

Rz. *probabilius: quod nec adhuc ad id teneatur ex vi talis iuramenti, aut voti.* ibid.

XXVI. An iuramentũ, aut votum factum de vitando aliquo genere peccatorũ venialiũ, sit validũ. ibid.

Rz. *Esse validum si non fiat de vitando omni genere: sed tali, vel tali.* ibid.

XXVII. An iuramentum seu votum de non mentiendo iocosè, sit omnino validum? pag. 66.

Rz. *vt certum: quod sic.* ibid.

XXVIII. An etiam sit validum iuramentum, seu votum, de nunquam loquendo verbum otiosũ? ibid.

Rz. *probabilius: Non esse validum.* ibid.

XXIX. An saltem sit inualidum iuramentum, seu votũ de nunquam peccando venialiter in cogitationibus luxuriæ, vel iudicij temerarij, vel infidelitatis, vel in cibo, & potu sumendis? ibid.

Rz. *probabilius: etiam esse inualidum.* ibid.

XXX. An

XXX. An sit validum iuramentum, aut votum de fatendo in confessione omnia venialia? ibid.
℟. *Minime esse validum.* ibid.
XXXI. An, casu, quo quis dicto iuramento, aut voto astrictus, fateatur omnia venialia quorum meminit; teneatur alia venialia oblita, quæ postea in memoriam venerint, in sequenti confessione fateri? ibid.
℟. *Teneri.* pag. 67.
XXXII. An qui iurauit, aut vouit ædificare totam Ecclesiam, si postea fiat adeo inops, vt non possit nisi partem; teneatur ad illam partem ædificandam? ibid.
℟. *Tenèri ad partem, casu, quo constet intentionem iurantis, aut vouentis fuisse, obligare se diuisiue; aliàs non.* ibid.
XXXIII. An iurans, aut vouens dare alicui Ecclesiæ centum v.g. aureos; si postea non possit nisi quadraginta, teneatur hos illi dare? ibid.
℟. *vt certum teneri: casu quo non constet intentionem promittentis fuisse, per modum vnius hoc promittere.* ibid.
XXXIV. An qui iurauit, aut vouit, ieiunare omnibus diebus vitæ suæ, teneatur ad id: & casu, quo non possit ad totum, teneatur ad partem? ibid.
℟. *Non teneri ad totum promissum, benè tamen ad partem, hoc est, ad aliquos, quos possit dies: nisi aliter de intentione promittentis constet.* ibid.
XXXV. An qui iurauit, aut vouit adire Hierosolymam flexis genibus; aut cum buffone in ore; si his modis adire nequeat, teneatur adire meliori modo, quo possit? ibid.
℟. *vt certum: tèneri.* ibid.
XXXVI. An iuramentum, aut votum eundi ad Indos ad opes augendas, præmissa confessione, sit validum? pag. 68.
℟. *Quod non.* ibid.
XXXVII. An qui iurauit, aut vouit adire Romam indutus sacco; teneatur adire, si saccus sit illi impossibilis? ibid.
℟. *teneri.* ibid.
XXXVIII. An qui iurauit, aut vouit adire Romam sacco indutus: cessante possibilitate peregrinationis, cesset etiam obligatio induendi saccum? ibid.
℟. *vt certum: cessare.* ibid.
XXXIX. An qui iurauit, aut vouit adire Romam nudus, teneatur illam adire? ibid.
℟. *quidquid alij negent, teneri adire, & aliquando, nudum; aliquando non nudum.* pag. 69.
XL. An qui iurauit, aut vouit, se equestrem peregrinaturum Romam, si præ paupertate equestris nequeat: teneatur pedestris? ibid.
℟. *probabilius: non teneri.* ibid.
XLI. An iuramentum, & votum contra bonos mores naturales: sit validum, & obliget? ibid.
℟. *vt certum: quod non.* ibid.
XLII. An saltem iuramentum, & votum, contra solos bonos mores ciuiles, seu politicos, factum, sit validum, & obliget? pag. 70.
℟. *probabilius. Non esse validum, si sit contra leges ciuiles obligantes ad aliquam culpam: alias benè.* ibid.
XLIII. An iuramentum, seu votum contrarium legi ciuili disponenti, primò, & principaliter de materia pertinente ad bonum commune, sit validum, & obligatorium? ibid.
℟. *Nec esse validum, nec obligatorium.* ibid.
XLIV. An iuramentum, aut votum, factum à clerico, parendi iudici sæculari: aut renunciandi priuilegio fori, sit validum, & obligatorium? ibid.
℟. *Quod non.* ibid.
XLV. An iuramentum seu votum præstitum de extrahendis è ciuitate mercibus, armis, aliisque rebus prohibitis; aut de excedendo taxam rerum venalium, &c. sit validum, & obligatorium? pag. 71.
℟. *Quod non sit.* ibid.
XLVI. An iuramentum seu votum præstitum contra legem ciuilem disponentem immediatè de bonis, & actionibus suorum ciuium, sit validum, & obligatorium? ibid.
℟. *Quod non sit; casu saltem, quo illa lex obliget ad culpam aliquam.* ibid.
XLVII. An semper quod lex ciuilis respiciens bonum priuatum suorum ciuium, dirigitur immediatè, siue in personam, siue in actum, prohibendo ne fiat actus, aut factum irritando, obliget ad culpam; & consequenter iuramentum, aut votum de re illa prohibita præstitum, sit inualidum? ibid.
℟. *Quod licet alij dicant esse inualidum; alij verò validum, & hi probabilius: ego verò dico esse inualidum, si fiat contra leges prohibentes, validum vero, si contra permittentes solum.* ibid.
XLVIII. An iuramentum, seu votum, contra leges canonicas, seu Ecclesiasticas factum semper sit inualidum? ibid.
℟. *Quod semper.* ibid.
XLXIX. An iuramentum, seu votum præstitum contra aliquas constitutiones Religionum non obligantes ad culpam; sit etiam nullum & inualidum? pag. 72.
℟. *etiam vt certum: esse nullum, & inualidum.* ibid.
L. An iuramentum (seu votum) quod mulier præstitit alienandi fundum dotalem, sine debita solemnitate, sit inualidum, & non obligatorium? ibid.
℟. *esse inualidum, & non obligatorium.* ibid.

DISPVTATIO X.

De iuramento, metu, iniuria, & vi extorto. pag. 72.

QVÆST. I. AN iuramentum metu leui extortum sit validum, & obligatorium? ibid.
℟. *vt certum: quod sic.* ibid.
II. An iuramentum metu graui extortum, sit etiam validum, & obligatorium? ibid.
℟. *Quod licet alij negent, alij affirment, ego dico probabilius, quod spectato iure ciuili, sit inualidum; spectato verò iure canonico, cui in hac re standum est, sit validum, & obligatorium?* pagina 73.
III. An matrimonium, & votum, metu graui extorta, sint etiam valida, sicuti est iuramentum extortum metu? ibid.
℟. *quod non sint valida, sicuti est iuramentum.*
IV. An matrimonium, seu sponsalia, ex metu graui contracta sint saltem valida, si eis addatur iuramentum? ibid.
℟. *vt quid certissimũ. Adhuc non esse valida?* ibid.

V. An si quis graui metu perculsus, iureiurando promittat latroni, vel raptori centum aureos, seruandæ vitæ causa; obligetur stare promissis, & obseruare iuramentum? ibid.
℟. *multò probabilius: obligari, si ex animo iurauit.* pag.74.
VI. An si quis à latrone captus, metu graui propulsus, iuret, se non denunciaturum illum iudici, vel Ecclesiæ; teneatur adimplere tale iuramentum? ibid.
℟. *melius teneri ad denunciandum; nisi aliàs iurans teneatur sub præcepto ad denunciandum, vel interrogetur iuridicè.* ibid.
VII. An si captus ille à latronibus compelleretur metu mortis, iuraret se illos non denunciaturum iudici etiamsi iuridicè rogetur; tale iuramentum esset licitum & obligatorium? ibid.
℟. *probabilius: Non esse obligatorium.* ibid.
VIII. An iuramentum factum de soluendo vsuras, sit validum, & obligatorium? ibid.
℟. *vt mihi certum, quidquid alij dicant, tale iuramentum absolutè esse validum & obligatorium.* pag.75.
IX. An vsurarius, ex iuramento de soluendis vsuris sibi præstito, acquirat ius, & actionem ad compellendum in foro externo iurantem vt sibi vsuras promissas soluat? ibid.
℟. *vt longè probabilius: Non acquirere.* ibid.
X. An qui iurauit soluere vsuras, satisfaciat iuramento, qui illas de facto soluit, cum intentione tamen eas statim repetendi? pag.76.
℟. *vt verum, satisfacere iuramento.* ibid.
XI. An qui iurauit soluere, & non repetere; tunc adhuc esset licitum iuranti illas repetere? ibid.
℟. *vt certum: tunc non esse licitum, nisi post relaxationem iuramenti.* ibid.
XII. An licitum sit iurare soluere vsuras, & non repetere illas: cum animo petendæ relaxationis & ea obtenta, non implendi iuramenti? ibid.
℟. *Esse licitum.* ibid.
XIII. An iurans soluere debitum, (vel aliquid dare) satisfaciat iuramento, si compensatione vtatur eo quod creditor ille tantùdem sibi debeat? ibid.
℟. *multò probabilius: satisfacere.* pag.77.
XIV. An, qui iurauit soluere vsuras, possit facere compensationem cum ipso vsurarum debito, retinendo eas, via cuiusdam anticipatæ recompensationis? ibid.
℟. *vt certum: Non posse.* ibid.
XV. An qui inuitus per metum, aut vim, latroni, aut vsurario, iurauit dare decem; satisfaciat iuramento dando quinque, retinendo alia quinque via compensationis. ibid.
℟. *vt certum: Non satisfacere iuramento.* ibid.
XVI. An saltem, si alia viâ tantumdem debeat vsurarius (aut latro) iuranti dare illi decem, v.g. tunc possit hic facere compensationem cum alio debito, & illo modo implere promissionem vsurarum? ibid.
℟. *probabilius: posse id facere.* ibid.
XVII. An qui iuramentum metu graui extortum obseruat; peccet mortaliter? pag.78.
℟. *vt mihi certum: quod sic, si materia iurata sit grauis.* ibid.
XVIII. An qui metu graui impellitur à latrone, vt sibi centum, v.g. aureos iuramento promittat, possit vti amphibologia ad illudendum latronem iuramentum extorquentem? ibid.
℟. *vt certum: posse.* ibid.
XIX. An qui iurauit redire in carcerem; teneatur redire, ad minus in casu, quo carcer, & pœna inferenda, etiam mortis, sint iusta? ibid.
℟. *vt certum: teneri.* ibid.
XX. An item teneatur redire ad carcerem, qui iurauit redire, casu quo iurans sit innocens, secundum rei veritatem, tamen secundum allegata, & probata, est nocens, & ideò carcer & mors inferenda iusta? ibid.
℟. *melius: Non teneri iuxta nunc dicenda.* ibid.
XXI. An qui iurauit redire ad carcerem; teneatur redire, quando carcer est iustus, aut pœna quæ timetur, mortis iniustæ est? pag.79.
℟. *probabilius: Non teneri tunc redire, nisi aliàs sequatur aliquod scandalum, aut irrogetur iniuria Christianæ Religioni, iuxta nunc dicenda.* ibid.
XXII. An si quis dum tenetur apud Turcas captiuus iurat se illuc rediturum; teneatur redire cum suæ mortis periculo? ibid.
℟. *quidquid alij dicant: teneri redire.* ibid.
XXIII. An captiuus, qui detentus à Turcis, iurauit dare pro sua redemptione centum aureos; teneatur postea dum liber remeauit in patriam illos soluere? pag.80.
℟. *vt certum: Teneri.* ibid.
XXIV. An, licet in nostra sententia, non teneatur iurans redire ad carcerem, morte iniusta damnandus; possit saltem, si velit, licitè ad illam redire? ibid.
℟. *probabilius: Non posse.* ibid.
XXV. An obliget iuramentum redeundi ad carcerem quando iurans timet iniustam sententiam in detrimentum suæ famæ, aut rei familiaris magni momenti? ibid.
℟. *probabilius: Non obligare, immò nec posse sine iusta causa redire.* ibid.
XXVI. An saltem obliget iuramentum redeundi ad carcerem, in casibus prædictis, si factum sit custodi carceris? ibid.
℟. *probabiliter: adhuc non teneri redire.* ibid.
XXVII. An in sententia asserentium iuramentum præstitum redeundi ad carcerem iniustum, esse validum, possit ab Episcopo relaxari? pag.81.
℟. *Posse.* ibid.
XXVIII. An etiam in nostra sententia possit relaxari ab Episcopo iuramentum factum à captiuo Christiano, de redeundo ad Turcas, aut de remittendo Redemptionis pretio? ibid.
℟. *vt certum: Non posse.* ibid.

DISPVTATIO XI.

De iuramento, & voto, dolo, errore, aut ignorantia præstito. pag.19.

§. I.

De errore, & dolo in substantia, & qualitate iuramenti, & voti. ibid.

QVÆST. I. AN multiplex detur dolus, error, & ignorantia? ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
II. An si error, seu dolus antecedens versetur circa

ca substantiam contractus, hic sit nullus? ibid.
℟. *vt certum, quod sic.* ibid.
III. An iuramentum firmans talem infirmum contractum, sit validum, & obliget? pag.82.
℟. *vt certum: quod nec valeat, nec obliget.* ibid.
IV. An deinde, sit inualidus, & obligatorius contractus celebratus cum errore seu dolo concomitante, circa substantiam ipsiusmet contractus? ibid.
℟. *vt fere certissimum: esse inualidum.* ibid.
V. An saltem iuramentum firmans huiusmodi contractum, cum dolo comitante celebratum, circa substantiam rei, sit validum, & obligatorium? ibid.
℟. *vt mihi fere certum: Nec esse validum, nec obligatorium.* ibid.
VI. An, error antecedens, circa accidentia, seu qualitates contractus, annullet eius valorem, etiamsi iuramento firmetur? ibid.
℟. *probabilius: Quod non annullet.* ibid.
VII. An dentur casus, in quibus error, seu dolus circa accidentia contractus annullet illum? pag.83.
℟. *Dari aliquos.* ibid.
VIII. An qui iuramento promisit puellæ secum fornicanti nuptias, putans esse Virginem; si postea talem non inueniat, teneatur iuramento? ibid.
℟. *vt certum: Non teneri.* ibid.
IX. An etiam nulliter contrahat matrimonium, qui accipit coniugem, quam credit nobilem, diuitem, virginem, & talem deinde non inuenit? ibid.
℟. *vt certum quod non nulliter, sed valide contrahit: nisi alias contrarium expresse velit.* ibid.
X. An si quis errore, vel dolo deceptus, iuret, aut voueat ingredi certum Monasterium, quem putabat esse Sanctissimæ Trinitatis, & inueniat esse S. Augustini; adstringatur tunc tali iuramento, aut voto. ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
XI. An qui iurauit, aut vouit ingredi certum Monasterium, in quo putabat disciplinam Religiosam esse integram: teneatur tali iuramento, aut voto, si postea inueniat non seruari circa essentialia, aut alia principalia? pag.84.
℟. *vt certum, tunc non teneri.* ibid.
XII. An si quis aliquem rusticum falleret, dicens illi: Hierosolymam citra nauigationem adiri posse: aut Romam non longè distare, & ob hanc causam peregrinationem voueret, tunc votum teneat? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
XIII. An qui voueret Religionem Carthusiano-rum aut Minimorum, ignorans eos se continere à comedendis carnibus: aut Religionem Capucinorum, nesciens ab eis nudum corpus rudi lana contegi; valide voueret? ibid.
℟. *quod non voueret valide, sed nulliter.* ibid.
XIV. An, si quis voueat dare eleemosynam huic pauperi, credens eum esse (v. g.) sacerdotem: teneatur voto, si inueniat illum sacerdotem non esse. ibid.
℟. *vt certum: Teneri.* ibid.
XV. An, si quis voueat dare eleemosynam huic pauperi ignorans suum esse inimicum; teneatur ad illam elargiendam, si postea cognoscat esse suum inimicum? pag.85
℟. *vt certum: teneri ad illam elargiendam.* ibid.

§. II.

De errore in fine iuramenti, & voti. ibid.
XVI. AN quando adest error circa finem principalem, & directe intentum, iuramenti, & voti; tunc validum, & obligatorium sit iuramentum & votum? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
XVII. An si quis iuret aut voueat, dare Petro eleemosynam, credens illâ indigere, teneat iuramentum, aut votum, si verè illâ non indigeat; eo quod dives sit? ibid.
℟. *vt certum: Non tenere.* ibid.
XVIII. An error circa finem impulsiuum, & mouentem, seu excitantem ad iuramentum, seu votum; inualidet, & annullet illa; sicuti annullat error circa finem principalem? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
XIX. An qui vouit, & iurauit visitare Virginem Lauretanam, occasione quod Laureti erat amicus; adstrictus maneat voto, & iuramento, casu quod ibi non sit amicus? ibid.
℟. *vt quid certum: Manere adstrictum.* ibid.
XX. An si quis voueat, aut iuret ire Romam, eo quod credat ibi esse S. Nicolai corpus; teneatur ire, si cognoscat ibi non esse? pag.86.
℟. *Non teneri ire.* ibid.
XXI. An si quis voueat, aut iuret Peregrinationem ad S. Domum Lauretanam pro recuperanda suo filio salute, teneatur exequi illam, si tempore quo vouit, aut iurauit, non fuerit infirmus; vel iam fuerit mortuus? ibid.
℟. *Non teneri.* ibid.
XXII. An sit regula aliqua ad cognoscendum, quænam sit causa finalis voti, aut iuramenti; quæve illorum motiua? ibid.
℟. *Quod nulla certa sit, ad id cognoscendum: & sic relinquitur arbitrio prudentis.* ibid.
XXIII. An si dubitetur, an causa fuerit finalis, anve solum impulsiua; censenda sit impulsiua, & ideo teneat votum aut iuramentum; ibid.
℟. *probabilius: Præsumi tunc impulsiuam.* ibid.

DISPVTATIO XII.

De cessatione voti, vel iuramenti, ob cessationem causæ, qua emissum est. pag. 86.

QVÆST. I. AN obligatio voti, aut iuramenti cesset, cessante causa finali, ob quam factum est? ibid.
℟. *vt certum, quod sic.* pag.87.
II. An etiam cessante causa inpulsiua, aut motiua voti, aut iuramenti, cesset horum obligatio? ibid.
℟. *vt certum: tunc non cessare.* ibid.
III. An si quis voueat, aut iuret, dare Petro eleemosynam quotidianam; cesset huius voti, vel iuramenti obligatio, si ipse dives fiat? ibid.
℟. *vt certum: cessare.* ibid.
IV. An qui promisit alicui eleemosynam, non ex motiuo

motiuo paupertatis, sed probitatis: quia videlicet, existimat illum esse virum probum; teneatur adimplere promissum, si postea comperiat virum esse improbum? ibid.
℟. *vt certum, quod non teneatur.* ibid.
V. An qui vouit, aut iurauit numquam ingredi talem domum, eo quod ibi erat mulier sibi occasio peccandi; teneatur ad votum, vel iuramentum implendum, tali muliere mortua, vel aliò migrata? ibid.
℟. *Non teneri.* ibid.
VI. An cesset obligatio voti, aut iuramenti facti homini, & ab eo acceptati; si culpâ vouentis, aut iurantis, causa finalis voti aut iuramenti cesset? pag. 88.
℟. *Non cessare.* ibid.
VII. An saltem cesset obligatio voti, aut iuramenti facti Deo, si culpâ vouentis aut iurantis, causa finalis voti, aut iuramenti cesset; ibid.
℟. *æquè probabiliter, adhuc in hoc casu non cessare.* ibid.

DISPVTATIO XIII.

De cessatione voti, vel iuramenti, ob notabilem rei promissæ mutationem. pag. 88.

QVÆST. I. AN si res iuramento, vel voto promissa notabiliter mutetur; cesset ex natura sua iuramenti vel voti obligatio? ibid.
℟. *vt certum, cessare.* ibid.
II. An, non solum notabilis, sed quæcumque rei promissæ mutatio, satis sit, vt iuramentum, vel votum, vel promissio deobligent? pag. 89.
℟. *tanquam certum: Non satis esse quamcumque rei promissæ mutationem.* ibid.
III. An ea mutatio satis sit ad hoc, vt obligatio voti, aut iuramenti cesset; ad quam vouens vel iurans de hoc interrogati dicunt; fore vt non obligassent ad eam, si prænossent? ibid.
℟. *Quod non omnino sit satis.* ibid.
IV. An obligatio voti, vel iuramenti cesset quando horum materia facta est impossibilis? ibid.
℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.
V. An saltem teneatur huiusmodi iurans, aut vouens factus senior ingredi Religionem casu quo Religiosi eum in tali ætate recipere velint? ibid.
℟. *vt certum: Adhuc non teneri.* ibid.
VI. An iuramentum aut votum castitatis, aut non nubendi factum ab eo qui sæpius cadit, & propterea tale vinculum nihil sibi prodest, sed potius obest; sit validum & obliget? ibid.
℟. *vt mihi certum: Quod sit.* pag. 90.
VII. An religiosus, qui post solemnem professionem acquisiuit ius ad Regiam, vel Ducalem coronam, qui tamen si ante Professionem præuidisset, non emitteret illam, teneatur voto? ibid.
℟. *Omnino affirmatiuè.* ibid.
VIII. An, ob periculum vitæ, honoris, & alterius cuiusuis nocumenti grauis non præuisi; cesset obligatio iuramenti, & voti? ibid.
℟. *vt certum: Cessare.* ibid.
IX. An quando est dubium, an res promissa voto, vel iuramẽto, ita mutata sit, vt moraliter diuersa censeri debeat; sit in fauorem voti & iuramenti iudicandum? pag. 91.
℟. *Quod sic.* ibid.
X. An semper, & pro semper deobliget ab impletione iuramenti & voti impossibilitas, aut impedimentum implendi illa. ibid
℟. *Quod non semper, nec pro semper.* ibid.

DISPVTATIO XIV.

De tempore, quo iuramentum, vel votum, est persoluendum. Et de cessatione eorumdem, ex non adimpletione tempore designato. pag. 91.

§. I.

De tempore, quo iuramentum, vel votum est persoluendum. ibid

QVÆST. I. AN qui iurat, vel vouet ingredi Religionem signando tempus ad sui executionem. v.g. intra annum, teneatur ingredi, quo vsque tempus signatum adueniat? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
II. An qui non potest iuramentum, vel votum, in assignato, & præfinito tempore totius anni implere; teneatur tempus præuenire, & implere promissum? ibid.
℟. *Teneri.* ibid.
III. An etiam si quis iuret, aut voueat aliquid, assignans certum diem, vt terminum: v.g. ieiunium in feria sexta; teneatur tempus signatum præuenire, si præsumat, tali die impediendum esse? pag. 92.
℟. *tunc non teneri præuenire.* ibid.
IV. An si quis iuret, aut voueat aliquid (v.g. intrare Religionem, aut dare eleemosynam) absolutè, & absque vlla temporis designatione; obligetur ad id faciendum quam primum commodè possit? ibid.
℟. *vt longè multo probabilius: obligari.* ibid.
V. An licitè possit quis differre iuramentum, seu votum, absque certo tempore à se præstitum; si speret, quod melius, & vtilius, seu commodius, aut deuotius, alio tempore possit implere illud? ibid.
℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.
VI. An, qui in ætate duodecim annorum iurauit, aut vouit ingredi Religionem, nullo præfixo tempore: possit exspectare vsque ad eam ætatem, qua aptus sit ad perferendos labores Religionis electæ? ibid.
℟. *vt certum: Posse.* ibid.
VII. An qui iurauit, aut vouit ingredi Religionem, ob finem adipiscendi sacerdotium in ea; possit differre ingressum donec Grammaticam discat? pag. 93.
℟. *vt certum: Posse.* ibid.
VIII. An etiam qui iurauit, aut vouit Religionem; possit differre illius ingressum, donec minus molestè

molestè à Parentibus feratur? ibid.
Rz. *Etiam posse.* ibid.
IX. An qui iurauit, aut vouit Religionem, non præfixo tempore; possit differre ingressum, vsque ad tempus, quo credit, maiori cum deuotione se ingressurum? ibid.
Rz. *Posse.* ibid.
X. An in iuramentis, aut votis, ingrediendi Religionem; assumendi Ordinis sacri, & seruiendi in perpetuum Xenodochio; minor mora sit mortalis, quàm in aliis iuramentis, aut votis: v. g. Peregrinandi, dandi eleemosynam, &c? ibid.
Rz. *tanquam certum: Quod sic.* ibid.
XI. An, qui iuramento, aut voto promisit, se anno vigesimo quinto suæ ætatis ad sacerdotium promouendum; teneatur ante dictum annum Ordinis inferiores suscipere? ibid.
Rz. *probabilius: quod non teneatur.* pag.44.
XII. An, quæuis mora adimplendi iuramenti, & voti, data opportunitate, sit mortalis? ibid.
Rz. *vt certum: quod non quæuis.* ibid.
XIII. An saltem sit mortalis quæuis mora, seu dilatio iuramenti, aut voti, si eâ positâ, timeatur prudenter perpetuum impedimentum adimplendi illa? ibid.
Rz. *vt certum: esse mortalem, si ex negligentia differentis adimpletionem proueniat.* ibid.
XIV. An bona fides differentis adimpletionem iuramenti, aut voti, excuset à mortali? ibid.
Rz. *verè excusare.* ibid.
XV. An qui post habitam commoditatem, differret ex omnimoda negligentia adimplere vota, (aut iuramenta) perpetua per dimidium annum; peccaret mortaliter? ibid.
Rz. *probabilius: quod sic.* ibid.
XVI. An qui vltro differret, per quæcumque longa tempora, iuramenta, aut vota alia quæ integrè postea redduntur, immunis adhuc esset à mortali? ibid.
Rz. *Non esse immunem: Quia in huiusmodi votis, aut iuramentis dilatio trium annorum plus minusvè est notabilis.* pag.95.

§. II.

De cessatione iuramenti, & voti, ex eo quod non sint impleta tempore designato. ibid.

XVII. AN iurans, seu vouens aliquid determinata die faciendum, nec eâ implens; teneatur adimplere eâ transacta? ibid.
Rz. *Non teneri, si promittens id fecit in honorem talis diei: secus si absolutè, & simpliciter, &c.* ibid.
XVIII. An, qui iurauit, aut vouit ieiunare vigiliâ alicuius Sancti, ob eius deuotionem, si de facto non ieiunet teneatur altero die ieiunare? ibid.
Rz. *vt mihi verissimum: Non teneri.* ibid.
XIX. An qui iurauit, aut vouit ieiunare aduentu huius anni, vel feriis sextis, seu sabbathis huius mensis; si culpabiliter omittat, teneatur aliis diebus ieiunare? pag.96.
Rz. *Quod non.* ibid.
XX. An qui culpabiliter omisit dicta ieiunia, teneatur ieiunare alio aduentu; aut feriis sextis, vel sabbathis alterius mensis? ibid.
Rz. *probabilius: Non teneri.* ibid.
XXI. An qui iurauit, aut vouit ieiunare vigilia alicuius Sancti, non designando vigiliam huius, vel alterius anni; teneatur ieiunare in proxima vigilia talis Sancti? ibid.
Rz. *Teneri.* ibid.
XXII. An qui iurauit, aut vouit ieiunare semel aut ter singulis hebdomadis: teneatur supplere ieiunia culpabiliter omissa? ibid.
Rz. *Non teneri supplere.* ibid.
XXIII. An, qui iurauit, aut vouit, se ingressurum Religionem die (v.g.) Assumptionis B. Mariæ Virginis, ob eius specialem honorem; cesset illi obligatio, si tali die non ingrediatur? ibid.
Rz. *vt certum: quod non cesset.* ibid.
XXIV. An qui iurauit, aut vouit, se integro anno ieiunaturum, si interrumpat inceptum ieiunium, teneatur denuò incipere ieiunium totius anni continui. ibid.
Rz. *Non teneri; nisi aliàs id expressè intendisset iurans, aut vouens.* ibid.
XXV. An si quis iuret, aut voueat recitare coronam, coram particulari Imagine Mariæ Sanctissimæ, teneatur alibi recitare, si coram illa non possit? pag.97.
Rz. *Non teneri, si ob peculiarem deuotionem ad talem imaginem id fecerit, secus si ob amorem ipsius Virginis.* ibid.
XXVI. An qui impotens est ad iuramenti seu voti executionem; teneatur aliquam commutationem facere in rem, quam adimplere queat? ibidem.
Rz. *vt mihi certum: Non teneri.* ibid.
XXVII. An qui iurauit, aut soli Deo vouit, dare Hospitali seruum suum, & postea illum occidit, teneatur ad aliquam compensationem Hospitali faciendam? ibid.
Rz. *Quod non.* ibid.
XXVIII. An obligatio votorum extinguatur morte vouentium? ibid.
Rz. *vt multò probabilius: extingui.* ibid.

DISPVTATIO XV.

De cessatione iuramenti promissorij, & voti, ob remissionem partis, cui præstitum est. pag.97.

QVÆST. I. AN obligatio iuramenti promissorij cesset omnino remissione partis, cui præstitum est? ibid.
Rz. *vt certum (quidquid alij dicant) cessare.* pagina 98.
II. An similiter cesset obligatio iuramenti, ex remissione partium, casu, quo plures vicissim sibi aliquid iuramento promittunt? ibid.
Rz. *vt certum, quod similiter cesset.* ibid.
III. An huiusmodi remissio, aut condonatio iuramenti promissorij, sit idem quod relaxatio seu dispensatio illius? ibid.
Rz. *vt certum: quod non sit idem propriè loquendo.* ibid.
IV. An saltem dicta remissio iuramenti, sit idem quod irritatio? ibid.
Rz. *etiam vt certum: quod non sit.* ibid.
V. An homo in cuius fauorem est præstitum iuramentum,

mentum, possit nutu suo, & absque causa legitima, condonationem, seu remissionem talis iuramenti facere? ibid.
℟. vt certum: Posse. ibid.
VI. An, is, qui iurauit aliquid in sui commodum, possit sibi cõdonare, & remittere iuramentũ? ibid.
℟. vt mihi certum: Non posse. pag. 99.
VII. An iuramentum, quod ab aliquo homine alij præstatur, sed principaliter in honorem Dei, & in obsequium, & minus principaliter propter hominem; possit tunc homo, cui iuratur, hoc iuramentum remittere? ibid.
℟. vt certum: Non posse. ibid.
VIII. An quando duo inuicem sibi iuramento promittunt, se amplius non furaturos; se audituros sacrum in festis; se non lusuros, &c. possint sibi adinuicem obligationem remittere? ibid.
℟. Non posse, si horum iuramentorum principalis finis fuerit honor Dei. ibid.
IX. An deinde, si duo sibi ad inuicem iurent, se recitaturos duo Psalteria, aut Rosaria alter pro altero, possint sibi ad inuicem eam obligationem remittere? ibid.
℟. Quod licet alij negent: alij contrà affirment: ego dico non posse, si principalis finis fuit recitare ampliùs, &c. ibid.
X. An quando iuramentum principaliter in Dei honorem fit; sed tota res promissa cedit in fauorem partis; possit pars illa id iuramentum remittere? pag. 100.
℟. multo probabilius: Posse. ibid.
XI. An si quis Mariæ filiæ Petri centum aureos in dotem sub iuramento promittat, intuitu, & causa Petri sui patris: tunc possit vterque, tam videlicet, Pater, quam filia remissionem iuramenti facere? ibid.
℟. omissis aliis dictis, dicendo: Posse filiam directè si ei promissio facta fuerit: vel indirectè etiam, si Patri. ibid. & seq.

DISPVTATIO XVI.

De iuramenti promissorij & voti cessatione, ob irritationem factam ab habente potestatem. pag. 101.

QVÆST. I. AN irritatio iuramenti promissorij, aut voti, sit annullatio omnimoda eorum. ibid.
℟. vt certum: Quod sic. ibid.
II. An irritatio iuramenti, aut voti, pertineat ad potestatem dominatiuam? ibid.
℟. vt certum: Quod sic. ibid.
III. An duplex inueniatur irritatio, altera directa, & propria: altera impropria, & indirecta? ibid.
℟. vt certum: Quod sic. ibid.
IV. An sit necessarium ad irritationem validam, vt Superior cognoscat iuramentum, aut votum emissum in specie? pag. 102.
℟. probabilius: Non esse necessarium. ibid.
V. An irritatio petat ex natura sua causam, vt ab omni prorsus culpa sit libera? ibid.
℟. probabilius: Non petere; sed posse sine causa fieri. ibid.
VI. An qui gaudet potestate irritandi vota Deo facta; possit & iuramenta eidem Deo præstita irritare? ibid.
℟. vt longè probabilius: Posse. ibid.
VII. An potestas irritandi vota, aut iuramenta Deo præstita, ortum habeat ex iure positiuo, seu Pontificio? ibid.
℟. probabilius, quod non, sed à iure naturali, & diuino. ibid.

§. II.

De potestate, quam habet Pontifex ad irritanda vota, & iuramenta Christianorum omnium. pag. 103.

VIII. AN summus Pontifex possit directè irritare vota omnium Christianorum? ibid.
℟. vt certum (quidquid alij dicant) Non posse directè. ibid.
IX. An saltem possit Pontifex vota Clericorum, (etiam Episcoporum) secularium, directè irritare? ibid.
℟. adhuc vt certum: Non posse directè regulariter loquendo: bene tamen indirectè. ibid.
X. An ad minus, in casu, quo Clericus sæcularis voueat aliquid pertinens ad res Ecclesiasticas, tunc possit Pontifex tale votum directè irritare? pag. 107.
℟. tunc posse. ibid.
XI. An Episcopi, & alij inferiores Prælati possint directè irritare vota, aut iuramenta suorum subditorum? ibid.
℟. vt certũ (quidquid alij dicant) Non posse. ibid.
XII. An possit summus Pontifex omnia vota simplicia Religiosorum, & Monialium directè irritare? ibid.
℟. vt certum: Posse. ibid.
XIII. An etiam Episcopi possint irritare directè vota Monialium sibi subditarum? ibid.
℟. vt certum: Etiam posse. ibid.
XIV. An Superiores, qui possunt vota subditorum irritare, possint quoque sua; vel saltem aliis committere, vt illa irritent? ibid.
℟. vt certum: Non posse. ibid.

§. III.

De potestate, quam habent Prælati Regulares ad irritanda vota & iuramenta Deo præstita subditorum. pag. 105.

XV. AN non solum Prælati superiores Regulares, vt Generales, & Prouinciales; verum etiam Conuentuales, vt Ministri, Priores, Guardiani, &c. possint irritare vota, & iuramenta suorum subditorum? ibid.
℟. vt certum: omnes posse. ibid.
XVI. An Prælati secundarij Conuentuum, quos cõmuniter Superiores, Vicarios, & in ordine Benedictino, Priores, & in Societate Iesu Ministros vocant: possint in præsentia superiorum etiam irritare vota, & iuramenta subditorum? ibid.
℟. omninò: Non posse, saltem in præsentia suorum superiorum. ibid.
XVII. An saltem in absentia superioris conuentualis, seu localis, possint dicti secundarij Prælati, vota & iuramenta Deo præstita à suis Religiosis, irritare? ibid.
℟. Tunc posse. ibid.
XVIII. An potestatem irritandi vota, & iuramenta.

Deo præstita, possit Superior alteri delegare. ibid.
Rz. posse. ibid.
XIX. An Prælati secundarij, vt Vicarij &c. possint dum sunt præsentes Prælati Conuentuales, licitè occupare subditum, tempore quo votum, seu iuramentum impleturus erat? pag. 106
Rz. Posse; nisi alias tale tempus habeat subditus destinatum à Superiore ad votum exequendum. ibid.
XX. An hæc potestas irritandi vota, aut iuramenta, Deo præstita, possit reseruari à Prælato superiore (v. g. à Prouinciali) inferiori Prælato (nempe Conuentuali?) ibid.
Rz. vt certum: Posse. ibid.
XXI. An Abbatissæ, aut Priorissæ possint irritare omnia suatum monialium vota, quæ possunt Prælati circa suos Religiosos, irritare? ibid.
Rz. probabilius: Posse. ibid.
XXII. An Prælati Religionum possint irritare illa Religiosorum vota, aut iuramenta, quæ versantur circa materiam præceptam à Deo; vt de non mentiendo; vel ab Ecclesia, vt de abstinendo à carnibus in die ieiunij? pag. 107.
Rz. probabilius: Posse. ibid.
XXIII. An Superiores Religionum, etiam irritare possint vota seu iuramenta suorum Religiosorū, de seruandis iis, ad quæ ex Regula tenentur? ibid.
Rz. Etiam hæc posse irritare. ibid.
XXIV. An Prælati possint irritare etiam vota, aut iuramenta interna suorum subditorum? ibid.
Rz. vt multo longè probabilius, etiam posse. ibid.
XXV. An item possint Prælati, aut alij habentes potestatem irritandi vota, seu iuramenta irritare non solum iam emissa, sed etiam in posterum emittenda? pag. 108.
Rz. adhuc posse. ibid.
XXVI. An Religiosi possint valide, & meritoriè, vota aliqua aut iuramenta Deo emittere, ac præstare, absque suorum Superiorum licentia, & consensu? ibid.
Rz. probabilius: Posse multa. ibid.
XXVII. An vota, aut iuramenta Nouitiorum possint à Prælatis Regularibus simpliciter irritari? ibid.
Rz. Non posse. pag. 109
XXVIII. An Superiores Societatis Iesu possint irritare vota, aut iuramenta Deo facta suorum Religiosorum, qui sola vota simplicia biennij emiserunt. ibid.
Rz. vt certum: Posse. ibid.
XXIX. An saltem possit Superior vota nouitij irritare, casu, quo dum illa emittit, hanc conditionem apponat: Si Superior approbauerit votum; vel consenserit? ibid.
Rz. vt certum: tunc posse. ibid.
XXX. An, Prælati Religionum, si non irritare, saltem suspendere possint Nouitiorum vota, & iuramenta personalia Deo præstita, pro tempore Nouitiatus? ibid.
Rz. quiquid sentiant alij, quod optimè possunt suspendere vota & iuramenta personalia impedientia exercitia Nouitiatus: cætera non. ibid.
XXXI. An etiam vota realia Nouitiorum possint etiam à suis Prælatis suspendi pro tempore Nouitiatus? pag. 110
Rz. vt certum, quod non, saltem regulariter loquendo. ibid.
XXXII. An huiusmodi vota realia Nouitiorum, licet regulariter non possint à Prælatis suspendi; possint tamen commutari ab illis in opera Nouitiatus exequenda? ibid.
Rz. Posse, ab ipsismet Prælatis commutari; & etiam à Magistris Nouitiorum, imo ab iisdemmet Nouitiis. ibid.
XXXIII. An vota aut iuramenta Nouitiorum, quæ pro tempore Nouitiatus suspenduntur à Prælatis vel Magistris eorum, reuiuiscant, & obligent Nouitio è Religione egresso? ibid.
Rz. vt certum: Quod sic. ibid.
XXXIV. An non solùm vota, seu iuramenta Nouitiorum suspensa, verum etiam commutata, reuiuiscant Nouitio, à Religione egresso? ibid.
Rz. Quod vere reuiuiscant si cõmutatio facta est pro solo Nouitiatus tempore: sicus si fuit absoluta. ib.
XXXV. An Prælatus Regularis possit irritare vota (seu iuramenta) Religiosi creati Episcopi, facta tamen ab ipso ante eius ad Episcopatum Assumptionem? pag. 111.
Rz. quod non possit. ibid.
XXXVI. An Prælatus valeat reuocare licentiam, quam subdito, ad emittendum votum vel iuramentum dedit. ibid.
Rz. vt certum: Posse. ibid.
XXXVII. An Prælatus Superior v.g. Prouincialis, possit irritare votum seu iuramentum subditi emissum de licentia Prælati inferioris, v. g. Ministri Conuentualis? ibid.
Rz. vt certum: posse. ibid.
XXXVIII. An etiam Prælatus inferior possit irritare vota & iuramenta emissa de licentia Prælati superioris? ibid.
Rz. vt certum: Non posse. ibid.
XXXIX. An saltem Prælatus inferior possit suspendere executionem voti vel iuramenti emissi de licentia Prælati superioris? ibid.
Rz. vt certum: posse, iusta interueniente causa. ibid.
XL. An Prælatus æqualis succedens ei, qui licentiam vouendi dedit, possit valide, & licitè irritare votum ex licentia præcedentis emissum? pag. 112.
Rz. vt mihi certum: Posse validè, & licitè? ibid.
XLI. An idem Superior, qui dedit licentiam subdito ad emissionem voti aut iuramenti, & emissum confirmauit; possit nihilominus illud irritare, præcipue si promiserit nunquam irritaturum? ibid.
Rz. longè multo probabilius: Posse validè. ibid.
XLII. An etiam possit dictus Prælatus irritare tale votum aut iuramentum si dicat subdito; se illi concedere facultatem irreuocabilem, sequè eximere illum à sua potestate, quoad rem illam promissam, seque cedere iuri suo? ibid.
Rz. aduc posse. ibid.
XLIII. An item promissio humana de licentia Superioris facta; possit validè à Superioribus reuocari? ibid.
Rz. (vt certum) quidquid alij affirment, quod si talis promissio est executioni mandata; tunc nequeat à Superiore reuocari, imo & nequit etiamsi res promissa non fuerit tradita. pag. 113.
XLIV. An Superior qui licentiam simpliciter ad votum vel iuramentum emittendum concessit, illud irritat absque iusta causa, peccet saltem venialiter? ibid.
Rz. vt certum, quidquid alij dixerint, peccare saltem venialiter? ibid.
XLV. An etiam peccet Superior, si dictum votum (vel iuramentum) irritet adhuc interueniente iusta causa? ibid.

Rz. vt

℟. *vt certum (quiquid aly dicant)tunc nunc peccare.* ibid.

XLVI. An Prælatus reuocans facultatem vouendi (aut iurandi) à se semel concessam , aut irritans votum (aut iuramentum) cum sua licentia emissum , si id faciat sine causa, peccet mortaliter. pag. 114.

℟. *probabilius : Peccare mortaliter.* ibid.

XLVII. An tam vrgens causa requiratur ad reuocãdam licentiam datam ; aut ad irritandum votum (aut iuramentum) cum licentia emissum;ac ad dispensandum in eo ? ibid.

℟. *vt certum: Quod non.* ibid.

XLVIII. An Superior irritans votum(seu iuramentũ)sui subditi absque causa;teneatur illud adimplere, aut nouã licentiam exequendi concedere? ibid.

℟. *vt certum : Non teneri.* ibid.

XLIX. An peccet subditur perens absque iusta causa , irritationem voti, vel iuramenti , ex licentia Superioris emissi ? ibid.

℟. *vt certum : Peccare.* ibid.

L. An subditus,qui petit irritationem voti(vel iuramenti) facti ex licentia superioris ; teneatur manifestare , se vouisse ex licentia data ? ibid.

℟. *vt certum : teneri,si illam petat à Superiore qui dedit talem licentiam : secus si ab alio.* pag. 115.

LI. An censeatur Superior concedere subdito licẽtiam vouendi (aut iurandi) quando votum iam factum approbat, & in illo consentit ? ibid.

℟. *vt certum : Censeri.* ibid.

LII. An censeatur approbari votum (seu iuramentum) factum, ex eo quod subditus , tacito voto impetret licentiam ad rem voto promissam exequendam ? ibid.

℟. *vt certum : Quod non censeatur.* ibid.

LIII. An si subditus , obtenta à Superiore licentia ad aliquid donandum , vel faciendum,voueat se id donaturum , vel facturum , censendum sit id votum de licentia Superioris factum? ibid.

℟. *vt certum : Quod non sit censendum.* ibid.

LIV. An taciturnitas,&dissimulatio Superioris,cognito subditi voto;censeatur voti illius approbatio itavt iam non sit licitum Superiori irritare illud absque causa ? ibid.

℟. *probabilius : Non censeri approbationem talis voti, casu ad minus, quod taciturnitati non accedat consensus superioris.* ibid.

LV. An saltem si taciturnitati adderet Superior internum consensum approbantem votum subditi, estò vouenti non manifestet , sufficiat , vt tale votũ dicatur à Superiore approbatum. pag. 116.

℟. *quod alij negãt,& alij affirmant. Hi probabilius in foro conscientiæ : illi vero in foro externo.* ibid.

LVI. An Prælati Religionum possint irritare votum factum à subditis transeundi ad strictiorem Religionem ? ibid.

℟. *vt certum,quod non.* ibid.

LVII. An saltem Summ. Pontifex possit irritare votum factum ab aliquo Religioso transeundi ad arctiorem Religionem ? ibid.

℟. *vt longe multo probabilius: quod non possit illud irritare : licet possit commutare , aut dispensare.* ibid.

LVIII. An ad minus , casu quo Sum. Pontifex interdicat alicui Religioso ne votum transeundi ad strictiorem Religionem emittat; si illud nihilominus emittat , possit illud irritare ? pag. 117.

℟. *Quod tunc iam possit , casu dato quod iam tale votum sit validum.* ibid.

LIX. An Prælati Regulares possint irritare vota specialia , quæ in aliquibus Religionibus , iuxta earum institutum emittuntur ? ibid.

℟. *vt certum : Quod non.* ibid.

LX. An saltem Sum.Pontifex possit prædicta vota specialia Religionum , directe irritare ? ibid.

℟. *vt longe multo probabilius : Non posse directe illa irritare: benè tamen dispensare,& commutare.* ibid.

LXI. An Legatus à latere possit vota Religiosorum irritare , sicuti possunt illorum Superiores. ibid.

℟. *probabilius : Non posse.*

LXII. An saltem Sacra Congregatio Cardinalium super Regulares , valeat vota Religiosorum irritare ? pag. 118.

℟. *probabilius : Quod non valeat.* ibid.

LXIII. An ad minus Eminentissimi Cardinales Protectores Ordinum , possint vota Religiosorum commutare ? ibid.

℟. *vt certum : Quod non.* ibid.

LXIV. An si Pontifex concedat alicui Religioso licentiam faciendi aliquod votum ; possit nihilominus alius Prælatus Regularis irritare illud ? ibid.

℟. *vt certum : Quod non.* ibid.

LXV. An Superior possit irritare vota , aut iuramenta Deo præstita , subdito inuito, & contradicente ? ibid.

℟. *Posse.* ibid.

§. IV.

De potestate , quam habent Parentes ad irritanda vota & iuramenta Filiorum. pag. 119

LXVI. AN infantia incipiat ab ipsa natiuitate infantis , & duret vsque ad annum septimum ? pag. 119.

℟. *quod propriè loquendo , sic.* ibid.

LXVII. An impubertas incipiat communiter à septennio , & duret in pueris , vsque ad decimum quartum annum completum ; & in fœminis , vsque ad duodecimum completum. ibid.

℟. *Quod sic.* ibid.

LXVIII. An pubertas in viris incipiat à decimo quarto anno, & in fœminis à duodecimo, & duret vsque ad annum vigesimum quintum completum ? ibid.

℟. *Quod sic.* ibid.

LXIX. An vota omnia, ante pubertatem ab aliquo emissa, sint prorsus inualida , & irrita. ibid.

℟. *vt certum , quiquid alij dicant ; non esse inualida, sed potius omnia valida, si emittantur cum sufficienti vsu rationis.* pag. 120

LXX. An etiam votum simplex Religionis emissum ab aliquo ante pubertatem , sit validum , & obliget antequam irritetur ? ibid.

℟. *Adhuc vt certum , tale votum si fiat cum sufficienti vsu rationis,esse validum , & obligatorium.* ibid.

LXXI. Quotuplex sit votum , de quo difficultari potest an possint Parentes illud irritare ? ibid.

℟. *Quod triplex , nempe , Personale , Reale , & Mixtum.* ibid.

LXXII. An Pater possit irritare quæcumque Filij impuberis vota, siue realia, siue personalia, siue mixta? ibid.
R. *vt quid certum: Posse hæc omnia.* ibid.
LXXIII. An etiam casu, quo malitia suppleat ætatem impuberis, possint nihilominus vota omnia ipsius, aut, iuramenta Deo præstita à Patre irritari? pag. 121.
R. *vt certum (quiquid alij dicant) etiam posse à Patre in eo casu irritari.* ibid.
LXXIV. An item Pater possit irritare filij impuberis vota, aut iuramenta Deo præstita, casu, quo vouens retulerit exequenda tempore pubertatis, v. g. si voueat Religionem, adueniente pubertate? ibid.
R. *vt longe probabilius: etiam posse.* ibid.
LXXV. An vota, seu iuramenta Deo præstita, ante annos pubertatis, irritari possint à Patre transacto tempore impubertatis. ibid.
R. *probabilius, posse; dummodo talia vota non sint confirmata post pubertatem.* ibid.
LXXVI An adhuc possit Pater vota & iuramenta, quæ impubes filius in ætate impubere fecit, irritare, casu, quo ea postea in ipsa pubertate filius confirmauerit, aut rata habuerit? pag. 122.
R. *vt certum: tunc non posse.* ibid.
LXXVII. Quando censeatur quis confirmare aut ratificare votum aut iuramentum à se ante factum? ibid.
R. *Quod censetur, quando de nouo vouet, aut iurat; aut de facto illud velit confirmare, & reuera confirmet, &c.* ibid.
LXXVIII. An saltem si Pater vota & iuramenta à filiis intra pubertatem facta confirmet, & approbet, possit postea illa irritare? ibid.
R. *probabilius: tunc posse.* ibid.
LXXIX. An etiam vota, & iuramenta emissa à filio illegitimo, siue naturali, siue spurio, possint irritari à Patre? ibid.
R. *posse: dummodo filius non habeat tutorem, aut curatorem: quia tunc his incumbit.* ibid.
LXXX. An votum, seu iuramentum Deo præstitum ab impubere de peculio castrensi, aut quasi castrensi, possit à Patre, vel tutore irritari? ibid.
R. *posse.* ibid.
LXXXI. An Pater possit irritare omnia vota personalia, seu iuramenta Deo præstita filiorum puberum? 123.
R. *vt certum, quiquid alij sentiant, quod nullo modo queat Pater irritare vota, seu iuramenta personalia pueri, vel puellæ puberis; præter ea, quæ suæ gubernationi, seu administrationi præiudicauerint.* ibid.
LXXXII. Quæ sunt vota personalia filiorum, & filiarum puberum, quæ Pater nequit irritare. ibid.
R. *Quod nequit irritare votum Religionis, Castitatis, & Ordinis suscipiendi: nec rursus votum frequentandi Sacramenta; fundendi moderatas preces, & similia.* ibid.
LXXXIII. An possit Pater irritare vota personalia puberum filiorum, si iuri patriæ potestatis præiudicent? ibid.
R. *vt certum: Posse.* ibid.
LXXXIV. Quænam sint vota personalit(aut iuramenta Deo præstita,) quæ patriæ potestati præiudicare censeantur? pag. 124.
R. *esse omnia illa quæ aduersantur libero & expedito regimini Domus, aut familiæ: vt sunt votum longæ absentiæ, nimiæ abstinentiæ, aut multorum ieiuniorum, multarum precum, & similium.* ibid.
LXXXV. An hæc filiorum puberum vota, seu iuramenta, personalia, irritari à Patre valeant directè, & propriè, itavt nunquam reuiuiscere queant? ibid.
R. *vt multo probabilius: posse, & valere.* ibid.
LXXXVI. An pater possit irritare omnia vota realia, à filiis post pubertatem ante vigesimum quintum annum completum emissa. ibid.
R. *vt certum: Posse; dummodo votum non fuerit de elargiendo peculio suo.* ibid.
LXXXVII. An etiam possit Pater irritare vota realia filiorum puberum, si facta sunt de bonis castrensibus, aut quasi, quorum filij dominium habent? pag. 125.
R. *vt certum: Quod hæc non possit.* ibid.
LXXXVIII. An saltem possit Pater irritare filij puberis vota si hæc principaliter sint personalia, & realia accessoriè? ibid.
R. *probabiliùs, posse; casu quo expensa essent alicuius momenti.* ibid.
LXXXIX. An votum principaliter personale, si aliquod reale per quamdam consequentiam illi accedat, sit irritabile à Patre. ibid.
R. *vt certum: Quod non.* ibid.
XC. An Pater possit irritare votum, aut iuramentum filij puberis de bonis aduentitiis, quorum Pater nec vsumfructum, nec administrationem habet? ibid.
R. *vt quid certum: Non posse, si filius vsum, & administrationem dictorum bonorum habeat.* ibid.
XCI. An votum, aut iuramentum emissum à filio pubere eundi in Terram Sanctam, non deuotionis causa, sed in eius subsidium, possit à Patre irritari? ibid.
R. *Non posse, si emissum est causa deuotionis; secus si in subsidium, casu quo exequendum sit expensis Patris.* ibid.
XCII. An Pater possit irritate, votum, aut iuramentum filij puberis eundi Romam, ad impetrã dam absolutionem excomunicationis reseruatæ? ibid.
R. *Posse, casu quo per aliquod priuilegium posset dicta absolutio obtineri: secus aliàs.* ibid.
XCIII. An pater possit irritare vota realia filiorum puberũ relata in tempus quo filij erunt sui iuris? ibid.
R. *probabilius: Non posse.* ibid.
XCIV. An casu, quo dubitetur, an filius pubes votum reale, (aut iuramentum) emiserit implendũ eo tempore, quo erit sui iuris; præsumendum sit emissum fuisse pro tali tempore; & ideo nequeat à Parre irritari? pag. 127.
R. *æquè probabiliter: tunc posse à Patre irritari.* ib.
XCV. An valida sit iritatio iuramenti, aut voti realis facta ab eo, qui putabatur pater vouentis; sed postea certo cognoscitur, nõ esse verus pater? ib.
R. *Non esse validam.* ibid.
XCVI. An vota aut iuramenta filij à patris potestate egressi, sint adhuc à patre irritabilia. ibid.
R. *vt certum: Quod non.* ibid.
XCVII. An filius excedens ætatem vigesimi quinti anni sit exemptus à patria potestate, & consequenter eius iuramenta, & vota realia nequeant à patre irritari. ibid.
R. *probabilius: Quod non eximatur, & ideo bene possint à patre talia irritari vota, &c.* ibid.
XCVIII. An filiusfamilias eximatur patria potestate & fiat emancipatus per assumptio nem ad Ordines sacros,

sacros, saltem Præsbyteratum? ibid.

℟. *vt certum (quodcumque alij dicant) Non eximi.* pag. 128.

XCIX. An filius eximatur è patria potestate per matrimonium, receptis Ecclesiæ benedictionibus, attento iure communi? ibid.

℟. *Quod non eximatur attento iure communi.* ibid.

C. An saltem, attento iure speciali Regni Castellæ, quo cauetur, filium per matrimonium, receptis Ecclesiæ benedictionibus, eximi patria potestate: tunc possit pater irritare vota realia (aut iuramenta) talis filij. ibid.

℟. *posse irritare talia vota; dummodo emissa fuerint, ante receptas benedictiones Ecclesiæ: secus, si emissa fuerint postea.* ibid.

CI. An pater iam professus in aliqua Religione possit irritare vota, aut iuramenta filij, siue puberis, siue impuberis? ibid.

℟. *vt certum: quod non.* ibid.

CII. An saltem pater dum est nouitius, possit irritare vota aut iuramenta filij manentis in sæculo? ibid.

℟. *vt certum (quidquid alij dicant) tunc posse.* ibid.

CIII. An si pater professus eiiciatur omnino à Religione; possit irritare vota, aut iuramenta sui filij? pag. 129.

℟. *vt certum: Non posse.* ibid.

CIV. An pater non professus possit irritare vota, aut iuramenta filij professi? ibid.

℟. *vt certum: quod non.* ibid.

CV. An saltem Equites professi in Ordine quocumque militari, possint irritare vota, aut iuramenta filiorum? ibid.

℟. *vt certum: posse, ac si professi non essent.* ibid.

CVI. An pater seruus possit irritare vota, aut iuramenta filij, siue serui, siue liberi? ibid.

℟. *Quod quamuis non possit irritare iuramenta, aut vota realia filij puberis etiam liberi: potest tamen irritare vota & iuramenta filij impuberis, si hic tutore careat.* ibid.

CVII. An filius eximatur à patria potestate, per dignitatem Episcopalem? ibid.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

CVIII. An pater possit irritare vota, aut iuramenta filij emancipati: ibid.

℟. *vt certum: quod non.* ibid.

§. V.

De potestate, quam habent tutores, & curatores ad irritanda vota, & iuramenta Deo præstita, pupillorum, & minorum. pag. 129.

CIX. AN detur discrimen inter tutorem, & curatorem? ibid.

℟. *vt certum: dari. Nam in primis tutor datur principaliter personæ, & secundario rebus: curator verò è contra, &c. Lege.* ibid.

CX. An tutor possit omnia iuramenta, & vota impuberum irritare, eodem prorsus modo, quo potest pater? pag. 130.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

CXI. An etiam curator possit irritare omnia vota realia, & mixta puberum minorum, quæ pater irritare poterat? ibid.

℟. *vt certum, posse hæc omnia irritare dum minor ætas durat.* ibid.

CXII. An, adhuc casu, quo votum reale minoris confirmetur iuramento; possit nihilominus illud irritare curator? ibid.

℟. *vt certum (quidquid alij dixerint) Posse.* ibid.

CXIII. An deinde possit curator vota personalia puberum minorum irritare, si præiudicent gubernationi domesticæ? ibid.

℟. *tunc posse.* ibid.

CXIV. An si sint plures impuberis tutores; aut plures puberis curatores; possint quilibet ipsorum, vota impuberis, aut puberis irritare? ibid.

℟. *vt certum: Posse.* ibid.

CXV. An valida sit votorum irritatio, casu quo fiat à duobus simul, vnus tamen illorum solus verus curator, aut tutor, alter autē falsus est? p. 131.

℟. *esse validam.* ibid.

CXVI. An curator valeat irritare minoris vota, etiā personalia, tempore impubertatis emissa? ibid.

℟. *probabilius quod possit.* ibid.

CXVII. An curator datus maiori, ratione prodigalitatis, possit eius vota irritare? ibid.

℟. *Posse irritare vota realia tempore curæ emissa.* ibid.

§. VI.

De potestate quam habet Mater ad irritanda vota & iuramenta filiorum. Vbi etiam de Hero, & Magistro. ibid.

CXVIII. AN, viuo & præsēte Patre, possit Mater sui filij impuberis vota & iuramenta irritare? ibid.

℟. *vt omnino certum (quidquid alij dicant) non posse saltem directè, & per se.* ibid.

CXIX. An saltem, Patre mortuo, aut longissimè distante, possit Mater filij iuramenta seu vota irritare: etiamsi existat Auus, Tutor, vel Curator? pag. 131.

℟. *adhuc vt certum: Non posse, si existat Auus, Tutor, vel Curator.* ibid.

CXX. An ad minus, Patre mortuo, possit Mater irritare iuramenta, & vota filij sui impuberis, casu quo hic sit Auuo, Tutorevè destitutus? ibid.

℟. *probabilius: tunc iam posse, etiamsi non sit Tutrix.* ibid.

CXXI. An, Mater quæ filiorum Curatrix non est instituta, possit etiam irritare vota realia puberum suorum? ibid.

℟. *quod alij affirmant: alij contra negant: ego distinguo dicendo, quod si Mater Curatrix non est constituta, tunc nequeat irritare vota realia filij puberis: secus verò si sit Curatrix.* ibid.

CXXII. An, deficientibus Parentibus, Tutore, & Curatore, possint Aui, & Auiæ, & reliqui Ascendentes Progenitores, irritare, omnia vota, quæ posse matrem diximus. pag. 133.

℟. *Posse.* ibid.

CXXIII. An Auus, viuente Patre, possit irritare vota impuberis nepotis? ibid.

℟. *Quod non possit, viuente Patre.* ibid.

CXXIV. An socer possit irritare vota generi sui (ideſt, viri filiæ suæ) carentis patre, matre, tutore & curatore? ibid.

℟. *Quidquid alij dicant: Non posse.* ibid.

CXXV. An ſicut pater poteſt irritare impuberis vota & iuramenta, etiam poſt longiſſimos filij annos, poſſit & mater, tutor, ſeu curator? ibid.
Rz. *quod non poſſit.* ibid.
CXXVI. An poſſint domini irritare vota, & iuramenta ſeruorum: Magiſtri vota & iuramenta diſcipulorum, & Heri famulorum, facta in impubertate; ſi ipſi ſerui, diſcipuli, & famuli, parentibus, aſcendentibus, aut tutoribus careant? ibid.
Rz. *multò probabilius: nullos illorum poſſe.* p. 134.

§. VII.

De poteſtate quam habent coniuges ad inuicem, irritandi iuramenta Deo præſtita, & vota. ibid.

CXXVII. AN omnia vota vxoris, conſtante matrimonio emiſſa, & iuramenta Deo ab ipſa præſtita, poſſit maritus irritare? ibid.
Rz. *æquè probabiliter: poſſe omnia; dummodo emiſſa fuerint, abſque licentia mariti.* ibid.
CXXVIII. An maritus poſſit irritare vota, & iuramenta vxoris de operibus præceptis? ibid.
Rz. *probabiliter, poſſe irritare.* pag. 135.
CXXIX. An votum caſtitatis emiſſum ab vxore abſque ſui mariti conſenſu; poſſit ab eodem marito irritari? ibid.
Rz. *probabilius, poſſe irritari ab illo.* ibid.
CXXX. An etiam caſu, quo vxor ex conſenſu viri ſui votum caſtitatis emittat, aut iuramentum de illa ſeruanda Deo præſtet; poſſit tunc vir illud irritare? ibid.
Rz. *probabilius, adhuc poſſe validè quomodocumque ab illo irritetur, & etiam licitè, ſi cum cauſa.* ibid.
CXXXI. An item, caſu, quo vterque coniux ex mutuo conſenſu voueat, aut iuramentum Deo præſtet ſeruandi caſtitatem; poſſit adhuc vir huiuſmodi votum, & iuramentum factum ab vxore, irritare validè? ibid.
Rz. *tanquam ferè certum: tunc nec licitè, nec validè poſſe.* ibid.
CXXXII. An ſi poſt huiuſmodi caſtitatis votum, aut iuramentum, mutuo conſenſu emiſſum, coniuges iterum ſibi ſacrilegè dent mutuam corporum facultatem; poſſit vir hoc caſtitatis votum, aut iuramentum vxoris irritare? pag. 136.
Rz. *poſſe irritare.* ibid.
CXXXIII. An, ſi vterque coniux mutuo conſenſu voueat Religionem, tunc poſſit huiuſmodi votum, ſaltem valide, ab altero tantum, aut etiam ab vtroque, de communi conſenſu, irritari, aut reuocari? ibid.
Rz. *Non poſſe.* ibid.
CXXXIV. An vota, ſeu iuramenta Deo ab vxore præſtita ante matrimonium, ſed adimplenda poſt matrimonium diſſolutum, poſſint irritari à marito? ibid.
Rz. *Non poſſe.* ibid.
CXXXV. An ſaltem vota, & iuramenta emiſſa ab vxore ante matrimonium, ſed implenda dum matrimonium viget; poſſint irritari à marito? ibid.
Rz. *vt longè probabilius: Non poſſe verè & propriè irritari à marito: benè tamen ſuſpendi ea, quæ præſenti matrimonio præiudicant.* ibid.
CXXXVI. An ſaltem vota, & iuramenta facta ab vxore viuente marito, quæ refert adimplenda poſt matrimonium diſſolutum; poſſit maritus propriè, & verè irritare? p. 137.
Rz. *æquè probabiliter: poſſe.* ibid.
CXXXVII. An, vir ſequens poſſit irritare omnia vota, & iuramenta Deo facta, ſuæ vxoris, quæ poterat primus maritus, dum viuebat, irritare. ibid.
Rz. *vt quid certum: poſſe.* ibid.
CXXXVIII. An vxor poſſit aliqua viri vota, & iuramenta Deo præſtita, abſque ſua licentia facta, irritare? ibid.
Rz. *vt multò longè probabilius: poſſe aliqua.* ibid.
CXXXIX. An, non ſolum aliqua, verum etiam omnia viri vota, & iuramenta, poſſit vxor irritare; ſicuti vir vota, & iuramenta vxoris poteſt? p. 138.
Rz. *vt certum, quidquid alij dicant, non poſſe omnia; ſicuti poteſt vir.* ibid.
CXL. An omnia, & ſola vota, & iuramenta à viro præſtita, quæ vxori præiudicauerint, poſſit hæc irritare? ibid.
Rz. *poſſe omnia, & ſola hæc.* ibid.
CXLI. An, vxor poſſit irritare votum, & iuramentum viri, non exigendi debitum, abſque illius conſenſu emiſſum? ibid.
Rz. *probabilius, non poſſe.* ibid.
CXLII. An votum, aut iuramentum non petendi debitum emiſſum ab altero coniuge, abſque alterius licentia, ſit illicitum, & indiſcretum, & conſequenter nullum? p. 139.
Rz. *quod regulariter ſit illicitum, & indiſcretum, non tamen conſequenter eſt nullum, ſed validum.* ibid.
CXLIII. An poſſit vxor irritare votum, & iuramentum viri, de mutando habitu ſæculari, in Habitum Heremitæ, aut tertij Ordinis D. Franciſci? ibid.
Rz. *vt certum: poſſe.* ibid.
CXLIV. An poſſit vxor irritare viri vota aut iuramenta Deo facta, faciendi magnas eleemoſynas? ibid.
Rz. *vt certum: Non poſſe; niſi caſu quo faciendæ ſint de bonis vxoris.* ibid.
CXLV. An vxor poſſit irritare votum, aut iuramentum viri Deo emiſſum, precum, ieiuniorum, & vigiliarum quæ ita illius corpus debilitant, vt ineptus fiat ad moderatam debiti redditionem? ibid.
Rz. *vt certum: poſſe, ſecus aliàs votum de moderatis precibus, ieiuniis, &c.* ibid.
CXLVI. An vxor poſſit irritare votum viri, aut iuramentum Deo præſtitum de longa peregrinatione? 140.
Rz. *vt certum: poſſe de longa: ſecus de breui.* ibid.
CXLVII. An vxor poſſit irritare votum aut iuramentum mariti, peregrinationis Hieroſolymitanæ? ibid.
Rz. *vt certum, non poſſe ſi tale votum aut iuramentum factum ſit à marito in ſubſidium Terræ ſanctæ: ſecus ſi fuerit emiſſum cauſa deuotionis.* ibid.
CXLVIII. An etiam vota, aut iuramenta emiſſa à marito ante matrimonium poſſint ab vxore irritari? ibid.
Rz. *vt certum: non poſſe propriè irritari ab illa.* ibid.
CXLIX. An iuramenta Deo præſtita, aut vota à marito emiſſa, tempore alterius matrimonij, poſſit vxor ſequens irritare? ibid.
Rz. *vt certum: poſſe irritare aut ſuſpendere in omnibus caſibus in quibus prior vxor poterat.* ibid.
CL. An iuramenta, aut vota facta à marito cum licentia vxoris, poſſint ab eadem irritari? ibid.
Rz. *Poſſe.* ibid.

§. VIII.

De potestate, quam habent Domini ad irritanda iuramenta Deo præstita, & vota seruorum, eorum videlicet, qui sub dominio suo sunt. pag. 141.

CLI. AN Dominus possit omnia seruorum suorum vota, & iuramenta Deo præstita relaxare? ibid.

℟. *Quod, licet alij affirment, alij negent, & alij distinguant, ego dico, non posse omnia, sed sola, & omnia illa quæ præiudicant potestati ipsius Domini.* ibid.

CLII An possit Dominus irritare votum castitatis sui serui? ibid.

℟. *vt quid certum: quod non.* ibid.

CLIII. An saltem possit Dominus votum castitatis suæ ancillæ? ibid.

℟. *Nec hoc votum posse.* ibid.

CLIV. An possit Dominus irritare vota & iuramenta seruorum, aliquorum precum? p. 142.

℟. *vt certum: Non posse si moderatæ sint: secus si nimiæ.* ibid.

CLV. An possit Dominus irritare omnia iuramenta & vota ieiuniorum, & abstinentiæ seruorum. ibid.

℟. *vt certum: Non posse omnia, sed ea tantum, quæ Domini obsequium impediunt.* ibid.

CLVI. An possit Dominus irritare iuramenta, & vota à seruis emissa, de seruandis præceptis diuinis, & Ecclesiasticis? ibid.

℟. *vt certum: Non posse irritare: benè tamen aliquando aliqua suspendere.* ibid.

CLVII. An Dominus possit irritare vota realia, nempe elargiendi eleemosynam, à seruo emissa? ibid.

℟. *vt certum: posse si seruus nil proprij possideat, secus aliàs.* ibid.

CLVIII. An etiam possit Dominus votum elargiendi eleemosynam magnam à seruo emissum, irritare; si seruus aliquid proprij possideat, quod à Domino auferri nequeat? ibid.

℟. *tunc non posse.* ibid.

CLIX. An vota seu iuramenta seruorum emissa quando sunt serui, sed implenda tempore, quo soluti erunt à seruitute, possint à Domino irritari? ibid.

℟. *vt certum: Non posse.* ibid.

CLX. An saltem vota aut iuramenta Deo præstita à seruis, ante seruitutem emissa, possint irritari à Domino? p. 143.

℟. *adhuc non posse irritari, sed solum suspendi si eius seruitio præiudicant.* ibid.

CLXI. An non solum vir, sed etiam vxor possit vota seruorum, & iuramenta Deo ab eis præstita irritare? ibid.

℟. *Non posse: nisi casu quo seruus sit vxoris, & habeat administrationem bonorum paraphernalium.* ibid.

CLXII. An si filiusfamilias habeat seruum, possit illius vota, & iuramenta Deo præstita irritare? ib.

℟. *Posse in aliquibus casibus, in aliis non.* ibid.

CLXIII. An si pupillus, aut minor habeat seruum, possit illius vota & iuramenta Deo præstita relaxare? ibid.

℟. *Posse, si pupillus aut minor careat tutore aut curatore: aliàs non.* ibid.

DISPVTATIO XVII.

De cessatione obligationis iuramenti Deo præstiti, vel voti, relaxationis, vel dispensationis causa. pag. 144.

§. I.

De potestate dispensandi vota, & iuramenta Deo facta. pag. 144.

QVÆST. I. AN sit in Ecclesia potestas relaxandi, & dispensandi vota & iuramenta Deo facta? ibid.

℟. *vt de fide certum: esse.* ibid.

II. An hæc potestas dispensandi in votis, & iuramentis solùm resideat apud Prælatos habentes iurisdictionem spiritualem in foro exteriori? ibid.

℟. *vt certum: solum residere apud illos?* ibid.

III. An Pontifex verè, & propriè habeat potestatem ad tollendam & relaxandam obligationem voti, & iuramenti promissorij: an potius ad declarandum tale votum & iuramentum in eo casu cessare & non obligare. ibid.

℟. *vt multò probabilius, verè & propriè habere potestatem ad tollendam, & relaxandam obligationem voti, & iuramenti.* ibid.

IV. Quid sit dispensatio aut relaxatio voti, aut iuramenti promissorij, quavè ratione definitur? p. 145.

℟. *quod dispensatio est ablatio vinculi voti aut iuramenti facta nomine Dei.* ibid.

V. An, vt dispensatio voti, & iuramenti promissorij Deo præstiti sit valida, & licita, expostulet iustam causam? ibid.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

VI. An, si bona fide, petita & data est dispensatio, sit valida, si postea inueniatur fuisse, sine sufficienti causa concessa? ibid.

℟. *probabilius: esse validam.* ibid.

VII. An omnes illæ causæ, quæ voti aut iuramenti executioni obstant; sint sufficientes ad eorum dispensationem? pag. 146.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

VIII. An possint assignari capita, ex quibus consurgant causæ obstantes executioni voti, aut iuramenti; ac proinde iustæ ad dispensandum in illis? ibid.

℟. *quod possunt assignari tria. Primum sumitur ex parte ipsius vouentis. Secundum ex parte materiæ promissæ. Tertium ex causa pertinente ad bonum commune, aut priuatum vouentis.* ibid.

IX. An sola imperfecta deliberatio in vouendo, det causam iustam ad dispensandum in voto, aut in iuramento promissorio? ibid.

℟. *Probabilius: per se solam præbere sufficientem causam ad dispensandum.* ibid.

X. An in votis, aut iuramentis puerorum ante pubertatem emissis, possit, alia causa non petita, dispensari omnino? ibid.

℟. *posse in illis dispensari, absque noua causa.* ibidem.

XI. An item imperfecta deliberatio orta ex tristitia, ira, metu, aliavè passione, qua quis vouet, aut iurat aliquid, præbeat causam omnino dispensandi? pag. 147.

℟. *probabilius: præbere omnino.* ibid.

XII. An

XII. An error circa causam impulsiuam voti, vel iuramenti, sit sufficiens causa, vt dispensatio voti & relaxatio iuramenti concedatur? ibid.
℟. *Esse sufficientem.* ibid.
XIII. An facilitas, seu leuitas in vouendo, vt consueuit esse in fœminis, aliisque timidæ naturæ, sit sufficiens causa ad dispensandum? ibid.
℟. *Esse sufficientem.* ibid.
XIV. An magna difficultas, & non præuisa exequendi votum, vel iuramentum, sit sufficiens causa dispensandi in illis: ibid.
℟. *Esse sufficientem.* ibid.
XV. An item sit sufficiens causa ad dispensandum in dicto voto, & iuramento, magna difficultas exequendi illa, etiamsi hæc fuerit præuisa? ibid.
℟. *Esse sufficientem.* ibid.
XVI. An sit iusta causa dispensandi in votis, & iuramentis, quod vouens vexetur magnis scrupulis conscientiæ ratione illorum? pag. 148.
℟. *Esse iustam.* ibid.
XVII. An sit iusta causa dispensandi in voto Religionis, morbus continuus, cuius salus desperatur & talis est, vt obseruantias Regulares impediret? ibid.
℟. *probabilius: Esse iustam causam.* ibid.
XVIII. An sit item causa iusta dispensandi, quod votum vel iuramentum emissum, sit occasio maioris ruinæ vouenti, vel iuranti? ibid.
℟. *vt certum: Etiam esse iustam causam.* ibid.
XIX. An violatio frequens voti, vel iuramenti, præbeat iustam causam dispensandi, & relaxandi illa? ibid.
℟. *probabilius: Esse, etiamsi talis violatio ex malitia procedat.* ibid.
XX. An votum seu iuramentum non peccandi mortaliter possit dispensari? ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
XXI. An si dubium sit, an votum, seu iuramentum sit impeditiuum maioris boni, possit dispensari? ibid.
℟. *Posse.* ibid.
XXII. An, si ex voto, aut iuramento, bonum Reipublicæ impediatur, præstet sufficientem causam dispensationi? pag. 149.
℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.
XXIII. An item si votum, vel iuramentum, cedat in damnum priuatum alicuius domus, vel familiæ, possit dispensari? ibid.
℟. *vt certum: Posse.* ibid.
XXIV. An sit iusta causa dispensandi in iuramento aut voto castitatis, aut Religionis, necessitas conseruandæ progeniei alicuius nobilissimi Ducatus, aut Marchionatus? ibid.
℟. *Non esse iustam causam dispensandi absolutè: bene tamen admixta aliqua commutatione.* ibid.
XXV. An sit iusta causa dispensandi in voto (aut iuramento) quod vouens conferat magnam pecuniæ summam ad opera pia, aut publica? ibid.
℟. *vt certum: non esse iustam causam ad dispensandum: bene tamen ad commutandum illud.* ibid.
XXVI. An sit iusta causa dispensandi, quod ex dispensatione voti, aut relaxatione iuramenti, speretur maior vtilitas, maiorque spiritualis fructus ipsius iurantis, & vouentis. ibid.
℟. *Esse iustam causam.* ibid.
XXVII. An, eadem causa exigatur, & sufficiat, ad dispensandum in voto, & ad relaxandum iuramentum in solum Dei honorē emissum? p. 150
℟. *Quod sic.* ibid.
XXVIII. An sit sufficiens causa ad dispensandum in iuramento, aut voto non ludendi, vehemens desiderium ludendi, ac tentationes pati? ibid.
℟. *vt certum: Non esse sufficientem causam, nisi casu quo immineat periculum transgressionis.* ibid.
XXIX. An, Prælatus peccet semper dispensando in voto, vel iuramento, si non misceat aliquam commutationem? ibid.
℟. *vt multò probabilius: Non semper peccare adhuc venialiter.* ibid.
XXX. An possint assignari casus, in quibus licitè possit Prælatus vti totali dispensatione in votis, & iuramentis? ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
XXXI. An saltem sit sanum consilium, admiscere dispensationi commutationem aliquam? ibid.
℟. *Quod sit, regulariter loquendo.* ibid.
XXXII. An, stante causa legitima dispensationis, teneatur semper Prælatus illam concedere? p. 151
℟. *probabilius: Non teneri semper.* ibid.
XXXIII. An saltem in aliquibus casibus, teneatur Superior ad dispensandum. ibid.
℟. *Teneri, & sub peccato.* ibid.
XXXIV. An, si causa est adeo vrgens, vt petat totalem dispensationem, liceat tunc Prælato cogere subditum ad aliquam partialem voti commutationem admittendam? ibid.
℟. *Quod non liceat illi.* ibid.
XXXV. An si Prælatus nolit dispensare in votis, quando tenetur; tunc possit vouens ad Superiorem illius appellare, vt sibi medeatur? ibid.
℟. *Quod possit certè.* ibid.
XXXVI. An voto, aut iuramento ligatus, teneatur aliquando dispensationem, aut commutationem aut irritationem petere? ibid.
℟. *Teneri in duplici casu.* ibid.

§. II.

De his qui potestatem habent ordinariam dispensandi vota, & relaxandi iuramenta Deo soli præstita.

XXXVII. AN omnes Prælati, qui dispensare possunt in votis; possint etiam dispensare in iuramentis promissoriis Deo factis. ib.
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
XXXVIII. An dispensatio sit actus Ordinis, aut iurisdictionis? ibid.
℟. *vt certum: Quod sit iurisdictionis spiritualis.* ibid.
XXXIX. An hæc potestas dispensandi in votis, aut iuramentis Deo præstitis, fuerit in lege naturæ, & in lege scripta, apud Sacerdotes, & Pontifices illius populi? ibid.
℟. *probabilius, in neutra lege fuisse.* ibid.
XL. An hæc potestas dispensandi in votis, vel iuramentis possit competere iure ordinario, aut delegato, Clerico solius primæ tonsuræ? ibid.
℟. *vt certum: quod vtroque iure possit.* ibid.
XLI. An etiam Clerico coniugato possit competere iure ordinario, aut saltem delegato hæc dispensandi potestas? pag. 153.
℟. *vt certum. Quod non possit iure ordinario: bene tamen delegatione summi Pontificis.* ibid.
XLII. An hæc potestas ordinaria dispensandi in votis, & iuramentis, resideat tanquam in primo fonte, & capite, in Summo Pontifice, erga

omnes

omnes Christianos totius Orbis? ibid.
R. *vt quid certum: Quod sic.* ibid.
XLIII. An Summus Pontifex possit dispensare omnia iuramenta Deo præstita, & vota, tam realia, quàm personalia? ibid.
R. *vt certum: Posse omnia iuramenta, & vota, saltem simplicia, ex iusta causa dispensare.* ibid.
XLIV. An Sum. Pontifex possit dispensare in voto castitatis solemni, emisso in susceptione Sacrorum Ordinum. ibid.
R. *vt certum: Posse.* ibid.
XLV. An item possit Sum. Pontifex in voto Castitatis emisso in Professione solemni Religiosa dispensare? ibid.
R. *Quod, quamuis aliqui negent, alij probabilius affirment, dicendum sit, quod verè possit Pontifex dispensare vt Religionis professus vxorem ducat, non tamen voto Castitatis manente, sed sublato ab ipso Pontifice.* ibid. & seq.
XLVI. An dispensatio in huiusmodi voto Castitatis Professione Religiosa emisso, possit aliquando esse expediens? pag. 154
R. *quod possit esse expediens, imo & necessaria.* ib.
XLVII. An ad hanc dispensationem voti Castitatis Religiosæ concedendam; semper debeat desiderari causa boni communis. ibid.
R. *vt certum: semper desiderari debere.* ibid.
XLVIII. An Papa possit dispensare, vt Monachus ad tempus Matrimonium ineat, donec habeat prolem, & statim ad Religionem redeat? ibid.
R. *vt certum (quidquid alij dicant) Non posse.* ibid.
XLIX. An si Pontifex dispẽset in voto solemni Professi, absque causa; valeat Matrimonium ab ipso contractum? pag. 155.
R. *probabilius: tale Matrimoniũ esse inualidum.* ib.
L. An professus cum quo dispensatum est ad Nuptias, teneatur ad officium diuinum recitandum? ib.
R. *probabilius: Non teneri à tempore quo habitum Monachalem exuit.* ibid.
LI. An etiam Concilium Generale possit sicuti & Papa dispensare in prædicto voto solemni Castitatis? ibid.
R. *vt certum: Quod etiam possit.* ibid.
LII. An Cardinales qui legati Apostolici non sunt, possint ex vi sui muneris, & dignitatis dispensare in votis, & iuramentis Deo præstitis? ibid.
R. *Non posse ex vi sui muneris, & dignitatis.* ibid.
LIII. An legatus Apostolicus, seu Nuntius, possit in votis, & iuramentis, ex vi suæ Dignitatis dispensare? ibid.
R. *vt certũ, Posse in tota Prouincia sibi cõmissa.* ib.
LIV. An Item Summus Pœnitentiarius Pontificis habeat ordinariam in votis, & iuramentis dispensandi facultatem? pag. 156.
R. *vt certum: Quod sic.* ibid.
LV. An Episcopi habeant potestatem Ordinariã dispensãdi vota, & iuramẽta in tota sua Diœcesi? ib.
R. *vt quid certissimum: Habere.* ibid.
LVI. An dicti Episcopi possint dispensandi facultate vti, antequam sint consecrati? ibid.
R. *Posse, dummodo sint à Papa confirmati.* ibid.
LVII. An etiam Archiepiscopi electi, & confirmati habeant potestatem Ordinariam dispensandi vota, & iuramenta Deo præstita suorũ subditorũ? ib.
R. *vt certum: Quod sic.* ibid.
LVIII. An item Archiepiscopi possint vti hac dispensandi in votis & iuramentis potestate ante receptum pallium? ibid.
R. *vt certum: Posse.* ibid.
LIX. An possit Archiepiscopus dispensare in votis, & iuramentis Deo præstitis, cum subditis Episcoporum suffraganeorum? ibid.
R. *vt certum (quiquid alij dicant) Non posse, saltẽ extra tẽpus visitationis Diœcesum sufraganeorũ.* ib.
LX. An saltem possit Archiepiscopus dispensare in votis, & iuramentis cum subditis Episcoporum Suffraganeorum, dũ visitant horũ Diœceses. p. 157
R. *vt longè probabilius: Nec tunc posse.* ibid.
LXI. An ad minus possit Archiepiscopus dispensare in votis, & iuramentis ipsiusmet Episcopi Suffraganei? ibid.
R. *vt probabilius: Posse.* ibid.
LXII. An Summus pontifex possit per seipsum dispensare in votis, & iuramentis à se ante Pontificatum, post illumvè adeptum emissis? ibid.
R. *vt longe multo probabilius: Posse absolutè.* ibid.
LXIII. An item alij Prælati inferiores Pontifice, vt Archiepiscopi, Episcopi, &c. possint etiam dispensare per seipsos in votis, & iuramentis Deo præstitis à semetipsis emissis? pag. 158.
R. *probabilius: Quod item possint.* ibid.
LXIV. An item Prælati Regulares possint secum immediate per seipsos dispensare in omnibus iis, in quibus possint cum Subditis? ibid.
R. *adhuc probabilius: etiam posse.* ibid.
LXV. An deinde, qui non haberet potestem Ordinariam, sed delegatam ad dispensandum cum aliqua Communitate: posset etiam secum per semetipsum dispensare? ibid.
R. *probabiliter: adhuc posse.* ibid.
LXVI. An Prædicti Prælati inferiores, non solum per seipsos, possint secum dispensare in votis, & in alijs, in quibus ipsi cum suis subditis dispensare possũt; sed etiã possint per suos Cõfessarios? 159.
R. *vt multo probabilius: Posse.* ibid.
LXVII. An hæc potestas dispensandi in votis, & iuramentis Deo præstitis, conueniat etiam secundariis Religionum Prælatis, vt sunt Vicarij, Vicerectores, Viceprióres, qui Prælatorum absentium vices gerunt. ibid.
R. *probabilius: Etiam illis conuenire in absentia Prælatorum.* ibid.
LXVIII. An item Abbatissæ, seu Prioriss æ possint dispensare suarũ monialiũ votavel iuramenta? ib.
R. *vt quid certissimum: Non posse.* ibid.
LXIX. An Capitulum, Sede Episcopali vacante, possit dispensare in omnibus votis, & iuramentis Deo præstitis, in quibus potest Episcopus. ibid.
R. *posse.* ibid.
LXX. An Vicarij generales Episcoporum possint etiam dispensare in votis, & iuramentis, in quibus possunt Episcopi? pag. 160
R. *vt quid verum: Non posse, nisi specialiter sic eis commissum.* ibid.
LXXI. An Abbates, & alij Prælati, qui Diœcesim sibi subditam habent, & iurisdictionem quasi Episcopalem, possint cum suis subditis dispensare in votis, & iuramentis Deo præstitis. ibid.
R. *Posse eodem modo sicut possunt Episcopi?* ibid.
LXXII. An Archidiaconi, Pœnitentiarij, & alij Prælati, qui iurisdictione Episcopali carent; possint nihilominus in votis, aut iuramentis Deo præstitis dispensare? ibid.
R. *vt certum. Non posse, nisi specialem commissionem habeant, &c.* ibid.
LXXIII. An Potestas dispensandi in votis, & iuramẽtis possit legitima consuetudine præscribi? ib.
R. *Posse præscribi, & acquiri à Persona Ecclesiastica.* ibid.
LXXIV. An ad hanc potestatem dispensandi acquirendam

rendam consuetudine, sufficiat tempus quadraginta annorum? ibid.
℟. *quidquid alij negent, sufficere.* ibid.
LXXV. An Magister scholarum Salmanticensium possit dispensare in votis, aut iuramentis Deo præstitis scholasticorum, qui matriculæ sunt adscripti? pag. 161.
℟. *Posse ex priuilegio speciali Pontificis.* ibid.
LXXVI. An Parochi possint ex vi sui officij dispensare in votis, aut iuramentis Deo præstitis, in quibus possunt Episcopi? ibid.
℟. *vt certum: Non posse etiam occurrenti necessitate.* ibid.

§. III.

De votis, & iuramentis sæcularium in quibus Episcopi, & alij Prælati, quasi Episcopalem iurisdictionem participantes, dispensare possunt. Vbi agitur de votis Pontifici reseruatis. pag. 161.

LXXVII. AN Episcopi, & eorum iurisdictionem participantes, possint dispensare cum suis subditis in omnibus votis, & iuramentis Deo præstitis, & sibi specialiter non reseruatis à Papa. ibid.
℟. *vt certum: Posse in omnibus sibi non reseruatis à Papa.* ibid.
LXXVIII. An vota reseruata summo Pontifici, in quibus Episcopi dispensare nequeunt, sint quinque, videlicet, castitatis perpetuæ; Religionis approbatæ; Peregrinationis ad limina Apostolorum, Ad Sanctum Iacobum Compostellanum; & in Terram Sanctam? ibid.
℟. *vt quid certum: esse prædicta quinque.* ibid.
LXXIX. An omnia illa quinque vota inueniantur reseruata Summo Pontifici, iure communi? 162.
℟. *Quod non inueniantur iure aliquo communi reseruata: sed consuetudine reseruationem illorum esse introductam.* ibid.
LXXX. An etiam iuramenta Deo præstita Religionis, castitatis, & Peregrinationis Romanæ, Compostellanæ, & Hierosolymitanæ, sint etiam veluti vota reseruata Summo Pontifici? ibid.
℟. *vt multo longè probabilius, etiam esse veluti vota reseruata.* ibid.
LXXXI. An votorum seu iuramentorũ reseruatio, sit strictè interpretanda, ac restringenda? ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
LXXXII. An possit Episcopus dispensare in voto castitatis non perpetuæ, sed temporalis, vt ad annũ vel aliud tempus limitatũ emisso. pag. 163.
℟. *vt certum: Quod possit.* ibid.
LXXXIII. An item possit dispensare Episcopus in voto castitatis emisso pro centum vitæ annis? ibid.
℟. *Quod non.* ibid.
LXXXIV. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis coniugalis seruandæ? ibid.
℟. *vt certum: Posse, causa interueniente.* ibid.
LXXXV. An etiam possit Episcopus dispensare in voto de non petendo debito quod alter, vel vterque coniux, cũ licentia, aut sine illa emisit? ibid.
℟. *vt certum: Posse.* ibid.
LXXXVI. An item possit dispensare Episcopus in voto, quod vterque coniux, communi consensu emisit, non reddendi debitum; non fornicandi, non contrahendi secundas nuptias, &c. ibid.
℟. *vt certum: etiam posse.* ibid.
LXXXVII. An deinde possit dispensare Episcopus in voto, aut iuramento assumendi Ordines sacros? ibid.
℟. *vt certum: Adhuc posse.* ibid.
LXXXVIII. An possit dispensare Episcopus in expresso voto promittendæ castitatis? pag. 164.
℟. *vt certum: etiam posse.* ibid.
LXXXIX. An possit dispensare Episcopus in voto, aut iuramento non ineundi Matrimonij? ibid.
℟. *probabilius: Posse.* ibid.
XC. An item possit dispensare Episcopus in iuramento Deo facto, & voto virginitatis seruandæ? ibid.
℟. *Non posse, nisi in certo casu.* ibid.
XCI. An, Episcopus possit dispensare iuramentum Deo factum, aut votum castitatis emissum ab vno coniuge post consummatum matrimonium, sine consensu alterius? ibid.
℟. *vt multo probabilius: Posse.* ibid.
XCII. An possit Episcopus dispensare in voto castitatis emisso ante contractum matrimonium, vt vouens possit consummare matrimonium, & petere debitum? ibid.
℟. *Posse.* ibid.
XCIII. An Episcopus possit dispensare votum castitatis, quod vterque coniux emisit, ex communi consensu per modum contractus *facio, vt facias; voueo & iuro, vt voueas, & iures?* 165.
℟. *vt quid certissimum: Non posse.* ibid.
XCIV. An possit Episcopus dispensare votum castitatis, aut religionis emissum metu leui ab extrinseco incusso, ad extorquendum tale votum? ibid.
℟. *probabilius: posse.* ibid.
XCV. An possit Episcopus dispensare in iuramẽto, aut voto ingrediendi Ordinem Militum Maltensium, siue Sancti Ioannis? ibid.
℟. *vt quid certissimum: Non posse.* ibid.
XCVI. An saltem possit dispensari ab Episcopo iuramentum, seu votum ingrediendi Religionem Militum Alcantaræ, Calatrauæ, Diui Iacobi, S. Stephani, vel S. Mauritij. ibid.
℟. *probabiliter: Posse.* ibid.
XCVII. An possit Episcopus dispensare in iuramento, aut voto, quod fœmina emisit assumendi Habitum earum, quas vulgò *Beatas* vocant. ibid.
℟. *Posse.* ibid.
XCVIII. An possit dispensare Episcopus iuramentum, aut votum ingrediendi Religionem approbatam ad probandum, num sibi placeat? p. 166.
℟. *Non posse.* ibid.
XCIX. An vota Paupertatis, & Obedientiæ in sæculo, vel in Religione non approbata, emissa, possit dispensare Episcopus? ibid.
℟. *Posse.* ibid.
C. An possit dispensare Episcopus votum, aut iuramentum ingrediendi Religionem strictiorem vt relicta ista, Religionem laxiorem ingrediatur vouens? ibid.
℟. *probabilius: Posse.* ibid.
CI. An iuramentum seu votum pœnalæ castitatis, vel Religionis, absolutè emissum sit dispensabile ab Episcopo? ibid.
℟. *Quod non.* ibid.
CII. An sit saltem dispensabile ab Episcopo iramenturo, aut votum castitatis, seu Religionis emissum in pœnã peccati mortalis, quod quis heri admisit, vel nunc proponit admissurum? ibid.
℟. *Quod nec hoc sit dispensabile ab illo.* ibid.

CIII. An ad minus, sit dispensabile ab Episcopo iuramentum, seu votum pœnale Religionis, aut castitatis emissum cum conditione de futuro, vt, *si luſero, iuro, aut voueo Religionem aut caſtitatem*? ibid.

R. *probabilius: Esse dispensabile, etiam post impletam conditionem, & pœnam incursam.* ibid.

CIV. An possit Episcopus dispensare cum illo, qui promisit Religionem, aut castitatem, *si Pater ſuus obierit*? pag. 167.

R. *vt certum: Quod non.* ibid.

CV. An ad minus possit dispensare Episcopus cum illo, qui v.g. morbo oppressus dixit: *iuro, aut voueo Religionem aut caſtitatem, ſi incolumis euaſero*? ibid.

R. *probabilius: Posse dispensare, etiam post conditionem impletam.* ibid.

CVI. An possit Episcopus dispensare votum disiunctiuum, cuius sola altera pars est reseruata. Vt si quis v.g. voueat castitatem, vel ieiunium? ibid.

R. *vt longe multo probabilius: Posse; saltem re integra, & antequam vouens eligat materiam reſeruatam.* ibid.

CVII. An etiam possit dispensare Episcopus in dicto voto disiunctiuo, casu, quo pars non reseruata effecta est impossibilis, ita vt nequeat vouens illã adimplere, sed tantum partem reseruatam? 168.

R. *probabilius: etiam tunc poſſe diſpenſare.* ibid.

CVIII. An item, casu quo quis voueat, (aut iuret) castitatem, aut ieiunium disiunctiuè, & vouens eligat efficaciter castitatem seruare, possit tale votum Episcopus dispensare? ibid.

R. *probabiliter: adhuc poſſe.* ibid.

CIX. An possit dispensare Episcopus in voto, ac iuramento triplicis Peregrinationis, Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ emissis, non animo inuisendi ea loca, sed alio fine? ibid.

R. *vt multo longè probabilius: Poſſe.* ibid.

CX. An possit Episcopus dispensare in qualitate dictis Peregrinationibus adiuncta. ibid.

R. *Poſſe.* ibid.

CXI. An votum seu iuramentum non petendi dispensationem voti, aut iuramenti facti ab alio, quam à Romano Pontifice, possit Episcopus dispensare? ibid.

R. *vt quid certum: Poſſe.* ibid.

CXII. An indubio, votumnè, vel iuramentum reseruatum sit, iudicandum sit non reseruatum? pag. 169.

R. *ſic eſſe iudicandum.* ibid.

CXIII. An quando sum. Pontifex vota, & iuramenta sibi reseruata commutat in alias pias actiones, v. g. votum castitatis in aliqua ieiunia; tunc opus subrogatum, putà, ieiunium, sit reseruatum? ibid.

R. *probabilius: Quod non ſit.* ibid.

CXIV. An ieiunium voto castitatis perpetuæ, à Pontifice subrogatum, cesset peruenientе anno sexagesimo ætatis. ibid.

R. *probabilius: Ceſſaſſe.* ibid.

§. IV.

De casibus, in quibus Prælati inferiores possunt dispensare in dictis iuramentis & votis reseruatis Pontifici. pag. 169.

CXV. AN de facto sit concessa alicui Prælato facultas in quinque prædictis votis, aut iuramentis dispensandi? ibid.

R. *vt certum: Quod non.* ibid.

CXVI. An nihilominus defacto possint Episcopi, & alij Prælati similem iurisdictionem habentes, in aliquo euentu, dispensare, vel saltem commutare vota, & iuramenta Papæ reseruata? pag. 170.

R. *tanquam certum: Poſſe.* ibid.

CXVII. An in casu magnæ necessitatis possit Episcopus dispensare in voto castitatis perpetuæ, aut Religionis? ibid.

R. *vt mihi certiſsimum: Poſſe in tali caſu.* ibid.

CXVIII. An possit dispensare Episcopus cum iuuene, qui voto castitatis, aut Religionis astrictus, virginem violauit, & grauidam effecit? ibid.

R. *vt certum: Poſſe, ſi periculum ſit in mora, & famam dictæ puellæ aliter nequeat reparare quàm eam ducendo, iuuenis.* ibid.

CXIX. An item possit dispensare Episcopus in voto castitatis, aut Religionis, in casu, quo quis morti proximus, nisi fœminam duceret, relinqueret filios illegitimos? ibid.

R. *Etiam poſſe.* ibid.

CXX. An, in prædicto euentu, quo Episcopus dispenset cum habente castitatis votum, vt ineat matrimonium ad legitimandos filios; possit & dispensare, vt, mortua illa vxore, ineat cum alia? ibid.

R. *Quod non.* ibid.

CXXI. An item possit dispensare Episcopus in voto castitatis, casu quo, vouenti immineat periculum, seu rationabilis timor, sæpe violandi votum, si Papæ expectetur dispensatio? pag. 171.

R. *Etiam tunc poſſe.* ibid.

CXXII. An deinde liceat Episcopo dispensare, vrgente necessitate, in triplicis Peregrinationis reseruatæ votis? ibid.

R. *etiam Poſſe.* ibid.

CXXIII. An in dicto casu necessitatis possit Episcopus in dictis votis, & iuramentis dispensare, si potest adiri Nuncius Apostolicus? ibid.

R. *vt multò longè probabilius, imo vt mihi certum: Poſſe, etiam ſi poſsit adiri Nuncius.* ibid.

CXXIV. An etiam, casu, quo Nuncius (vel quiuis alius) haberet ex priuilegio potestatem dispensandi in dictis quinque votis, vel iuramentis, & commodè posset adiri; posset nihilominus Episcopus dispensare vrgente necessitate? ibid.

R. *vt multo probabilius: Tunc non poſſe.* ibid.

CXXV. An si hæc quinque vota, aut iuramenta, reseruata Pontifici, emittantur ab his, qui sub dominatiua potestate viuunt; possint tunc ab Episcopo dispensari? ibid.

R. *Quod non, quidquid alij affirment.* pag. 172.

CXXVI. An possit Episcopus dispensare in votis reseruatis, casu quo vouens expressè voluerit ad solam venialem culpam se obligare? ibid.

R. *Poſſe tunc.* ibid.

CXXVII. An quando dubium est, an votum sit reseruatum; possint Episcopi, & alij Prælati habentes similem iurisdictionem in eis dispensare? ibid.

R. *Poſſe.* ibid.

CXXVIII. An, quando hæc iuramenta & vota reseruata, emissa sunt metu cadente in virum constantem, possit Episcopus in eis dispensare? ibid.

R. *vt certum: Poſſe.* ibid.

CXXIX. An si consuetudine sit præscriptũ, possint Episcopi, & alij Prælati inferiores Papa, in iis votis, aut iuramentis reseruatis dispensare? ibid.

R. *vt certum: Poſſe.* ibid.

CXXX. An Episcopi vi consuetudinis obtinuerint facultatem dispensandi ad effectum contrahendi matrimonium, cum eo, qui castitatis votum emisit? ibid.
Rz. *vt quid certum: quod non obtinuerint.* ibid.
CXXXI. An saltem possit ex vi consuetudinis dispensare Episcopus ad petendum debitum cum illo, qui non obstante voto castitatis simplicis, non obstante dispensatione, nihilominus (certè cum peccato) matrimonium contraxerit? ibid.
Rz. *Posse ad petendum debitum, manente voto firmo quoad cætera alia.* ibid.
CXXXII. An etiam possit Episcopus dispensare ad petendum debitum ei, qui post contractum matrimonium, votum castitatis emisit? pag. 173.
Rz. *vt certum: Quod possit, non solum vi consuetudinis, sed & iuris proprij.* ibid.
CXXXIII. An item possit Episcopus (aut alius Prælatus inferior Papa) dispensare ad petendum debitum, cum coniugatis, qui mutuo consensu, idem votum castitatis absolutum emiserunt? ibid.
Rz. *Quod alij negant, alij vero affirmant, omnes probabiliter, sed vltimi omnino melius, vbi viget consuetudo.* ibid.

§. V.

De potestate quam habent dispensandi in votis, & iuramentis Prælati Regulares quoad personas sæculares, necnon & sibi subditas. pag. 173.

CXXXIV. AN Prælati Regulares, vi suorum priuilegiorum, possint dispensare in votis, & iuramentis reseruatis: v.g. in voto castitatis absolutæ, vrgente necessitate, in quo casu, vt nuper habitum est, possunt Episcopi? ibid.
Rz. *vt longè multo probabilius: Non posse.* ibid.
CXXXV. An Religiosi Mendicantes habeant de facto priuilegium ad dispensandam omnia vota, sæcularium, non reseruata Pontifici? 174.
Rz. *tanquam fere certum: de facto illud habere.* ibid.
CXXXVI. An in potestate dispensandi in votis, sit discrimen aliquod inter Episcopos, & Religiosos? ibid.
Rz. *Esse discrimen.* ibid.
CXXXVII. An sicut possunt Episcopi dispensare, vel commutare vota, vel iuramenta Deo facta, extra sacramentum Confessionis; ita & possint Religiosi? 175.
Rz. *probabilius: Posse sicut Episcopi.* ibid.
CXXXVIII. An item, sicut potest Episcopus dispensare omnia vota conditionalia, & pœnalia, iuxta supra dicta, sic & possint Religiosi? ibid.
Rz. *sic omnino posse.* ibid.
CXXXIX. An Regulares possint, sicuti Episcopi, dispensare votum castitatis coniugati, ad petendum debitum? ibid.
Rz. *probabilius: Posse sicuti Episcopi.* ibid.
CXL. An item possint Regulares ab Ordinario approbati, ex commissione suorum Prouincialium dispensare ad petendum debitum, cum coniugibus, qui inter se affinitatē contraxerunt? ibid.
Rz. *vt mihi certissimum: Posse?* ibid.
CXLI. An, Religiosi possint vti prædicta facultate dispensandi in votis sæcularium, si hi non habeant Bullam Cruciatam? ibid.
Rz. *vt longè multo probabilius: Posse illa vti.* ibid.
CXLII. An Prælati Regulares possint cū suis subditis dispensare in iuramentis, & votis; sicut potest Episcopus cum suis? pag. 176.
Rz. *vt certum (quidquid alij dixerint) Posse.* ibid.
CXLIII. An dicti Prælati Regulares possint delegare hanc dispensandi facultatem aliis? ibid.
Rz. *tanquam certum: Posse.* ibid.
CLIV. An hæc potestas dispensandi in votis, & iuramentis non solum competat Generalibus, & Prouincialibus, sed etiam Prælatis Conuentualibus? ibid.
Rz. *vt certum: etiam his competere.* ibid.
CXLV. An etiam hæc facultas dispensandi competat secundariis Prælatis, vt Vicariis, Superioribus, &c. ibid.
Rz. *etiam competere quando plenè vices Prælatorum gerunt.* ibid.
CXLVI. An Prælati Regulares possint dispensare cū suis subditis in illis quinque votis, (de quibus supra) reseruatis Papæ? ibid.
Rz. *vt certum: Quod non.* ibid.
CXLVII. An Prælati Regulares possint dispensare in votis, & iuramentis emissis à subditis cum sua licentia? pag. 177.
Rz. *tanquam certum: Posse dispensare.* ibid.
CXLVIII. An Prælatus inferior possit dispensare in votis, & iuramentis emissis cum licentia Prælati maioris? ibid.
Rz. *vt certum: Posse.* ibid.
CXLIX. An possit Prælatus dispensare in votis, ac iuramentis suorum subditorum, non committendi aliquod peccatum? ibid.
Rz. *vt quid certū, quidquid alij negent: Posse.* ibid.
CL. An prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in votis, aut iuramentis transeundi ad strictiorem Religionem? ibid.
Rz. *tanquam certum: Posse.* ibid.
CLI. An Prælati Regulares possint dispensare, aut relaxare essentialia, & substantialia Religionis vota, nempe obedientiam, paupertatem, & castitatem? pag. 178.
Rz. *vt certissimum: Non posse.* ibid.
CLII. An saltem possit Generalis dispensare in aliquibus votis specialibus, quæ fiunt in aliquibus Religionibus. v.g. in votis vitæ quadragesimalis Minimorum; Non ambiendi Prælationes intra Ordinem, nec acceptandi extra Ordinem, quod faciunt Religiosi Discalceati nostri Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, &c. ibid.
Rz. *vt certum: Non posse, quidquid alij dixerint.* ibid.
CLIII. An, supremus Religionis Prælatus, nempe, Generalis, possit committere alicui, vt secum dispenset in votis, in quibus ipse cum aliis dispensare potest. pag. 179.
Rz. *vt multò probabilius: Posse non solum ipsum sed & alios inferiores Prælatos.* ibid.
CLIV. An prælati Regulares possint in Nouitiorum votis, & iuramentis Deo præstitis dispensare? ibid.
Rz. *probabilius: Posse.* ibid.
CLV. An item, sicut potest Prælatus Regularis in votis, & iuramentis Nouitorum dispensare, & ea commutare; sic & possit Episcopus? ibid.
Rz. *vt certum: Quod sic possit.* ibid.
CLVI. An Abbatissa possit dispensare, vel commutare vota, seu iuramenta Deo præstita suarum Monialium. pag. 180.

Ad. *vt certum: Non posse.* ibid.
CLVII. An saltem de potestate absoluta Papæ possit conferri Abbatissę iurisdictio spiritualis, ac per consequens; potestas dispensandi in votis, cum suis Monialibus? ibid.
Ad. *probabilius: posse de potestate absoluta.* ibid.
CLVIII. An non solum ex commissione Pontificis, sed etiam, ex Ordinarij, vel Prælati Regularis commissione, possit Abbatissa vti hac dispensandi in votis facultate? ibid.
Ad. *vt quid certissimum, quod non.* ibid.
CLIX. An de facto concesserit Pontifex hanc potestatem iurisdictionis spiritualis alicui fœminæ? ibid.
Ad. *quod alij negant: alij affirmant.* ibid.

DISPVTATIO XVIII.

De commutatione votorum, & iuramentorum Deo, aut Sanctis emissorum. pagina 141.

QVÆST. I. QVid sit commutatio in communi, quidqvè commutatio voti, vel iuramenti? ibidem.
Ad. *Quod commutatio in communi, est mutatio vnius in aliud. Et commutatio voti (& iuramenti) est mutatio obligationis voti vel iuramenti facti circa vnam materiam, in aliam.* ibid.
II. An, vt validè, & licitè fiat commutatio, necessaria sit iusta causa? ibid.
Ad. *vt certum: quod sic.* ibid.
III. An omnes Prælati commutandi voti, vel iuramenti potestatem habeant? ibid.
Ad. *Quod omnes.* ibid.
IV. An omnes, qui habent potestatem ordinariam dispensandi: censeantur habere potestatem commutandi? ibid.
Ad. *vt certum: quod sic.* ibid.
V. An etiam qui ex delegatione, v.g. qui vi Bullæ aut Iubilei habet potestatem ad vota dispensanda, habeat & ad illa commutanda? ibid.
Ad. *probabilius: quod sic.* ibid.
VI. An item, qui vi Bullæ, aut Iubilei, potest vota & iuramenta commutare; possit & illa dispensare? ibid.
Ad. *vt certissimum ferè: non posse.* ibid.
VII. An vnusquisque vouens, vel iurans, possit sua vota, & iuramenta promissoria Deo, aut Sanctis emissa, sua propria authoritate, in id quod euidenter est melius commutare? p.182.
Ad. *vt longè multò probabilius: quod benè possit.* ibid.
VIII. An etiam possit vnusquisque, propria authoritate, vota, aut iuramenta sua, in minus notabiliter bonum commutare? ibid.
Ad. *quod non solum non possit in minus notabiliter bonum, vt omnes concedunt, commutare sua vota, & iuramenta, sed neque in paulò minus bonum, quidquid aliqui velint.* ibid.
IX. An ad minus possit vnusquisque, propria authoritate, vota sua, aut iuramenta Deo facta, in bonum euidenter æquale commutare? ibid.
Ad. *probabilius: nec id posse.* ibid.
X. An commutare votum, aut iuramentum, propria authoritate, in bonum æquale; sit mortale? ibid.
Ad. *probabilius: Non esse, nisi veniale.* ibid.
XI. An saltem commutatio voti, aut iuramenti, possit fieri in æquale bonum, authoritate priuati confessarij. pag.183.
Ad. *probabilius: adhuc non posse.* ibid.
XII. An ad minus commutatio facta vi Bullæ, aut Iubilei, possit fieri, non solum in bonum æquale, sed etiam in minus bonum? ibid.
Ad. *æquè probabiliter: tunc posse fieri in paulo minus bonum.* ibid.
XIII. An qui promittit aliquam Religionem ingredi, possit propria authoritate, aliam æqualem ingredi? ibid.
Ad. *Non posse.* ibid.
XIV. An promittens dare rem, quæ vsu consumitur, v.g. quantitatem vini; possit dare similem: v.g. eandem quantitatem olei? ibid.
Ad. *Posse.* ibid.
XV. An qui vouit tradere filium determinatum Religioni, satisfaciat voto tradendo alterum sine Papæ authoritate? ibid.
Ad. *Quod non satisfaciat, nisi aliàs ille alius, sit melior tali Religioni.* ibid.
XVI. An votum alicuius rei consecratæ, v.g. calicis, possit quis propria authoritate in melius commutare? pag.184.
Ad. *Posse.* ibid.
XVII. An etiam votum, aut iuramentum reseruatum, possit quis, propria authoritate, in rem euidenter meliorem; vel in aliud votum ex reseruatis euidenter melius, commutare? ibid.
Ad. *Non posse.* ibid.
XVIII. An omnia prædicta vota nempe castitatis, & triplicis peregrinationis, possit quis propria authoritate, commutare in votum, aut statum Religionis? ibid.
Ad. *vt certum, posse commutare in votum constitutiuum Religionis, non in votum promissiuum.* ibid.
XIX. An votum factum in fauorem tertij, ab ipso tamen non acceptatum; possit commutari à Prælato in aliud opus melius, absque illius tertij consensu? ibid.
Ad. *vt multò probabilius: posse.* p.185.
XX. An item prædictum votum factum in fauorem tertij, & ab ipso non acceptatum, possit commutari in melius, etiam vouentis propria authoritate? ibid.
Ad. *adhuc multò probabilius: Posse.* ibid.
XXI. An deinde si quis vouit aliquid in fauorem tertij, v.g. dare huic pauperi determinato eleemosynam decem aureorum, & ipse acceptauerit: possit nihilominus talem eleemosynam in melius opus, v. g. in Missas commutare? ibid.
Ad. *vt multò probabilius: Non posse, sine consensu illius, cui factum, & acceptatum est votum.* pag.186.
XXII. An in aliquo casu possit Pontifex remittere obligationem iuramenti aut voti facti in commodum tertij, & ab ipsomet acceptati? ibid.
Ad. *Posse in duplici casu.* ibid.
XXIII. An ad quamcumque commutationem faciendam requiratur aliqua causa? ibid.
Ad. *Quod non.* ibid.
XXIV. An commutatione voti, (vel iuramenti) facta, liceat votum, omissa commutatione, ser-

uare primum votum? ibid.
Rz. *probabilius: semper illi licere.* ibid.
XXV. An quando votum commutatur in aliam materiam, transferatur eademmet obligatio in materiam subrogatam? p.187.
Rz. *vt certum: quod sic.* ibid.
XXVI. An saltem casu quo materia subrogata fiat inutilis, vel impossibilis, reuiuiscat prioris oblitio, ita vt teneatur vouens redire ad prius votum? ibid.
Rz. *vt multò probabilius: Non reuiuiscere, nec teneri vouentem redire ad primum votum.* ibid.
XVII. An ad minus reuiuiscat obligatio votorum emissorum in sæculo, quæ fuit commutata in Professionem Religiosam; si vouens ex dispensatione Pontificis, redeat ad sæculum? ibid.
Rz. *Neque in hoc casu reuiuiscere.* ibid.
XXVIII. An, si quis Religionis assumendæ votum simplex emisit in sæculo, & iam ingressus, post professionem eiicitur; reuiuiscat prius votum, & teneatur aliam Religionem ingredi? pag.188.
Rz. *vt multò probabilius: Non reuiuiscere prius votum, & consequenter non teneri vouentem aliam Religionem ingredi.* ibid.
XXIX. An etiam votum ingrediendi Religionem, factum sub conditione aliam ingrediendi, casu, quo à semel assumpta vouens eiectus sit; maneat Professione extinctum? ibid.
Rz. *probabilius: manere extinctum Professione.* ibid.
XXX. An quando Pontifex, aut summus eius Pœnitentiarius, dispensat, aut commutat votum castitatis, & Religionis alicuius ad tempus, per subrogationem alicuius pij operis, teneatur, finito tempore, votóque iterum redeunte, ad illud opus subrogatum? ibid.
Rz. *probabilius: Non teneri ad illud.* ibid.
XXXI. An quando quis materiam voti à se, propria auctoritate, subrogatam implere non potest, potest tamen prius votum; teneatur redire ad illud? pag.189.
Rz. *Teneri.* ibid.

§. II.

De aliquibus rebus in commutatione votorum, & iuramentorum seruandis? ibid.

XXXII. AN præscribi possit certa regula, qua seruari queat æqualitas in commutandi votis, & iuramentis? ibid.
Rz. *quod non alia quàm prudens arbitrium confessarij.* ibid.
XXXIII. An, grauitas materiæ voti, vel iuramenti sit ex se, præscindendo à vinculo voti, vel iuramenti, consideranda? ibid.
Rz. *vt certum: quod sic.* ibid.
XXXIV. An spectanda sit materia subroganda, iuxta excellentiam virtutis, quam habet; an potius quid vtilius sit vouenti, aut iuranti? ibid.
Rz. *Quod spectanda sit vtilitas vouentis.* ibid.
XXXV. An omnia vota vel iuramenta, commutare in frequentiam sacramentorum, sit tutius, & sanius consilium? ibid.
Rz. *vt certum: Quod sit.* ibid.
XXXVI. An opus sit ad rectam commutationem, vt votum personale, commutetur in aliud personale, & votum reale, in aliud reale? p.190.
Rz. *vt certum: Quod non sit necessarium; licet benè sit congruentius.* ibid.
XXXVII. An opus sit, vt votum perpetuum, commutetur in materiam perpetuam? ibid.
Rz. *vt certum, quod licet sit melius, non tamen sit necessarium.* ibid.
XXXVIII. An votum, seu iuramentum certa die implendum, debeat necessariò commutari in opus eadem die exequendum? ibid.
Rz. *etiam vt certum: Quod non.* ibid.
XXXIX. An differre votum, vt non fiat destinata die, sed altera; debeat suppleri cum aliquo onere superaddito à commutante? ibid.
Rz. *quod si hæc dilatio fiat ab ipsomet vouente, necessum sit vt fiat sub aliquo onere: immo probabilius est quod etiamsi fiat authoritate Superioris, debeat fieri cum aliquo onere.* ibid.
XL. An quando commutatur votum, & iuramentum eiusdem rei; debeat esse maior materia subrogata? pag.191.
Rz. *Quod non debeat esse maior.* ibid.
XLI. An ad maiorem commutationem faciendam, sit habenda ratio maioris dignitatis finis intenti per votum, & iuramentum? ibid.
Rz. *Quod sic.* ibid.
XLII. An item, ad minorem commutationem faciendam, spectandum sit, an materia per votum promissa, sit aliàs præcepta?
Rz. *vt certum: Quod sic.* ibid.
XLIII. An si sit votum alicuius rei, & alterum non petendæ commutationis; tunc debeat maior fieri commutatio? ibid.
Rz. *vt certum: Quod sic.* ibid.
XLIV. An item, in commutatione votorum, attendenda sit ratio difficultatis, & oneris implendi rem promissam, & subrogatam? ibid.
Rz. *Quod sic.* ibid.
XLV. An in commutatione voti Peregrinationis, considerandi sint labores itineris, & expensæ, quas vouens in itinere erat facturus? ibid.
Rz. *vt certum: Quod sic.* ibid.
XLVI. An in commutatione talis voti, computandæ sint expensæ, quas, iuxta decentiam sui status, facturus erat vouens? ibid.
Rz. *probabilius: Quod sic.* ibid.
XLVII. An item in commutatione dictæ peregrinationis voti, computandæ sint expensæ, quæ in reditu faciendæ sunt? pag.192.
Rz. *vt longè multò probabilius: Quod sic, &c.* ib.
XLVIII. An deinde in commutatione dicti voti, sint consideranda itineris pericula, tributa soluenda, &c. ibid.
Rz. *vt certum: Quod sic.* ibid.
XLIX. An rursus computandæ sint expensæ, quas facturus esset vouens in commorando in Peregrinationis loco? ibid.
Rz. *vt cer um: Quod sic.* ibid.
L. An votum Perigrinationis Hierosolymitanæ, sit commutandum in eleemosynam mittendam in eius loci subsidium? ibid.
Rz. *Quod nunc iam non sit opus talem commutationem fieri.* ibid.
LI. An in voto conditionali pœnali, sit expendenda in commutatione illius vtraque materia, voti, videlicet, & pœnæ. pag.193.
Rz. *vtramque materiam esse attendendam, præcipuè si commutatio talis voti fiat post impletam conditionem.* ibid.

§. III.

Proponuntur aliquæ peculiares votorum commutationes, pro recta aliorum commutatione facienda. pag.193.

LII. IN quod opus commutari potest votum perpetuò ieiunandi, singulis sextis feriis, aut diebus Sabbathi? ibid.
℟. *quod potest commutari in Rosarium Beatæ Virginis flexis genibus recitandum semel in hebdomada.* ibid.

LIII. In quod opus poterit commutari ieiunium vnius diei? ibid.
℟. *Quod in gestationem vnius cilicij, vel in moderatam verberationem, vel in Rosarium recitandum flexis genibus, &c.* ibid.

LIV. In quod opus commutabitur ieiunium in pane, & aqua? ibid.
℟. *Quod in recitationem integri Rosarij flexis genibus, addita verberatione corporis, &c.* ibid.

LV. In quod poterit commutari votum erogandæ eleemosynæ? ibid.
℟. *Quod in seruitium in Xenodochio, &c.* ibid.

LVI. In quod commutabitur votum confitendi, & communicandi tali die, v.g. Sabbatho? ibid.
℟. *quod in actum contritionis, & ieiunium, & Rosarium B. Virginis.* ibid.

LVII. In quod commutabitur votum celebrandi Missam? p.194.
℟. *Quod in communionem, & in recitationem Rosarij B. Virginis, &c.* ibid.

LVIII. In quod commutabitur votum recitandi singulis feriis sextis perpetuò septem Psalmos Pœnitentiales? ibid.
℟. *Quod in ieiunium vnius diei in singulis hebdomadis.* ibid.

LIX. An per assumptionem ad Episcopatum valeat commutari ad æqualitatem, votum ingrediendi Religionem? ibid.
℟. *vt longè verius: Non benè sic commutari.* ibid.

LX. An votum ingrediendi Religionem arctiorem, æqualiter commutetur in votum profitendi, & perseuerandi in laxiori? ibid.
℟. *probabilius: quod sic.* ibid.

LXI. An votum simplex, & absolutum castitatis possit pura omnino commutatione tolli? ibid.
℟. *melius: posse.* pag.195.

LXII. In quod igitur votum castitatis absolutum commutari poterit? ibid.
℟. *quod in hoc quod vouens teneatur seruare castitatem coniugalem; vt singulis mensibus confiteatur, &c.* ibid.

LXIII. In quod item commutaretur licitè votum solius castitatis coniugalis? ibid.
℟. *Quod in ieiunium semel in qualibet hebdomada, & in confessionem & communionem singulis mensibus, &c.* ibid.

LXIV. In quid rursus commutabitur votum non contrahendi matrimonium? ibid.
℟. *Quod in Confessionem, & Communionem singulis mensibus per triennium: & alia. Legantur.* ibid.

LXV. An votum absolutum Religionis sit commutabile? ibid.
℟. *melius, quod sit.* ibid.

LXVI. In quod potest huiusmodi votum commutari? ibid.
℟. *Quod vel in statum sacerdotalem, vel saltem in castitatem coniugalem, & alia. Lege illa.* ibid.

LXVII. In quod potest commutari votum assumendi sacerdotium? pag.196.
℟. *Quod in recitationem quotidianam septem Psalmorum Pœnitentialium cum Litaniis, & alia. Lege illa.* ibid.

DISPVTATIO XIX.

De interpretatione iuramenti, & voti, in ordine ad inducendam obligationem. ibidem.

QVÆST. I. AN quando de intentione iurantis aut vouentis non constat, interpretandum sit iuramentum, & votum, vt quoad minus possit, obligationem inducat? ibid.
℟. *vt quid certum: quod sic.* ibid.

II. An iuramentum, seu votum, restringendum sit iuxta naturam actus, super quem cadit? ibid.
℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

III. An iuramentum & votum, ita debeant restringi vt non censeantur facta in tertij præiudicium? ibidem.
℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

IV. An vouens, aut iurans recitare Rosarium absolutè, teneatur recitare integrum Rosarium? ibid.
℟. *Quod non teneatur nisi ad recitandam tertiam partem.* ibid.

V. An qui voto, aut iuramento promittit recitare Rosarium, satisfaciat recitando alternatim cum socio? p.197.
℟. *probabilius, quod satisfaciet.* ibid.

VI. An etiam satisfaceret prædicto voto, & iuramento si sola mente, & non voce, Rosarium promissum recitaret? ibid.
℟. *probabilius, quod etiam satisfaceret, casu solum, quo expedientius esset illi orare mente.* ibid.

VII. An qui vouit, aut iurauit audire Missam quotidie, satisfaciet diebus festiuis vnam audiendo? ibid.
℟. *quod sic.* ibid.

VIII. An puella, quæ virginitatem perpetuam vouit, solum obligetur ad recusandum primum actum turpem? ibid.
℟. *vt certum, quod non solum primum, sed deinceps alios recusare obligetur, nisi expressè aliud intenderit.* ibid.

IX. An vouens peregrinationem absolutè; satisfaciat peregrinando equester? ibid.
℟. *Quod satisfaciat.* ibid.

X. An qui votum peregrinationis emisit, satisfaciat, si mercede conductus, causa alterius negotij, aut curiositatis; vel vi coactus, peregrinationem suscipiat? pag.198.
℟. *probabilius quod verè satisfaciat, dummodo habeat intentionem satisfaciendi voto.* ibid.

XI. An vouens Religionem ingredi, aut Ordines sacros suscipere, teneatur ex vi talis voti castitatem seruare, antequam talem assumat statum? ibid.
℟. *vt certum: Non teneri, nisi aliàs id specialiter à vouente intendatur.* ibid.

DISPVTATIO XX.

De voto, aut iuramento ieiunandi. Non bibendi vinum: abstinendi à carnibus. pag. 198.

QVÆST. I. AN votum ieiunandi obliget eò modo, quo obligat ieiunium Ecclesiasticum? ibid.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

II. An, qui vouit in vigilia Natiuitatis Domini ieiunare, possit vesperi longam refectiunculam sumere, vt alij, qui ex precepto Ecclesiæ iuxta consuetudinem, sumunt? ibid.

℟. *probabilius: Posse, sicut & alij: nisi expressam aliàs intentionem habuerit abstinendi ab ampliori collatione.* ibid.

III. An vouens ieiunare extra quadragesimam, possit ouis, & lacticiniis vesci? pag. 199.

R. Posse. ibid.

IV. An ad minus teneatur abstinere ab ouis, & lacticiniis, qui vouit ieiunare in quadragesima, & non habet Bullam Cruciatam? ibid.

℟. *aquè probabiliter: Non teneri abstinere ab illis ex vi voti.* ibid.

V. An qui vouit ieiunare certis diebus per totam vitam, teneatur ad id, adhuc post annum sexagesimum? ibid.

℟. *Non teneri ex vi voti, nisi aliàs vouens id expresè voluerit.* ibid.

VI. An, vouens ieiunare, non determinans dierum numerum; satisfaciat vnico ieiunio? ibid.

℟. *Quod sic.* ibid.

VII. An item qui vouit ieiunare aliquà, seu plura ieiunia, non determinando certum numerum: satisfaciat duobus diebus ieiunando? ibid.

℟. *Quod sic: nisi aliud attentis circunstantiis colligatur.* ibid.

VIII. An qui vouit ieiunare per totum mensem, teneatur ieiunare diebus Dominicis ipsius? p. 200.

℟. *Non teneri; nisi aliàs ad id expresè se obligauerit.* ibid.

IX. An qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, toties peccet, quoties eas comedit? ibid.

℟. *vt longè probabilius, quod sic.* ibid.

X. An item qui vouit certa die ieiunare, toties peccet, quoties carnem illa die comedit? ibid.

℟. *probabilius: Non peccare nisi prima vice.* ibid.

XI. An qui vouit ieiunare omnibus sextis feriis, si in illa incidat Natalis Domini, excusetur à ieiunio? ibid.

℟. *Quod alij dicunt excusari, alij verò non. Ego autem probabilius cum istis sentio non excusari.* ibid.

XII. An votum non bibendi vinum, obliget ad non bibendam ceruisiam? ibid.

℟. *vt multò probabilius: non obligare.* ibid.

XIII. An votum non bibendi vinum, violetur sumendo vinum in prima, & secunda Missæ ablutione? pag. 201.

℟. *vt certum: non violari.* ibid.

XIV. An votum ieiunandi in pane & aqua, obliget sub mortali, ad nil aliud comedendum vel bibendum? ibid.

℟. *vt certum, obligare sub mortali: excusabit verò ab illo paruitas materiæ.* ibid.

XV. An votum ieiunandi in pane & aqua frangatur vinum semel bibendo? ibid.

℟. *quod non frangeretur grauiter: secus si pluries sumeretur.* ibid.

XVI. An qui semel violauit votum non bibendi vinum, possit iam illud sæpius bibere absque voti transgressione? ibid.

℟. *Quod affirmant quidam, negant alij: Ego autem dico, posse absque voti transgressione sæpius bibere, semel violato voto ieiunandi in pane, & aqua: secus si votum fuerit abstinendi eo die à vino.* ibid.

VII. An vouenti ieiunium in pane & aqua licitum sit manducare pastillos esculentos, Italicè, *Macherones.* ibid.

℟. *Primò, licitum esse dicto vouenti pane assato ad prunas vesci: Imò & pane aquâ cocto, necnon & vermicellis aqua coctis.* ibid.

℟. *Secundo, minime est licitum vouenti dicto manducare pastillos esculentos, &c.* ibid. & seq.

XVIII. Ad quid tenebitur vouens, qui ex vna parte promisit Deo, per omnes sextas ferias solum panem comedere; & ex alia, in vigilia S. Ioannis panem non comedere, sed alias res, vt pisces, fabas, &c. in anno in quo incidat vigilia Sancti in sexta feria? p. 202.

Respondent aliqui teneri tunc ieiunare sine pane, alij è contrà in solo pane: ego dico teneri ad faciendum id quod gratius sit Deo. ibid.

XIX. An qui vouit, aut iurauit abstinere à carnibus, possit licitè comedere oua, & lacticinia? ibid.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

XX. An etiam qui vouit, aut iurauit abstinere à lacticiniis; possit vtique vesci carnibus? ibid.

℟. *vt longè multò probabilius: quod possit.* ibid.

XXI. An qui vouit abstinere ab ouis, teneatur etiam à lacticiniis abstinere? ibid.

℟. *Non teneri.* ibid.

XXII. An qui vouit, aut iurauit abstinere à carnibus, obligetur abstinere à iure, quo coctæ sunt? pag. 203.

℟. *vt certum: obligari.* ibid.

DISPVTATIO XXI.

De voto, aut iuramento ingrediendi Religionem. ibid.

QVÆST. I. AN votum de Religione intranda, sit laudabile, & pium? ibid.

℟. *vt certum de fide: Esse.* ibid.

§. I.

De aliquibus modis emittendi votum aut iuramentum Religionis intrandæ. ibid.

II. AN verè voueat Religionem qui dicit: *Ego promitto Religionem, nisi Deus aliud de me disposuerit?* ibid.

℟. *Hæc*

℟. *Hæc verba duplicem habere sensum, & sic iuxta illum iudicandum.* ibid.

III. An verè teneatur Religionem ingredi, qui dicit: *Promitto me ingressurum Religionem, si possũ.* ib.

℟. *teneri, si commodè, & sine magna difficultate possit.* ibid.

IV. An verè voueat Religionem, qui dicit: *Promitto me ingressurum hanc Religionem, si quam ingrediar.* ibid.

℟. *verè vouere votum, conditionale tamen.* ibid.

V. An votum faciat Religionis qui dicit: *Voueo nullam personam fore mihi obstaculo, quo minus Religionem ingrediar.* Hispanè. *Prometo que nadie à de ser parte, paraque no entre en Religion.* p. 204.

℟. *quod non faciat; nisi aliud constet de speciali vouentis intentione.* Secus, qui diceret: *voueo nihil fore impedimento, quo minus Religionem ingrediar.* ibid.

VI. An teneatur ad ingressum Religionis, qui facit votum volendi Religionis ingressum? ibid.

℟. *vt certum: quod non.* ibid.

VII. An votum nolendi in sæculo viuere, sit votum Religionis? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

VIII. An emittat votum Religionis, qui promittit, se moriturum in Religione, seu, se extra Monasterium non moriturum? ibid.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

IX. An qui vouit, se moriturum in Religione, ita statim teneatur ad ingressum Religionis, vt tenetur qui promisit aut vouit absolutè Religionem? p. 205.

℟. *probabilius: Non ita statim teneri.* ibid.

X. An votum vitæ Heremiticæ, & solitariæ, sit obligatorium? ibid.

℟. *probabilius: Esse obligatorium.* ibid.

§. II.

De vouente aut iurante absolutè ingressum Religionis in communi. ibid.

XI. AN qui vouit absolutè Religionem; satisfaciat voto, assumendo Habitum Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & Montesæ? ibid.

℟. *vt longè multò probabilius: non satisfacere.* ib.

XII. An saltem qui emisit votum Religionis, satisfaciat assumendo Habitum Equitũ S. Ioannis? ib.

℟. *probabilius: adhuc non satisfacere voto.* p. 206.

XIII. An ad minus adimpleret votum Religionis, qui assumeret Habitum Clericorum Ordinum Militarium in communi viuentium? ibid.

℟. *tanquam certum: quod sic.* ibid.

XIV. An vouens Religionem absolutè, satisfaciat ingrediendo Religionem planè quoad substantialia collapsam? ibid.

℟. *vt quid certum: quod non satisfaciat.* ibid.

XV. An prædictus vouens ingrediens Religionem quoad substantialia collapsam; non solum non satisfaciat voto, verum etiam mortaliter peccet?

℟. *quod etiam mortaliter peccet.* ibid.

XVI. An votum ingrediendi certam Religionem, obliget casu, quo talis Religio sit quoad substantialia collapsa, nec sit spes proximæ reformationis? ibid.

℟. *vt ferè certum: Non obligare.* ibid.

XVII. An vouens strictiorem Religionem; satisfaciat voto ingrediendo laxiorem? ibid.

℟. *vt quid certum: Non satisfacere.* ibid.

XVIII. An saltem satisfaciat voto, maneatque immunis à peccato, si vouens strictiorem Religionem ingrediatur laxiorem habentem priuilegium admittendi eos, qui strictiorem vouerant? p. 207.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

XIX. An sint aliquæ Religiones, quæ de facto gaudeant priuilegio admittendi eos qui strictiorem sua, Religionem vouerunt? ibid.

℟. *quod sic; sunt autem Congregationes S. Benedicti, & Camaldulensium, & Illustrissima Religio Societatis* IESV. ibid.

XX. An vouens Religionem laxiorem, satisfaciat ingrediendo arctiorem? ibid.

℟. *vt quid certum: quod sic.* ibid.

XXI. An item, vouens certam aliquam Religionem, possit propria auctoritate, ingredi aliam arctiorem? ibid.

℟. *Posse.* ibid.

XXII. An deinde, vouens certam Religionem, possit, etiam sua propria authoritate, ingredi aliam æquè arctam? ibid.

℟. *probabilius: quod non.* ibid.

XXIII. An vouens ingredi Monasterium magis reformatum, v. g. Fratrum Recollectorum D Francisci, satisfaciat ingrediendo in minus reformatum eiusdem Ordinis, cuius fratres *Obseruantes* vocantur? p. 208.

℟. *Non satisfacere.* ibid.

XXIV. An qui Religionem in communi vagè, & indeterminatè vouit; satisfaciat voto, si non omnes, sed aliquas varias Religiones imploret? ibid.

℟. *vt certum: satisfacere, si solum aliquas quærat, in quibus non admittatur.* ibid.

XXV. An vt liber sit dictus vouens à Religionis voto, sufficiat, si quinque vel sex Religiones quærat, & ab illis sit repulsus? ibid.

℟. *sufficere.* ibid.

XXVI. An rursus, vt liber sit à voto dictus vouens, non solum sit necessum, vt tentet quinque, aut sex diuersas Religiones; verum etiam quinque vel sex Monasteria cuiuslibet Religionis ex his? ibid.

℟. *probabilius: Necessum esse regulariter loquendo.* pag. 209.

XXVII. An semper & in omni euentu, sit necessum, vt dictus vouens tentet quinque aut sex Conuentus cuiuslibet Religionis ex his? ibid.

℟. *Quod non: nam aliquando sufficiet vnum.* ibid.

XXVIII. An qui vouit Religionem in communi, & indeterminatè, teneatur ingredi in quamcumque strictissimam, si in aliis minus strictis non admittatur? ibid.

℟. *Non teneri, nisi id expressè voueret.* ibid.

XXIX. An qui Religionem vouit in communi, & indeterminatè; teneatur totum orbem peragrare, vt in aliqua admittatur? ibid.

℟. *vt quid certum: quod non.* ibid.

XXX. An saltem si non per totum mundum, teneatur saltem per maiorẽ partẽ eius discurrere, ad inueniendã aliquam Religionẽ in qua admittatur? ib.

℟. *Non teneri, extra Prouinciam seu Nationem suam Religionem quærere.* ibid.

XXXI. An vouens Religionem in cõmuni, teneatur ad minus quærere Religiones per omnia loca eidẽ Regi subiecta, etiãsi diuersæ sint linguæ? p. 200.

℟. *Quod non teneatur.* ibid.

XXXII. An Fœmina, quæ vouit in communi Religionem, teneatur extra suam Prouinciam, Religionem quærere, si in sua non admittatur? ibid.

℟. *vt certum: Non teneri.* ibid.

XXXIII. An si vouens Religionem in communi, in aliis Religionibus non admittatur; teneatur ingredi Religionem Militarem, nempe D. Iacobi, Alcantaræ,&c. ibid.
℟. *Non teneri.* ibid.
XXXIV. An qui vouit Religionem, si adeat Generalem,aut Prouincialem,& ab illis non admittatur,maneat liber à voto. ibid.
℟. *Manere liberum si admissio debeat fieri cum licentia illorum: secus si ab immediato Prælato cum suo Conuentu.* ibid.
XXXV. An, si vouens excludatur ab immediato Superiore Conuentus,sine consensu ipsius Conuentus, maneat liber à voto emisso? pag.211.
℟. *Quod sic.* ibid.
XXXVI. An,si qui vouit Religionē non admittatur ad illam,ob aliquod impedimentū tēporale,v.g.quia laborat febri quartana,deobligetur à voto? ibid.
℟. *vt certum: quod non.* ibid.
XXXVII. An saltem deobligetur à voto Religionis à se emisso, qui repellitur absolutè,& in perpetuum, eo quod causa sit perpetua? ibid.
℟. *vt longè multò probabilius: tunc manere deobligatum.* ibid.
XXXVIII. An voto Religionis astrictus, dum eam petit, teneatur manifestare Religiosis suum votum,si probabiliter credat, quod hæc manifestatio inducet ad eius receptionem? ibid.
℟. *vt longè probabilius: non teneri manifestare.* ib.
XXXIX. An vouens,qui à Religione,vel Monasterio,quod promiserat, est absolutè repulsus;teneatur postea ad ingressum illius,si à Monachis inuitetur? ibid.
℟. *probabilius: Non teneri.* ibid.
XL. An vouens Religionem cum animo status clericalis; teneatur ingredi, si non admittatur, nisi vt laicus? p.212.
℟. *vt certum: non teneri ingredi.* ibid.
XLI. An similiter, qui vouit Religionem, vt in illa sit laicus;teneatur ingredi,si non admittatur,nisi, vt sit sacerdos? ibid.
℟. *etiam vt certum: quod non teneatur.* ibid.
XLII. An qui vouit Religionem,nil cogitans de statu, teneatur ingredi ad statum clericalem, vel lailem, prout Religioni placuerit? ibid.
℟. *Quod non teneatur regulariter loquendo: benè tamen in aliquo casu.* ibid.
XLIII. An spurius qui vouit Religionem, ignorans constitutionem Sixti V. qua spurij à dignitatibus expelluntur;teneatur, cognita constitutione,Religionem ingredi? ibid.
℟. *Quod non teneatur si aliàs spurius capax talium dignitatum erat.* ibid.
XLIV. An qui vouit Religionem in statu Sacerdotali, teneatur discere Grammaticam, si ob illius defectum non admittatur? ibid.
℟. *Teneri.* ibid.
XLV. An si prædictus vouens nolens addiscere Grammaticam,eligat esse laicum, satisfaciat sic voto? p.213.
℟. *Quod sic.* ibid.
XLVI. An si vouens in Religione statum sacerdotum, ignorauerit tempore voti, Grammaticam esse necessariam; teneatur eam addiscere? ibid.
℟. *Quod non.* ibid.
XLVII. An vouens Religionem collocandus in statu clericorum,& sciens ad hoc requiri Grammaticam quam moraliter addiscere non potest;teneatur assumere statum laicorum? ibid.
℟. *Non teneri.* ibid.
XLVIII. An qui dubius est, an tempore voti sciuerit, vel ignorauerit scientiam Grammaticæ, vel Artium,ab ingredientibus Religionem expostulari; teneatur eam addiscere? ibid.
℟. *teneri Grammaticam addiscere: minime verò scientiam Artium, vel Theologiæ.* ibid.
XLIX. An qui vouit Religionem sub gradu laicorum,si eum Religiosi nolint admittere, nisi officium aliquod mœchanicum discat,teneatur illud addiscere? ibid.
℟. *teneri si tempore emissionis voti sciuit illud officium esse necessarium: secus aliàs.* ibid.
L. An si officium, quod expostulant Religiosi sit facile scitu à vouente,teneatur illud addiscere,vt voto satisfaciat? pag.214.
℟. *melius: teneri casu quo officium sit scitu facile, & vouens non possit esse vtilis Religioni absque illius scientia.* ibid.

§. III.

De perseuerantia quam tenere debet in Habitu assumpto, vouens Religionem. ibid.

LI. AN qui vouit Religionē absolutè, satisfaciat voto, si ingrediatur animo exeundi? ibid.
℟. *vt quid certum: quod non satisfaciat.* ib.
LII. An saltem, satisfaciat voto Religionis, si ingrediatur cum illo animo exeundi, simul tamen haberet propositum dandi operam, vt Deus immutaret cor,vt vel sic perseueraret? ibid.
℟. *Quod tunc iam satisfaceret voto.* ibid.
LIII. An etiam satisfaciat voto ingrediendæ Religionis, qui ingreditur animo non perseuerandi, si tamen postea iustâ causâ exeat? ibid.
℟. *vt certum: quod tunc non satisfaciat.* ibid.
LIV. An votum ingrediendi Religionem,& statim exeundi, sit irritum, & nullum? ibid.
℟. *vt certum: Esse nullum, si vtraque pars propositionis est promissa per modum vnius.* ibid.
LV. An vouens ingredi Religionem cum expressa intentione gaudendi libertate perseuerandi, vel egrediendi, Nouitiis à iure concessa, satisfaciat voto si egrediatur absque iusta causa? ibid.
℟. *quod satisfaciat.* ibid.
LVI. An item vouens Religionem absolutè,nihil de exeundi libertate aut de perseuerantia determinando; satisfaciat voto, ingrediendo bona fide ad Religionem experiendam, & postea ex causa sufficienti egrediendo? ibid.
℟. *vt certum: quod etiam satifaciat.* ibid.
LVII. An rursus, prædictus vouens satisfaciat voto in assignato casu, si à Religione ingrediatur sine iusta causa,ex sola scilicet, libertate, Nouitiis iure concessa? ibid.
℟. *probabilius: tunc non satisfacere voto.* ibid.
LVIII. An ingrediens Religionem ex voto, possit licitè ea exire, interueniente iusta causa? p. 226.
℟. *vt certum: posse.* ibid.
LIX. An saltem vouens Religionem,vnà cum perseuerantia in ea, seu cum obligatione profitendi, teneatur ita perseuerare,vt non liceat sibi, neque ex causis iustis egredi; sicut (iuxta dicta) liceret, solo ingresso promisso? ibid.
℟. *probabilius: teneri ita perseuerare.* ibid.
LX. An si voues perseuerantiā in Religione, aliquā magni momenti difficultatē in ea experiatur,tempore voti ignoratā,possit licitè retrocedere? p.217.
℟. *posse.* ibid.
LXI. An,nouitius ingrediens religionē ex voto,peccet mortaliter exeundo, absque legitima causa? ib.

℟. *Quod*

Rſ. *Quod ſic.* ibid.
LXII. An etiam peccet mortaliter, aut ſaltem venialiter, qui ingrediens Religionem liberè, & ſine voto, illam ſine cauſa deſerit? ibid.
Rſ. *probabilius peccare venialiter; non mortaliter, vt omnes concedunt.* ibid.
LXIII. An eodem modo teneatur perſeuerare, qui vouit, eſſe Religioſum, ac qui vouit Religionẽ? ib.
Rſ. *probabilius: quod ſic.* pag. 218.
LXIV. An ſi ligatus voto perſeuerãdi in Religione, ob aliquam iuſtam cauſam exeat, aut expellatur, teneatur denuò, eâ cauſâ ceſſante, ingredi? ibid.
Rſ. *probabilius: teneri denuò ingredi.* ibid.
LXV. An, qui ex voto ingreſſus eſt Religionem, & ante profeſſionem, ob iuſtam cauſam exiit, aut expulſus eſt, teneatur ex vi dicti voti, ſeruare caſtitatem? ibid.
Rſ. *vt certum: Non teneri ex vi voti.* ibid.
LXVI. An qui in ſæculo vouit Religionẽ ſimul, & caſtitatem; teneatur ad caſtitatẽ in ſæculo ſeruandam, ſi in Religione non admittitur, vel ab illa ante Profeſſionem exiit, quacumque ex cauſa? ib.
Rſ. *teneri ſi principaliter vtrũque vouit: ſecus aliàs ſi Religionẽ ſolã, & veluti acceſſoriè caſtitatem.* ib.
Quid autem ſi vouens dubitet an vouerit caſtitatem dependenter? Vide ibi. ibid.
LXVII. An qui in ſæculo, & in articulo mortis vouit cuidam priori paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, vt eius Religionis priuilegiis frueretur; teneatur hæc omnia ſeruare, & etiam Religionem ingredi? pag. 219.
Rſ. *tanquam probabilius: teneri prædictum ad ſeruanda in ſæculo dicta tria vota: non tamen ad ingrediendam Religionem.* ibid.
LXVIII. An votum ſimplex, aut ingrediendæ Religionis, impediat, & dirimat matrimoniũ? ib.
Rſ. *vt quid certum: quod impediat; ſed non dirimat.* ibid.
LXIX. An qui vouit ingreſſum Religionis, ſatisfaciat voto, aſſumptione Epiſcopatus? ibid.
Rſ. *probabilius, quod non ſatisfaciat.* ibid.
LXX. An voto Religionis ligatus peccet mortaliter ſi Epiſcopatum acceptet, eo Religionis voto nondum impleto? ibid.
Rſ. *probabilius: peccare mortaliter.* ibid.
LXXI. An prædictus Religionis voto ligatus, non ſolum peccet mortaliter acceptatione confirmationis, ſeu collationis, qua verè Epiſcopatus obtinetur; ſed etiam acceptatione electionis, qua non Epiſcopatus, ſed ius ad Epiſcopatum conceditur? p. 220.
Rſ. *probabilius, etiam peccare mortaliter in tali acceptatione.* ibid.
LXXII. An, qui ligatus voto Religionis acceptat collationem ſeu confirmationem Epiſcopatus; teneatur petere à Pontifice licentiam renunciandi Epiſcopatui, vt votum exequatur? ibid.
Rſ. *omnino teneri talem licentiam petere.* ibid.
LXXIII. An item, qui ligatus voto Religionis acceptat electionem Epiſcopatus; teneatur etiam exigere licentiam à Summo Pontifice ad renunciandum, vel reſignandã electionẽ Epiſcopatus? ibid.
Rſ. *vt certũ: nõ teneri, quia ipſe poteſt id facere.* ib.
LXXIV. An dictus Epiſcopus voto Religionis ligatus, poſſit voti huiuſmodi diſpenſationem petere; vt Epiſcopatum retinere liceat? ibid.
Rſ. *vt certum: poſſe petere, ſi cauſa iuſta ſubſit;* ib.
LXXV. An talis Epiſcopus, cùm petit licentiam ingrediendi Religionem, teneatur manifeſtare Pontifici votum à ſe emiſſum, ſi ſimpliciter petita non conceditur? pag. 221.
Rſ. *probabilius: non teneri.* ibid.

DISPVTATIO XXII.

De voto, aut iuramento, Religionis exequendo, ab his, qui debitis aut ratiocinijs reddendis, ſunt obſtricti. p. 221.

QVÆST. I. AN, attento iure antiquo, ſit valida Profeſſiò illius, qui preſſus eſt ære alieno? ibid.
Rſ. *vt quid certum: eſſe validam illo iure attento.* ib.
II. An etiam ſit valida Profeſſio preſſi ære alieno, attento iure nouo? ibid.
Rſ. *iam vt certum: etiàm nunc eſſe validam.* ib.
III. An preſſus ære alieno, poſſit Religionem ingredi, ſi debita, quibus eſt obſtrictus, ſint incerta, hoc eſt, nullo determinato debita, ac proinde pauperibus reſtituenda? ibid.
Rſ. *vt quid certum: poſſe ingredi, & debere ſi aſtrictus eſt voto.* ibid.
IV. An etiam poſſit Religionem ingredi, qui obſtrictus eſt debitis incertis, non ſolum nomine proprio, ſed alieno? pag. 222.
Rſ. *probabilius: etiam poſſe ingredi.* ibid.
V. An, qui debitis certis eſt aſtrictus, poſſit licitè ingredi Religionem, antequam ſoluat? ibid.
Rſ. *tanquam certum: Non poſſe ingredi antea.* ib.
VI. An quælibet debita, etiam leuia, ſi ſint certa, impediant ingreſſum Religionis? ibid.
Rſ. *vt certum, quod non.* ibid.
VII. An qui ingenti ære alieno eſt obſtrictus, impediantur Religionem ingredi; caſu, quo, neque de præſenti habeat bona, vnde ſoluat creditoribus; neque ſperat probabiliter in poſterum habiturum? ibid.
Rſ. *tanquam certum: Non impediri.* ibid.
VIII. An item poſſit intrare Religionem aſtrictus ingenti debito; caſu, quo conſentiat creditor: vel quia remittit debitum; vel quia acceptat cautionem aut aliam conditionem debitoris? ib.
Rſ. *vt quid certum: etiam iſtum poſſe intrare.* ibid.
IX. An qui oneratus eſt ingenti debito, & de præſenti non habet vnde ſoluat; probabiliter tamen ſperat quod breui tempore, manens in ſæculo acquiſiturus ſit bona quibus ſoluat, ingredi poſſit Religionem ante quam ſoluat? p. 223.
Rſ. *vt multò longè probabilius: non poſſe Religionem ingredi ante debiti ſolutionem.* ibid.
X. An ſaltem, poſſit ſtatim ingredi Religionem debitor, caſu quo manens in ſæculo, non poſſit breui ſpatio temporis, comparare bona, quibus ſoluendo ſit. ibid.
Rſ. *probabilius: non poſſe adhuc ſtatim ingredi, ſed debere expectare, quoad vſque ſoluat debitum.* ib.
XI. An ad minus, ſtatim poſſit ingredi Religionem qui obſtrictus eſt ingenti debito, orto tamen ex liberali ſua promiſſione? p. 224.
Rſ. *tunc poſſe ſtatim ingredi.* ibid.
XII. An item debitor ex voto, poſſit ingredi Religionem, non ſoluto debito. ibid.
Rſ. *etiam poſſe.* ibid.
XIII. An deinde, quando debitor ingenti ære alieno aſtrictus, eſt voto Religionis ligatus, & accedit tẽpus, quo votũ obliget; teneatur ſtatim ingredi Religionem,

gionem,nec possit ob debita differre ingressũ? ib.
℟. *quidquid aliqui dicant, teneri differre, etiam pro longissimo tempore.* ibid.
XIV. An debitor, si neglecta obligatione soluendi debita profiteatur in Religione; teneatur exire è Monasterio ad illa soluenda? p.225.
℟. *quidquid alij sentiant: Non teneri, imò nec posse exire è Monasterio ad debita soluenda.* ibid.
XV. An saltem dictus debitor professus teneatur intra Monasterium manibus laborare, vel alia via decenti, bona acquirere, quibus possit creditoribus satisfacere? ibid.
℟. *probabilius: non teneri.* ibid.
XVI. An Conuentus in quo profitetur debitor, teneatur pro eo restituere? p.226.
℟. *Non teneri, nisi in duplici casu.* ibid.
XVII. An deinde teneatur Conuentus ad soluenda debita sui Religiosi, casu, quo post ingressum, & Professionem illius, hæreditate, legato, aut donatione, &c. dicto Religioso aliquid acquiratur? ib.
℟. *vt certum: teneri etiam.* ibid.
XVIII. An rursus Conuentus teneatur ad soluenda debita sui Religiosi, adhuc casu quo ex dicto Religioso nulla bona acquisiuerit? ibid.
℟. *vt certum, quod tunc non teneatur.* ibid.
XIX. An possit Prælatus absque consensu Conuentus concedere Religioso grauato debitis facultatẽ elaborãdi in cõuẽtu, vt creditoribus satisfaciat? ibi.
℟. *vt multò probabilius: posse.* ibid.
XX. An item possit Prælatus concedere licentiam dicto Religioso elaborandi extra Monasteriũ, ad soluenda debita, etiam dimisso Habitu? ibidem.
℟. *vt certum: quod non possit Habitu dimisso: benè tamen Habitu retento.* ibid.
XXI. An, dato quod Pontifex, aut alius Prælatus concedant tali Religioso licentiam elaborandi Habitu retento, aut dimisso; teneatur talis Religiosus elaborare? ibid.
℟. *Quod non.* ibid.
XXII. An, obligatus ad ratiocinia reddenda, stando iuri antiquo, & nouo, impediatur à Religionis ingressu, quousque rationem reddat? ibid.
℟. *vt certum: vtroque iure impediri.* ibid.
XXIII. An non solum obligatus ad ratiocinia Reipublicæ, seu publica, verum etiam ad ratiocinia priuatorũ, impediatur ab ingressu Religionis? ibid.
℟. *vt certum: vtrumque iam impediri.* ibid.
XXIV. An si credatur, quod obligatus ad ratiocinia reddenda, possit sine lite, grauamine, aut distractione, rationem reddere; possit tunc ad Religionem admitti? ibid.
℟. *vt certum: posse.* ibid.
XXV. An, impediatur ab ingressu Religionis ille, qui ante ingressum, sufficientem præstat cautionem, quia alij obligentur ad reddendam rationem pro ipso? ibid.
℟. *Non impediri.* ibid.

DISPVTATIO XXIII.

De voto, aut iuramento Religionis, exequendo ab iis, qui parentes in necessitate existentes habent. pag.228.

QVÆST. I. AN filij teneanter omittere, aut differre ingressum Religionis, ob leuem, aut communem parentum necessitatem? ib.
℟. *vt certum: quod non.* ibid.
II. An saltem existentibus in extrema necessitate parentibus, teneantur filij Religionem non ingredi? ibid.
℟. *Tunc teneri non ingredi, casu quo in sæculo manentes, non in Religione, subuenire parentibus possint.* ibid.
III. An ad minus possint ingredi Religionem filij qui in extrema necessitate habent parentes, casu, quo manentes in sæculo, illis subuenire non possint? ibid.
℟. *Tunc iam posse ingredi: Et à fortiori, si Religionem ingredientes subuenire illis possent.* ibid.
IV. An, non solum in extrema, sed etiam in graui necessitate existentibus parentibus, prohibeantur filij ad Religionem transire? ibid.
℟. *tanquam certum, quidquid alij dicant, tunc etiam prohiberi transire ad Religionem; si parentibus aliter succurri non valeat.* ibid.
V. An saltem casu, quo filius votum Religionis emisisset, tunc posset Religionem ingredi, non obstante graui necessitate parentum? pag.229.
℟. *adhuc tanquam certum: nondum in hoc posse ingredi.* ibid.
VI. An ad minus casu, quo filius nequiret extra Religionem esse absque periculo committendi aliquod mortale; tunc posset, non obstante parentum necessitate, ad Religionem transire? ibid.
℟. *Quod tunc iam posset, si periculum peccandi esset proximum.* ibid.
VII. An item casu, quo parentes filium ad peccatum inducant, & prouocent; possit tunc filius Religionem ingredi, non obstante quacumque parentum necessitate? ibid.
℟. *Posse, immò debere, solùm in casu, quo aliter non posset filius prouocationem ad peccandum vitare.* ibid.
VIII. An filius iam professus teneatur à Religione egredi; vt extremæ necessitati parentum subueniat? p.230.
℟. *tanquam quid certum: teneri, etiam repugnante Prælato, si non sit alius, qui illis subueniat.* ibid.
IX. An prædictus Religiosus teneatur, aut possit dimittere Habitum ad subueniendum extremæ necessitati parentum? ibid.
℟. *etiam tanquã certum: Non solum posse, sed etiã teneri, si ad subleuãdã talẽ necessitẽ opus fuerit.* ib.
X. An Religiosus professus possit facere contrà suam Regulam ad subleuandam extremam necessitatem parentum? ibid.
℟. *etiam posse.* ibid.
XI. An item filius professus teneatur exire à Monasterio ad subueniendum necessitati, non solum extremæ (vt habitum est) sed graui parentum? ib.
℟. *probabilius, non teneri exire, absque obtenta licentia sui Prælati.* pag.231.
XII. An saltem dictus professus, licet non teneatur, possit tamen licitè, si velit, egredi monasterio, petita, & non obtenta licentia, ad iuuandos parentes in graui necessitate institutos? ibid.
℟. *probabilius: Non posse egredi licitè, non obtenta prius licentia à suo Prælato.* ibid.
XIII. An Prælatus possit concedere licentiam suo subdito ad egrediendum, & viuendum extra Monasterium, vt parentibus graui necessitate laborantibus subueniat? ibid.
℟. *Posse.* ibid.
XIV. An dictam licentiam viuendi extra Monasterium, solus Pontifex possit concedere? ibid.

℟. *probabilius*

R. *probabilius : Quod solus Papa possit concedere licentiam viuendi extra Monasterium, sine habitu Regulari : illo verò rento possit etiam Generalis, aut Prouincialis.* ibid.

XV. An in dicto euentu, non solum posset Prælatus, verum etiam teneatur licentiam Professo concedere, vt extra Monasterium sit ad succurrendum Parentibus? ibid.

R. *probabilius : Non teneri.* ibid.

XVI. An mortaliter peccent Prælati inferiores renuentes egressum è Monasterio Professis, qui è Pontifice exeundi licentiam impetrarunt? p. 232.

R. *Peccare mortaliter, nisi excusentur in aliquo speciali casu.* ibid.

XVII. An teneatur Professus intra Monasterium succurrere Parentibus graui inopia laborantibus? ibid.

R. *vt certum : teneri, salua tamen obedientia, & Regulari obseruantia.* ibid.

XVIII. An ad succurrendum graui necessitati Parentum possit filius professus facere aliquid contra Regulam, vel constitutiones? ibid.

R. *tanquam certum : Non posse.* ibid.

XIX. An casu quo Prælatus nollet facultatem concedere suo subdito ad succurrendum Parentibus in dicta graui inopia existentibus, posset tunc subditus id occultè efficere? ibid.

R. *Quod tunc bene posset.* ibid.

XX. An quæ de Parentum necessitate huc vsque dicta sunt, debeant etiam intelligi de necessitate cæterorum Ascendentium, vt aui, Proaui, &c? pag. 233.

R. *Quod sic.* ibid.

§. II.

De voto aut iuramento Religionis exequendo à Parentibus filios in necessitate habentibus.

XXI. AN sit integrum Parentibus Religionem ingredi desertis filiis in graui necessitate? ibid.

R. *vt certum : Quod non.* ibid.

XXII. An saltem casu, quo filij non sint in magna necessitate, possint eorum Parentes, illis desertis, Religionem ingredi? ibid.

R. *adhuc non posse ; si filij rebus ad educationem careant necessariis.* ibid.

XXIII. An ad minus possint Parentes ingredi Religionem relictis filiis, si hi adulti, non paruuli, sint? ibid.

R. *adhuc non posse ; nisi alias filij haberent necessaria, & curâ paterna non indigerent.* ibid.

XXIV. An, si Parentes committant filios suos aliis probis viris educandos ; possint tunc, illis relictis, Religionem ingredi? ibid.

R. *tunc iam posse.* ibid.

XXV. An, si relictis filiis, sine debita cura, Pater ad Religionem transeat, & in ea profiteatur; sit valida Professio? ibid.

R. *vt quid certum : Esse validam.* ibid.

XXVI. An, Pater, qui relictis filiis, professus est, teneatur Monasterio egredi ad subueniendum eorum necessitatibus extremis? pag. 234.

R. *vt certum : Teneri exire.* ibid.

XXVII. An etiam teneatur Pater professus exire è Monasterio ad subueniendum graui filiorum necessitati? ibid.

R. *probabilius : Non teneri absque obtenta licentia sui Prælati.* ibid.

XXVIII. An idem sit dicendum de aliis Ascendentibus, vt Auis, Proauis, &c. quando Descendentibus Parentibus carent? ibid.

R. *Quod sic.* ibid.

§. III.

De necessitate subueniendi Fratribus, & sororibus ab habentibus votum aut iuramentum ingrediendi Religionem. pag. 234.

XXIX. AN necessitas subueniendi Fratribus, & sororibus, obliget ad differendum Religionis ingrediendæ votum? ibid.

R. *quod minimè obliget.* ibid.

XXX. An saltem, teneatur Frater ad differendum ingressum Religionis, ob succurrendum necessitati Fratrum existentium simul cum Parentibus? ibid.

R. *Tunc teneri, etiamsi Frater votum Religionis emiserit.* ibid.

XXXI. An etiam casu, quo Fratres iam sui iuris existant separati à Parentibus, possit, aut teneatur quis eorum differre ingressum Religionis ad subleuandam alterius inopiam? pag. 235.

R. *quod possit licitè differre ingressum per aliquod tempus, non tamen teneri, saltem per longum.* ibid.

XXXII. An saltem teneatur Frater differre Religionis ingressum, casu quo eius sorores, ob absentiam illius in magnum impudicitiæ periculum inciderent? ibid.

R. *Adhuc non teneri differre saltem per longum tempus ; licet sit laudabile differre per aliquod.* ibid.

XXXIII. An etiam, casu quo huiusmodi frater votum Religionis emiserit ; posset adhuc ingressum differre, si instaret periculum impudicitiæ sororis ratione paupertatis? ibid.

R. *Probabilius, quod possit differre, si votum fuerit factum, absque præfixo tempore : secus si pro præfixo.* ibid.

DISPVTATIO XXIV.

De potestate, & necessitate voti, aut iuramenti per alium tertium implendi. pag. 236.

QVÆST. I. AN votum personale possit quis per alium adimplere? ibid.

R. *vt certum : Quod non.* ibid.

II. An vouens, qui per seipsum vota merè personalia adimplere non potest ; teneatur per alium adimplere? ibid.

R. *vt certum : Quod non.* ibid.

III. An saltem possit quis per alium suum votum

perſonale adimplere. ibid.
Rz. *etiam vt certum : quod adhuc non poſsit.* ibid.
IV. An adminus caſu quo vouens ſuâ culpâ fiat impotens adimplendum votum ſuum perſonale, tunc teneatur per alium adimplere ? ibid.
Rz. *vt multo verius : Nec in hoc caſu teneri.* ibid.
V. An ſaltem teneatur adimplere ſuum votum perſonale per alium, ſi tempore, quo illud emiſit certus erat vouens (aut iurans) fore vt nunquam poſſet votum illud aut iuramentum implere? ibid.
Rz. *probabilius : Nec tunc teneri ; ſi id non intenderit expreſsè.* pag.237.
VI. An vouens, qui per ſe ipſum non poteſt adimplere votum reale ; teneatur adimplere per alium. ibid.
Rz. *vt certum : Teneri.* ibid.
VII. An vouens etiam ſatisfaceret voto, ſi eleemoſyna aut pecunia promiſſa erogata ſit nomine vouentis, ab alio, inſcio vouente ? ibid.
Rz. *etiam ſatisfacere ; modo vouens poſtea talem eleemoſynam ratam habeat.* ibid.
VIII. An item votum cenſeatur adimpletum, ſi inuito vouente, promiſſa eleemoſyna, ab alio, nomine ipſius vouentis fiat ? ibid.
Rz. *probabilius : cenſeri adimpletum ſi vouens ratam habeat poſtea talem eleemoſynam : alias non.* ibid.
IX. An vouens carens pecuniis ad votum reale exequendum, teneatur eas ab amicis petere, vt votum impleat ? ibid.
Rz. *vt certum : non teneri.* ibid.
X. An ſaltem teneatur dictus vouens propriis manibus laborare, vel artem ſuſcipere, quæ ſuum ſtatum dedeceat, vt tali voto reali ſatisfaciat? ibid.
Rz. *teneri propriis manibus laborare vt voto ſuo reali ſatisfaciat : non tamen ſuſcipere artem, quæ ſuum ſtatum dedeceat.* pag.238.
XI. An ad minus, ſi dicto vouenti aliquid donaretur, vel largiretur ; teneatur illud acceptare, vt votum perſoluere poſſet ? ibid.
Rz. *probabilius : Quod ſic.* ibid.
XII. An qui vouit, aut iurauit agere aliquid per alium, ſatisfaciat voto exhibendo actionem accõmodatum voto, quam per ſe ipſum facere poteſt? ibid.
Rz. *vt certum : Quod ſic.* ibid.
XIII. An votum mixtum quod coaleſcit, ex perſonali, & reali ; poſsit per alium adimpleri ? ibid.
Rz. *ſi votum ſit æqualiter reale & perſonale, tunc quoad partem perſonalem non poteſt impleri per alium ; benè tamen poteſt, imo & tenetur quoad partem realem. Si vero votum non ſit æqualiter reale & perſonale, ſed reale eſt acceſſorium ; tunc vouens non poteſt per alium adimplere votum.* ibid.
XIV. An qui iurauit aut, vouit abſolutè Peregrinationem Lauretanam, ſi poſtea nequeat eam ſuſcipere, teneatur in eleemoſynam dare ſumptus, quos feciſſet ? pag.239.
Rz. *vt certum : Quod non.* ibid.
XV. An ſaltem, qui iurauit aut vouit Peregrinationem Lauretanam, & dare eleemoſynam tali Eccleſiæ, tunc ſi per ſe non poſſit Peregrinationem ſuſcipere, teneatur per alium eleemoſynam mittere ? ibid.
Rz. *& certum, teneri.* ibid.

DISPVTATIO XXV.

De obligatione, qua aſtringuntur Heredes ad vota defuncti explenda. pag.239.

QVÆST. I. AN Hæres teneatur adimplere vota perſonalia, quæ defunctus non expleuit ? ibid.
Rz. *vt certum : Quod non.* ibid.
II. An ſaltem Hæres teneatur ad vota perſonalia defuncti, caſu, quo ei præcipiat teſtator ? ibid.
Rz. *vt certum : Non teneri ex vi talis mandati, niſi caſu, quo hæres ſua ſponte illud acceptet, & faciat ſuam, promiſſionem defuncti.* ibid.
III. An ad minus, caſu quo teſtator inſtituat hæredem voluntarium, eique in teſtamento præcipiat, vt vota perſonalia ipſius, v.g. Peregrinationis impleat ; ad id teneatur Hæres ? ibid.
Rz. *tanquam certum : Nec tunc teneri : niſi voluntariè acceptet promiſsionem defuncti.* ibid.
IV. An denique, ſi teſtator relinquat ſuam hæreditatem Hæredi non neceſſario, ſed voluntario, ſub conditione, vt vota ſua perſonalia impleat ; tunc teneatur Hæres illa adimplere ? pag.240.
Rz. *tanquam certum : tunc iam teneri Hæredem ſi velit hæreditatem obtinere.* ibid.
V. An hæres, ſiue neceſſarius, ſiue voluntarius teneatur ſoluere omnia vota realia, quæ defunctus non perſoluit ? ibid.
Rz. *tanquam certum : Teneri.* ibid.
VI. An hæres poſſit cogi ſub pœna priuationis hæreditatis, ad vota realia teſtatoris perſoluenda ? ibid.
Rz. *vt certum : Quod ſic.* ibid.
VII. An non ſolum poſſit hæres ſub pœna priuationis hæreditatis ; verum etiam excommunicationis, cogi ad ſoluenda vota realia teſtatoris ? ibid.
Rz. *Poſſe.* ibid.
VIII. An ſi teſtator non iniungat in teſtamento, hæredes vota eius realia adimplere ; tunc teneantur ad illa implenda ? ibid.
Rz. *vt mihi certum : Teneri.* ibid.
IX. An ſaltem, ſi teſtator expreſsè in teſtamento dicat, ſe nolle hæredem ad ea vota realia obligare ; tunc deobligetur ? pag.241.
Rz. *probabilius : Nec tunc deobligari.* ibid.
X. An Hæres teneatur ad vota realia defuncti, etiam ante aditam hæreditatem ? ibid.
Rz. *vt certum : Quod non.* ibid.
XI. An Hæres teneatur ad vota realia defuncti explenda ; etiam vltra vires hæreditatis ? ibid.
Rz. *vt certum : Quod non.* ibid.
XII. An ſaltem, caſu, quo hætes inuentarium non fecerit ; tunc teneatur integrè, vltra vires hæreditatis, vota realia exequi ? ibid.
Rz. *probabilius Minimè teneri in foro conſcientiæ bene tamen in foro externo.* ibid.
XIII. An adminus, teneatur Hæres ſoluere ea vota realia, vltra vires hæreditatis : ſi ad ea ſoluenda per ſententiam iudicis condemnetur ? pag.242.
Rz. *probabilius : Adhuc tunc non teneri in foro conſcientiæ.* ibid.
XIV. An teneatur Hæres ſoluere vota realia teſta-

toris,

toris, si nequeat, sine præiudicio suæ legitimæ? ibid.
Rz. *probabilius: Non teneri.* ibid.
XV. An casu quo Monasterium, iure hæreditario succedat in bona Professi; teneatur ad vota realia, quæ Professus in sæculo emiserat, & non impleuerat? ibid.
Rz. *vt multò probabilius: Non teneri.* ibid.
XVI. An saltem teneatur Monasterium soluere vota realia Professi, si illa essent intimata Monasterio, & ab eo acceptata, ante Professionẽ dicti Religiosi? ibid.
Rz. *tunc teneri Monasterium.* ibid.
XVII. An item, teneatur Monasterium ad soluenda vota realia Professi, si hic tempore Professionis, vellet sua vota Professione non extingui? pag. 243.
Rz. *probabilius: Nec in hoc casu teneri Monasterium talia vota persoluere.* ibid.
XVIII. An Hæres teneatur soluere vota defuncti, ante debita iustitiæ? ibid.
Rz. *vt certum: quod non, sed potius post illa?* ibid.
XIX. An saltem teneatur hæres soluere prius vota defuncti, quàm alia pia legata? ibid.
Rz. *Teneri.* ibid.
XX. An Hæres certus de voto reali emisso à defuncto, sed dubius de eius adimpletione; teneatur votum adimplere? ibid.
Rz. *Teneri.* ibid.
XXI. An quando bona, ex quibus vota soluenda sunt, non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus; teneatur tunc Hæres votum de re meliori integrè exequi? ibid.
Rz. *Teneri.* ibid.
XXII. An casu, quo Hæres iudicet omnia vota esse æquè bona; tunc teneatur exequi, & integrè soluere illud, quod prius emissum est à defuncto? ibid.
Rz. *teneri soluere illud, quod prius fuit.* ibid.
XXIII. An saltem casu, quo non constet, quod votum melius sit; neque quod prius emissum: tunc possit hæres implere votum, quod magis sibi placuerit? 244.
Rz. *probabilius: Quod tunc possit.* ibid.
XXIV. An quando plures sunt hæredes; teneatur quilibet eorum in solidum, vota defuncti adimplere, casu, quo pars in quam succedit, ad id sit sufficiens? ibid.
Rz. *vt certum: Non teneri ad id in solidum; sed pro rata, iuxta portionem hæreditariam.* ibid.
XXV. An casu, quo alij Hæredes nolint ex malitia soluere pro rata vota testatoris; tunc teneatur quilibet in solidum? ibid.
Rz. *teneri, si ex malitia alij hæredes nequeant soluere: secus verò, si ex impotentia.* ibid.
XXVI. An donatarius teneatur omnia vota realia Donantis adimplere, aut exequi? ibid.
Rz. *Non teneri.* ibid.
XXVII. An saltem legatarius teneatur ad satisfaciendum votis realibus legantis? ibid.
Rz. *Teneri istum.* ibid.

DISPVTATIO XXVI.

De potestate, quam habent ciuitates & alij Populi obligandi suo iuramento aut voto suos successores; & parentes suos filios. pag. 245.

QVÆST. I. AN possit quis suo voto, aut iuramento astringere alium? ibid.
Rz. *vt certum: Quod non.* ibid.
II. An vota, aut iuramenta Parentum offerentium suos infantes Religioni, obligent eosdem filios? ibid.
Rz. *tanquam certum: Quod non.* ibid.
III. An saltem, casu quo Parentes præcipiant filiis exequi illorum vota, aut iuramenta; tunc teneantur filij ea executioni mandare. ibid.
Rz. *adhuc non teneri exequi eorum vota, nisi quando hæc pertinent ad bonam gubernationem,* &c. ibid.
IV. An filius censeatur præstare suum consensum ex eo, quod illo præsente, & tacente, Pater eius emittat iuramentum seu votum eiusdem filij nomine? pag. 246.
Rz. *Negatiuè.* ibid.
V. An votum, seu iuramentum, possit quis per suum Procuratorem emittere? ibid.
Rz. *tanquam certum: Posse.* ibid.
VI. An successores alicuius Populi teneantur votis, aut iuramentis, ab eodem populo emissis: veluti, alicuius Festi obseruandi, aut ieiunij, &c. ibid.
Rz. *tanquam certum: Teneri, & sub mortali.* ibid.
VII. An successores Populorum teneantur obseruare vota, aut iuramenta ab ipsis Populis facta, propria voti obligatione? ibid.
Rz. *Non teneri propria voti obligatione.* ibid.
VIII. An saltem successores Populi obligentur ad iuramenta vel vota à Populo emissa, ex vi pacti, & promissionis, quæ in vniuersalem successorem pertransit? ibid.
Rz. *Adhuc non obligari ex vi pacti, aut promissionis.* ibid.
IX. An ad minus obligentur successores ad dicta iuramenta & vota Populi, ex vi consuetudinis? pag. 247.
Rz. *Adhuc ex hac vi non obligari.* ibid.
X. An denique, saltem obligentur successores ad iuramenta, & vota Populi in vi legis ab ipso Populo præcessore statutæ, & ab Episcopo promulgatæ? ibid.
Rz. *Quod sic.* ibid.
XI. An, vt hæc vota, aut iuramenta Populi habeant firmitatem legis obligantis successores; requiratur necessariò consensus Episcopi? ibid.
Rz. *tanquam certum: Iam requiri.* ibid.
XII. An vota huiusmodi, vel iuramenta à Populo facta; possint ab Episcopis, quorum auctoritate emissa sunt, reuocari?
Rz. *Posse reuocari.* ibid

DISPVTATIO XXVII.

De voto, vel iuramento non ambiendi, nec acceptandi prælationes, aut officia, quod aliquæ Religiones emittunt. ibidem.

QVÆST. I. QVænam sunt Religiones, quæ hoc emittunt votum aut iuramentum? ibid.

℟. *quod sunt Carmelitarum Discalceatorum. Clericorum Minorum. Clericorum Ministrantium infirmis. Discalceatorum S. Augustini. Patrum Barnabitarum. Patrum Societatis Iesu, & Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum.* ibid.

§. I.

De voto non ambiendi prælationem intra Religionem. pag. 248.

II. AN huiusmodi votum seu iuramentum non ambiendi, neque acceptandi Prælaturas, seu dignitates, præcipuè sæculares, sit validum? ibid.

℟. *vt quid certum: Esse validum.* ibid.

III. An hoc votum, quod nostri Religiosi emittunt, sit solemne? ibid.

℟. *tanquam certum: Quod sit.* ibid.

IV. A quo tempore fuit institutum hoc votum in nostra Congregatione? pag. 249.

℟. *quod anno 1610. die X. Februarij à bonæ mem. Paul. V.* ibid.

V. An materia huius voti sit negatiua? ibid.

℟. *Esse.* ibid.

VI. An, desiderare, aut appetere Prælatias, aut dignitates in nostra Congregatione, sit contra votum non ambiendi illas? ibid.

℟. *vt certum: Non esse contra votum, secus dicendum de desiderio procurandi dignitates,* &c. ibid.

VII. An sit contra hoc votum auferre impedimenta vouenti opposita, ne sit Prælatus? ibid.

℟. *vt certum: Non esse contra hoc votum.* ibid.

VIII. An peccet contra hoc votum, qui exercet aliquas actiones externas, ex se bonas, & honestas; vt vacare studiis, obedientiam sectari, obseruare Regulas, &c. animo quærendi Prælationes, & dignitates? ibid.

℟. *Non peccare contra hoc votum.* ibid.

IX. An saltem peccet contra hoc votum, qui exercet aliquas actiones externas, ad summum indifferentes; veluti fingere se sanctum, prudentem, aut doctum, animo quærendi dignitates? ibid.

℟. *probabilius: Adhuc in hoc casu, non peccare contra votum; nisi ex dictis actionibus animus ambitiosus operantis colligatur.* ibid.

X. An, prætensio indirecta dignitatum, distinguatur à prætensione directa? pag. 250.

℟. *vt multò longè probabilius: distingui.* ibid.

XI. Quid sit prætensio dignitatis directa, quidvè indirecta? ibid.

℟. *Quod variè describuntur ab Authoribus; legantur eorum placita.* ibid.

XII. An Nostri Discalceati agant contra hoc votum procurando Prælationes, non per semetipsos, sed per alios? ibid.

℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.

XIII. An etiam non peccent contra hoc votum, si dicti nostri Religiosi, scientes alios, nomine ipsorum, eis procurare aliquam Prælaturam, non impediunt, cum facilè possint? ibid.

℟. *Quod tunc non peccent contra hoc votum.* ibid.

XIV. An ad minus peccent contra hoc votum nostri Religiosi, si apud suos superiores se iustificent de excessibus ipsis obiectis, ne aliàs impediantur ab obtinendis dignitatibus Religionis? pag. 251.

℟. *Neque hos contra votum peccare.* ibid.

XV. An nostri discalceati peccent contra hoc votum si curent dispensari super inhabilitate ad Prælaturas ex delicto aliquo incursa? ibid.

℟. *Quod non peccent.* ibid.

XVI. An noster Religiosus peccet contra hoc votum si consultò procuret promouere ad Generalatum Religiosum sibi amicum, ea intentione, & spe vt etiam ipse ab illo postea promoueatur ad Prælaturam? ibid.

℟. *Quod non peccet, nisi alias suam intentionem exterius declaret.* ibid.

XVII. An noster Discalceatus faciat contra votum, si procuret aliquod officium, ad quod regulariter solet consequi aliqua Prælatio. ibid.

℟. *quod non faciat contra votum.* ibid.

XVIII. An Trinitarius discalceatus peccet contra istud votum, si solum procuret eligi ad aliquam Prælationem Religionis, vt reintegretur eius fama læsa, interim habens animum non acceptandi talem Prælationem? ibid.

℟. *Peccare contra votum.* pag. 252.

XIX. An item peccet contra hoc votum, si quis Religionis Professus procuret aliquam Prælaturam, solum in bonum eiusdem Religionis, vt ad promouendam Regularem disciplinam, &c. ibid.

℟. *vt certum: Etiam peccare.* ibid.

XX. An rursus peccet contra hoc votum Professus nostræ congregationis, qui curat, non auferri Prælaturam iam obtentam? ibid.

℟. *vt certum: Quod non peccet.* ibid.

XXI. Quænam sunt Prælationes, & quænam officia quæ ex vi huius voti, prohibenter prætendi in nostra Congregatione? ibid.

℟. *Quod prælationes sunt Ministri Generalis, Diffinitorum generalium, Ministrorum Prouincialium & Conuentualium,* &c. *officia vero, Procuratoris Generalis tam in vrbe Roma; quam in Hispania.* ibid.

§. II.

De secunda parte huius nostri voti, nempe, de non pretendendo extra Religionem Prælaturam vllam; neque oblatam acceptando, nisi præcepto illius, qui id præcipere potest. ibid.

XXII. AN huiusmodi votum sit solemne, & quis sit eius finis, quævè illius materia? ibid.

℟. *Quod sit solemne. Finis, relegare ab Ordine ambitionis vitium. Materia vero, non prætendere aliquam Prælationem extra Ordinem,* &c. ibid.

XXIII. An nostri Discalceati, vi huius voti prohibeantur prætendere, & acceptare, tam Prælatias, quàm officia, extra Congregationem? ibid.

℟. *Non prohiberi, prætendere, aut acceptare officia extra Ordinem, sed solum Prælationem.* pag. 253.

XXIV. Quid intelligatur hic nomine *Prælationis*, quam dicti Discalceati, prohibentur extra Congregationem prætendere, aut acceptare, &c. ibid.

℟. *quod intelligatur Episcopatus, Abbatia, vicariatus generales Episcopi, & similia.* ibid.

XXV. An ex vi huius voti prohibeantur dicti Discalceati prætendere Cardinalatum? ibid.

℟. *vt mihi certum: Prohiberi.* ibid.

XXVI. An item prohibeantur nostri Religiosi prætendere promoueri ad Parochiam alicuius Ecclesiæ? ibid.

℟. *Non prohiberi.* ibid.

XXVII. An nostri Discalceati vi dicti voti prohibeantur procurare, vel oblatam acceptare, Prælationem Regularem alterius Ordinis, adhuc manentes Professi proprij Ordinis? ibid.

℟. *Prohiberi.* ibid.

XXVIII. An obligatio huius nostri voti de non procuranda, aut acceptanda Prælatione, extra Religionem, duret etiam casu, quo quis ex nostris transeat ad aliam Religionem, in qua non emittitur tale votum? pag. 254.

℟. *Durare.* ibid.

XXIX. An saltem dictus ex nostris Religiosus, si transeat ad aliam Religionem, possit in ea procurare & prætendere Prælaturas illius Ordinis ad quem transiuit? ibid.

℟. *Adhuc non posse.* ibid.

XXX. An solus Pontifex sit ille, de cuius præcepto possunt Religiosi nostri recipere Prælationes extra Ordinem non obstante hoc voto? ibid.

℟. *vt certum: Quod solus sit Pontifex.* ibid.

XXXI. An Religiosus nostræ Congregationis posset licite acceptare Prælationes extra Religionem, si Papa id ei præciperet, absque iusta causa? ibid.

℟. *vt certum: Quod posset licitè.* ibid.

XXXII. An si Pontifex præciperet, sub peccato veniali tantum alicui Religioso nostro, vt acceptaret Prælatiam; posset licite eam acceptare? pag. 255.

℟. *Quod non solum posset, sed & teneretur.* ibid.

XXXIII. An requiratur quod Pontifex iniungat præceptum formale, ad hoc, vt noster Religiosus licitè possit accipere Prælationes extra Religionem? ibid.

℟. *probabiliter: Non requiri; sed sufficere præceptum Ordinarium.* ibid.

XXXIV. An item, sufficiat ad acceptandam licitè Prælatiam extra Religionem, quod Papa simpliciter ordinet vt Religiosus illam accipiat. ibid.

℟. *probabilius; sufficere si id ordinet Religiosis nostris; non Societatis Iesu.* ibid.

XXXV. An deinde sufficiat ad acceptandam Prælationem extra Religionem nostro Professo, quod, iudicio Prudentum, id iudicetur magis expediens, tum bono publico, tum bono ipsius Professi? ibid.

℟. *Non sufficere, non interueniente mandato Papæ.* ibid.

XXXVI. An saltem possit Religiosus noster, acceptare dignitates, v. g. Episcopatus Indicos, vel Iaponenses, absque præcepto Pontificis? ibid.

℟. *vt longè probabilius: Non posse.* ibid.

XXXVII. An Religiosus noster, aut Professus Societatis Iesu, &c. qui iam ex legitima dispensatione promotus est ad aliquam dignitatem extra Religionem, v. g. ad Episcopatum: possit absque violatione voti procurare assensum ad superiorem dignitatem, v. g. ad Cardinalatum, & acceptare illam sine præcepto Pontificis? pag. 256.

℟. *Quod tunc iam posset.* ibid.

XXXVIII. An dicti Religiosi possint acceptare Prælationes, extra Religionem, si id eis Pontifex præcipiat sub censura aliqua Ecclesiastica: v. g. sub pœna excommunicationis? ibid.

℟. *Non solum posse: sed teneri.* ibid.

XXXIX. An dicti Religiosi violent votum non acceptandi, si acceptent aliquam Prælationē, extra Religionem, non absolutè, sed conditionaliter; si id eis præcipiatur à Papa? ibid.

℟. *Non violare.* ibid.

XL. An saltem dicti Religiosi per talem modum conditionalem acceptandi dignitatem, violent votum non prætendendi illam extra Religionem, quod pariter cum alio emittunt? ibid.

℟. *Quod sic.* ibid.

XLI. An Religiosi qui Pontificatum ambirent, aut acceptarent, absque præcepto; violarent votum ambiendi Prælationes, aut dignitates? ibid.

℟. *probabilius: Non violare.* ibid.

XLII. An nostri Religiosi violarent votum non ambiendi Prælationes, si procurarent dignitates, v. g. Gubernationē alicuius Ciuitatis? pag. 257.

℟. *probabiliter: Quod non violarent.* ibid.

XLIII. An casu, quo in Capitulo nostro generali, declaretur officium aliquod Religionis comprehendi sub hoc voto non ambiendi; tali declarationi subiiciantur Religiosi, qui ante illam votum hoc emiserunt? ibid.

℟. *Quod vere subiiciantur.* ibid.

XLIV. An obligatio huius voti extendatur ad illos, qui ante editionem constitutionis Pauli V. quâ hoc votum statuitur in nostra Religione fieri, emiserunt Professionem? ibid.

℟. *tanquam certum: Non extendi.* ibid.

XLV. An transgressoribus huius voti non ambiendi, impositæ sint aliquæ pœnæ in nostris constitutionibus? ibid.

℟. *esse impositā pœnam priuationis officij,* &c. ibid.

XLVI. An ad incurrendam hanc pœnam requiratur sententia declaratoria Criminis? ibid.

℟. *Requiri.* ibid.

DISPVTATIO XXVIII.

De iuramento, aut voto non ludendi. pag.257.

QVÆST.I. AN iuramentum aut votum non ludendi, absolutè præstitum, aut emissum, sit licitum, & validum, & consequenter obligatorium? ibid.

Rz. *vt quid certum: Esse.* ibid.

II. An iuramentum aut votum abstinendi à ludo modico seu moderato, sit irritum, & inualidum? pag.258.

Rz. *vt mihi certum: Non esse irritum, nec inualidum.* ibid.

III. An iurans, aut vouens absolutè non ludere, possit nihilominus ludere ludo licito, & honesto? ibid.

Rz. *Posse: nisi aliud coniiciatur de iurantis, aut vouentis intentione.* ibid.

IV. An, iuramentum, aut votum non ludendi, ob vitanda iurgia, discordias, iuramentum, & pecuniæ prodigalitatem, obliget, & ita vt teneatur abstinere à ludo moderato? ibid.

Rz. *obligare: sed non ad abstinendum à ludo moderato.* ibid.

V. An iuramentum aut votum præstitum à iurante, vel vouente, ob finem carendi illa ludi recreatione, quo peccata sua puniret: obliget etiam ad non ludendum eo ludo moderato, aut pro modico & paruo tempore, saltem sub veniali? ibid.

Rz. *obligare etiam sub veniali, aut sub mortali, secundum detentionem paruam vel magnam.* ibid.

VI. An qui iurauit, aut vouit abstinentiam à ludo, ob carentiam recreationis ludi, peccet mortaliter, etiamsi modico tempore ludo detineatur? pag.259.

Rz. *vt longe probabilius: Non peccare mortaliter.* ibid.

VII. An qui ob vitandam iacturam, & prodigalitatem pecuniæ, iurauit, aut vouit non ludere; teneatur abstinere à ludo, non solum illicito, verum etiam licito? ibid.

Rz. *Teneri ab vtroque abstinere.* ibid.

VIII. An præfatus, qui ob vitandam iacturam pecuniæ, iurauit, aut vouit non ludere, peccet mortaliter adhuc si modicam pecuniæ summam ludo exponat? ibid.

Rz. *probabilius: Non peccare, nisi ad summum venialiter.* ibid.

IX. An ad cognoscendum quænam sit magna, aut modica pecuniæ quantitas ludo exposita; attendenda sit qualitas personarum pecuniam exponentium? ibid.

Rz. *Quod sic.* ibid.

X. An qui iurauit, aut vouit absolutè non ludere; possit licitè, non proprio nomine, sed alieno,) hoc est, pro altero) ludere? pag.260.

Rz. *Quod attendendus sit finis iurantis.* ibid.

XI. An etiam casu, quo quis absolutè iurauit aut vouit non ludere, & nequeat coniecturari, quo fine ductus tale iuramentum, aut votum emiserit, possit nomine alieno ludere? ibid.

Rz. *probabilius: Posse.* ibid.

XII. An qui emisit iuramentum, aut votum non ludendi, possit tradere aliis suam pecuniam, vt nomine ipsorum ludant? ibid.

Rz. *vt longe probabilius: Posse.* ibid.

XIII. An item, qui iurauit, aut vouit non ludere, possit tradere alteri nummos, vt nomine ipsiusmet tradentis ludat? ibid.

Rz. *probabilius: Etiam posse.* ibid.

XIV. An qui iurauit, aut vouit non ludere, possit nihilominus sponsiones in ludo facere. Hispanè, *Atraueſar en el juego?* pag.261.

Rz. *Posse.* ibid.

XV. An qui iuramentum, vel votum fecit de non ludendo cum hac persona; in hac domo, &c. vel in vindictam contra colludentem; vel quia credit in eo loco, male fortunatum esse, & aduersarium benè; teneatur tali iuramento, & voto? ibid.

Rz. *vt certum: Quod non.* ibid.

XVI. An saltem qui iuramentum aut votum fecit non ludendi cum certa persona, in tali domo, &c. ob aliquem finem honestum, nempe, ob vitandum aliquod malum spirituale, aut temporale; teneatur ad illa obseruanda? ibid.

Rz. *vt certum: Tunc teneri.* ibid.

XVII. An iuramentum seu votum non ludendi chartis, vulgò a los Naipes; sit validum, & obligatorium? ibid.

Rz. *vt longè probabilius: Esse.* ibid.

XVIII. An iuramentum aut votum, nullo ludo ludendi nisi tali determinato; sit validum? ibid.

Rz. *vt certum: Quod sic.* ibid.

XIX. An in casu, quo obliget iuramentum, vel votum non ludendi cum certa & determinata persona; fas sit cum illa ludere, nullo reportato vtrimquè lucro, id est, *ſyendo horres.* pag.262.

Rz. *Fas esse.* ibid.

XX. An iuramentum, aut votum non ludendi, donec talis persona velit; obliget eâ personâ defuncta? ibid.

Rz. *tunc iam obligare.* ibid.

XXI. An etiam tale iuramentum aut votum non ludendi donec talis persona velit, aut sine consensu Patris; cesset etiam, facta tali persona furiosa? ibid.

Rz. *probabilius: Tunc non cessare.* ibid.

XXII. An item, qui fecit iuramentum aut votum non ludendi, donec suus Pater Româ redeat, aut Romam proficiscatur; possit absque læsione iuramenti, aut voti ludere, si Pater morte præuentus numquam Româ redeat, aut illam proficiscatur? ibid.

Rz. *æquè probabiliter: Posse certè.* ibid.

XXIII. An si quis iuret, aut voueat non ludere, & si ludat, se daturum decem v.g. aureos; teneatur toties soluere, quoties luserit? ibid.

Rz. *probabilius: Quod sic.* pag.263.

XXIV. An saltem, quando pœna voto non ludendi annexa, vel est grauissima, vel talis, quæ iterari non solet; tunc dicta pœna sit de sola prima vice intelligenda? ibid.

Rz. *quod tunc solum de prima vice est intelligenda.* ibid.

XXV. An etiam, quando pœna impoſita voto non ludendi eſt mediocris; ſit etiam de prima vice intelligenda? ibid.
R. *probabilius: Quod tunc non.* ibid.
XXVI. An etiam, qui iurat, aut vouet, ſe daturum eleemoſynam, v.g. decem aureos, ſi luſerit; teneatur toties illam ſummam ſoluere, quoties luſerit? ibid.
R. *probabilius: Teneri toties, quoties.* ibid.

DISPVTATIO XXIX.

De obligatione & iuramento præſtito à Medicis, monendi infirmos, vt confiteantur. pag. 263.

QVÆST. I. QVo iure obligentur Medici ad monendos infirmos, vt peccata ſua confiteantur? ibid.
R. *quod iure naturali, ac diuino: iure Pontificio, & iure iuramenti præſtiti.* ibid.
II. An, Medicus teneatur ſub mortali, attento ſolo iure naturali, ac diuino, monere infirmum, vt peccata ſua confiteatur? pag. 264.
R. *teneri, caſu tamen quo Medicus probabile mortis periculum videat, & probabiliter credat infirmum eſſe in mortali.* ibid.
III. An in prædicto caſu teneantur Medici, non ſolum ex charitate, verum etiam ex iuſtitia, monere infirmos, vt fateantur peccata, & declarare periculum mortis, quod ſubeunt? ibid.
R. *Non teneri, niſi ex ſola charitate.* ibid.
IV. An ſufficiat Medico hanc monitionem facere infirmo per alium, nempe per Parochum, Confeſſarium, amicum, &c. ibid.
R. *vt certum, ſufficere.* ibid.
V. An Medici liberentur etiam ab obligatione monendi infirmum ad confitenda ſua peccata quando alij ab ipſis requiſiti, dictum infirmum monere nolunt? ibid.
R. *vt quid certum: Tunc non liberari.* ibid.
VI. An ſaltem Medici eximantur ab obligatione monendi infirmum, ſi moraliter credant, eam monitionem non profuturam, aut in peius abituram? ibid.
R. *vt certum: Tunc iam eximi.* ibid.
VII. An item eximantur Medici ab hac admonitione, ſi ſolùm dubitent, an infirmus ſit in mortali, an rebus malè compoſitis diſceſſurus ſit? ibid.
R. *Tunc non eximi.* ibid.
VIII. An etiam, attento iure Eccleſiaſtico, teneantur Medici ſub mortali, admonere ægrotum, vt fateatur peccata ſua, &c. pag. 265.
R. *vt certum: Quod ſic.* ibid.
IX. An, Medici teneantur vi huius Eccleſiaſtici præcepti, admonere infirmos, non ſolum antequam mederi incipiant; ſed etiam antequam de ſalario ſibi aſſignando conueniant? ibid.
R. *vt mihi certum: Non teneri monere, antequam de ſalario agant.* ibid.
X. An obligatio Medicorum monendi infirmos, ante omnia, de confeſſione faciéndâ; intelligenda ſit de quibuſcumque morbis, etiam leuibus? ibid.
R. *Quod, licet affirment aliqui; Alij vero negent: ego probabilius exiſtimo intelligendam eſſe de quocumque graui morbo, qui ex ſe lectum petat.* ibid.
XI. An ſi æger admonitus nolit confiteri, ſit à Medico deſerendus? pag. 266.
R. *deſerendum eſſe; niſi alias ex deſertione conſtituatur æger in probabili mortis periculo*, &c. ibid.
XII. An hæc Pontificum decreta contraria conſuetudine aboleri valeant? ibid.
R. *vt certum: Quod ſic.* ibid.
XIII. An huiuſmodi Innocentij III. & Pij V. decreta de facto ſint abrogata; an vero vbique recepta? ibid.
R. *vt certum: Non eſſe vbique recepta, ſed in multis locis abrogata.* ibid.
XIV. An iuramentum præſtitum à Medicis de monendis infirmis ad confitenda peccata, obliget illos vbi non eſt receptus motus proprius Pij V. ibid.
R. *vt certum: Non obligare.* ibid.

DISPVTATIO XXX.

De iuramento, aut voto, non mutuandi nec fideiubendi; nec emendi auctiori pretio; nec vendendi minori. pagina 267.

QVÆST. I. AN iuramentum, vel votum non mutuandi alicui, v.g. veſtes, libros, aut pecunias, ſit obligatorium. ibid.
R. *Quod licet aliqui negent: Aliqui vero affirment, ego diſtinctius* R. *eſſe validum aliquando; aliquando vero minimè.* ibid.
II. An iuramentum aut votum, non omnibus indiſcriminatim mutuandi, aut pro omnibus fideiubendi abſque conſideratione & delectu, ſit validum, & obligatorium? ibid.
R. *vt certum: Quod ſic.* ibid.
III. An votum ſeu iuramentum non mutuandi, nec fideiubendi præſtitum in vtilitatem tertij, v. g. in gratiam Filiorum, ſit vtique validum, & obliget? ibid.
R. *Eſſe validum & obligatorium poſtquam acceptetur à tertio, in cuius gratiam fuit præſtitum.* ibid.
IV. An item ſit validum, & obligatorium votum aut iuramentum non mutuandi, nec fideiubendi, factum ob commoditatem propriam; ne ſcilicet, ex hoc aliquid detrimenti in re familiari quis patiatur? pag. 268.
R. *Poſſe eſſe validum: & poſſe non eſſe.* ibid.
V. An Clerici in Sacris conſtituti poſſint iurare aut vouere, non facere fideiuſſionem pro laicis? ibid.
R. *vt certum: Poſſe & validè id facere.* ibid.
VI. An item in caſu neceſſitatis poſſint Clerici fideiubere pro laicis? ibid.
R. *vt certum: Quod ſic.* ibid.

VII. An valida sit fideiussio Clerici pro laico facta, extra casum necessitatis? ibid.
℟. *Esse validam.* ibid.
VIII. An Clericus peccet mortaliter fideiubendo pro laico, extra casum necessitatis. ibid.
℟. *Peccare mortaliter, si id faciat frequenter, non vero si vna, vel altera vice.* ibid.
IX. An Clericus, non solùm validè, sed etiam licitè possit, etiam extra casum necessitatis, fideiubere pro alio Clerico, vel Ecclesia sua? pag. 269.
℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.
X. An votum, seu iuramentum nunquam fideiubendi, præstitum à Clericis, sit inualidum? ibid.
℟. *Esse inualidum sic generaliter præstitum.* ibid.
XI. An Religiosi possint fideiubere pro alio? ibid.
℟. *Quod non, nisi cum licentia superioris,* &c. ibid.
XII. An vota seu iuramenta, quæ passim Mercatores emittunt, de non emendo auctiori pretio, aut non vendendo viliori; sint obligatoria? ibid.
℟. *vt certum: Non esse.* ibid.

DISPVTATIO XXXI.

De iuramento Decurionum, Scribarum, Procuratorum, & aliorum Ministrorum publicorum. pag. 269.

QVÆST. I. AN iuramenta, quæ Decuriones oppidi (vulgò *Regidores jurados, ò Vintiquatros*) emittunt, sint licita, & obligatoria? ibid.
℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.
II. An Prædicti Decuriones teneantur ex vi iuramenti ab ipsis præstiti, inquirere peccata publica, eaquè denunciare iudici, vel Prælatis, vt illorum emendationem procurent? ibid.
℟. *probabilius: Quod non teneantur ex vi iuramenti; sed ex vi proprij officij, & muneris.* pag. 270.
III. An iuramentum seruandi sub secreto ea, quæ in Consistorio, aut Congregationibus tractantur, quale faciunt oppidi Decuriones; Auditores Regij, & alij publici Ministri, obliget sub mortali, in quauis re modica? ibid.
℟. *probabilius: Quod non.* ibid.
IV. An saltem peccent mortaliter transgrediendo iuramentum, quo promiserunt se seruaturos aliquod speciale secretum, etiamsi sit rei leuis? ibid.
℟. *probabilius: Non peccare, nisi venialiter.* ibid.
V. An peccent mortaliter Scribæ, Procuratores, & alij Ministri publici, non obseruantes iuramentum, quod emittunt seruandi taxam lege præscriptam, vulgò *el aranzel?* ibid.
℟. *vt certum: Peccare mort. nisi alias stipendium taxatum, iam non sit iniustum, & minus sufficiens,* &c. ibid.
VI. An dicti Ministri Publici teneantur sub mortali non accipere aliquid, præter stipendium taxatum, etiam si hoc stipendium, iam censeatur iniustum & insufficiens? pag. 271.
℟. *probabilius: Tunc non teneri sub mortali, non accipere aliquid amplius.* ibid.
VII. An saltem iuramentum præstitum ab Scribis & aliis Ministris publicis de obseruanda taxa, obliget, si taxa sit iusta & sufficiens, lex tamen, contrario vsu abrogata? ibid.
℟. *probabilius: adhuc non obligare illos.* ibid.
VIII. An de facto, nostris temporibus, stipendium taxatum pro Aduocatis, scribis, seu Notariis, & aliis Ministris publicis, sit iustum, & minimè abrogatum? ibid.
℟. *Quod alij affirmant: Alij negant: ego autem dico quod in Hispania tale stipendium iam sit vel iniustum, vel abrogatum. In aliis vero Regnis, & Prouinciis, nescio.* pag. 272.

DISPVTATIO XXXII.

De iuramento Collegij Anglicani, & aliorum, redeundi ad Patriam, & non ingrediendi Religionem. ibid.

QVÆST. I. AN, valeat iuramentum, quod in Collegio de propaganda Fide, & Anglicano, præstatur ab Alumnis suis, de non ingrediendo aliquam Religionem, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia? ibid.
℟. *vt certum: valere.* ibid.
II. An item sit validum iuramentum, quo certi Adolescentes in aliquibus Collegiis, in quibus aluntur, iurant se non ingressuros Religionem, inscio Rectore suo, vel eo, cui curæ sunt? ibid.
℟. *etiam vt certum: Esse validum.* ibid.
III. An Alumni Collegij Anglicani Romæ, qui præstant iuramentum se, absolutis studiis, vitam Ecclesiasticam perducturos, & in Angliam ad Fidem Catholicam docendam ituros; possint adhuc tuta conscientia, Religionem ingredi? pag. 273.
℟. *probabilius: Posse adhuc.* ibid.
IV. An dicti Alumni Collegij Anglicani, vi iuramenti ab ipsis præstiti, simpliciter prohibeantur ingredi Religionem? ibid.
℟. *Quod non: sed solum pro tempore quo manent in dicto Collegio, & intra triennium post egressum ab illo.* ibid.

DISPVTATIO XXXIII.

De iuramento obediendi Rectori, ab Scholasticis, & aliis Academicis præstito. pag. 273.

QVÆST. I. AN omnes Scholastici, Doctores, Magistri, & alij Academici, præstent iuramentum de obediendo Rectori? ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
II. An etiam Regulares, qui Academiam frequentãt prædictum iuramentũ Rectori præstent? pag. 274.
℟. *Quod omnes qui foro Academiæ gaudere volunt: non alij.* ibid.
III. An, vt Scholares Academici subdantur iurisdictioni

dictioni Rectoris, sit necessum, vt dictum iuramentum faciant? ibid.
Rz. *quod non sit necessum.* ibid.
IV. An scholastici, & alij Academici obligentur sub mortali semper, ad obediendum Rectori præsenti, sub pœna præstiti iuramenti? ibid.
Rz. *Quod non semper obligentur sub mortali.* ibidem.
V. An saltem, obligentur dicti scholastici obedire sub mortali Rectori præcipienti, & expresè intimanti, se velle in rebus leuibus obligare eos sub mortali? ibid.
Rz. *Quod adhuc non obligentur sub mortali obedire illi, sed solum sub veniali.* ibid.
VI. An quando Rector præcipit sub pœna præstiti iuramenti, vt ipsum comitentur Scholastici in die S. Nicolai, aut S. Martini; teneantur illi sub mortali Rectorem comitari? ibid.
Rz. *probabilius: Non teneri sub mortali.* p.275.
VII. An si Rector, aut Magister Scholæ præcipiat, ne Scholastici sericis vestibus vtantur; teneantur id sub mortali exequi culpa? ibid.
Rz. *probabilius: Non teneri sub culpa mortali, sed solum sub veniali.* ibid.
VIII. An item, teneantur sub mortali scholastici obedire Rectori præcipienti sub pœna præstiti iuramenti, vt intersint solemni supplicationi publicæ; Missarum sacrificio; funeri alicuius Academici, &c. ibid.
Rz. *Nec tunc teneri, nisi sub veniali obedire.* ibid.
IX. An saltem, si Rector, sub pœna præstiti iuramenti præcipiat, vt Doctores, aut Magistri, siue scholastici conueniant ad rem grauem tractandam, tunc obliget sub mortali? ibid.
Rz. *vt certum: quod sic, &c.* ibid.
X. An Rector Academiæ, cui ab scholasticis iuramentum præstatur, possit illud suspendere, aut relaxare? ibid.
Rz. *Quod possit.* ibid.
XI. An iuramentum de obediendo Rectori obligét, cùm nouus Rector eligitur, antequam nouum iuramentum fiat? ibid.
Rz. *obligare.* ibid.
XII. An ille, qui dum promouetur ad gradum licenciatus in aliqua Academia iurat non acceptare gradum Doctoratus in alia Academia; possit nihilominus illum acceptare in alia? p.276.
Rz. *Posse.* ibid.

DISPVTATIO XXXIV.

De iuramento seu voto, seruandi statuta Reipublicæ, Vniuersitatis, Collegij, Sodalitij, & Communitatis. p.276.

QVÆST. I. AN Communitates, Capitula, Collegia, & Monasteria, possint se iuramento promissorio obligare? ibid.
Rz. *vt certum: posse.* ibid.
II. An, vt tota Communitas iuramento obligetur, sit necessarium, vt omnes, & singuli Communitatis iuramentum præstent? ibid.
Rz. *vt certum: quod non: secluso speciali casu.* ibidem.
III. An quando maior numerus suffragiorum Communitatis, Capituli, aut Collegij, iurauit: sint cogendi alij, qui contradixerunt, ad iurandum. ibidem.
Rz. *Quod sic: nisi aliàs manifestam iniustitiam ostendant.* ibid.
IV. An iuramentum, seu votum, seruandi statuta edita alicuius Vniuersitatis, Religionis, aut Collegij, &c. intelligatur etiam de statutis edendis ab ipsis? ibid.
Rz. *vt certum: Quod non.* ibid.
V. An iuramentum seu votum, absolutè & simpliciter præstitum seruandi statuta alicuius Communitatis; intelligi debeat, tam de editis, quàm de in posterum edendis? p.277.
Rz. *probabilius: solum debere intelligi de editis.* ibid.
VI. An qui absolutè iurauit, aut vouit, seruare omnia statuta Vniuersitatis, Collegij, aut alterius cuiusvis Communitatis; teneatur seruare adhuc ea, quæ non sunt in vsu, & iam non obligant. ibid.
Rz. *Non teneri vi iuramenti, seu voti.* ibid.
VII. An iurans seu vouens seruare aliquod statutum, obligetur ad illud seruandum, casu quo tale statutum per potentem reuocare, reuocetur? ibid.
Rz. *vt certum: tunc iam non obligare.* ibid.
VIII. An iuramentum seu votum seruandi omnia statuta alicuius Collegij, aut alterius Communitatis, extendatur ad statuta, etiam non licita, & non possibilia? pag.278.
Rz. *vt certum: Non extendi.* ibid.
IX. An saltem extendatur iuramentum, aut votum, ad statutum, quod tempore quo præstitum fuit tale iuramentum, seu votum, non erat iustum, nec licitum; postea tamen, licitum, & iustum fit? ibid.
Rz. *vt certum: Extendi, & obligare à tempore, quo statutum licitum factum fuit.* ibid.
X. An iurans, seu vouens seruare statuta alicuius Religionis, Collegij, aut alterius communitatis, committat aliquam culpam, transgrediendo, si statuta non obligant ad culpam? ibid.
Rz. *vt certum: quod non committat.* ibid.
XI. An iurans, seu vouens, seruare statuta Religionis, aut alterius communitatis, semper peccet mortaliter, transgrediendo, si statuta ad culpam obligent? ibid.
Rz. *quod non semper.* ibid.
XII. An qui iurant, aut vouent statuta alicuius Religionis, Collegij aut cuiusuis alterius Communitatis decernentia aliqua sub certis pœnis facienda, aut omittenda; contrahant aliquam culpam ea transgrediendo? ibid.
Rz. *vt ferè certum: quod non.* ibid.
XIII. An qui admissus in Collegium, iurat, aut vouet concollegis suis auxilium ferre, quoties occurrat casus; teneatur sub mortali ad id? pagina.279.
Rz. *teneri: seruata tamen iustitia.* ibid.
XIV. An togati teneantur sub mortali ad iuramentum implendum, de soluendo aliquo donatiuo suo Collegio? ibid.
Rz. *teneri: nisi casu, quo inopiâ premantur.* ibid.
XV. An votum, seu iuramentum, in Academiis, Collegiis, Religionibus, &c. prolatum, defendendi Immaculatam Conceptionem Dei genitricis Mariæ, sit iustum, & pium. ibid.
Rz. *tanquam certum: Esse iustum, & pium.* ibid.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

XVI. Ad quid obligat votum, seu iuramentum defendendi piam de Virginis Conceptione Immaculata opinionem? ibid.
Rz. *quod ad plura; sed ad tria præcipuè.* ibid.
XVII. An huiusmodi votum, aut iuramentum defendendi piam opinionem Immaculatæ Conceptionis, obliget ad mortale? pag.280.
Rz. *Obligare.* ibid.

DISPVTAT. XXXV.

De voto, aut iuramento non petendi dispensationem, aut irritationem, &c. voti, aut iuramenti facti; vel faciendi. ibidem.

QVÆST.I. AN votum, aut iuramentum non petendi (sine causa legitima) dispensationem aut relaxationem voti, aut iuramentum facti, vel faciendi, sit validum? ibid.
Rz. *vt certum: quod sit.* ibid.
II. An etiam sit validum votum aut iuramentum non petendæ dispensationis, aut relaxationis voti, aut iuramenti, ex quacumque legitima causa; sed tantum, quando fuerit vtilius saluti vouentis, aut iurantis? ibid.
Rz. *vt certum: etiam esse validum.* ibid.
III. An item sit validum, si votum, aut iuramentum non petendæ dispensationis, aut relaxationis, sine vlla limitatione, absolutè, & generaliter emittatur? ibid.
Rz. *probabilius: Non esse tunc validum.* ibid.
IV. An item, sit inualidum votum aut iuramentum non petendi dispensationē, aut relaxationem ab alio, quàm à Pontifice, neque concessa vtendi? ibid.
Rz. *Esse item in aliquo sensu inualidum; in alio verò, validum.* p.281.
V. An votum, seu iuramentum, non petendi dispensationem, includat etiam votum aut iuramentum non petendi irritationem? ibid.
Rz. *probabilius: Non includere.* ibid.
VI. An item, qui iurauit aut vouit non petere commutationem; possit petere dispensationem aut irritationem? ibid.
Rz. *probabilius: Etiam posse petere dispensationem, & irritationem.* ibid.
VII. An deinde, qui vouit, aut iurauit, non petere irritationem, aut dispensationem; possit petere coummutationem? ibid.
Rz. *vt certum: posse.* ibid.
VIII. An qui vouit, aut iurauit non petere dispensationem, irritationem, aut commutationem alicuius voti, aut iuramenti; possit petere dispensationem à tali voto, vel iuramento? ibid.
Rz. *Posse* ibid.
IX. An casu, quo horum votorum, aut iuramentorum, dispensatio, aut irritatio petatur; possit peti simul vtriusque? p.282.
Rz. *Quod non.* ibid.
X. An saltem, iuramentum non petendæ relaxationis iuramenti, non Deo (de quo huc vsque fuit sermo) sed homini præstitum, & ab eo acceptatum, posset relaxari à Superiore? ibid.
Rz. *Non posse nisi casu, quo Superior relaxare possit principale.* ibid.

DISPVTATIO XXXVI.

De votis aut iuramentis non peccandi mortaliter nec venialiter. p.282.

DISPVTATIO XXXVII.

De iuramento, & voto peregrinandi. ibid.

DISPVTATIO XXXVIII.

De iuramentis & votis factis contra leges ciuiles, & canonicas. ibid.

DISPVTATIO XXXIX.

De voto aut iuramento non vouendi. ibid.

QVÆST.I. AN votum, vel iuramentum non vouendi absolutè emissum, sit licitum, & validum? ibid.
Rz. *vt certum: nec esse licitum, nec validum.* ibid.
II. An saltem, sit licitum, & validum votum aut iuramentum non vouendi, nisi scripto, aut coram aliquibus personis, aut absque confessoris consilio, aut nisi præcepto, &c. p.283.
Rz. *tunc esse licitum & validum.* ibid.
III. An, si qui emisit votum, aut iuramentum non vouendi nisi cum prædictis circunstantiis, non seruatis illis, aliquod votum emittat, tunc hoc posterius votum sit validum? ibid.
Rz. *vt longè probabilius: tale nouum votum esse validum, casu saltem quo vouens memor primi voti, hoc posterius emiserit.* ibid.
IV. An item sit validum posterius votum, casu, quo vouens immemor prioris voti (videlicet, non vouendi absque præfatis circunstantiis) illud emiserit? ibid.
Rz. *vt longè probabilius: non esse validum si interueniant aliquæ circunstantiæ: secus, contrà.* ibidem.
V. An si ille, qui memor voti, quod emisit, non vouendi nisi tali modo, non seruato illo, voueat; peccet mortaliter transgrediendo primum votum? ibid.
Rz. *probabilius, quod peccet sic, non semper, sed aliquando.* ibid.

DISPVTATIO XL.

De voto, quod emittunt Tertiarij aliquarum Religionum in sua Professione. pag. 284.

QVÆST. I. AN Tertiarij ita dicantur, quia sunt medij inter Religiosos, & sæculares? ibid.

℟. *Affirmatiuè.* ibid.

II. Quotuplex sit genus Tertiariorum? ibid.

℟. *Quod triplex.* ibid.

III. An modus viuendi Tertiariorum huius tertij generis (de quibus principaliter in hac disputatione est sermo) possit, si non Religio, appellari Ordo? ibid.

℟. *quod possit Ordo appellari.* ibid.

IV. An saltem possit appellari latè, & analogicè Religio, modus viuendi istorum Tertiariorum qui vnum, vel duo vota emittunt? ibid.

℟. *quod sic.* ibid.

V. Quot, & quales sunt Religiones, quæ habent facultatem recipiendi, & admittendi suos Tertiarios, & Tertiarias? ibid.

℟. *quod sunt principaliter, S. Francisci, S. Dominici, S. Augustini, S. Mariæ de Monte-Carmelo, Seruitarum, Minimorum, nec non omnes Religiones mendicantes.* p. 285.

VI. An Tertiarij, & Tertiariæ dictarum Religionum profiteantur aliquam Regulam ab Ecclesia approbatam? ibid.

℟. *Quod sic.* ibid.

VII. An præfati Tertiarij habeant etiam proprium modum profitendi? ibid.

℟. *Quod sic.* ibid.

VIII. An Tertiarij Carmelitani emittant aliqua vota in sua Professione? ibidem.

℟. *Quod sic. Castitatis, videlicet, & obedientiæ.* ibid.

IX. An etiam Tertiarij S. Francisci in sua Professione verè emittant votum de obseruandis Decalogi præceptis? ibid.

℟. *vt quid verum: quod non.* ibid.

X. An saltem Tertiarij S. Francisci de Paula emittant in sua Professione aliquod votum? ibid.

℟. *vt quid verum: Neque hos emittere.* p. 286.

XI. An sit necessarium simpliciter, quod Tertiarij Carmelitarum prædicta vota, Castitatis, & obedientiæ in sua Professione emittant? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XII. An Tertiarij peccent saltem venialiter, transgrediendo Regulam suæ Professionis? ibid.

℟. *vt certum: Nec venialiter peccare.* ibid.

XIII. An tertiarij, vel Tertiariæ debeant professionem facere in manibus alicuius Superioris eorum Ordinum? ibid.

℟. *vt certum: quod debeant in manibus alicuius Superioris, vel habentis ab illo auctoritatem.* ibid.

XIV. An Professionem Tertiariorum, vel Tertiariarum debeat præcedere aliquod tempus probationis, ad modum nouitiatus? ibid.

℟. *Quod sic.* p. 287.

XV. An omnes Fœminæ indiscriminatim, possint ad habitum Tertiariarum admitti? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XVI. An defectus harum qualitatum irritam faciat receptionem, seu Professionem prædictarum mulierum? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XVII. An fœminæ coniugatæ possint admitti ad habitum Tertiariorum sine suorum coniugum licentia. ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XVIII. An Beatæ nostri Ordinis possint deferre Patientiam, seu Scapularium, quam deferunt Moniales eiusdem Ordinis? ibid.

℟. *Posse.* ibid.

XIX. An Tertiarij (præcipuè Minorum) seorsim viuentes, subsint Prælatis suorum Ordinum, non solum quoad vim directiuam, sed etiam, quoad coactiuam? ibid.

℟. *Quod solum subsunt quoad vim directiuam.* ibidem.

XX. An saltem Tertiarij in Communitate viuentes, subiiciantur, etiam quoad vim coactiuam Prælatis Ordinum? p. 288.

℟. *Quod sic.* ibid.

XXI. An Tertiarij, vel Tertiariæ, sint Apostatæ si à suo statu in perpetuum recedant? ibid.

℟. *Quod non sint.* ibid.

XXII. An ad minus peccent mortaliter si ab illo statu recedant? ibid.

℟. *Quod sic, si habitum gestare vouerunt, &c.* ibid.

XXIII. An Tertiarij sint & debeant dici Personæ Ecclesiasticæ? ibid.

℟. *vt certum: quod dicendi sunt simpliciter, & absolutè Personæ sæculares; secundum quid Ecclesiasticæ.* ibid.

XXIV. An viri Tertiarij collegialiter viuentes, aut cum claustratibus habitantes, potiantur priuilegiis, quibus Fratres Religionis, cuius sunt tertiarij, fruuntur? ibid.

℟. *vt certum: quod sic.* ibid.

XXV. An etiam viri Tertiarij, qui sigillatim in propriis vel alicuius domibus habitant, potiantur dictis Fratrum priuilegiis? ibid.

℟. *Quod non.* ibid.

XXVI. An saltem, fœminæ Tertiariæ, seu Beatæ, quæ in propriis domibus morantur, gaudeant omnibus priuilegiis, quibus fruuntur Tertiarij collegialiter viuentes? pag. 289.

℟. *vt certum: gaudere, dummodo sub habitu Religionis vitam ducant, & expressum emittant votum.* ibid.

XXVII. An sub illo voto simplici castitatis, quod emittunt dictæ fœminæ Tertiariæ, includantur alia duo, nempe, obedientiæ, & paupertatis? ibid.

℟. *Iam vt certum: Non includi.* ibid.

DISPVTATIO XLI.

De voto, & iuramento conditionali absoluto. p. 289.

QVÆST. I. AN in omni iuramento, & voto, inueniantur aliquæ conditiones generales? ibid.

℟. *Quod*

Ꝛ. *Quod sic.* ibid.

II. Quænam sunt hæ conditiones generales, quæ in omni iuramento, & voto reperiuntur? ibid.

Ꝛ. *Quod sunt: si mihi licuerit. Si Deo placuerit. Nisi Prælatus aliud disposuerit.* ibid.

III. Quotuplex est conditio particularis conditionata, quæ iuramentum, & votum, cui adiungitur; verè, & simpliciter facit conditionatum? p.290.

Ꝛ. *Quod multiplex: Nam vna est affirmatiua; alia negatiua. Alia est de præsenti, alia de præterito, & alia de futuro, &c.* Legantur. ibid.

IV. Quod sit votum, aut iuramentum purè conditionale? ibid.

Ꝛ. *Quod est illud quod suspendit consensum, seu obligationem, quousque ponatur in esse conditio apposita.* ibid.

V. An semper quod quis iurat, aut vouet, adiecta particula *si*; faciat iuramentum, aut votum conditionatum? ibid.

Ꝛ. *Quod non semper.* ibid.

VI. An votum, aut iuramentum factum sub conditione quacumque de præterito, vel præsenti, sit conditionatum? ibid.

Ꝛ. *Quod non, sed absolutum omninò.* ibid.

VII. An etiam votum aut iuramentum factum sub conditione necessaria temporis futuri; sit etiam absolutum? pag. 291.

Ꝛ. *vt mihi certum: esse absolutum, & statim obligare?* ibid.

VIII. saltem sit conditionatum votum, vel iuramentum factum sub conditione necessaria futuri temporis, casu quo vouens, aut iurans, voto, iuramento tempus præfigat: *Vt voueo, aut iuro, me ab hinc vno anno castitatem seruaturum, si sol cras oriatur.* ibid.

Ꝛ. *Esse conditionatum.* ibid.

IX. An votum, vel iuramentum factum sub conditione impossibili; vt si digito cœlum tetigero, iuro castitatem, sit validum & statim obliget, eo quod talis conditio habeatur pro non adiecta? ib.

Ꝛ. *probabilius: Non esse validum.* ibid.

X. An conditio turpis irritet votum aut iuramentum, quando est contrà eius substantiam? p.292.

Ꝛ. *vt certum: Irritare.* ibid.

XI. An Religionis Professio irrita fiat, adiecta conditione contra eius substantiam: v.g. vt profitens, proprium retineat; vel non teneatur ad castitatem; aut arbitrio suo viuat? ibid.

Ꝛ. *probabilius: esse, & fieri irritam, & inualidam.* ibid.

XII. An, quando conditio turpis, non est contra voti, aut iuramenti substantiam; tunc talis conditio reddat irritum etiam, votum, aut iuramentum? ibid.

Ꝛ. *Non reddere irritum, subsistente conditione: secus si non subsistat, &c.* ibid.

XIII. An votum, seu iuramentum emissum, sub conditione futura contingente, de re possibili, & honesta; vt *voueo, aut iuro me ieiunaturum, si Pater meus conualuerit*, obliget ante impletam conditionem? ibid.

Ꝛ. *vt certum: quod non.* ibid.

XIV. An, vt votum, seu iuramentum conditionale statim obliget; sufficiat partem illius adimpletam fuisse? ibid.

Ꝛ. *Quod non sufficiat.* ibid.

XV. An si qui habens intentionem absolutam seruandi castitatem, dicat; *Voueo, vel iuro castitatem:* & postea, transacto aliquo paruo tempore, adiiciat conditionem aliquam; obliget ante impletam illam? pag. 293.

Ꝛ. *vt certũ obligare ante impletam conditionẽ.* ib.

XVI. An, post votum aut iuramentum promissorium alicui, sub aliqua conditione factum, possit addi aliquod grauamen, aut restrictio? ibid.

Ꝛ. *vt certum: quod non* ibid.

XVII. An, si quis sub duplici conditione voueat, aut iuret, vt, *ieiunabo, si Pater meus non moriatur, & ego pecuniam exigam:* tunc, vt votum, aut iuramentum obliget, expectanda sit vtraque conditio? p.293.

Ꝛ. *quod expectanda sit vtraque, si vouens, aut iurans indiuisibiliter vtrãque intenderit: secus aliàs, si vnam principaliter, & alteram accessoriè.* ibid.

XVIII. An, casu, quo iurans, aut vouens dubitet: an iurauerit, vel vouerit sub illis conditionibus simul sumptis; anvè diuisiuè tantum: tunc obliget votum, aut iuramentum, quacumque conditione ex illis eueniente? ibid.

Ꝛ. *vt longè probabilius: quod non.* ibid.

XIX. An quando votum, vel iuramentum, sub conditione coniunctim, vel copulatiuè emittitur: vt, *iuro, vel voueo Religionem, si Pater, & Frater meus, ex Asia venerint*, tunc obliget votum vel iuramentum, solo vno illorum adueniente? ibid.

Ꝛ. *Quod non.* ibid.

XX. An quando votum, vel iuramentum emittitur sub pluribus conditionibus, quarum altera sit possibilis, impossibilis altera, obliget adueniente sola possibili? p.294.

Ꝛ. *obligare, si verba quibus emittitur fuerint disiunctiua; secus si fuerint coniunctiua.* ibid.

XXI. An sufficiat, conditionem impleri æquiualenter, an verò, sit necesse, vt impleatur sub propria forma? ibid.

Ꝛ. *probabilius, necessum esse impleri sub propria forma.* ibid.

XXII. An, si quis voueat, aut iuret, se ingressurum Religionem, *si Romam accedat*; possit licitè Romam non adire, vt sic obligationem voti, aut iuramenti subterfugiat? ibid.

Ꝛ. *vt certum: quod possit. Legatur.* ibid.

XXIII. An etiamsi conditio, sub qua votum, aut iuramentum factum est, ab alterius voluntate pendeat, possit vouens, aut iurans, vi, vel fraude eam impedire, vt sic deobligetur à voto, vel iuramento? pag.295.

Ꝛ. *vt certum: non posse.* ibid.

XXIV. An si non vi, vel fraude, possit ad minus vouens, aut iurans, petere, vel rogare, aut persuadere Patrem v.g. vt Romam non proficiscatur, vt sic ad votum non teneatur? ibid.

Ꝛ. *probabilius: tunc posse id facere.* ibid.

XXV. An si conditio voti, aut iuramenti, ab alterius voluntate pendeat, & sit lege aliàs prohibita, teneatur vouens, aut iurans conditionem totis viribus impedire? ibid.

Ꝛ. *vt certum: quod sic.* ibid.

XXVI. An si quis iuret, aut voueat Religionem, *si in ludo victus fuerit*, possit licitè, totis viribus conari, ne in ludo vincatur? ibid.

Ꝛ. *vt certum: Posse.* ibid.

XXVII. An si quis item iuret, aut voueat Religionem, *si amicus certam Religionem ingrediatur, aut tale matrimonium obtineat*; sit reus voti, iurando, vt ille strictiorem Religionem ingrediatur, vel fœlicius matrimonium ineat? ibid.

Ꝛ. *vt certum: Non esse reum.* ibid.

XXVIII. An qui vouit, aut iurauit Religionem sub conditione, *si doctus in tali arte euadat*, possit licitè

licitè abstinere à literis, eo animo, vt voti vel iuramenti obligationem fugiat? p. 296.
℟. *Non posse licitè.* ibid.
XXIX. An si quis Religionem voto (aut iuramento) promisit sub hac conditione, *si inter certum terminum sanitatem recuperem*; faciat contra votum, si media necessaria, & consueta ad recuperandam salutem, non apponat, animo subterfugiendi voti obligationem? ibid.
℟. *vt quid certum: Quod faciat contra votum.* ib.
XXX. An qui vouit, aut iurauit Religionem, sub hac conditione, *si Deus præseruet illum per integrum annum ab aliquo peccato*: teneatur voto, si ex fragilitate, victus tentationi succumbat? ibid.
℟. *Tunc non teneri voto.* ibid.
XXXI. An prædictus vouens Religionem, *si Deus integro anno præseruet illum à tali peccato*; obligetur eo voto, in casu, quo non adhibeat eam diligentiam ad vitandum peccatum illud, quam tenebatur adhibere, eo voto non emisso? ibid.
℟. *probabilius*: *Non obligari*; *nisi quando data operâ id faceret.* ibid.
XXXII. An vouens prædictus qui peccaret malitiosè, & ex industria, vt voti obligationem effugeret, violaret dictum votum? p. 297.
℟. *probabilius*: *Quod sic.* ibid.
XXXIII. An qui culpabiliter impedit conditionem, sub qua votum emisit; teneatur voto, ac si de facto conditio impleta esset? ibid.
℟. *æquè probabiliter*: *Non teneri.* ibid.
XXXIV. An qui ex voto Religioni se dicauit, sub cõditione, *dũ Prælatus illius retinere voluerit*, maneat securus, si libertatem, male seruiendo, Monasteriũ turbando, aut aliis iniquis mediis, extorqueat? ibid.
℟. *vt certum*: *Non manere securum.* ibid.

DISPVTATIO XLII.

De voto, & iuramento conditionali pœnali. pag. 298.

QVÆST. I. QVid sit votum aut iuramentum conditionale pœnale; & in quo distinguatur à voto, & iuramento purè conditionali? ib.
℟. *Quod est, & datur quando vouens, aut iurans rẽ promissam promittit exequi, quasi in pœnam, si crimen aliquod commiserit*, &c. ibid.
II. An votum seu iuramentum conditionale pœnale sit validum, & obliget? ibid.
℟. *vt certum*: *Quod sit validum, & obliget post impletam conditionem.* ibid.
III. An votum, seu iuramentum pœnale, rectè diuidatur in simplex, & duplex? ibid.
℟. *Quod rectè.* ibid.
IV. An quando transgressio iuramenti, aut voti pœnalis omni culpa vacat, ex inuincibili obliuione, aut ex alia causa; obliget pœna tali transgressioni apposita? ibid.
℟. *Non obligare.* ibid.
V. An saltem, si in transgressione voti, aut iuramenti pœnalis interueniat obliuio, aut ignorantia, quæ non excuset transgressorem à culpa veniali; tunc obliget pœna apposita? ibid.
℟. *Adhuc non obligare.* ibid.
VI. An vouens, aut iurans memor præcepti, immemor tamen voti, aut iuramenti, peccatum mortale contra præceptum committat; obligetur ad pœnam? pag. 299.
℟. *probabilius. Tunc non obligari ad pœnam.* ibid.
VII. An saltem, si quis recordetur voti, aut iuramenti, non autem pœnæ in eo à se sibi impositæ, votumquè vel iuramentum transgrediatur; tunc obligetur ad prædictam pœnam? ibid.
℟. *probabilius*: *Adhuc non obligari ad illam.* ibid.
VIII. An in voto duplici pœnali (de quo sup. q. 3. si quis absoluatur à voto, censeatur consequenter absolutus, à pœna nondum incursa? ibid.
℟. *probabilius*: *consequenter censeri absolutum.* ibid.
IX. An etiam quando quis absoluitur à voto, vel iuramento, à se emisso; censeatur quoque absolutus à pœna iam per transgressionem primi voti aut iuramenti incursa? pag. 300.
℟. *vt certum*: *Quod non censeatur à pœna absolutus.* ibid.
X. An si quis petat dispensationem dicti duplicis voti, satis sit illi, explicare Prælato ipsum votum principale: v. g. votum de non fornicando, sine explicatione pœnæ, v. g. ingrediendæ Religionis, sub qua votum confirmauit? ibid.
℟. *æque probabiliter*: *Satis esse explicare votum principale.* ibid.
XI. An saltem, quando solius pœnæ, siue iam sit incursa siue incurrenda, impetratur dispensatio, irritatio, vel commutatio, sit opus mentionem facere principalis voti materiæ, cuius transgressioni annectitur illa pœna. ibid.
℟. *Quod alij negant*; *alij vero affirmant æquè probabiliter.* ibid.
XII. An votum, seu iuramentum pœnale obliget toties, quoties à vouente, vel iurante violatur? ibid.
℟. *dicendum esse quod de voto ludendi supra diximus.* ibid.

DISPVTATIO XLIII.

De voto & iuramento dubio, & indeterminato. pag. 300.

QVÆST. I. AN dubius emiseritne votum, aut iuramentum, teneatur illo? ibid.
℟. *probabilius: Non teneri.* pag. 301.
II. An saltem casu, quo quis magis inclinet in partem emissionis voti, vel iuramenti, vel promissionis; tunc teneatur ad implendum votum, iuramentum, &c. ibid.
℟. *probabilius: Nec in hoc casu teneri.* ibid.
III. An ad minus, qui certus est de voto, iuramento, vel promissione facta, & dubius de illorum impletione, teneatur adimplere illa? pag. 302
℟. *tanquam certum*: *Tunc teneri.* ibid.
IV. An qui dubius est, an vouerit maius, aut minus, v. g. an vouerit dare centum, an quinquaginta: teneatur ad maius, nempe ad centum? ibid.
℟. *probabilius: Non teneri ad maius, sed ad minus.* ibid.
V. An qui vouit Religionem, & dubitat, an vouerit strictiorem; item an vouerit in communi, vel hanc in particulari; possit ingredi quamlibet? ibid.
℟. *Posse quam maluerit.* ibid.
VI. An qui vouit, aut iuramento promisit castitatem, & dubitat, an perpetuam, vel tẽporalem, teneatur

ad perpetuam? ibid.
℟. *Non teneri nisi ad temporale.* ibid.
VII. An qui vouit, aut iurauit dare Ecclesiæ certas tritici mensuras, dubitat tamen, an de maioribus, vel minoribus; tunc possit eligere minores ex consuetis in illo loco? ibid.
℟. *Posse; nisi alia sit specialis ratio, &c.* ibid.
VIII. An qui vouit, aut iurauit dare panem Pauperibus; dubitat tamen qualem; possit tunc dare eis panem vsitatum? pag. 303.
℟. *Posse.* ibid.
IX. An qui vouit, aut iurauit dare Ecclesiæ Calicem; dubitat tamen de qua materia; teneatur dare calicem argenteum, vel aureum? ibid.
℟. *probabiliter quod non; sed sufficit dare calicem ex ære, aut cupro inaurato.* ibid.
X. An qui vouit, aut iurauit ieiunare, dubitat tamen an vouerit etiam abstinere à lacticiniis, teneatur abstinere ab his. ibid.
℟. *Non teneri.* ibid.
XI. An qui vouit, aut iurauit, se non accessurum ad fœminam, & dubitat, an solum de accessu fornicario intellexerit; possit licite nubere? ibid.
℟. *probabilius: Quod possit nubere.* ibid.
XII. An masculus, non nisi post decimumquartum annum; & fœmina non nisi post duodecimum voto, aut iuramento promissorio obligari possint? ibid.
℟. *vt mihi certum: Posse antea obligari.* pag. 304.
XIII. An iuramentum, votum, seu promissio facta post septennium, debeant valida reputari? ibid.
℟. *vt mihi certum: Debere; nisi alias manifestè appareat defuisse vsum rationis.* ibid.
XIV. An item, vota aut iuramenta emissa à puero ante septennium, possint esse valida? ibid.
℟. *Posse, sed communiter non reputari valida.* ibid.
XV. An qui dubitat de perfecto vsu rationis, eo quod dubitat, an emiserit votum, aut iuramentum post expletum septennium, teneatur voto, & iuramento? ibid.
℟. *non improbabiliter: Non teneri.* ibid.
XVI. An si quis sit certus de promissione, voto, aut iuramento; dubitat tamen de animo se obligandi teneatur dicta promissione, voto, aut iuramento; pag. 305. ?
℟. *vt mihi certum: Teneri.* ibid.
XVII. An saltem, in iuramento metu extorto, præsumi debeat in casu dubio, iurantem non habuisse intentionem se obligandi? ibid.
℟. *vt certum mihi: Non debere præsumi, non habuisse intentionem se obligandi.* ibid.
XVIII. An ad minus, si iurans in dicto euentu, dubius sit an cum ambiguitate verborum, vel restrictione mentis iurauerit; tunc iuramento deobligetur? ibid.
℟. *tunc iam deobligari.* ibid.
XIX. An qui dubitat, an votum, iuramentum, aut promissionem emiserit tempore somni, ebrietatis, vel phrenesis; an tempore sanæ mentis, præsumere debeat se tempore sanæ mentis emisisse, ac proinde valere? ibid.
℟. *æque probabiliter: Non valere.* ibid.
XX. An si certus quis sit, se tempore somni, ebrietatis, vel phrenesis promissionem, votum, aut iuramentum fecisse, dubitat tamen, an tunc fuerit plenus somnus, vel plena ebrietas, aut phrenesis, quæ tollat libertatem; tunc teneatur promissione, voto, aut iuramento? pag. 306.
℟. *tanquam certum: minimè his teneri.* ibid.
XXI. An qui tempore iræ, aut alterius passionis, seu perturbationis, promisit, vouit, aut iurauit aliquid; si postea dubius sit de suo vsu rationis, maneat obligatus promissione, voto, aut iuramento? ibid.
℟. *Quod dato, quod dubius verè existat (quod difficile euenire potest) tunc non sit obligatus.* ibid.
XXII. An, ex eo quod cessante calore iracundiæ, pœniteat quem promissionis, voti, aut iuramenti facti; inferatur bene, non esse valida, aut obligatoria? ibid.
℟. *vt mihi certum: Non bene inferri.* ibid.
XXIII. An dubius de materia voti, iuramenti, aut promissionis, num sit bona, vel mala; teneatur voto, iuramento, & promissione? ibid.
℟. *Non teneri.* ibid.

DISPVTATIO XLIV.

De malitia, & obligatione iuramenti, aut promissionis præstitæ, absque animo iurandi, aut se obligandi. pag. 307.

QVÆST. I. QVibus modis potest fictio, in iuramento, aut promissione reperiri? ibid.
℟. *Quod tribus. Nempe, sine animo iurandi. Sine animo se obligandi; vel cum animo se obligandi, sed sine animo exequendi rem promissam.* ibid.
II. An qui non coactus iurat falsum quid, sine animo tamen iurandi, peccet mortaliter? ibid.
℟. *vt quid certum, semper peccare mortaliter, siue iuret in iudicio, siue extra, &c.* ibid.
III. An etiam peccet mortaliter, qui iurat falsum, sine animo iurandi, casu quo coactus iuret. ibid.
℟. *(quiquid alij dicant) etiam peccare mortaliter.* ibid.
IV. An etiam peccet mortaliter, qui extra iudicium, & contractus iurat verum, sine animo iurandi? ib.
℟. *probabiliter: Non peccare mort. sed venialiter.* ibid.
V. An ad minus sit mortale iurare in iudicio, vel in contractibus veritatem sine animo iurandi? p. 308.
℟. *esse mortale, si adsit quædam limitatio.* ibid.
VI. An qui iurat habens expressum animum non se obligandi (quod solum in iuramento de futuro esse potest) peccet mortaliter semper? ibid.
℟. *Probabiliu: Non semper peccare mortaliter.* ib.
VII. An quando quis iurat habens animum iurandi, & se obligandi, non tamen implendi iuramentum: peccet mortaliter? ibid.
℟. *vt certum: quod sic.* ibid.
VIII. An qui iurat aut vouet, sine animo, & intentione iurandi aut vouendi, obligetur tali iuramento, & voto? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
IX. An item deobligetur iuramento, aut voto, qui iurat, aut vouet verè, sed cum animo expresso non se obligandi? ibid.
℟. *probabilius: Etiam in hoc casu deobligari.* pag. 309.
X. An item deobligetur iuramento, & voto, qui iurat aut vouet, absque expressa intentione, aut voluntate se obligandi? ibid.

℟ pro-

R. *probabilius : Manere tunc obligatum tali iuramento , aut voto.* ibid.
XI. An deobligetur iuramento & voto, qui iurat,aut vouet, animo promittendi , & se obligandi, non tamen implendi rem promissam ? ibid.
R. *vt mihi certum : Quod non , sed potius peccet mortaliter ; & maneat obligatus tali iuramento,& voto.* ibid.

DISPVTAT. XLV.

De iuramento amphibologico , seu æquiuoco. pag.309

§. I.

De iuramento facto cum amphibologia sensibili. ibid.

QVÆST.I. AN iurans committat mendacium, & consequenter periurium , quando profert verba duplicem sensum habentia,alio sensu , quàm audiens intelligat. ibid.
R. *Nec committere mendacium , nec periurium.* ibid.
II. An igitur sit licitum alicui absque iusta causa iurare cum æquiuocatione ,alio sensu,quàm intelligat audiens ? p.310
R. *vt certum : Non esse illi licitum , sed peccatum committere.* ibid.
III. An adminus sit licitum,interueniente iusta causa, vti æquiuocatione , aut verbis amphibologicis, & iurare alio sensu , quàm alter intelligat ? ibid,
R. *vt certum : Quod sic.* ibid.
IV. An sit mortale , iurare cum æquiuocatione , & amphibologia, ita vt audiens non intelligat; casu, quo non adsit iusta causa ? ibid.
R. *probabilius : Non esse mortale , seclusâ iniustitia aut alia extrinseca circunstantia.* ibid.
V. Quænam sit causa iusta vtendi amphibologiis, & æquiuocationibus in iuramento ? pag. 311.
R. *quod erit necessitas , aut vtilitas corporis,honoris, aut rerum familiarium, &c.* ibid.
VI. An sit iusta causa vtendi æquiuocatione, & amphibologia,iocus honestus, etiam casu, quo id fiat cum iuramento ? ibid.
R. *Esse iustam causam vtendi æquiuocatione, dummodo id fiat sine iuramento.* ibid.
VII. An etiam sit iusta causa iurandi amphibologicè, quod quis importunè rogetur ab aliquo priuato ad iurandum ? ibid.
R. *probabilius: Esse iustam causam.* ibid.
VIII. An quando quis à nemine rogatus,se ad iurandum se offert ; possit amphibologiis vti ? ibid.
R. *Non posse ; nisi aliàs necessitas , aut vtilitas iurantis adsit.* ibid.

§. II.

De iuramento facto cum amphibologia mentali. pag.311.

IX. QVænam dicatur , & sit amphibologia mentalis ? ibid.
R. *Quod est , & datur quando aliqua propositio distrahitur à propria significatione , per aliquam restrictionem mente conceptam.* ibid.
X. An possit quis aliquando vti amphibologia , seu restrictione mentali , absque mendacio ? pag.312
R. *probabilius : Posse.* ibid.
XI. An quoties licitum sit , vti restrictione mentali , toties licitum sit etiam iuramento vti ? ibid.
R. *Quod sic.* ibid.
XII. An sit mortale iurare cum restrictione mentali absque iusta causa ? ibid.
R. *probabilius : Ex se non esse mortale , sed veniale.* pag.313

§. III.

Specificanturaliqui casus contra Authores primæ sententiæ q. 10. in quibus licitum est vti restrictione mentali. ibid.

XIII. AN veniens è loco, qui falso putatur peste infectus,& interrogatus;an ex tali loco veniat ; possit cum iuramento respondere; se ex eo non venire, addendo tacitè , vel mente , hodie, vel vbi sit pestis. ibid.
R. *probabilius : Posse.* ibid.
XIV. An Religiosi,& Clerici venientes ex loco verè pestilenti , ac de hoc rogati ab vrbis Custodibus; teneantur ad iuramentum præstandum, & veritatem dicendam ? ibid.
R. *teneri ad præstandum iuramentum ; sed possunt vti restrictione mentali, sicuti alij laici.* ibid.
XV. An si Clericus,aut alius exemptus probabiliter à gabellæ solutione,interrogetur, an portet talem, vel talem rem, possit iurare absolutè non portare. ibid.
R. *probabilius : Posse;intelligendo,non ita portare, vt gabellam debeat.* ibid.
XVI. An habens iustam , vel probabilem causam occultãdi fisco, vel creditoribus aliqua bona: possit vti restrictione mentali , iurando,se non occultasse ? ibid.
R. *probabilius : Posse.* ibid.
XVII. An , si debitor pauper , præ paupertate excusetur à debito tunc soluendo , & exactor illum premat, vt statim soluat;possit à iudice interrogatus , iurare illas pecunias non accepisse ? pag. 314.
R. *probabilius : Posse, vtendo restrictione mentali.* ibid.
XVIII. An,qui nummos mutuò acceptos soluit:possit in iudicio negare se illos accepisse ? ibid.
R. *probabilius : Posse,intelligendo , ita vt teneatur illos soluere.* ibid.
XIX. An item , interrogatus , an debeat centum ex mutuo , cum verè solum debeat quinquaginta , possit iurare , se non accepisse mutuo centum? ibid.
R. *Posse.* ibid.
XX. An rogatus à iudice , an debeat centum , cum tamen solum debeat quinquaginta ; vel de fundo an sit suus , cum sola pars sit sua ; possit absolutè negare centum debere : & etiam negare fundum esse suum ? ibid.
R. *Probabilius : Posse absolutè negare , & cum iuramento.* ibid.
XXI. An creditor , qui virtute instrumenti publici exigit debitum , cuius pars est soluta;possit iura-

re totam illam ſummam ſibi deberi, ſi alio titulo tantumdem ſibi debeatur, & alia viâ illud recuperare non poſſit? pag. 315.
Rz. *Poſſe ita iurare.* ibid.
XXII. An is, qui mutuare non tenetur, poſſit iureiurando reſpondere petenti pecuniam, aut librum mutuum, ſe illam, aut illum, non habere, intelligendo intra ſe; *in alio loco ab eo in quo illa habet; vel vt mutuo det, &c.* ibid.
Rz. *probabilius: Poſſe.* ibid.
XXIII. An item, poſſit vti eadem æquiuocatione, ſi mutuum, quod petitur, ſit aliquo modo debitum petenti? ibid.
Rz. *probabilius: Poſſe vti illa, ſine periurio, & mendacio.* ibid.
XXIV. An, Scholaſticus rogatus à iudice, an fuerit locutus cũ aliquo ex oppoſitoribus ad Cathedrã; vel illius domum ingreſſus; poſſit reſpondere, quod non, ſi verba, vel ingreſſus non fuerint ſubornationis cauſa? ibid.
Rz. *Poſſe.* ibid.
XXV. An, adultera interrogata à Marito, an adulterium commiſerit; poſſit iurare, ſe non fregiſſe Matrimonium, aut iurare, ſe non commiſiſſe adulriũ, ſubintelligendo intra ſe; *vt tibi reuelem?* p. 316.
Rz. *Poſſe. Vnde alia dubia.* ibid.
XXVI. An coactus iurare accipere aliquam in ſponſam, quam ducere non tenetur: poſſit iurare ſe illam ducturum, ſubintelligendo, *ſi debuero, aut obligationem habuero?* ibid.
Rz. *Poſſe.* ibid.
XXVII. An mercatores, qui non poſſunt iuſtum pretium ab emptoribus obtinere; poſſint cum æquiuocatione iurare tanti, vel tanti ſibi mercem ſtare, cùm de facto non ſtet? ibid.
Rz. *Probabilius: Poſſe.* ibid.
XXVIII. An ſimiliter emptores poſſint cum æquiuocatione iurare, mercem aliàs minoris emiſſe, vt ſic venditores deſcendant ad iuſtum pretium? p. 317.
Rz. *probabilius: Poſſe ſimiliter.* ibid.
XXIX. An rogatus à iudice de furto, quod in recompenſationem accepit; poſſit iurare, ſe illud non accepiſſe, ſubintelligendo, *ita vt reſtituere debeam?* ib.
Rz. *Poſſe.* ibid.
XXX. An item, rogatus de delicto, quod ſaltem ex opinione probabili non tenetur manifeſtare; poſſit iureiurando negare illud feciſſe, ſubintelligendo, *in carcere*, vel, *ad dicendum*, &c. ibid.
Rz. *Poſſe ita illud negare.* ibid.
XXXI. An caſu, quo reus aut teſtis detexerit ſocios iniquè, cum non deberet, teneatur dicere ſe mentitum; vel, iuramento amphibologico, ſe tetractare; ſi ſperet damnum factum ſic recuperaturum? ib.
Rz. *Non ſolum poſſe id facere; ſed & teneri.* ibid.
XXXII. An Pœnitens temerè interrogatus, an hoc vel illud peccatum confeſſus ſit; poſſit iurare, ſe non confeſſum, intelligendo, itavt teneatur illi explicare? ibid.
Rz. *vt mihi certum: Poſſe.* ibid.
XXXIII. An rogatus de tranſitu delinquẽtis, poſſit negare tranſiſſe hac, ſubintelligendo, *per locum, quem pede, vel manu tangit?* pag. 318.
Rz. *vt mihi certum: Poſſe intercedente cauſa iuſta.* ibid.
XXXIV. An Religioſus, cuius Profeſſio eſt re vera inualida, nec ab ipſo ratificata, ſi intra quinquennium non reclamauit; poſſit, elapſo quinquennio iurare, ſe non reclamaſſe ob ignorantiam? ibid.
Rz. *Poſſe.* ibid.
XXXV. An, qui occidit aliquem, ob ſui defenſionem; poſſit cum reſtrictione mentali, iurare ſe non occidiſſe? ibid.
Rz. *Poſſe.* ibid.
XXXVI. An, quando quis pluris taxa, probabiliter iniuſta, aliquid vendidit; poſſit rogatus à iudice, negare pluris taxâ vendidiſſe? ibid.
Rz. *Poſſe.* ibid.
XXXVII. An etiam æquiuocè, aut cum reſtrictione mentali, iurare poſſit (ſi adſit iuſta cauſa) ille, qui interrogatur, vt reſpondeat excludendo omnem æquiuocationem? p. 319.
Rz. *Poſſe.* ibid.
XXXVIII. An vtens quacumque ex dictis amphibologiis, debeat cognoſcere in particulari modum, quo debeat veritatem tegere, & occultare, ſine mendacio? ibid.
Rz. *Non debere.* ibid.

DISPVTATIO XLVI.

De voto, aut iuramento promiſſorio, emiſſo vi metus intrinſeci, vel à cauſa intrinſeca illati. pag. 329.

QVÆST. I. AN votum, ſeu iuramentum, emiſſum tempore infirmitatis, de ingredienda Religione, aut ſeruanda caſtitate, ſi priſtina recuperetur ſalus, ſit validum, & obliget in conſcientia? ibid.
Rz. *vt certum: eſſe validum, & obligare.* ibid.
II. An ſaltem tale votum, ſeu iuramentum ſit inualidum, ſi emittatur in grauiſſimi morbi æſtu? ibid.
Rz. *vt certum: Etiam eſſe validum.* ibid.
III. An, item ſit validum iuramentum, aut votum ingrediendæ Religionis, factum ex quocumque metu, etiam grauiſſimo, proueniente à cauſis aliis naturalibus; vt à naufragij, & peſtis periculo? pag. 320.
Rz. *vt certum etiam eſſe validum.* ibid.
IV. An votum, aut iuramentum Religionis, aut caſtitatis, factum in graui infirmitate; poſſit diſpenſari ab Epiſcopo, aut à Regularibus priuilegiatis, exiſtente iuſta cauſa? ibidem.
Rz. *Probabilius: Poſſe.* ibid.

TRACTATVS SECVNDVS

De Voto. pag. 321.

DISPVTATIO PRIMA.

De essentia & obligatione voti. ibid.

QVÆST. I. AN hoc nomen *votum*, non solum pro *Promissione*, verum etiam pro *Desiderio* accipiatur? ibid.

R. *vt certum*: *Pro vtroque accipi.* ibid.

II. An votum sic rectè definiatur: *Est promissio Deo facta de meliori bono*? ibid.

R. *Quod sic.* ibid.

III. Quot conditiones ad verum valorem voti desiderentur? ibid.

R. *Quod quinque, nempe, deliberatio, propositum, promissio, & quod hæc fiat Deo, & de meliori bono.* ibid.

IV. An, ad voti valorem opus sit, vt fiat verbis, aut exterioribus signis? ibid.

R. *vt certum: Quod non.* ibid.

§. I.

De deliberatione, seu libertate requisita in voto, & iuramento. pag. 322.

V. AN ad voti valorem requiratur deliberatio, seu libertas? ibid.

R. *vt certum: Requiri.* ibid.

VI. An ad voti (seu iuramenti) valorem, exigatur plena deliberatio, & matura discussio omnium circunstantiarum, quæ in re promissa occurrere possunt? ibid.

R. *vt mihi certum: Non exigi.* ibid.

VII. An, ad valorem voti (seu iuramenti) obligantis sub mortali; sufficiat semiplena libertas, seu deliberatio? ibid.

R. *vt certum: Quod non sufficit.* ibid.

VIII. An saltem, semiplena libertas, seu deliberatio, sit sufficiens ad votum (seu iuramentum) quod solum sub veniali obliget? ibid.

R. *vt multò probabilius: adhuc non esse sufficientem.* ibid.

X. An sola libertas, seu deliberatio, quæ ad peccandum mortaliter sufficiat; sit sufficiens & requisita necessario ad voti, seu iuramenti valorem? p. 323.

R. *vt mihi certum: quod sola illa sit sufficiens, & requisita.* ibid.

X. An ad valorem voti, seu iuramenti, sufficiat deliberatio virtualis, quæ fundatur in actuali, & formali deliberatione præcedente? ibid.

R. *vt certum: quod sufficiat.* ibid.

XI. An, item sufficiat ad valorem voti, seu iuramenti, deliberatio virtualis, quæ non fundatur in actuali præcedente, sed in consuetudine, vel malitia, quam quis habet aliquid faciendi? pagina. 324.

R. *vt multò probabilius: Non sufficere.* ibid.

XII. An, qui præuidet in somno, aut ebrietate, vota, aut iuramenta, emittere; & de hoc non curans, inebriatur, aut dormit, & sic votum, aut iuramentum emittit; validè voueat, aut iuret? ibid.

R. *vt certum: Quod non.* ibid.

XIII. An siquis ante ebrietatem vel somnum, voueat, aut iuret, seruare v.g. castitatem, *si ebrius, aut somnolentus, verba promissoria castitatis proferat*; tunc posita conditione, tali voto obligetur? ibid.

R. *vt certum: quod sic.* ibid.

§. II.

De proposito requisito ad votum, & iuramentum. pag. 325.

XIV. QVid sit propositum, & in quo distinguatur à deliberatione? ibid.

R. *vt certum distingui verè. Lege quæstionem.* ibid.

XV. An saltem propositum absolutum exequendi rem honestam in cultum Dei (excluſa promissione) sufficiat ad votum? ibid.

R. *vt certum* (*quidquid alij dicant,*) *non sufficere.* ibid.

XVI. An sit peccatum, veniale saltem, resilire à bono efficaciter proposito? ibid.

R. *probabilius: Non esse adhuc veniale.* ibid.

§. III.

De promißione requiſita ad votum & iuramentum. pag. 326.

XVII. QVid ſit promiſſio requiſita ad votum: & in quo à Propoſito differat? ibid.
℟. *quod eſt actus, quo nos obligamus ad aliquid faciendum ad Dei cultum, &c.* ibid.
XVIII. An, promiſſio ita ſit de eſſentia voti, vt etiam ſine propoſito, ſufficiat ad illius valorem? ibid.
℟. *vt certum: Non ſufficere ſine propoſito.* ibid.
XIX. An votum ſimplex ſufficienter perficiatur per ſolam Promiſſionem, ſine traditione? ibid.
℟. *vt certum: Quod ſic.* ibid.

§. IV.

Qua ratione intelligatur id, quod in definitione dicitur, nempe: *votum eſſe de meliori bono, aut meliorum bonorum.* pag. 327.

XX. AN votum ſemper debeat fieri de meliori bono? ibid.
℟. *Quod ſic.* ibid.

DISPVTATIO II.

De multiplicitate votorum. ibid.

QVÆST. I. IN Quotuplex diuidatur votum? ibid.
℟. *Quod in ſex præcipuè ſpecies.* ibid.
II. Quid ſint votum abſolutum, purè conditionatum, & conditionatum pœnale? ibid.
℟. *quod abſolutum eſt illud quod obligat abſolutè, & ab omni conditione indepẽdens. Purè conditionatum, quod obligat, poſita aliqua conditione: & conditionatum, pœnale, quod obligat ſub aliqua pœna poſita.* ibid.
III. Quid ſit votum ſolemne, & votum ſimplex. ibid.
℟. *Quod ſolemne eſt illud, quod fit publicè, &c. Simplex vero, quod fit priuatim.* ibid.
IV. An votum ſolemne, & ſimplex differant ſpecie? ibid.
℟. *probabilius, quod non.* ibid.
V. An votum ſolemne differat ex natura rei, & iure diuino, à voto ſimplici? ibid.
℟. *Non differre ex natura rei, aut eſſentialiter, ſed ſolum accidentaliter, &c.* ibid.
VI. Quid ſit votum neceſſariũ, & votum liberũ? ib.
℟. *quod votum neceſſarium eſt illud, quod in Baptiſmo omnes emittunt: liberum vero, quod non ex præcepto, ſed voluntariè, & ſponte emittitur.* ibid.
VII. Quid ſit votum commune, & quid ſingulare, aut particulare? ibid.
℟. *Quod ſint idem, ac votum neceſſarium, & liberum.* ibid.
VIII. Quid ſit votum reale, perſonale, & mixtum? pag. 309.
℟. *Quod reale, eſt illud, quo promittitur res externa. Perſonale, quo promittur res attinens ad ſolam perſonam. Et mixtum, quo promittitur vtrumque.* ibid.
IX. Quid ſit votum affirmatiuum; quidve negatiuum? ibid.
℟. *Quod, illud eſt, quo promittitur aliquid faciendum: hoc vero, quo promittitur non efficere aliquid.* ibid.
X. Quid ſit votum perpetuum: Quidve temporale? ibid.
℟. *Quod perpetuum durat vſque ad finem vitæ, & aliquando, etiam poſt. Temporale vero ſolum vſque ad certum tempus.* ibid.
XI. Quid ſit votum reſeruatum: Quidve non reſeruatum? ibid.
℟. *Quod reſeruatum eſt illud in quo immediati Prælati non habent facultatem diſpenſandi aut commutandi. Non reſeruatum vero, in quo hanc habent facultatem.* ibid.
XII. Quid ſit votum publicum; Quidve occultum? ibid.
℟. *Quod publicum eſt, quod fit in publico. Occultum vero, quod in occulto.* ibid.
XIII. Quid ſit votum expreſſum; Quidve tacitum, vel, quod idem eſt, quid explicitum; Quidve implicitum? ibid.
℟. *Quod expreſſum, ſeu explicitum, eſt illud quo quis Deo ſe expreſſis verbis obligat: tacitum vero, ſeu implicitum, illud quod fit expreſſis verbis, &c.* ibid.

DISPVTATIO III.

De obligatione voti. pag. 329

QVÆST. I. AN ſit peccatum, vota non implere? ibid.
℟. *de fide certum: Quod ſit.* ibid.
II. An ex genere ſuo ſit mortalis votorum violatio? pag. 330
℟. *etiam de fide certum: Eſſe.* ibid.
III. An voti tranſgreſſio ſit contra primum præceptum primæ Tabulæ? ibid.
℟. *æque probabiliter quod non, ſed contra ſecundum præceptum.* ibid.
IV. An votum queat obligare, vrgente diuino, aut humano præcepto? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
V. An violatio voti poſſit eſſe venialis, ex ſurreptione, ſeu indeliberatione? ibid.
℟. *vt quid certum: Poſſe.* ibid.
VI. An etiam poſſit eſſe venialis violatio voti, ex leuitate materiæ; etiamſi cum ſufficienti deliberatione fiat? ibid.
℟. *probabilius: Etiam poſſe.* ibid.

VII. An

VII. An possit fieri votum in materia graui, quod non obliget ad culpam vllam, sed solum ad pœnam, ex intentione vouentis? ibid.
℟. *probabilius, & clarius: Posse fieri, sed non de re promissa, sed de pœna.* ibid.
VIII. An etiam casu, quo materia voti sit grauis, possit quis votum emittere, & illud sua intentione limitare, vt solum ad culpam venialem, & non ad mortalem, obliget? pag. 331.
℟. *probabilius: Posse.* ibid.
IX. An etiam è contra, casu quo materia sit leuis, possit vouens, ex sua intentione, se obligare ad mortalem culpam? ibid.
℟. *vt longe probabilius: Non posse.* ibid.
X. An, qui generaliter proposuit, intentionem suam esse, nunquam se per votum obligare nisi ad veniale; si postea votum voueat in materia graui, oblitus illius propositi, censeatur solùm ad veniale se obligare? p. 332.
℟. *probabilius: solum censeri ad veniale se obligare.* ibid.
XI. An ex multiplicatis transgressionibus circa materiam leuem, contingat committi peccatum mortale? ibid.
℟. *æquè probabiliter, quod non.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De materia, & fine voti. pag. 332

§. I.

De materia voti. ibid.

QVÆST. I. AN, materia voti, necessariò debeat esse bona? ibid.
℟. *vt certum: Debere.* ibid.
II. An votum debeat necessariò esse de bono possibili? ibid.
℟. *vt quid certum: Quod sic.* ibid.
III. An votum debeat esse de re bona, & honesta; & An possit esse de rebus præceptis. ibid.
℟. *ad vtrumque, vt certum, quod debeat, & possit.* ibid.
IV. An votum illius rei, ad quam ex præcepto tenetur vouens, sit propriè votum, & addat nouam speciem necessario fatendam? ibid.
℟. *vt quid certissimum (Quidquid Tabiena dixerit) quod sic.* ibid.

§. II.

De materia indifferenti, & an sit apta voti. pag. 333.

V. QVando materia voti dicatur, & sit indifferens? ibid.
℟. *Quod quando ex se, nec bona, nec mala est.* ibid.
VI. An votum de re, vt sic indifferenti, sit validum & obliget? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
VII. An votum de re, aut actu indifferenti emissum, indigeat dispensatione, aut commutatione? ibid.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
VIII. An sit peccatum, votum rei indifferentis vt sic, emittere? ibid.
℟. *vt certum: Esse peccatum solum veniale.* ibid.
IX. An, si res indifferens, ob aliquam circunstantiam, reddatur honesta, tunc sit apta materia voti? ibid.
℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.
X. An vt res indifferens fiat honesta, sufficiat, vt ad bonum finem, ipsam vouens referat? ibid.
℟. *vt certum: Quod non sufficiat.* ibid.
XI. An, votum fœminæ non nendi in sabbato in honorem B. Virginis, relicta facultate exercendi alia seruilia; sit validum, & obliget? pag. 334.
℟. *vt certum: Quod non.* ibid.
XII. An saltem, dictum votum esset validum, si fœmina tale votum emitteret, hoc fine vestitum, nempe, vt expeditior esset ad recitandos sæpius calculos Virgineos? ibid.
℟. *Esse validum tunc, casu quo oriatur impedimentum aliquod ad sæpius recitandos Virgineos calculos: alias non.* ibid.
XIII. An ad minus esset validum votum, quod quis emitteret, de abstinendo die sabbati ab omni opere seruili in honorem B. Virginis? ibid.
℟. *vt certum: Quod tunc iam esset validum.* ibid.
XIV. An, votum de non edendis carnibus igne assis in die S. Laurentij, in eius honorem: & votum non vescendi animalium capitibus in die S. Ioannis in honorem ipsius, sit vanum, & irritum? ibid.
℟. *Esse irrita, & nulla, nisi id faceret vouens ad se priuandum aliqua speciali voluptate.* ibid.
XV. An valeat votum abstinendi ab omni cibo igne condito, in vigilia S. Laurentij, in eius honorem emissum? ibid.
℟. *vt certum (quiquid alij dicant) valere.* ibid.
XVI. An si quæ fœmina voueat, se amictu albo semper vsuram: teneat, & valeat votum? ibid.
℟. *probabilius. Non valere, nisi in casu speciali.* ibid.
XVII. An sit validum votum vtendi vestibus honestis; necnon & votum induendi vestes viles, & asperas? pag. 335.
℟. *vt certum: Hæc vota esse valida.* ibid.
XVIII. An votum agitandi tauros in honorem alicuius Sancti, sit validum & obliget? ibid.
℟. *vt quid certum (quidquid Prado dixerit) esse omnino inualidum, vanum & superstitiosum.* ibid.
XIX. Bene tamen esse omnino validum, votum factum dicendi in principio sermonis, hæc verba: *Alabado sea el Santissimo Sacramento, y la Immaculada Conception de Maria Santissima Señora nuestra*, &c. pag. 336. & seqq.
XX. An votum nocturnarum vigiliarum sit validum? pag. 339.
℟. *Quod non sit, vbi tales vigiliæ sunt interdictæ.* ibid.
XXI. An votum nunquam ingrediendi mare; vel nunquam equitandi, ratione periculi, quod in

nauigando, aut equitando, vouens passus est, sit validum? ibid.
Rz. *absolutè loquendo, non esse validum: benè tamen si hoc fit ad euitandum aliquod periculum.* ibid.
XXII. An vt valeat votum, necessum sit quod adsit honestas in re, quæ promittitur, tempore, quo votum emittitur? ibid.
Rz. *vt longè probabilius: quod sit necessum.* p. 340.

§. III.

De fine indifferenti. ibid.

XXIII. AN, votum rei bonæ, emissum, ob finem indifferentem, sit inualidum? ib.
Rz. *vt certum: quod sit.* ibid.
XXIV. An validum sit votum emissum ob finem rerum temporalium assequendarum? ibid.
Rz. *vt certum: esse validum.* ibid.
XXV. An valeat votum *ieiunandi*, eo fine emissum vt sumptibus quis parceret. Aut *elargiendi* eleemosynam, vt auaritiæ opinionem tolleret? ibid.
Rz. *vt certum: minime valere.* ibid.
XXVI. An similiter, votum non ludendi, solo fine non amittendæ rei familiaris, sit inualidum, & irritum? ibid.
Rz. *vt certum: quod non sit inualidum.* ibid.
XXVII. An vouere rem bonam, ob finem indifferentem, sit peccatum? ibid.
Rz. *vt certum: esse peccatum, veniale tamen.* ibid.

§. IV.

De valore voti rei bonæ, facti ob finem malum. pag. 341.

XXVIII. AN quando quis vouet rem de se bonam, ob malum finem consequendum; teneatur voto? ibid.
Rz. *vt certum: quod non.* ibid.
XXIX. An votum emissum ad obtinendum auxilium à Deo, pro modo, aut turpi facto, sit nullum? ibid.
Rz. *vt certum: quod sit nullum.* ibid.
XXX. An, votum, quo quis eleemosynam Deo promittit, si incolumis, & saluus ex bello, aut duello iniusto euadat, sit validum? ibid.
Rz. *probabilius: Esse validum.* ibid.
XXXI. An etiam sit validum votum emissum in gratiarum actionem, pro victoria iniustè parta? ibid.
Rz. *æque probabiliter: Esse validum, & licitum, si votum sit de materia capaci.* ibid.
XXXII. An votum factum de re, aut actione bona, sub conditione turpi; vt *voueo calicem, si habuero superflua ex meretricio*; sit validum? pag. 342.
Rz. *vt certum (quidquid alij dicant) esse validum?* ibid.

§. V.

De peccatis vouentis aliquid illicitum. ibid.

XXXIII. AN, vouere facere aliquod peccatum mortale, sit peccatum mortale? ibid.
Rz. *vt quid certissimum: Esse peccatum mortale, non contra Religionem.* ibid.
XXXIV. An item sit mortale, vouere facere aliquod mortale, sine proposito tamen, promissum adimplendi? ibid.
Rz. *probabilius: esse etiam mortale sacrilegium.* ibid.
XXXV. An saltem, sit solum veniale, vouere aliquod mortale, sine intentione se obligandi? ibid.
Rz. *probabilius: etiam esse mortale.* ibid.
XXXVI. An item sit peccatum mortale vouere facere aliquod veniale, animo se obligandi, & adimplendi illud? pag. 343.
Rz. *probabilius: Esse veniale si id faciat, sine aduertentia ad specialem malitiam quam imbibit tale votum: mortale verò si aduertat.* ibid.
XXXVII. An peccet mortaliter qui adimplet votum rei venialis, eo quod vouerit, tale veniale facturum? ibid.
Rz. *Peccare mortaliter.* ibid.
XXXVIII. An quis licitè possit vouere aliquid oppositum Consiliis Euangelicis, & aliis Consiliis? ibid.
Rz. *vt certum: quod non.* ibid.
XXXIX. An peccet mortaliter, qui secluſa ignorantia vouet se facturum aliquid oppositum Consiliis, vt non futurum Religiosum; non renunciandum temporalibus, non ieiunandum, &c. p. 344.
Rz. *vt multò probabilius: Non peccare, nisi venialiter.* ibid.
XL. An, vota contra Consilia, possint aliquando cum aliqua moderatione, validè, & licitè emitti? ibid.
Rz. *Posse.* ibid.
XLI. An, votum non acceptandi Episcopatum, aut aliam Prælaturam, sit validum? ibid.
Rz. *vt mihi certum: Esse validum.* ibid.
XLII. An aliquis Prælatus inferior Pontifice, possit cogere ad acceptandum Episcopatum? p. 345.
Rz. *Quod non.* ibid.
XLIII. An item validum sit votum non suscipiendi beneficium, aut quodcumque regimen animarum? ibid.
Rz. *vt mihi certum: Esse validum.* ibid.
XLIV. An deinde, validum sit votum non suscipiendi Ordines, præcipuè sacros? ibid.
Rz. *vt multò probabilius: Non esse validum, sicut nec est votum non suscipiendi statum clericalem.* ibid.
XLV. An, votum ieiunandi die Dominica, sit validum? pag. 346.
Rz. *probabilius: Esse validum, secluso scandalo.* ibid.
XLVI. An, qui fecit votum de ieiunanda vigilia alicuius sancti, si hæc incidat in Dominica, possit die sabbati antecedenti ieiunare? ibid.
Rz. *Posse.* ibid.

XLVII. An item, qui votum emisit de ieiunanda vigilia Annunciationis B. Mariæ, si illa incidat in feria secunda, aut tertia Paschæ Resurrectionis, teneatur in illa ieiunare? p.347.

R. *Quod si vigilia incidat in Dominica Resurrectionis, tunc possit vouens ieiunare die sabbati, si vero incidat in feria secunda, aut tertia Paschæ, tunc tenetur in illis ex vi voti ieiunare.* ibidem.

§. VI.

De voto, & iuramento contrahendi matrimonium. ibid.

XLVIII. AN si quis cum iuramento promittat alicui fœminæ nuptias, teneatur vi iuramenti illas adimplere? ibid.

R. *vt quid certum: quod sic: nisi sacerdotem, aut Religiosum esse decreuerit.* ibid.

XLIX. An etiam, si quis voueat contrahere matrimonium absolutè, teneatur vi voti, ad illud contrahendum? ibid.

R. *vt quid certum: non teneri.* ibid.

L. An saltem, votum contrahendi matrimonium esset validum, casu quo matrimonium vouenti esset in præcepto? p.348.

R. *vt quid certum: Tunc esse validum.* ibid.

LI. An item, validum sit votum contrahendi matrimonij ad legitimandos filios ex concubina genitos? ibid.

R. *vt certum: Etiam esse validum.* ibid.

LII. An deinde validum sit votum de contrahendo matrimonio, si fiat animo non consummandi, sed ingrediendi Religionem, ante consummationem, aut vtrinque castitatis voto emisso? ibid.

R. *vt quid certum: Non esse validum, nisi aliàs aliqua specialis ratio intercedat.* ibid.

LIII. An saltem, validum sit votum contrahendi matrimonium factum ab illo, qui ita se fragilem & procliuem ad carnis peccata sentit, vt vix contineri possit? ibid.

R. *Quod alij affirmant; alij vero negant, omnes probabiliter.* p.349.

LIV. An validum sit votum non nubendi, factum ab eo, cui salubrius est matrimonium, ob frequentem lapsum in res venereas, inire? ibid.

R. *Quod speculatiuè loquendo, probabilius est, tale votum non esse validum: practicè vero probabilius, quod sit.* ibid.

LV. An etiam prima sententia relata sit probabilis, loquendo de voto solemni castitatis? ibid.

R. *vt certum: quod non.* ibid.

LVI. An, validum sit votum, quod quis absolutè emisit, ducendi meretricem in vxorem, vt eam liberaret à malo statu? p.350.

R. *probabilius, quod tale votum absolutè emissum non sit validum.* ibid.

LVII. An saltem tale votum sit validum, si fiat, non absolutè, sed sub conditione, nempe, *Voueo quod si aliquam vxorem ducturus sim, ducam meretricem, vt illam à morte spirituali liberem: vel pauperem, vt ei subueniam*? ibid.

R. *vt certum: tunc iam esse validum.* ibid.

LVIII. An, votum præfatum, emissum sub hac forma absolnta: *Voueo Deo me ducturum puellam pauperem, vel meretricem*; habeat supradictum sensum conditionatum; *si aliquam ducturus sum: voueo ducere pauperem, vel meretricem?* ibid.

R. *probabilius, quod non.* ibid.

DISPVTATIO V.

De personis, quæ vouere Deo possunt. pagina 350.

QVÆST. I. AN omnes homines ratione vtentes, possint astringi voto, nisi specialiter impediantur? ibid.

R. *vt certum: Posse.* ibid.

II. An Masculus, & Fœmina possint ante pubertatem voto se obstingere, & obligare? pagina 351.

R. *vt mihi certum: Posse.* ibid.

III. An, pueri post septennium, possint validè vouere? ibid.

R. *vt mihi certum: Posse.* ibid.

§. I.

De votis, quæ Religiosi emittere possunt. ibid.

IV. AN, Religiosi possint validè, & meritoriè emittere aliqua vota de materia honesta, quæ non sit præiudicialis superioribus, absque expressa suorum Superiorum licentia? ibid.

R. *probabilius: posse.* ibid.

V. An votum de materia præcepta emissum à Religioso, sine licentia expressa sui Prælati, sit validum? ibid.

R. *probabilius: Esse omnino validum.* ibid.

VI. An saltem sit inualidum votum factum à Religioso, de materia sibi interdicta per suas leges, vel mandatum sui Prælati? ibid.

R. *vt quid certum: Esse inualidum.* ibid.

VII. An valeat votum emissum à Religioso de re honesta, prohibita tamen quoad modum, videlicet, ne fiat sine licentia. Vt si v.g. prohibeat Prælatus, ne sui subditi, tali, vel tali die ieiunent sine licentia. p.352.

R. *Esse validum.* ibid.

VIII. An, votum faciendi aliquam eleemosynam, factum à Prælatis Religionum, sit validum, & obliget? ibid.

R. *vt certum: quod sic.* ibid.

IX. An etiam votum elargiendi aliquam eleemosynam ex rebus suo proprio vsui applicatis, factum à subditis Religiosis sine licentia suorum Superiorum, sit validum & obligatorium? ibid.

R. *Quod sic.* ibid.

X. An item sit validum votum eleemosynæ factum à Religiosis, sine licentia, de rebus Conuentus, quarum administrationem non habent? ibid.

R. *probabilius, regulariter esse validum, non tamen*

tamen semper. ibid.
XI. An peccent subditi emittentes vota de rebus his sibi prohibitis, non impetrata prius Superioris licentia? ibid.
℟. *Non peccare, nisi casu quo materia voti sit prohibita.* ibid.
XII. An, si quis Religiosus, ita votum emitteret de aliquo, Regulâ, aut Superioris præcepto, prohibito, vt intenderet, Superiore inconsulto, illud exequi, tale votum esset validum? ibid.
℟. *Quod non.* ibid.
XIII. An peccet subditus adimplens votum, postquam illud Superior irritauit? pag. 353.
℟. *vt longè probabilius, quod non, casu quo ad petitionem subditi illud irritauit Superior: benè tamen si votum adimpleat contra expressam illius voluntatem, &c.* ibid.

§. II.

De votis, quæ Episcopi, & alij inferiores Clerici, emittere possunt. ibid.

XIV. AN, Episcopi valide possint, absque Pontificis licentia, vouere renunciare Episcopatui? ibid.
℟. *vt certum: Non posse.* ibid.
XV. An item, prohibitum sit Episcopis, vouere ingressum Religionis, absque licentia summi Pontificis? ibid.
℟. *Esse illis prohibitum.* ibid.
XVI. An, votum breuis peregrinationis emissum ab Episcopo, sit validum? ibid.
℟. *vt certum: Esse validum, si mandari executioni possit, tempore, quo permittitur Episcopis à suis Ecclesiis abesse.* ibid.
XVII. An item sit validum votum longæ peregrinationis emissum ab Episcopis, absque conditione licentiæ à Pontifice impetrandæ? p. 354.
℟. *vt certum: Tunc non esse validum.* ibid.
XVIII. An ad minus sit validum dictum longæ peregrinationis votum, factum ab Episcopis sub conditione licentiæ à Pontifice obtinendæ? ibid.
℟. *Esse validum, si finis peregrinationis sit gratior Deo, quàm residentia in suis Ecclesiis.* ibid.
XIX. An Parochi, & alij Clerici habentes beneficium requirens residentiam; possint valide vouere Religionis ingressum, sine licentia suorum Episcoporum? ibid.
℟. *Posse valide; adhuc contradicente Episcopo.* ib.
XX. An possint prædicti vouentes Religionem, mandare tale votum executioui, inconsulto etiam Episcopo? ibid.
℟. *Quod possint ex vi iuris; non verè tamen ex decentia teneantur id illi manifestare.* ibid.
XXI. An Parochi, Beneficiarij, & alij Clerici residentiam necessariam habentes, possint, inconsulto Superiore, votum peregrinationis emittere? pag. 355.
℟. *Posse, sed solum in casibus in quibus Episcopi, inconsulto Papa, possunt.* ibid.
XXII. An cæteri Clerici non habentes beneficia requirentia residentiam, possint validè, & licitè emittere votum, tam Religionis, quàm peregrinationis, & illud exequi, inconsulto Episcopo? ibid.
℟. *vt certum: Posse.* ibid.
XXIII. An sit licitum Episcopis, emittere votum eundi in subsidium Hierosolymitanum, & illud exequi, inconsulto Papa? ibid.
℟. *Iam vt certum: quod non.* ibid.
XXIV. An integrum sit Episcopis emittere votum aliquarum precum, abstinentiarum, eleemosynarum, & huiusmodi, absque licentia Pontificis? ibid.
℟. *vt certum: Esse illis integrum.* ibid.
XXV. An, peregrinatio, quæ per tempus vnius anni potest fieri; reputanda sit modica, & ita possit fieri ab Episcopo, inconsulto Papa? p. 356.
℟. *Quod sic.* ibid.

§. III.

De votis, quæ impuberes, vxores, & serui possunt emittere. ibid.

XXVI. AN impuberes filij possint valide, sine consensu Parentum, vota etiam Castitatis, & Religionis emittere? ibid.
℟. *probabilius: Posse.* ibid.
XXVII. An item, vxor, & seruus possint validè, & licitè vouere aliqua, sine consensu sui Mariti, vel Domini? ibid.
℟. *vt certum: Posse.* ibid.

§. IV.

De aliis personis, tam diuinis, quàm Angelicis, an vouere possint. pag. 357.

XXVIII. AN Deus Opt. Max. vt Deus est, possit vouere? ibid.
℟. *vt certum: Non posse, saltem propriè loquendo.* ibidem.
XXIX. An saltem Christus Dominus in natura assumpta, potuerit verè votum Deo emittere? ibid.
℟. *vt certum: Potuisse.* ibid.
XXX. An Christus Dominus, de facto votum proprium emiserit? ibid.
℟. *probabilius: quod non.* ibid.
XXXI. An, Angeli, in statu viæ spectati, vouere Deo potuerint, & an de facto id fecerint? ibid.
℟. *vt certum: potuisse, sed de facto non emisisse votum, probabilius est.* ibid.
XXXII. An item Angeli Beati, post statum viæ, sint apti ad vouendum? ibid.
℟. *Esse aptos: non tamen id faciunt.* ibid.

DISPVTATIO VI.

De eo, cui faciendum votum sit. p. 358.

QVÆST. I. AN votum propriè soli Deo fieri possit? ibid.
℟. *Quod soli Deo.* ibid.
II. An etiam Sanctis, aliqua ratione, fundi vota possint? ibid.

℟. *vt certum : Posse aliqua ratione.* ibid.
III. Qua ratione sanctis aliqua vota fiant, quibus non obstantibus, soli Deo vota propriè fieri inferatur? ibid.
℟. *Quod ideo est, vel quia fiunt sanctis, vt in eis Deus habitat per gloriam, vel in quantum Deus in ipsis honoratur, &c.* ibid.
IV. An, promissio facta sanctis, animo expresso, non Deo, sed sanctis solis se obligandi, sit votum? ibid.
℟. *Quod non sit.* ibid.
V. An, votum, quod in professione Religiosa fit Prælatis, sit verè, & propriè votum? p. 359.
℟. *Esse propriè votum, quia profitens vouet Deo se impleturum quod Prælato,* &c. ibid.
VI. An sit melius, magisque meritorium, operari ex voto, quàm sine illo? ibid.
℟. *vt quid certissimum: Esse melius, & magis meritorium, cæteris paribus.* ibid.

§. II.

De voti emissi pœnitudine. ibid.
VII. AN ille, qui ita pœnitet de voto à se facto, vt intendat non seruare illud, peccet mortaliter? ibid.
℟. *vt quid certum: peccare mortaliter si propositum non adimplendi versetur circa materiam grauem: venialiter vero, si circa leuem.* ibid.
VIII. An item, ille, quem pœnitet de voto à se facto, ita tamen, vt habeat propositum illud adimplendi, adhuc peccet, saltem venialiter? pagina 360.
℟. *Nec venialiter peccare, saltem directè contra votum.* ibid.
IX. An, opus factum ex voto cum tristitia, & pœnitudine de voto emisso, sit adhuc magis meritorium, quàm si non fieret ex voto? ibid.
℟. *vt certum, adhuc esse magis meritorium.* ibid.
X. An peccet ille, quem pœnitet vouisse solemniter Religionem, iusta interueniente causa? ibid.
℟. *Nec venialiter peccare.* ibid.
XI. An peccet mortaliter ille, quem pœnitet, se feciisse illa opera, ad quæ ratione voti tenebatur? p. 361.
℟. *tanquam certum: quod sic.* ibid.
XII. An, ille, quem pœnitet hodie (v.g.) esse diem ieiunij, committat aliquam culpam? ibid.
℟. *vt certum, quod non, dummodo cum illa pœnitudine retineat propositum ieiunandi.* ibid.
XIII. An peccet ille, quem pœnitet, se professum esse, & tot annos in Religione vixisse? ibid.
℟. *Non peccare contra votum à se emissum, cùm talis dolor non sit propriè de voti obseruatione.* ibid.
XIV. An si quis faciat votum nunquam dolendi de aliquo alio voto à se facto, & de facto doleat: tunc contra votum delinquat? ibid.
℟. *vt certum: Quod sic.* ibid.

PRIVILEGE

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu, Roy de France, & de Nauarre, A nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous nos Iuſticiers, & Officiers qu'il appartiendra; Salut. Noſtre bien aimé Iean Couronneau Marchand Libraire de noſtre Ville de Bayonne, Nous a expoſé qu'il deſireroit faire imprimer vn Liure intitulé *R. P. Fr. Leandri de Sanctiſsimo Sacramento, Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſsimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Quæſtiones Morales, &c.* s'il auoit ſur ce nos Lettres de Priuilege & permiſſion neceſſaires, humblement requerant icelles: A ces Cauſes, deſirant fauorablement traicter ledit Suppliant, Nous luy auons permis & permettons, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Liure en tous les lieux de noſtre obeyſſance, en telle marge, & caracteres qu'il voudra, durant le temps & eſpace de vingt années entieres & accomplies, du iour que ledit Liure ſera acheué d'imprimer, pour la premiere fois; & faiſons tres-expreſſes defenſes à toutes perſonnes de quelque qualité ou condition qu'elles ſoient d'imprimer, faire imprimer, ny de vendre & diſtribuer ledit liure, en aucun lieu de ce Royaume, autres que de l'impreſſion dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droict de luy durant ledit temps & eſpace, ſoubs pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, ou autrement, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, à peine de trois mille liures d'amende, payables ſans depoſt, par chacun des contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'Expoſant, confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages, & intereſts, à condition qu'il ſera mis deux exemplaires dudit Liure en noſtre Bibliotheque publique, & vn en celle de noſtre tres-cher & feal Cheualier Chancelier de France le Sieur Seguier, auantque de l'expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes, du contenu deſquelles Nous vous mandons que vous faſſiez iouïr plainement, & paiſiblement ledit Expoſant, & ceux qui auront droict de luy, ſans qu'il leur ſoit fait aucun trouble, ny empeſchement. Voulant qu'en mettant au commencement, ou à la fin de chacun dudit Liure copie, ou extraict des Preſentes, elles ſoient tenuës pour ſignifiées, & que foy ſoit adjoûtée, & aux copies Collationnées par vn des nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original: mandons auſſi au premier noſtre Huiſſier, ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution des preſentes tous exploits neceſſaires ſans demander autre permiſſion: Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, & ſans prejudice d'icelles: Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires. Donné à Paris le dernier iour de Iuillet, l'an de grace mil ſix cens cinquante-ſix, & de noſtre Regne le quatorziéme.

Par le ROY en ſon Conſeil.

CRAMOISY.

Ledit Sieur Couronneau à faict part du droict du ſuſdit Priuilege à Sieurs Philippe Borde, Laurent Arnaud & Compagnie par Traitté faict entre eux le huictiéme Iuin mil ſix cens ſoixante-trois.

Hæc prima editio deſiit excudi die 21. Ianuarij 1664.

TRACT.

TRACTATVS PRIMVS
IN SECVNDVM
DECALOGI PRÆCEPTVM.
DE IVRAMENTO.

TRACTANT de iuramento, Iuriſperiti *in tit. de iure-iurando*, præcipuè Zabaar. Bellam. Anchar. Panorm. Felin. & alij, quos lato calamo citat Barboſa ibi. Theologi *in 3. ſentent. diſt.* 39. D. Thomas 2. 2. *q.*39.& ibi eius Interpretes. Summiſtæ omnes verb. *Iuramentum*. Legatur præcipuè Sotus *de iuſt. lib.* 8. *à quæſt.* 1. Nauar. *in Man. cap.*12. *à num.*1. Couarru. *in cap. quamuis pactum part.* 1. Gutierrez *de iuram. confirmat.* Azor.*tom.*1.*lib.*1. Sayrus *in Claui Reg. lib.*5. Sanchez 2.*tom.in Decal. lib.* 3. Suarez *tom.*2. *de Relig. tract.* 4. *lib.* 1. Leſſius *de iuſt. & iure lib.* 2. *cap.* 42. Reginald. *tom.* 2. *lib.*18. *de iuramento.* Valentia 2.2. *diſp.*6. *q.*7. Ceuallos *in ſuis quæſt. practicis q.*407.Petr. Ledeſma *tom.*2.*ſum.tract.*11.Paul. Layman. *lib.*4. *tract.*3. *cap.* 1. Fagundez *lib.* 1. in 2. *præc. Decal.* Trullench. *ibid.* Bonacina etiam *circa* 2. *præcept. Decal. diſp.* 4. Filliuc. *tract.* 25. *à cap.*1. Baſſæus 1. *&* 2. *tom.verb. iuramentum*, Villalob. *tom.*2. *tract.* 36. Thom. Tamburin. in Decal. *lib.* 3. Iacobus à Graffiis *lib.* 2. *deciſ. aurear. à cap.* 12. Acacius March.*tom.*2. *verb. iuramento.*

DISPVTATIO PRIMA,
De Eſſentia, & Quidditate Iuramenti.

QVÆSTIO PRIMA.

An iurare, ſit, Deum in teſtem adducere, & inuocare.

RESPONDEO vt quid certum, quod ſic. Quia ſic docet D.Thomas 2.2.*q.*89.*art.*1.*ex* D. Auguſtino *ſerm.* 28. *de verb. Apoſtoli cap.* 3. dicente : *Quomodo tu cùm iuras, Deum adhibes teſtem ; ſic ipſe cum iurat ſe teſtem adhibet.* Et *in cap.*6. ait : *Quid eſt iurare per Deum, niſi teſtis eſt Deus.* Sic ille, & omnes tam Theologi quàm Canoniſtæ cum eo. Legantur citati, præcipuè Suarez *tom.*2.*de Relig. tract.*4. *lib.*1.*cap.*1.

QVÆSTIO II.

An iuramentum, ſit adductio, ſeu inuocatio Dei, in teſtimonium veritatis illius rei, quam affirmamus vel negamus.

RESpondeo etiam vt quid certum : Quod ſic. Quia ſi iurare, vt nuper eſt habitum, eſt idem, quod Deum in teſtem adducere, & inuocare ; iuramentum nil aliud erit, niſi actus ille adducendi,

seu inuocandi Deum in testem veritatis illius rei, quam affirmamus, vel negamus, sic omnes. Legantur D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. Suarez *loco cit.* Sanchez *lib.* 3. *cap* 1. *num.* 1. Tamburinus *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. §. 1. *num.* 1.

QVÆSTIO III.

An iuramentum dicatur à iure?

REspondeo dici à iure. *Primò*, quia (vt ait D. Thom. *art.* 1 *cit.*) quasi pro iure introductum est, vt quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur. *Secundò*, quia per iuramentum ius Deo acquiritur, vt illum verum testem faciamus eius rei, quam ipsius diuini nominis inuocatione confirmamus. Sic communis. Legantur D. Thom. & Suarez *loc. cit. cap.* 1. *n.* 3. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. vbi addit, dici à iure, quia pro illo tanquam pro iure standum est. Optimè Barbosa *in titulo de iureiurando. n.* 3.

QVÆSTIO IV.

An hæc tria, Iuramentum, Iuiusrandum, & Sacramentum, *sint synonima?*

AFfirmat Panormitan. *in rubr. de iureiurando.* & Tuscus, *verbo iuramentum*, *concl.* 496. *num.* 14.

Sed clariùs Respondeo: has duas voces, *iuramentum*, & *iusiurandum*, planè esse synonimas: *Sacramentum* verò, etiam, sed solùm iuxta subiectam materiam. *Primum*, constat ex iure, & ex vsu Latinorum Authorum: necnon ex Scriptura, vbi frequens est vsus huius nominis, vt patet ex illo Zachariæ *Lucæ* 1. *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* Et liquet etiam ex ipso nomine, nam dicitur *ius*, quia pro illo standum est, tanquam pro iure; *iurandum*, quia confirmandum est diuini nominis inuocatione. *Secundum* etiam est planum; nam iuramentum, appellari sacramentum solet, tam in Scriptura, quàm in iure, vt constat ex cap. *Qui sacramentum* 22. *q.* 4. eo quod reconditam habeat sanctitatem, & ideò summo cum timore, & reuerentia exercendum sit. Dixi notanter, *esse synonimum iuxta subiectam materiam*; quia constat nomen Sacramenti, alias habere significationes, & magis proprias, accommodatur autem ad iuramentum significandum, ob rationem dictam; necnon quia etiam iuramentum est sacræ rei signum, scilicet, infallibilis veritatis diuinum testimonium. Sic Suarez *lib.* 1. *cap.* 1 *n.* 3. Fagundez *loc. cit.* & alij apud Barbosam, *numer.* 4.

QVÆSTIO V.

Quid velit iurans per inuocationem diuini Nominis?

REspondeo dicendum quod velit, cupiat, ac petat, *quantum in se est*, vt Deus publicam efficiat, ac manifestet eam rem, quam iuratus suo iuramento confirmat, ac ab ipso Deo veram esse scitur: & hoc, cùm ipsi Deo placuerit, siue in hac vita, siue in altera. Vbi manifestabit consilia cordium, vt dicitur 1. *ad Corint.* 4. Permittit enim hoc is, qui iurat, diuino beneplacito. Sic docet Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 1. ex D. Thoma 2. 2. *q.* 99. *art.* 2. *ad* 3. & Caietano *ibidem.* Sanchez *tom.* 2. *Decal. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. & Fagundez *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 2.

QVÆSTIO VI.

An, vt iuramentum, quoad Deum, in fóroque interno, obliget, requiratur, vt fiat per verba externa, aut per contactum rei sacræ?

REspondeo vt certum; non requiri; sed satis esse, si fiat mente, aut locutione interna, nullis verbis, aut signis externis expressa. Quia votum, sola mente, Deo factum, verè obligationem inducit, vt dicemus *tract.* 2. *de voto*, *disput.* 1. *q* 4. Ergo & iuramentum. Sic omnes. Legantur Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 2. *q.* 4. Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 1. *n.* 1. Sanchez *tom.* 2. *Decal. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de iuram. cap.* 1. *n.* 4. Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 2. Ceuallos *in quæst. practicis q.* 407. Fagundez *lib.* 2. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* 1. *nu.* 5. Qui cum communi idem docet de iuramento, quoad homines, loquendo in foro interno. Legatur *num.* 6. & 7. Tamburin *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. §. 1. *num.* 2. *vers. mente.* & alij.

QVÆSTIO VII.

An, saltem, vt iuramentum, quoad homines, & in foro externo, obliget, sit faciendum verbis, an sufficiat, quod fiat signis?

AFfirmant absolutè, esse faciendum verbis, nec sufficere, vt fiat signis, Bart. & Iason. Albericus, Fulgosius, & Romanus, quos referunt Couarru. *vbi infra*, Ceuallos *in suis quæst. practicis q.* 406. & Suarez infra.

Affirmant hoc ipsum alij DD. sed non absolutè, sed cum limitatione hac, dicendo, verba esse necessaria in valentibus loqui: secùs in non valentibus. Ita Ioan. Selua *tract. de iuram. part.* 1. *q.* 2. Paulus, Aretinus, Alexend. Crottus, Alciatus, & Tiraquellus, vt refert Couarru. vbi infra.

Sed vt quid verissimum Respondeo: sufficere, quod fiat signis aliquibus externis iuramentum indicantibus, vt hoc obligationem inducat, etiam in foro externo. Probatur, quia reliqua pacta, & etiam matrimonium, solum signis, & nutibus validè ineuntur, etiam à potentibus loqui, vt cum communi diximus 2. *p. tract.* 9. *de matrim. disp.* 1. *q.* 5. Ergo etiam iuramenta. *Confirmatur.* nam iuramentum dicitur, & est quædam obligatio, vt constat ex cap. *debitores, de iureiurando.* Atqui obligatio inter homines, non solùm per verba, sed etiam per signa externa fieri potest, vt constat de matrimonio, cap. *cum locum.* & cap. *tua, de sponsalibus: ergo.* Sic Couarru. *de pactis* 1. *part. initio n.* 4. & penes illum, Glossa *in sum.* 22. *q.* 1. Panormitan. Iacobus, Petrus, Cyrus, Lancelot, Galiaula, Corsettus. & alij. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.*

cap. 44. Suarez *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. 5. & 6. vbi optimè, & latè id tractat. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 31. *n.* 5. & *lib.* 3. *Decal. cap.* 1. *n.* 2. & *cap.* 2. *n.* 12. Sayrus *in Clavi Reg. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 8. 9. & 10. quos omnes citat, & sequitur Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *n.* 6. Quibus addi possunt Tamburin. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. §. 1. *n.* 2. Bonac. *in* 2. *Decalogi præcep. disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 1. Trullench. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 1. *numer.* 2. Basseus *tom.* 2. *verb. iuramentum, num.* 4.

QVÆSTIO VIII.

An, vt iuramentum in foro externo, obliget, sit necessum, quod fiat per contactum alicuius rei sacræ, vt Crucis, aut Euangeliorum?

REspondeo vt quid verum, minimè esse necessum; nisi aliàs, iure exprimatur, vt fit in quibusdam casibus.

Prima pars huius responsionis liquet. Nam ad substantiam iuramenti, tantùm exigitur, quod Deus in testem vocetur, aut adducatur, vt habitum est, *quæst.* 1. & 2. Atqui optimè potest aliquid promitti, aut affirmari, adducendo Deum in testem, solis verbis, non tacta Cruce, nec Euangeliis, nec vlla alia re sacra: ergo. Confirmatur apertè ex textu in cap. *Et si Christus. de iureiur.* Vbi per hæc simplicia verba, *Testis est mihi Deus*, iuramentum inducitur. Sic communis Doctorum, vt ait Couarru. *de pactis*, 1. *parte*, §. 1. *numer.* 1. Ceuallos *in qq. practicis q.* 407. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 3.

Secunda responsionis pars, etiam est clara. Quia in multis casibus iure expressis, requiritur ad effectum iuramenti, vt præstetur, tactis rebus sacris, vt Cruce, Euangeliis, Sanctorum Reliquiis, & similibus: ergo si dictis casibus aliter præstetur, nullam vim habebit, quantum attinet ad iuris effectus. Antecedens probant casus expressi in iure cap. *Tibi Domino* 63. *dist.* cap. *Hortamur.* 3. *q.* 9. cap. *Testimonium* 11. *q.* 1. *Clementina vnica, de iureiurando. & Clemen.* 1. §. *porrò, de hæreticis.* & *cap. vltimo, in princip. de iuramento calumniæ*, & aliis in locis iuris vtriusque. Sic omnes. Legantur Couarru. *loc. cit. numer.* 1. & 2. Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 12. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 1. *n.* 3. & *cap.* 2. *n.* 12. Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 1. Ceuallos *in suis quæst. practicis, q.* 407. Aragon. 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *num.* 7. Barbosa *in cap. Fraternitatis, de testibus, n.* 7. Addens, quod in his casibus, qui non habet manus, non possit testimonium dicere.

QVÆSTIO IX.

An, casu quo lex sanciat, quod iuramentum præstetur, tactis Euangeliis; sat sit ad eius valorem, quod fiat per tactum alterius libri sacri, aut Crucis?

NEgant esse satis, sed necessarium esse ad iuramenti valorem, quod fiat tactis Euangeliorum libris, Glossa *in authent. vt iuiusiurandum, quod præst. collat.* 2. *versic. quatuor.* Et *in Clement.* 1. §. *porrò. de hæretic.* & alij, apud Couarru. mox citandum. Et probatur. Quia lex in specie exprimit, vt supponitur, quod iuramentum præstetur super Euangeliis: ergo necessariò debet fieri, illis tactis.

Sed clariùs Respondeo: Non esse satis, attento iure, vt bene DD. docent communiter: Esse tamen satis, attenta consuetudine. Vtramque responsionis partem docet Couarru. & probat iis verbis: Nam, cum in iuramento testis à iure exigatur, quòd fiat tactis Euangeliis, receptum est, non aliter testimonium validum esse nisi fiat iuramentum tactis Euangeliis; nec sufficiat alium sacrum librum tangi, iure scripto considerato: consuetudine tamen obtentum est, satis esse, id iuramentum præstari super Crucem. Glossa insignis in dicta Authentica vt iusiurandum, cuius meminit Alexand. *in l. tertia.* §. *iurari. ff. de iureiurando.* Notat Abbas *in dicto cap. Tuis. col. vltima.* Idem *in cap. Fraternitatis, de testibus, ad finem.* & *consil.* 68. *lib.* 2. Huc vsque Couarruias cap. *quamuis pactum*, 1. *p.* §. 1. *n.* 2. quem citat, ac sequitur Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 108. *n.* 14.

QVÆSTIO X.

An, si attestetur Notarius, quod Titius v. g. iuratus, testimonium dixerit; sit præsumendum, talem testem iuramentum solemniter præstitisse, tactis Euangeliis, aut Cruce?

REspondeo: Præsumendum esse. Quia ita consuevere Tabelliones, & Notarij scribere; & per locum à consuetudine generali, præsumitur seruata seruanda. Sic ex Alciato in *rubr. de iureiurando*, docet Couarru. *loc. cit. num.* 2. & nouissimè Barbosa *in cap. Fraternitatis. de testib. n.* 9. his verbis: Aduerte, testem præsumi, quòd medio iuramento examinatus fuit corporaliter, tactis Scripturis, quando Notarius, non enunciatiuè, sed dispositiuè, per verbum denotans actum, de quo ipse rogatus fuit, cum designatione diei, & horæ attestatur de iuramento, etiamsi non dicat, tactis Scripturis: quando enim Notarius attestatur de iuramento, præsumitur illud interuenisse, eo modo, quo debuit. Imola *consil.* 8. *n.* 12. & 13. & in his terminis Rota *decis.* 393. *n.* 8. & 9. apud Farinac. *part.* 1. *in recent.* Hæc Barbosa, & antea Sanchez *disp.* 108. *citata, num.* 14. & penes ipsum, Anton. Felin. & alij.

QVÆSTIO XI.

An, in casibus iure expressis, quibus cauetur, vt iuramentum fiat tactis Scripturis, aut sanctis Euangeliis; debeant Episcopi, aut aliæ personæ in sacris constitutæ, tactis ipsis, iurare.

NEgat absolutè August. Barbosa in cap. *cum in causa* (quod est vltimum) *de iuramento calumniæ, n.* 3. Vbi explicans illa textus verba; Propositis tantùm, sed non tactis Euangeliis; sic ait: Ex obseruantia indubitata, omnes Ecclesiasticæ personæ, siue sint Cardinales, siue Episcopi, aut aliæ personæ in sacris constitutæ, non iurant tactis Euangeliis, nec tactis scripturis aliquibus, sed tacto pectore. Vestr. in *pract. ciuili, lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 7. Anton.

de Rè, *in tractat. huius tit. cap.* 15. *num.* 351. *& seqq.* quos refert Bellet. *d.*§.4. *num.* 12. Hæc Barbosa.

Sed clariùs & probabiliùs, Respondeo dicendo, *Primò*, Episcopi iurantes, non tenentur Scripturas, aut sancta Euangelia tangere; nisi in causis grauissimis, aut in illis, in quibus iure specialiter expressum sit, Episcopum debere tactis sacris iurare. Probatur apertè ex cap. vltimo, cit. *de iuram. calumn.* Vbi dicitur: *Quando Episcopus iurat de calumnia, vel pro dicendo testimonio, debere iurare, propositis, sed non tactis Euangeliis.* Quod fit, ob honorem, vt vult Suarez, dignitatis personæ. Ego addo, quod etiam, ob eius consecrationem, vt innuit Couarruuias, ob quam idem censendum esse de Præsbyteris, his verbis docet. Refragatur textus *in d. cap. vltimo, in princip. de iuram. calum.* qui probat Episcopum iurantem, non teneri, sacra tangere. Idem voluit Glossa in cap. *vt circa. de elect. in 6.* textus optimus *in cap. Si quis Præsbyter 2. q. 5.* quem dixit singularem Albas *in d. cap. vltimo*, quo in loco Barbatius *col. 5.* eiusdem mentionem fecit. Etenim ex eo apparet; Præsbyterum non teneri, cùm iuramentum præstat, sacra tangere: sed satis esse per suam consecrationem tangendo proprium pectus iurare. Idem adnotauit Guido Papæ *q. 615.* quam ob rem considerandum est, Episcopum, aut Præsbyterum regulariter in præstandis iuramentis, non teneri sacra tangere. Ab hac tamen regula excipiuntur, causæ graues; item & omnes illæ, in quibus iure expressum specialiter sit, Episcopum, aut Præsbyterum debere tactis sacris iuramentum præstare; sicuti docet Panormitan. *in capite vltimo, de iuram. calumn.* Huc vsque Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 1. *num.* 3. Legatur Suarez *lib.* 1. *de iuramento, cap. vltimo, in fine.*

Respondeo *secundò*: Reliquæ personæ, in sacris etiam constitutæ, attento iure, verè iurare debent tactis Euangeliis, aut Scripturis, in casibus, in quibus iure exprimitur, iuramentum fieri debere, tactis illis. Quia iurare non tactis illis, sed solùm pectore tacto, est priuilegium duntaxat Episcoporum & Præsbyterorum, vt constat ex citatis iuribus, & loquendo de Episcopis, notat Glossa in cap. *Testimonium* 11. *q.* 1. *verb. iureiurando.* Sic innuit, vt vidimus, Couarruuias.

QVÆSTIO XII.

An, censendus sit verè iurare, qui subscribit scriptum aliquod, in quo iuramentum continetur?

REspondeo quod sic: quia illa subscriptio, est quædam contestatio ipsius subscribentis, iuramento firmata; ac proinde tantum valet, ac dicere; *ita iuro.* Sic Fagundez *lib. 2. Decal. cap.* 1. *n.* 7. *in fine*, ex Thoma Sanchio *lib.* 3. *Decal. cap.* 2. *n.* 12. *ad finem.* Tamburirus *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. §. 1. *n.* 2. Qui omnia à nobis dicta iis verbis perstringit: Potest Dei inuocatio exhiberi verbo, nutu, facto, mente. Verbo, vt si ore proferas dicendo: v. g. iuro per Deum hoc ita esse, hoc me facturum. Nutu, vt si tibi dicatur, iures per Deum; tu vero, oculis, vel capite annuas. Facto, vt si cui offeratur iuramentum cum libro Euangeliorum, ipse verò illum tangat, eo enim ipso, etiamsi nihil proferat, iurare censetur. Idem euenit, si se subscribat Scripturæ iurisiurandi formam continenti, propria enim subscriptio ipsissimum est iuramentum. Mente denique vt si quis intra animum suum iuret, &c. sic ille.

QVÆSTIO XIII.

An, iuramentum mentale, necessariò requirat actus tres.

REspondeo dicendum, quod sic. Primus est, actus intellectus, quo iudicat expedire aliquid Deo promittere cum iuramento. Secundus, est voluntatis, quo vult promittere, & iurare. Tertius est intellectus, quo, quasi lingua spirituali cum Deo loquens, iuramentum exhibet. Sic Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 1. *n.* 5. & ex illo Rocafull. *lib.* 1. *de* 2. *præcep. Decal. cap.* 2. *n.* 6.

QVÆSTIO XIV.

In quo ex præassignatis actibus, consistat formaliter & essentialiter iuramentum mentale?

REspondeo dicendum, quod consistat in tertio actu; nempe in actu intellectus, quo quis Deo, iuramento aliquid promittit. Probatur quia iuramentum non consistit formaliter in primo actu intellectus, quo iudicat vtile, aut necessum esse iurare, vt constat clarè. Nec rursus in promissione ipsius voluntatis: ergo consistet in intellectuali illa inuocatione Diuini nominis ad stabiliendam, & confirmandam talem promissionem, vt constat ex definitione iuramenti: ergo &c. Ex hoc planè constat, quod iuramentum formaliter sit in intellectu, non in voluntate. Sic Suarez & Rocafull. *loc. citatis.*

QVÆSTIO XV.

Quos actus requirat iuramentum vocale, & in quo illorum formaliter consistat?

REspondeo dicendum, quod requirat quatuor. Primus est intellectus iudicantis hîc & nunc vtile, aut necesse esse, iurare. Secundus est voluntatis volentis promittere & iurare. Tertius est intellectus dictantis potentiæ executiuæ, v. g. potentiæ loquendi formam iurandi. Quartus est ipsa prolatio vocalis iuramenti (vel alia actio æquiualens) qua quis significat exteriùs, se iurare: & in hoc vltimo actu consistit formaliter hoc exterius iuramentum, dependenter tamen ab interno actu prædicto, & intentione iurandi, vt statim dicemus. Sic Rocafull. *loc. cit. num.* 6. *dubit.* 2. *vers. dico primò:* & ex parte Suarez *loc. cit. num.* 7.

QVÆSTIO XVI.

An ad essentiam iuramenti requiratur necessariò intentio iurandi?

REspondeo cum communi; requiri omnino necessariò ad esse, aut constitutionem iuramenti, intentionem

tentionem iurandi. Itaque, si quis etiam voluntariè proferat verba, per quæ significetur Deum in testem adduci, sine animo tamen, aut intentione iurandi, reverà non iurabit. Ratio sit, tum quia iuramentum est actus humanus: atqui nequit esse talis nisi ab intentione iurandi procedat: ergo. Tum etiam quia votum factum exteriùs sine intentione vouendi, non est votum: ergo nec iuramentum sine intentione iurandi factum, erit verum iuramentum in essendo, sed fictum. Sic Suarez *lib. 1. de iuramento cap. 1. n. 8.* & *lib. 2. cap. 7. num. 2.* Couarru. *de pactis. §. 5. num. 1. & 2.* Sanchez *in Decalog. lib. 3. cap. 10. num....* Bonacina *disp. 4. quæst. 1. punct. 7. nu. 2.* Rocafull. *lib. 1. in secund. præcep. decal. cap. 2. num. 7.*

QVÆSTIO XVII.

An, ad essentiam iuramenti; requiratur necessariò plena deliberatio?

REspondeo vt quid certum, necessariò requiri. Ratio est, quia iuramentum verè & propriè habet de se, quod sit actus virtutis Religionis: atqui actus quilibet virtutis debet esse perfectus: ergo cum perfecta deliberatione factus. Sic omnes, præcipuè Suarez *cap. 1. cit. numer. 6.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 10. numer. 2.* Fagundez *lib. 2. cap. 9. num. 1.* & alij, de quo amplius infra *tractat. 2. de voto, disputat. 1. §. 1. quæstion. 7.*

QVÆSTIO XVIII.

An, iuramentum sit actus licitus, & honestus?

NEgarunt olim quidam hæretici, & nunc negant alij, dicentes iuramentum ita esse intrinsecè malum, vt nunquam omninò liceat. Sectatores huius erroris referunt Prateolus, & Castro, *verb. iuramentum, hæresi 1.* Azor. *par. 1. lib. 11. cap. 2. q. 3.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3.* & Suarez *lib. 1. de iuramento, cap. 2. num. 1.*

Fundamentum huius hæresis sumpserunt Hæretici ex illis verbis Christi *Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis, non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua: ego autem dico vobis, nolite iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius*, &c. Et subdit; *Sit sermo vester, est, est, non, non.* Vbi apertè Christus videtur prohibere omne iuramentum.

Sed de fide certum, Respondeo dicendum, quod iuramentum verè sit aliquando actus licitus, & honestus; ac proinde nunquam de se, & intrinsecè malus, vt putarunt Hæretici.

Probatur primò ex scriptura, *Deuter. 6. & 10. Dominum Deum timebis, & illi soli seruies, & per nomen eius iurabis.* Ierem. 4. *Iurabis viuit* (non *dicit*, vt sæpè leges apud Rocafull.) *Dominus, in iudicio, iustitia, & veritate.* Et *Psal. 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Item Apostolus Paulus sæpè iurauit, vt patet ad *Rom. 1.* dicens; *Testis enim mihi est Deus. 2. ad Corinth. 1. ad Philip. 1. & 1. ad Timoth. 5. & 2. ad eundem 4.* & *ad Galat. 1.* illis verbis. *Coram Deo*, &c. Imò & ipse Christus Dominus ex sententia aliquorum Sanctorum Patrum, toties iurauit, quoties vsurpauit illud, *Amen, Amen.* Legantur D. Hieron. *super 16. caput Ezechielis.* Chrysostom. *homil. 11. sup. Epistol. ad Hebræos* D. Augustin. *serm. 28. de verbis Apostoli.*

Secundò probatur ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ Catholicæ; nam sæpè exiguntur iuramenta eiusdem Ecclesiæ authoritate, vt constat ex titulis, de iureiurando; ergo. Sic omnes Catholici. Legantur D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. & ibi eius interpretes. Suarez *lib. 1. de iuramento, cap. 2.* Valentia *disp. 6. q. 7. punct. 3.* Azor. *lib. 11. cap. 2.* Sanchez *lib. 3. cap. 3.* Sayrus *in Clavi Reg. lib. 5. cap. 3.* Couarru. *de pactis, 1. p. §. 6. à num. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 3.* Graffiis *lib. 2. cap. 12. n. 2.* Bonac. *disp. 4. q. 1. punct. 3. à num. 1.* & alij plures, apud Barbosam *ad textum in cap. Etsi Christus, de iureiurando.* Qui ad fundamentum contrarij erroris duplici modo ex Patribus respondet. Primò, quòd Christus Dominus ibi solùm prohibuisset iuramentum fieri per creaturas, quando fit nulla facta in Deum relatione. Secundò, quod solùm prohibuerit facilitatem iurandi, idest, omni casu, indistinctè, semper, seu, vt aiunt, in omnibus, & per omnia; ita vt sensus sit; *Nolite indistinctè, id est, semper, & omni casu iurare.* Sic ille. Et Acacius March. *Verbo Iuramento. resol. 151. num. 1.* Luysius Turr. *in sum. 1. p. cap. 167. dub. 2.*

QVÆSTIO XIX.

An, nobis sit licitum passim iurare?

AFfirmandum videtur, quia finis iuramenti est honor Dei; & est iuramentum actus virtutis Religionis, vt habitum est *q. 17.* & infra: ergo licitum erit nobis iuramentum passim præstare: cùm nobis liceat passim honorare Deum, & actus Religionis exercere.

Sed ex dictis nuper, Respondeo dicendum, quod minimè nobis sit licitum passim iurare, quia licet iuramentum sit licitum, & bonum; non tamen est ex eo genere bonorum, quæ sunt per se bona, & frequentanda, sicut est oratio, &c. sed ex eo genere bonorum, quæ bona sunt, posita necessitate, & aliis circunstantiis; sicut est vsus medicinæ, quæ solùm prodest necessitate vrgenti. Sic Bonacina *loc. citato, num. 1. vers. observa tamen.* Sanchez *lib. 3. n. 2.* Filliucius, *tract. 25. cap. 1. q. 1.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 1. num. 18.* & alij citati superiori quæstione: præcipuè Suarez *loc. cit. cap. 4. num. 13. vers. Ad secundum.* March. *loco citato, numer. 2.*

QVÆSTIO XX.

An, vt iuramentum sit licitum, & honestum, requirat tres comites, seu conditiones, nempe, veritatem, iustitiam & iudicium?

REspondeo vt quid certum, requirere; quia sic colligitur ex illo loco Ieremiæ 4. nuper adducto, *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Ratio est, quia in iuramento, Deus, qui est summa veritas, & iustitia, adducitur in testimonium: ergo non temerè, sed cum iudicio, iustitia, & veritate adduci debet: ergo ad iuramentum

requiritur iuſtitia, veritas, & iudicium. Sic docent omnes Theologi cum D. Thoma 2.2. *q.* 89. *art.* 3. & cum Magiſtro *in* 3. *diſt.* 39. Canoniſtæ *in cap. animaduertendum* 22. *q.* 2. Legantur inter alios, Nauarrus *cap.* 12. *num.* 3. Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 3. Sayrus *in Claui. Reg. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 1. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 4. *in princip.* Bonac. *punct.* 3. *num.* 4. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 6. *num.* 1. Rocafull. *lib.* 2. *de ſecundo præcep. cap.* 3. *à num.* 20. Graffiis *lib.* 2. *deciſ. cap.* 13. *num.* 2. Caramuel *in ſua Theolog. fundam. Fundamento* 50. *nu.* 12. 82. & omnes.

QVÆSTIO XXI.

An, prædicti tres comites, ad honeſtatem omnis iuramenti requirantur?

REſpondeo tanquam certum, requiri. Probatur, quia ſi deeſt veritas, efficitur Deus mendax, improbus, & ignorans, quippe qui ad confirmandum mendacium, in teſtem adducatur, & tunc dicitur iuramentum falſum, & periurium, propriè loquendo. Si deeſt iuſtitia, efficitur Deus cooperator illius mali, quod ipſius teſtimonio faciendum promittitur, & tunc dicitur iuramentum iniquum, ſeu iniuſtum. Si deeſt iudicium, cedit in Dei irreuerentiam, cum abſque iuſta cauſa adducatur in teſtem: ergo vt iuramentum ſit honeſtum, omnibus his comitibus, ſeu circunſtantiis, iure diuino ſociari debet. Sic omnino Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 6. *n.* 1. latè Pater Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 3. *per totum.*

QVÆSTIO XXII.

An, tres dicti comites ſufficiant, pro honeſtate cuiuſuis iuramenti?

REſpondeo etiam tanquam certum: ſufficere. Ratio eſt, quia ſi iuramentum his comitibus, aut circunſtantiis affectum ſit; per ſe non habet, vnde poſſit eſſe illicitum, licèt poſſit tale eſſe per accidens, & ex parte operantis. Sic docent omnes Theologi, teſte Suario, *loc. citato. num.* 9. verſ. *vltimò dicendum.*

QVÆSTIO XXIII.

An iuramentum ſit actus virtutis Religionis?

REſpondeo tanquam certum, eſſe. Id conſtat ex ſcriptura *Deuteron.* 6. *Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.* Vbi iuramentum ponitur tanquam actus pertinens ad latriam, & ad ſeruitutem Deo debitam. Sic Suarez latè, & doctè, vt ſemper *lib.* 1. *de iuram. cap.* 4. qui hoc ex patribus, & Philoſophis confirmat. Legatur præcipuè Angelicus Doctor 2.2. *q.* 89. *art.* 4. & ibi Caiet. & cæteri expoſitores.

QVÆSTIO XXIV.

An, licitum ſit cupiam, iurare per creaturas, abſolutè ſpectatas, vt creaturæ ſunt?

AFfirmare videtur Ioan. de Selua *de iuram.* 1. *p. quæſt.* 1. *num.* 7. quatenus abſolutè docet, iuramentum tam per creaturas, quàm per Deum fieri poſſe.

Sed vt quid certiſſimum, Reſpondeo, minimè eſſe licitum, nec valere iuramentum factum per creaturas abſolutè in ſe ſpectatas, nec relatas aliquo modo in Deum, etiamſi tale fiat ex intentione iurantis. Probatur aſſertio planè, tum ex locis ſacræ Scripturæ, *Matth.* 5. & *Iacobi* 9. Vbi planè prohibetur per creaturas iurare, vt habitum eſt *ſup. q.* 18. Tum etiam ratione: quia iuramentum verum, & proprium eſt actus virtutis Religionis, per quem exhibetur reuerentia ſoli Deo debita: ergo repugnat tribui creaturæ abſolutè in ſe ſpectatæ. Confirmatur, quia iuramentum eſt teſtificatio veritatis per teſtimonium infallibile: atqui infallibilis veritas neutiquam reperiri poteſt in creaturis, cùm ſit proprium attributum Dei: ergo. Sic docent omnes DD. inter quos videantur Couarru. *de pactis* 1. *part.* §. 1. *n.* 5. Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 1. *à num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 1. *numer.* 2. & 3. Barboſa *ad cap. etſi Chriſtus. de iuramento.*

QVÆSTIO XXV.

An ſaltem, ſub aliqua alia ratione, ſeu conſideratione, ſit licitum per creaturas iurare, ſecluſo omni iure prohibente, ſi quod eſt?

REſpondeo vt quid certum: licitum omninò eſſe iurare per creaturas, referendo eas in creatorem, cuius nomen, & maieſtas in illis refulget; & aliquo modo exiſtit; ſeu qua ex parte à Deo ipſo creaturæ ſunt conditæ.

Probatur clarè ex vſu Scripturæ, & Eccleſiæ. Nam in primis, Ioſeph, vt habetur *Geneſ.* 42. Iurauit *per ſalutem Pharaonis*, & Paulus 2. *ad Corinth.* 1. per animam ſuam, dicens; *Teſtem Deum inuoco in animam meam.* Et Moyſes *Deuteron.* 3. & 4. per cœlum & terram, illis verbis: *Teſtes inuoco cœlum, & terram.* Rurſus Chriſtiani ſatis frequenter iurant per vitam, & ſalutem ſuam, per Euangelia, per crucem, &c. ſine periculo erroris, & ſine offenſa diuini Numinis, vt conſtat *ex cap. qui iurat* 22. *q.* 5. *cap. ſi aliqua* 22. *q.* 1. *cap. Ego N. de iureiurando.* ergo per creaturas, ſub aliqua conſideratione ſumptas, iuramenta fieri poſſunt, ſecluſo iure diuino, aut humano, ſi quod eſt. Sic vt certum docent omnes DD. præcipuè nuper citati. Legatur Sayrus *in Claui Reg. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 5. & 6. vbi proba, ad iuramenti eſſentiam, neceſſariò requiri, vt Deus expreſsè, vel tacitè inuocetur quando iuratur per creaturas, quatenus in his relucet diuina virtus, bonitas, &c. vt cùm quis iurat per cælum, per terram, &c. v. g. dicendo, *inuoco Deum; facio Deum teſtem, &c.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVI.

An saltem, hic modus per creaturas iurandi, sit illicitus, eo quod, iure diuino, aut humano sit prohibitus?

AFfirmatiuam partem tenuisse D. Hieronymum ad locum *Matth. 5. quæst.* 18. adductum: & Innocent. III. *in cap. etsi Christus de iureiurand.* ait Suarez, vbi infrà, existimantes id fuisse à Christo specialiter prohibitum *Matth.5.*

Sed, vt certum etiam, Respondeo dicendum, quod modus ille iurandi per creaturas ex natura rei, de quo *quæst. antecedenti*, nullo modo sit illicitus, eo quod prohibitus sit iure diuino, aut humano. Quia certum est, nullo iure esse prohibitum. Tum quia nullibi inuenitur talis prohibitio. Tum etiam, quia talis modus iurandi comprobatur vsu Ecclesiæ, & ipsiusmet Pauli, vt nuper est ostensum: ergo signum est, nec per se malum esse, nec prohibitum. Sic Suarez *lib.1. de iuramento cap.5. num.6.* Qui hoc latè probat, & respondet fundamento D.Hieronymi,& Innocentij.

QVÆSTIO XXVII.

An ad essentiam iuramenti, sit necessariam, vti hoc verbo, Iuro?

AFfirmauit Cardin. *in cap. præterea, de sponsalib.* vbi docuit, nusquam dici quemquam periurum, nec quoad periurij reatum censeri iuramentum præstitum, nisi fidem is interposuerit expressè per verbum *Iuro.* Huius Cardinalis sententiam refert,ac sequitur alter Cardinalis, Alexander videlicet, *in dicto cap. præterea*, vt refert Couarru. *de pactis 1.p in principio,num.7.pag.mihi 472.non cap.15. num.1.* vt leges apud Fagundez,vbi infrà.

Sed vt quid certissimum Respondeo minimè esse necessarium ad essentiam, seu valorem iuramenti, vti verbo *Iuro.* Probatur manifestè: Tum, quia vt supra *quæst. 6. & 7.* est habitum, nulla verba sunt necessaria ad essentiam, & valorem iuramenti. Tum etiam, quia in iure sæpiùs ponuntur formæ iurandi sine verbo *Iuro, cap. ego N.* & *cap. etsi Christus, de iureiurando. cap. iurabunt 22.qu.1.* Deinde quia Apostolus Paulus, non dixit *iuro*; sed *Testis mihi est Deus*, &c. Sic communis. Abbas, Lancelotus, Ioan. de Selua, quos affert, & sequitur Couarru. *loco citato*, vocans sententiam Cardinalis falsam. Suarez *lib.1. de Iuramento cap. 13. num.1.* Syluester, & Sotus apud ipsum. Sayrus *in Clavi Reg.lib.4.cap.1. num.7.* Qui citat etiam Aragon. *2.2.q.89. art.1. notab. vltimo, vers. Quinta.* Sum. Coronam, Ioan. Suesam, & Angelum. Sanchez *lib.3.in Decal. cap.2. num.2.* Fugundez *lib.2. in Decalogum cap.2.num. 2.* Bassæus *tom.2. verb. iuramentum, n.4.* & alij.

QVÆSTIO XXVIII.

An ad essentiam & valorem iuramenti, requiratur, vt res in testem adducta, sit in se sacra?

NEgant aliqui Doctores existimantes, satis esse, sacram esse in iurantis existimatione. Et ideò dicunt, Ethnicos iurantes per suos deos, verè iurare, & consequenter, teneri rem promissam illo iuramento, exequi. Ratio eorum est, quia tales sic iurantes, volunt verum Deum in testem adducere; etsi materialiter errent in veri Dei existimatione. Ita sentiunt Glossa *cap. mouet 22. quæst.1. verb. sociat.* Sylvest. *verbo iuramentum 4. qu 4.* Couarru. *de pactis p.1. §.1. num.10. vers. ego sanè* Aragon.2.2. *quæst 89. art.1.* Seraphinus, Petr.Ledesma, Azor,& Philiarcus, quos citat Sanchez *lib.3. in Decal.cap. 2.num.5.*

Sed probabilius, Respondeo, requiri, vt res in testem adducta, sit in se sacra; & ideò dico quod Ethnici iurantes per suos deos non obligentur ad implendam rem iuratam, seu promissam ex vi talis iuramenti; sed solùm ex conscientia erronea, quatenus illi putant, se per verum Deum iurasse. Ratio est, quia in eo iuramento, non inuocatur diuinum testimonium, aut verus Deus in testem: ergo non est iuramentum, nec eius obligatio ad Religionem verè pertinet, cùm potius in Dei contumeliam cedat, & sit actus idololatriæ: ergo ex se vim obligandi non habet, sed ex sola conscientia erronea,& ex vi promissionis,seu fidelitatis humanæ. Sic Alexand.de Ales *in summa part.3. q.31. memb.3. art.2. §.1.* Gabriel *in 3. dist.39 quæst.2. art.3. dub.3.* S. Anton. *p.2.tit.10. cap.4. §.1.* Sotus *lib.8. de iust. q.2. art.3. dub.3.* Couarru. *in capite quamuis p.1. §.1. num.7. de pactis.* Aragon. *2.2. quæst.89. artic.6. dub.3.* Innocent. & Panormitan. *in cap.etsi Christus*, quos omnes citat,& sequitur Sayrus *in Clavi Reg. lib.5. cap.3. num.21.* Sanchez *lib 3.in Decalog. cap.2. num.5.* Suarez *tom.2. de Relig. tract. de Iuram. lib.2. cap.5. n.6.* Molina *tom.3. de iust. par.1. disput. 579. num.13.* Lessius *lib.2. de iust. cap.42. dub.1. num.9.* Fagundez *lib.2.in 2. Decal. pr.c.1.num.11.* Thom.Tamburin.*lib.3.in Decal. cap.1. §.1. num.3* Trullench. *lib.2.in Decal. cap.1. dub.2. num.5.* Bonac. *disp.4. q.1.punct.1.n.2.versu sextò*, Layman.Filliuc.& alij apud ipsum.

QVÆSTIO XXIX.

An, si quis, existimans librum profanum esse Euangeliorum, iuraret per Euangelia in eo contenta, iuraret verè?

NEgandum videtur ex nuper dictis. Quia Ethnici qui iurant per deos falsos, nec verè iurant, nec tenentur ex vi iuramenti exequi rem promissam: ergo nec iurabunt verè, qui existimantes librum esse Euangeliorum, iurarent super librum profanum.

Sed vt certum, Respondeo verè iurare, & teneri exequi rem tali iuramento promissam. Ratio est, quia huiusmodi iurans, verè intendit per vera Euangelia iurare, vnde error solùm fuit materialis. Nec sic fuit modò in Ethnico, qui ita iurauit per Iouem, vt per verum Deum (quem ipse non cognoscit) iurare nullatenus intenderit: si enim intendisset, ac sub Iouis nomine verum Deum, licèt imprudenter, inuocare voluisset, tunc verum emisisset iuramentum, eique omninò stare, errore materiali deposito, debebit. Sic Tamburinus *loco cit.* Sanchez, vtriusque sententiæ Doctores, nuper adducti.

QVÆSTIO XXX.

An saltem Christiani iurantes per falsos Deos, teneantur, ex vi iuramenti, implere promissum?

AFfirmant aliqui Doctores, ducti ex quibusdam verbis D. Augustini relatis *in cap. Ecce dico 22. q. 5.* quibus id expressè affirmare videtur. Ita Innocent. Ioan. Andreas, Hostiens. Anton. Neuo, Abbas, Ancharan. & Imola, *in cap. etsi Christus, de iureiurando.* Alexan. *l. 3. §. vltimo, ff. de iureiurando*, Selua *tract. de iureiurando, q. 1. ad finem*, quos omnes, dicentes, Christianos iurantes per falsos Deos, teneri ex iuramenti Religioni implere promissum, refert Sanchez *lib. 3. cap. 2. num. 6.* & ex illo, sed non ita benè, Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 1. n. 15.*

Sed vt quid verum, Respondeo, non teneri implere promissum ex vi iuramenti, seu ex iuramenti religione. Ratio est, quia vt *q.* 28. est habitum, Ethnici iurantes per Deos falsos, sola conscientia erronea eo iuramento adstringebantur, eo quod existimabant illos esse veros Deos: atqui hæc erronea conscientia non inuenitur in Christianis; ergo. Verum tamen est, quod si ipsi Christiani existimassent illud iuramentum esse verum, tunc sola conscientiâ erronea similiter, quandiù duraret, eo iuramento adstringerentur. Sic Abulens. *cap. 5. Matth. q. 269.* Sotus, Couarru. & Seraphin; quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 2. n. 6.* Suarez etiam *lib. 2. de iuram. cap. 5. num. 5. & 9.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 11. q. 11.* Fagundez *lib. 2. in Decalog. cap. 1. n. 15.* Qui benè addunt, tunc nihilominus, teneri Christianos sic iurantes, ex vi promissionis humanæ, quæ iuramento non esset stabilita: Quia vtile per inutile non vitiatur, quando separabilia sunt, quod hîc contingit. Reg. *vtile, de regul. iuris in 6.* Legatur Bonac. *disp. 4. q. 1. punct. 1. n. 2. vers. Addo eum*, cum aliis, quos ipse citat.

QVÆSTIO XXXI.

An, qui intendit iurare per verba, quæ iuramenta non sunt, veluti verè, profectò faciam hoc, *obligetur ad impletionem talis iuramenti, ex vi iuramenti?*

AFfirmant teneri ad adimplendum tale iuramentum, si non ex verbis, saltem ex conscientia erronea: eo quod prædicta verba proferens, verè existimat se iurare, & intentione iurandi, & adducendi Deum in testem veritatis, ea dicit, Sanchez *loco cit. num. 7.* & penes ipsum, Caiet. *2. 2. q. 89. art. 1.* Emm. Sà *verb. iuramentum. n. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. q. 1.* & Suarez *lib. 1. de iuram. cap. 11. n. 2.* His addo Fagundez *lib. 2. cap. 1. num. 16.*

Sed clariùs cum Tamburino Respondeo sic: Si ille, qui profert prædicta verba cum intentione iurandi, sciat quid sit iurare, & velit iurare; tunc verè manet obligatus iuramento, quia in eo casu, verè iuramentum fecit, vt benè Sanchez cum aliis dicit. At verò, si nesciat quid si iurare, vt communiter nesciunt rudes, pueri, mulierculæ, tunc puto per ea verba non effici verum iuramentum, atque adeò, remota conscientia errante, illud nullam obligationem inducit. Quia cùm hic ex vna parte, nesciat quid sit iurare, nesciet etiam in vero iuramento inuocare Deum; & ex alia parte, per sua verba illum non inuocat: ergo quamuis ipse velit iurare, non iurabit. Cùm enim hæc voluntas non dirigatur à præcognitione, qua sciatur, quid sit iurare, verè, & efficaciter iuratoria esse non potest. Erit igitur solùm voluntas inefficax iurandi, immo erronea, verè enim iurare quis libere non potest, nisi ex positiua præcognitione, saltem confusa, sciat in vero iureiurando inuocare Deum. Huc vsque Tamburinus, *lib. 3. in Decal. cap. 1. §. 1. num. 8.*

DISPVTATIO II.

De diuisione iuramenti, deque eius speciebus.

QVÆSTIO PRIMA.

An iuramentum rectè diuidatur in assertorium, promissorium, contestatiuum, comminatorium, & execratorium?

RESPONDEO rectè in hæc membra diuidi, Constabit ex definitione membri cuiuslibet. Igitur iuramentum *assertorium* est, illud in quo iuramus aliquid præsens, vel præteritum, ita esse, vel non esse: vt, *Per Deum hoc ita est, aut non est, fuit, vel non fuit. Promissorium* est illud, in quo iuramus aliquid nos facturos, vel non facturos: vt *iuro per Deum, me hoc facturum, vel non facturum. Contestatiuum* est illud, in quo quis simpliciter inuocat Dei testimonium; vt *Testis est mihi Deus; viuit Deus, &c. Comminatorium*, est illud, in quo malum pœnæ, vel culpæ, sub iuramento comminamur: vt *per Deum te interficiam, nisi hoc feceris*, vel, *per Deum iurabo toties*, vel, *toties te damoni dabo, nisi hoc egeris. Execratorium* tandem est illud in quo, nos ipsos, vel rem nobis caram diuinæ vltioni subiicimus, si verum non sit quod asserimus, vt, *Deus me destruat; vel filiis meis malum accidat, si hoc ita non est.* Sic communiter Doctores. Legatur Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dubit. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 1. & 2.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 1. à num. 4.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. cap. 6.* Sayrus *lib. 5. Clauis Reg. cap. 2.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 4.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 1. §. 2.* Trullench. *lib. 2. Decal. cap. 1. dub. 3.* Basseus *tom. 2. v. iuramentum, num. 2. & 3.* Luysius Turrian. *1. p: sum. cap. 177.*

QVÆSTIO II.

An dentur aliæ species iuramenti?

RESpondeo dari. Nam *secundò*, diuitur iuramentum, in iudiciale, & extraiudiciale: illud exhibetur coram Iudice, vel Notario, certa quadam forma, & ritu à iure dispositio. Hoc fit, extra iudicium, sine certa forma, voluntariè & inter priuatos.

Tertiò

Tertiò datur iuramentum simplex, & solemne. Hoc fit cum aliqua iuris forma, nempe in iudicio, coram testibus, & Notario, &c. illud verò, non ita.

Quartò diuiditur iuramentum, in absolutum, seu purum; conditionatum, & pœnale. *Absolutum* est illud, quo absolutè, & sine vlla conditione aliquid promittitur: vt, *Iuro per Deum, me hoc aut illud facturum.* *Conditionatum* est illud, quod fit cum aliqua conditione, vt, *Iuro per Deum, me hoc facturum, si cras tu huc veneris.* *Pœnale* illud, quo sub aliqua pœna aliquid promittitur: vt, *Iuro per Deũ me hoc facturum, sub pœna soluendi centum, nisi fecero.*

Quintò diuiditur iuramentum in illud, quod fit per Deum, explicitè inuocando illum, seu Diuina; vt, *Per Deum, per Christum, per Crucem.* Et in illud, quod fit implicitè, vel tacitè inuocando illum; vt cùm iuramus per creaturas, in quibus elucet Deus.

Sextò denique datur iuramentum, cui adiuncta est blasphemia, de quo infrà. De his omnibus legantur Authores citati.

QVÆSTIO III.

An, omnia Iuramenta assignata, sint eiusdem speciei?

REspondeo, omnia esse eiusdem speciei, (præter iuramentum blasphemum, vt infrà explicabo) sic Sanchez his verbis: Obseruandum est, iuramentum quodcumque, quibuscumque verbis fiat, & quocumque modo, siue per execrationem, siue per simplicem contestationem, siue assertorium, siue promissorium sit, siue iuretur per Deum, siue per creaturas, siue tactis Euangeliis, siue Ara, siue illis non tactis, esse eiusdem speciei in iuramenti ratione. Quia cùm iuramenti ratio formaliter, in inuocatione Dei in testem consistat; materialiter, & per accidens se habet huius inuocationis modus: ac proinde speciem minimè variat. Sic ille *lib. 3. in Decal. cap. 1. num. 9.* & penes ipsum Caiet. *2. 2. q. 89. art. 1.* Sotus *lib. 8. de Iust. q. 1. art. 1.* Couarru. *de pactis part. 1. initio n. 3.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 2. q. 7. & triplici sequenti*, Lessius *dubit. 2. n. 9. & 10.* Sayrus *lib. 5. cap. 2. num. 2.* & Suarez *lib. 1. cap. 5. n. 13.* Quibus addi possunt Fagundez, *lib. 2. in Decal. cap. 4. n. 3.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 3. n. 9.* Tamburinus *opusc. de confess. lib 2. cap. 3. §. 2. n. 19 & lib. 3. in Decal. cap. 1. §. 2. num. 8.* March. v. *Iuramento resol. 152. n. 9.* Notat Sanchez, notanter dixisse, hæc omnia iuramenta non differre in *ratione iuramenti*: Quia si iuramentum sit simul blasphemia, vt, *Per vitam Dei*, tunc erit alia blasphemiæ species necessariò fatenda.

QVÆSTIO IV.

An, sit opus in confessione explicare, quale iuramentum violauerit, an scilicet, fuerit execratorium, an comminatorium, an per Deum, an per creaturas, &c.

REspondeo, non esse opus id in confessione explicare, quia (vt ex nuper dictis patet) omnia iuramenta (præter iuramentum blasphemum, in quo clarè apparet, esse adiunctam aliam speciem) sunt eiusdem speciei: ergo omnia periuria ex defectu veritatis, (abstrahendo ab alio scelere, quod admisceri potest) eiusdem sunt speciei, & rationis: ergo non est opus ea in confessione distinguere: sufficiet ergo pœnitenti dicere, toties periuraui, aut fidem iuramento firmatam toties violaui. Sic omnes Authores nuper citati, præcipuè Sanchez, Azor, Fagundez, & Tamburin.

QVÆSTIO V.

An, si periurium sit iudiciale, debeat circunstantia iudicij, in confessione exprimi?

REspondeo debere necessariò, propter malitiam specie diuersam iniustitiæ, quam periurus commisit, non parendo Iudici, iustè interroganti, vt tenebatur. Sic cum communi Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 1. fine*, Fagundez *lib. 2. cap. 4. num. 6.* Sotus *de Iust. q 1. art. 1.* Raph. de la Torre *2. 2. q. 89. art. 1. disp. 2.* March. *resol. 152. citata, n. 10.* & alij apud ipsum.

DISPVTATIO III.

De variis modis, ac formulis iurandi?

QVÆSTIO PRIMA.

An sint aliquæ formulæ iurandi, de quibus, apud omnes constet, eas habere vim, & rationem iuramenti?

REspondeo vt certum: Esse aliquas, nempe, omnes illas, quibus Deus, vel Diuina, inuocantur in testes. Vnde sine dubio, verum iuramentum continent hæc sequentia verba: *Testis sit Deus. Deum testor. Deum testem aduoco, adhibeo, appello. Per Deum iuro.* Sic Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 2. num. 21. fine.* Suarez, *lib. 2. cap. 42. dubit. 2. num. 8.* Azor *lib. 11. cap. 3. q. 1.* Fagundez *lib. 2. cap. 2. sub num. 36.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 4. n. 1.* & alij omnes; quorum ratio est, quia per has iurandi formulas; verè Deus in testem inuocatur: atque in hoc ratio iuramenti consistit: ergo.

QVÆSTIO II.

An, hæc verba: Testis est mihi Deus, *verum contineant iuramentum?*

AFfirmant multi Doctores, eo quod per hæc verba, verè Deus in testem inuocetur; ita apud Sanchez tenent D. Thom. *2. 2. q. 89. art. 1. ad 3.* Sotus *lib. 8. de Iust. q. 1. art. 1. col. 6.* Aragon *2. 2. quæst. 89. art. 1. ante dubium, circa 1. concl.* Rodriguez *in sum. cap. 91. num. 2. in 2. edit.* Siluest. v. *iuramentum 1. q. 1.* & alij.

Sed distinguunt (apud Azorium *q. 1. cit.*) Caietanus *2. 2. q. 89. art. 5. & 6.* & Sotus *loco cit.* dicendo,

do ; quod dicta verba, duobus modis possint proferri, videlicet, inuocatiuè, & enunciatiuè : si primo modo proferantur, verè erunt iuramentum : secus verò, si secundo : quia tunc solùm proferuntur per modum simplicis assertionis, quasi dicatur, huius rei spectator, & testis ipse Deus est.

Sed probabilius Respondeo ex communi vsu hominum prædicta verba continere iuramentum, & ideò, præter Authores primæ sententiæ, sic sentiunt Suarez, Sayrus, Lessius, & Sanchez *quæst.1.citati.* Fugundez & Trullench. *loc.cit.* Imò & Azor *q.1. cit.* sic sentire videtur. Nam relata distinctione Caietani, & Soti, ita quæstionem concludit : Nauarrus verò *in Man. cap. 12. n.3.* simpliciter, & absolutè testatur iusiurandi vim continere. Et certè S. Augustin. *epist. 89. quæ est* ad *Hilarium, in quæst. 5.* hæc omnia ad iusiurandum reuocat, & vsus hominum tanquam iusiurandum solet adhibere, & accipere. Hæc Azorius, vnde non benè citat illum Fagundez pro sententia Caietani, & Soti. Neque Azor citat bene Nauarrum : cum non loquatur de formula iurandi proposita, sed de mox proponendis, de quibus adhuc, docet, non continere iuramenti vim.

QVÆSTIO III.

An etiam, verum contineant iuramentum hæ formulæ : Deus scit, *vel*, audit, quod dico: *vel*, coram Deo dico, *aut* loquor?

REspondeo dicendum, quod huiusmodi verba duplici modo proferri possunt : vno modo *inuocatiuè*, vt quando inducuntur ad confirmandum id, quod dicitur; aut adducendũ Deum in testem eius, quod quis dicit; vt fecit Paulus *ad Galat.1.* illis verbis: *Ecce coram Deo, quia non mentior, aut Deus scit, quod non mentior.* Et tunc iuramentum continere liquet. Alio modo, *enunciatiuè*, quando solùm proferuntur per modum enarrationis; quasi dicatur, huius rei quam profero, Deus conscius est, aut spectator, & tunc dicta verba non continent iuramentum, quia per illa non inuocatur Deus in testem : sed tantummodo enuntiatur Deum hæc scire, & videre. Sic Caiet. Sotus, Aragon, & Súma Confess. quos citat, & sequitur Sayrus *lib.5. Clau. Reg. cap.1.n.5.* Suarez *lib.1. de iuram. cap.13. n.7.* Sanchez *n.21. cit.* vbi ait hæc verba, *scit Deus*, & *coram Deo*; minorem effigiem iuramenti habere, quàm illa verba: *Testis est mihi Deus.* Bonac. & Lessius, quos citat, & sequitur Trullench. *lib.2. in Decal. cap.1. dub.4. num.2.* vbi addit ex Sayro, Bonacina, & Villalob. quod, si prædicta verba proferantur à viris solitis iurare, tunc præsumuntur iuramentum, nisi aliter constet de animo iurantis. Tenet etiam nostram sententiam Nauarrus *in Man. cap.12.n.2.* vbi ita ait : Neque etiam iurat, qui dicit: *Deus scit, an ego verum dicam.* Neque qui dicit: *Hoc dixerim coram Domino*, si caret intentione iurandi: Non etiã inuocat Deum tanquam testem eorum, quæ dicit, sed tanquã spectatorẽ, secundùm Caietanũ, &c. Hæc meus Nauarrus. Fagundez etiam *lib.2. cap.2. n.33.* Valentia, Sà, Rodriguez & alij apud ipsum.

QVÆSTIO IV.

An saltem iuraret, qui diceret : Deus scit me verum dicere?

NEgat adhuc apud Fagundez Caiet.2.2. *q.89. art.2.* quem ex parte sequitur ipse Fagundez citatus, dum dicit, talia verba esse æquiuoca, & ita si proferantur enuntiatiuè, non continere iuramenta : secus si inuocatiuè.

Sed melius Resp. tunc verè iurare, quia qui huiusmodi verbis vtitur, Deum in testem adducit, secundùm sanum, & cõmunem intellectum. Sic Nauarrus nuper citatus *num.2. fine.* Et iuxta hanc doctrinam dicendum est, quod verè habeant formam iuramenta illa verba Diui Petri *Ioan.21. Tu scis Domine, quia amo te.* Quia per illa, videtur Deum in testem aduocare, amoris sui erga eum; vt ex Soto docet Sayrus *lib.4. Clauis Reg. cap.1. n.6. versu, Dubium tamen est.* Maldonatus Patres referens, ibi *Ioan.21.* Et apud Fagundez, D. Thom.2.2. *q.89. art.1. ad 3.* & Azor. *tom.1. lib. 11. cap.3. quæst.1.* sed malè refert hos duos Doctores Fagundez. Quia nec D. Thomas, nec Azor, de citatis verbis Petri tractant. Legantur pro nostra principali responsione Basseus *tom.2.v. iuramentum, n.1.* & alij apud ipsum. Nec certè Caietan. *loco cit.* agit de hac nostra in specie difficultate.

QVÆSTIO V.

An hæc verba: viuit Deus; viuit Dominus, *verum contineant iuramentum*?

NEgat ex parte, & ex parte affirmat Petr. Ledesma *tom.2. sum. tract.11. cap.1. dub.1.* quatenus refert inter verba æquiuoca, hæc; *viuit Deus*: ita dicens : En estas palabras: *Delante de Dios: Dios lo sabe: viue Dios: Dios verdad:* ay quiuocacion; como enseña Caietano, 2.2. *q.89. art.1.* Si se toman, como simples propositiones, y enunciationes, no son iuramento sino palabras manifestatiuas de vnas verdades bien necessarias, como son estas. *Hablo delante de Dios: Dios tiene conocimiento de todo, y vida; y es la misma verdad.* Mas si por ellas se repretende traer a Dios por testigo de alguna cosa como de ordinario lo hacen los hombres, son grauissimos iuramentos, como declara S. Augustin. Ita Ledesma, quem citat, (simul Sotum,) & sequitur Ioan. de Cruce *in 2. præcep. art.1. vers. ex dictis patet.*

Sed probabilius, absolutè Respondeo, prædicta verba, verum continere iuramentum : nec in illis æquiuocationem, quam ponunt citati Authores inueniri. Sed apertè vita Dei, & Domini adducitur in testimonium eorum, quæ dicuntur, & sic manifestum est iuramentum. Et certè talis forma iurandi vsitatissima fuit inter Prophetas, vt habetur *Hierem.4. Et iurabunt viuit Dominus: & alibi.* Nec ratio contrariorum est efficax : quia licèt illa verba, *viuit Deus; viuit Dominus*, hunc sensum efficiant, *Deus est viuens* : nihilominus ex speciali impositione, & vsu hominum desumpto ex Sacra Scriptura, vsurpantur pro iuramento ad inuocandũ Deum, & Dominum viuentem, in testem rei assertæ, aut negatæ. Et ita inter manifesta iuramenta numerant Siluester *iuramentũ 1.q.1.* Sotus *de iuramentorum abusu, cap.4. & lib.8. de iust. q.1. art.1. col.6.* vbi expressè ait; quod idem sit dicere, *viuit Dominus*, ac dicere; illum in testem affero, qui non modo vitam viuit immortalem, sed vbique adest, &c. vnde malè Sotum pro se citat Cruz. Azor *tom.1. lib.11. cap.3. q.1.* Suarez *cap.13. n.6.* Sanchez *lib.3. in Decal. cap.2. n.22.* Fagundez *lib.2. cap.2. n.37.* Sayrus *lib.5. cap.1. n.6. vers. Ad iuramẽti ergo essentiam.* Nauarr. *cap.12. sub n.1.* Trullench. *lib.2. in Decal. cap.1. dub.4. n.1.* Basseus *tom.2.v. iuramentum, n.4.*

QVÆST.

QVÆSTIO VI.

An, verè iuret qui dicit: Deus est veritas, quod hoc ita est? *Hispanè: Dios es verdad que es assi?*

NEgat Suarez, docens, hæc verba, non continere manifestum iuramentum: eo quod sint valde ambigua; & magis pendeant ex circunstantiis, & intentione illa proferentis.

Sed probabiliùs Respondeo verè iurare: quia reuerà prædicta verba manifestum continent iuramentum. Est enim vsitata forma iurandi: sicuti est: *in veritate Dei*; iuxta illud Apostoli *2.ad Corinth.* 11. *est veritas Christi in me*, & *ad Rom. 9. Veritatem dico in Christo, non mentior.* Atqui hæc verba verum continent iuramentum: ergo & alia. Sic docent omnes ferè Doctores, *quæst.antecedenti* pro nostra sententia adducti.

QVÆSTIO VII.

An, hæc verba: Voueo Deo, ita esse, vel non esse. *Hispanè,* voto à Dios, que esto es assi, ò no es assi: *sint verum iuramentum, quando materia non est capax voti, sed iuramenti?*

REspondeo verum esse iuramentum, & valdè graue. Quia intentio proferentis talia verba, reuerà est iurare, & ad hoc inuocat Deum. Et licèt hæc verba *Voueo Deo,* ex se iuramentum non sint, sed votum significent; tamen iam ex accomodatione, & vsu hominum, pro iuramento accipiuntur, & iuramenta sunt, licèt homines ineptissimè his verbis vtantur pro verbo iurandi. Sic Couarru. & Sotus, quos citat, & sequitur Suarez *lib. 1. de iuram. cap.* 13. *n.* 2. Alcozer, Aragon, & Rodriguez, quos affert, & sequitur Sanchez *lib. 3. in Decal.cap.2.n.*14. Fagundez *lib.2.in Decal.cap.2. num.*4.

QVÆSTIO VIII.

An deinde, hæc verba: Promitto tibi Deo: *Hispanè,* yo os prometo à Dios: *contineant verum iuramentum?*

NEgat Valascus *consultat.99. num.*14. cum aliis viris doctissimis, & Senatu Lusitano.

Sed meliùs Respodeo, etiam continere verum iuramentum, quia eumdem sensum habent, ac *Voueo Deo.* Neque enim per illa verba *promitto tibi Deo,* aliqua promissio dirigitur in Deum, sed in hominem; & Deus adducitur in testem, quamuis impropriè. Sic Sanchez, & Fagundez locis nuper citatis.

QVÆSTIO IX.

An item hæc verba: Iuro me facturum hoc; *vel* iuro hoc ita esse: *sint verum iuramentum?*

AFfirmant omnes, qui putant, solum, ac nudum verbum *iuro,* nulla addita determinatione, (vt in exemplis positis) sufficere, vt promissio, vel assertio iurata censeatur. Quia idem est *iuro*; ac, *iuramentum facio,* atqui iuramentum, simpliciter dictum, est attestatio per diuinum testimonium: ergo, qui sub verbo *iuro* aliquid profert, eo ipso verè iurat.

Negant contrà alij: eo quod per illa verba, Deus non adducatur in testem: ergo proferens illud verbum *iuro,* nulla addita determinatione, minimè facit iuramentum. Nisi alias intendat iurare. Ita Bonac. *disp. 4. q.* 1. *punct.* 1. *n.*7. cum aliis.

Sed clariùs Respondeo *Primò.* Certum est, quod quando quis verbo *iuro,* addit aliquid, quo denotat non inuocare diuinum testimonium, tunc non faciat iuramentum: quia illud additum distrahit verbum *iuro,* à propria significatione: vnde minimè iuraret qui diceret: *Iuro à Dios la; iuro à no Dios: iuro à san Iunco: iuro por el cielo de la cama: iuro à S. Pedro de Palo,* &c. Sic Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.*13. *num.*3. Petr. Ledesma *tract.* 11. *de iuram. cap.*1. Sanchez *lib.*3. *cap.*2. *num.*3. Fagundez *lib.*2. *in Decal. cap.* 2. *n.*5. Qui addit, idem esse dicendum, si post verbum, *iuro,* statim quis addat, *per hanc barbam: per me ipsum,* &c. *Hispanè iuro por mis barbas: iuro ami: iuro por quien soy,* &c. Trullench. *lib.*2. *in Decal. cap.*1. *dub.*4. *num.*4.

Respondeo *Secundò.* certum etiam est contrà, quod quando verbo *iuro* adiungitur aliquid, quo denotetur aliquid diuinum, seu res sacra, tunc illud verbum, verum sit iuramentum: v.gr. si iuramentum exigens dicat: *iuras per Deum; per Diuum Petrum; per Euangelia,* &c. & alter respondeat; *iuro.* Idem est, si quis dicat; *iuro in forma iuris,* vt solet fieri in aliquibus petitionibus in iudicio præsentatis. Quia sensus est; *iuro eo pacto, quo ius præscribit iurandum.* Sic expresè Suarez, Sanchez, Fagundez citati.

Respondeo *Tertiò*: probabilius est, quod illa verba: *iuro me facturum hoc*; aut, *hoc ita esse*; spectato rigore verbi *iuro,* verè sint iuramentum. Quia in rigore, verè significant, Deum in testem adduci. At attento communi vsu hominum, qui quoties iuramentum faciunt, vel ab aliis exigunt, solent exprimere per quid iurent, dicendum est, non esse iuramentum; nisi de animo, & intentione iurantis secus constaret. Sic Suarez, Sanchez, & Fagundez citati, necnon Bonacina, ex parte, *loco citato.*

QVÆSTIO X.

An referat ad verum iuramentum, vt fiat per præpositionem, per; *an per præpositionem,* in?

AFfirmare videtur Sotus *lib.*8. *de iust.q.*1. *art.*1. *col.*5. dum hæc ibi scribit verba: Item, si dicas: *in fide mea,* aut, *in fide ingenui viri,* aut, *in bona fide,* nihil iuras, quia non affers fidem in testem

ſtem: ſed ſenſus eſt, te ſecundùm fidem loqui, quæ in dictis, & conuentis ſeruanda eſt: ſecus ſi dicas: *Per fidem Dei*, aut, *Chriſti*. Nam tunc iuras per ſacrum, ſicut per Euangelium. Quamuis forſan, ſi diceres: *in fide boni Chriſtiani, aut Religioſi*, non eſſet iuramentum; ſed ſenſus eſſet, te id pronunciare, ſecundum fidem humanam, quam bonus Chriſtianus ſeruare debet. Sunt autem verba non benè ſonantia, maximè in viris Religioſis. Quando verò adhibetur *Per*, vt ſi dicas; *Per meam fidem*, videtur inde ſpecies conflari iuramenti: ſicut, *Per meam animam*: aut *per meam vitam*. Idem diſcrimen apparet, ſi dicas: *in mea conſcientia*: aut, *per meam conſcientiam*. Idem enim cenſetur, *in mea conſcientia*, ac ſi dicas: *id aio, quod ſentio*. Sed cùm addis, *per*, videtur accuſatiuus formam teſtis inducere: ob idque viris timorati animi ab his omnis abſtinendum eſt. Et præſertim Religioſis ab eo, quod aiunt, per habitum D. Franciſci, aut D. Dominici: eſt enim iuramentum, tum nobis indecorum; tum & audientibus abſonum. Per hæc autem de cæteris cenſendum. Hæc omnia Dominicus Sotus.

Sed omnino probabiliùs Reſpondeo, nihil referre ad verum iuramentum, quod res in teſtem adducta, inuocetur per præpoſitionem *per*, ſiue per præpoſitionem *in*. Vnde ſi res inuocata per præpoſitionem *in*, non eſt iuramentum; neque erit ſi inuocetur per præpoſitionem *per*. Et ſi contrà, inuocata per hanc eſt iuramentum; erit quoque inuocata per illam. Quia reuera idem eſt vtriuſque orationis ſenſus, & idem valet & ſonat: *In Deo hoc affirmo*; *in Deo ita eſt*; atque, *per Deum hoc affirmo*; *per Deum ita eſt*. *In mea conſcientia*, & *per meam conſcientiam*. *In fide mea*, & *Per fidem meam*. Sic communiter Doctores. Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 13. *n.*14. D. Bonau. & Silueſter per ipſum. Nauarr. *cap.*12. *n.* 2. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.*7. *punct.* 2. Aragon 2.2. *q.*89. (non 98. vt inuenies apud Sayrum) *art.* 1. *in ſolut. ad* 3. Sayrus *in Claui Reg. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 13. Leſſius *cap.*42. *dub.*1. *n.*1. Azor *lib.*11. *cap.*3. *q.*1. Sanchez *lib.*3. *in Decal. cap.*2. *n.* 8. Graſſiis *lib.* 2. *deciſ. cap.*14. *num.* 7. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. *n.* 6. & alij communiter.

QVÆSTIO XI.

An, iuramentum faciat, qui dicit; Par Dios: Por Dios que ſi: Por Dios que es recia coſa eſta?

AFfirmat loquendo de prima formula iurandi; licet neget de ſequentibus, Sanchez *cap.*2. *cit. num.*13. per hæc verba: Ac ſimiliter eſt iuramentum, dicere *Par Dios*, vt benè docet Alcozer, *ſum. cap.* 15. paulò poſt principium, in prima doctrina: quia idem eſt ſenſus, ac dicere; *Per Deum*. Contingit tamen quandóque dicere, *Per Deum*, non adducendo Deum in teſtem: ſed eſt quidam dicendi, aut oſtendendi tædij modus, & tunc non eſt iuramentum. Vt ſolet dicere quiſpiam tædio effectus: *Por Dios que ſi*: *Por Dios que es recia coſa eſta*. Ita Sanchez. Quem citat, & ſequitur Fagundez *loco citato*, *num.*7. Alcozer *cap.*15. *in* 1. *doctrina*. Vbi dicit eſſe iuramenta: *Iuro por mi, ò a mi*; *Par Dios*: *Por Dios*.

Sed clariùs Reſpondeo *Primò*, quod licèt, qui iurat *Par Dios*, verè pronunciet verba continentia iuramentum, vt benè Sanchez & alij: nihilominus tamen ex defectu intentionis iurantis, minimè communiter erit iuramentum: niſi alias expreſsè id velit facere. Sic Tamburinus *lib.* 3. *in Decal. cap.*1. §. 3. *n.*6. ibi: ſi ſecundum, *ideſt*, *ſi poſitiuè nolit inuocare Deum*, certò iuramentum non erit, vt fatentur communiter Doctores; licèt enim ego dicam *Iuro per Deum*, ſi nolim per hæc verba Deum, vt teſtem mei dicti implorare, vtique non implorabo, niſi valde materialiter: ſicut ſi pſytacus à Magiſtro edoctus eadem verba proferret. Certè in Sicilia ignobiles viri, vnoquoque verbo, (*Par Dio*) iurant. Quis autem dicat eos ignobiles verè iurare; cum nec ipſi aliquando ſciant quid ſignificet illud *Par Dio*: videtur autem ex ſua notione ſignificare, *Per Deum*. Hæc Tamburinus, & Villalob. & Trullench. mox citandi.

Reſpondeo *Secundò*, certum eſt, quod non faciat iuramentum, qui tædio affectus dicit, *Per Deum quod ſic*: *Por Dios que ſi*. *Por Dios que es recia coſa eſta*: ob rationem dictam: ſic omnes communiter. Legantur Sanchez, & Fagundez citati. Trullench. *lib.* 2. *cap.*1. *dub.* 4. *n.*8. Bonac. *diſp.*4: *q.*1. *punct.*1. *n.*1. *verſ. ſeptimò*. Villalob. *punct.* 2. *tract.*36. *diff.*2. *n.*12.

QVÆSTIO XII.

An in his verbis, Per animam meam: *Hiſpanè* Por mi alma: *iuramentum contineatur?*

NEgant Iacobus Butricarius, & Salycetus, quos refert, & ſequitur Gutierrez *Auth. Sacramenta puberum*, *num.* 148. *cap. ſi aduerſus vendit.* & Gregor. Lopez *l.*26. *verbo oleſiziere*, *in fine tit.*11. *part.*3. Cruz *in ſum. præc.*2. *dub.*1. *cõcl.*1. *verſ. ex dictis*.

Sed longè probabilius Reſpondeo, contineri iuramentum. Quia (ait Sanchez) cùm in anima rationali, ſpecialiſſimè ſplendeat Deus, tanquam in ſua imagine, cenſetur Deus in ipſa ſplendens adduci in teſtem. Sic ipſe *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *num.* 29. & penes ipſum, Sylueſter *iuramentum* 1. *q.*5. Sotus *lib.*8. *de iuſt. q.*1. *art.*1. *col.*5. Pedraza *præcep.*2. §. 1. Azor. *tom.*1. *lib.*11. *cap.*3. *q.*1. P. Ledeſma *tract.*11. *cap.*1. *dub* 1. *ad* 4. & Suarez *lib.*1. *de iuram. cap.*13. *num.* 22. Necnon & Leſſius *dubit.*2. *n.*8. addens (licèt non ita benè) tale iuramentum eſſe execratorium. His addi adhuc poſſunt Fagundez *lib.*2. *in Decal. cap.*2. *n.*8. Nauarr. *cap.* 12. *n.*2. Villalobos *tract.*36. *diff.*2. *num.* 11. Trullench. *lib.* 2. *cap.*1. *dub.* 4. *num.* 6.

QVÆSTIO XIII.

An etiam in his verbis, in anima mea; *Hiſpanè*, En mi alma; *contineatur iuramentum?*

NEgant à fortioni, Authores primæ ſententiæ nuper adducti, & negabit Sotus, vt colligitur in doctrina eius relata *quæſt.* 10.

Sed longè probabiliùs Reſpondeo etiam contineri. Nam idem eſt dicere, *in anima mea*; ac *per animam meam*, vt habitum eſt *quæſt.*10. ſed in iſtis verbis continetur iuramentum: ergo & in illis. Sic Sylueſt. Sanchez, & alij citati ſuprà. Ex quibus aliqui notant, quod in huiuſmodi verbis, *in anima*

mea

mea, potest non contineri iuramentum, si videlicet, hoc sensu proferantur, *id quod dico, est quod habeo in anima mea.* Sed certè vt benè Fagũdez, ad hoc quod non sit iuramentum, debent hac speciali intentione proferri: quia in communi vsu, & sensu hominum pro iuramento vsurpantur. Legantur Sanchez, Azor, Sylvester, & Fagundez. Qui locis citatis addunt, idem dicendum de hac formula iurandi, *Viuit anima mea, vel tua.*

QVÆSTIO XIV.

An sint iuramenta, in conscientia, *&* per meam conscientiam?

AFfirmant multi, has duas formulas dicendi, verè esse iuramenta. Ita Sylvest. *iuramentum. 1. q. 5.* Aragon *2. 2. q. 89. art. 1. circa 1. concl. in solut. ad 3.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. q. 1. vers. Formæ verò.* & Pedraza apud Sanchez.

Alij verò dicunt, quod, *in mea conscientia*, non sit iuramentum: bene tamen, *per meam conscientiam.* Ita Sotus, vt vidimus, *quæst.* 10. & certè Nauarr. *cap. 12. n. 6.* hæc verba esse iuramentum, expressè fatetur.

Sed probabiliùs Respondeo neutram dicendi formulam esse iuramentum; (nisi pronuncians illam velit expressè, & specialiter iuramentum efficere.) Ratio est, quia in neutra formula adducitur aliquid in testem rei assertæ: nam purus, ac nudus sensus dictorum verborum, hic est: *hoc quod dico, est quod sentio in mea conscientia, & in corde meo.* vel, *Hoc, quod dico, est id, quod mihi dictat mea conscientia.* Sic Suarez *lib. 1. de iuram. cap. 13. num. 22.* Sotus (sibi contrarius) *de iurament. abusu cap. 4.* Petr. de Ledesma *tom. 2. sum. tract. 11. cap. 1. dub. 1. in solut. ad 4.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 42. dubit. 2. n. 4.* Sayrus *cap. 1. cit. n. 13.* Quos citat, & sequitur Sanchez *cap. 2. cit. num. 30.* Fagundez *cap. 2. num. 11.* Villalob. *tract. 36. diff. 2. num. 7.* vbi ita ait: tam poco es iuramento hablando en rigor esta palabra *en mi conciencia, y por mi conciencia*, como tienen Sayro, Suarez, Sancho y Lessio. Elqual dice, que es lo mismo, *sobre mi conciencia*, y tam bien lo tiene Ledesma diziendo que solo es iuramento entre ignorantes. La raçon es, por que el sentido destas palabras, solo es decir, *que digo lo que siento, y lo que mi conciencia me dicta.* Verdad es que Sylvestro, Aragon, Azor, y Nauarro dicen, que es iuramento. Y es por que el iurar, *en mi conciencia*, parece que es poner los bienes del alma. Y assi sera lo mismo que decir: *Assi Dios guarde, ò aumente los bienes de mi alma.* Y si alguno lo dijesse con este intento, y cierto que seria iuramento: mas de su naturaleza no lo es, que no significa esto. Verdad es que como la gente vulgar no atiende esto, muchos piensan que es iuramento, y hacen conciencia dello en la confession, æ ansi les deue preguntar, si lo tienen per iuramento ò no. Y los hombres temerosos de Dios, no suelen iurar estos iuramentos. Hæc ille.

QVÆSTIO XV.

An saltem iuret, qui dicit: Iuro per meam conscientiam?

AFfirmabunt à fortiori, Sylvester, Aragon, Azor, & Pedraza, supra relati: necnon Nauarrus, & Sotus *lib. 8. de iust. q. 1. art. 1. colum. 5.* (apud Fagundez & apud Sanchez *de iuramentor. abusu c. 4.* Vbi ait: si dicitur: *Iuro per meam conscientiam*, esse indubitatum iuramentum.

Sed probabiliùs Respondeo adhuc non iurare, nisi specialiter quis velit per talia verba iuramentum præstare. Quia licèt verbum *iuro* ex sua propria significatione sufficiat ad iuramentum; tamen ratione illius additi, *Per meam conscientiam*, in quo non continetur iuramentum, distrahitur à propria significatione, iuxta dicta à nobis *quæst. 9.* Sic Petr. Ledesma, Sanchez & Fagundez, *locis citatis.*

QVÆSTIO XVI.

An ad minùs, iuramentum faciat qui dicit: Testis est mihi conscientia mea?

AFfirmant Sylvester *iuramentum 1. n. 2. quæst. 1. ex cap. si peccatum 22. q. 1.*

Sed probabiliùs Respondeo adhuc non facere, nisi quis specialiter velit per dicta verba iurare. Quia hæc verba; *Testis est conscientia mea*, solùm simplex dictamen propriæ conscientiæ significant, & tantùm valent, ac si diceretur: *Hoc mihi dictat mea conscientia.* Sic Sanchez *n. 30. cit. in fine.* Fagundez *cap. 2. numer. 13.*

QVÆSTIO XVII.

An, iuret, qui dicit: Iuro per me *ipsum*, *aut* iuro pro me. *Hispanè* iuro a mi; Iuro por mi, *ò* Por quien soy?

AFfirmant Alcozer. *sum. cap. 15. paulò post principium, in 1. doctrina*, vt vidimus, *quæst. 11.* & videtur id ipsum supponere Sotus, *de iuramentor. abusu capite 4.*

Sed probabiliùs Respondeo, non iurare, quia sensus est: *Iuro a quien soy*, id est, a mi calidad, ò bondad. Sic Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 13. n. 3.* Sanchez *lib. 3. cap. 2. numero 31.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 2. numer. 14.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 4. num. 4. fine.* Villalob. *tract. 36. diff. 2. num. 19.*

QVÆSTIO XVIII.

An hæc verba: Iuro in fide mea: *vel* per fidem meam, *verè contineant iuramentum?*

AFfirmant multi, eo quod, qui fidem suam iurat, cum sit Christianus, intelligitur affirmare, vel negare per fidem Christi: at sic, vere continent iuramentum: ergo. Ita Gail. *in suis observat. lib. 2. observat. 59. numer. 1.* Surdus *decis. 234. à num. 3. par. 1. glossa final. cap. 2. de fidei iussione.* Alciatus *l. si quis maior. n. 51. C. de transactionibus.* Padilla *ibi, n. 35.* Auendaño *de exequend. mandat. 2. p. cap. 27. n. 6.* Azeuedo, *lib. 5. recopilat. tit. 10. lege 3. fine*, & alij plures, quos refert Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 79. numer. 28. & 29.* His ex parte accedit Ferdinand. Mendoza *in disput. de pactis lib. 1. cap. 6. q. 3.* vbi ait, quod prædicta verba prolata à viro

nobili, non contineant iuramentum; benè verò prolata a plebeio, & vili. Sic refert Suarez sententiam Mendozæ. Vnde cautè lege Sanchez, qui referens illam, dicit, *in homine nobili esse iuramentum, secus autem in vili.* Lege ergo tu. *In homine nobili non esse iuramentum; secus autem in vili.* Accedit etiam ex parte Sotus, *q.* 10. supra citatus, docens, esse iuramentum, *Per meam fidem*, non tamen, *In mea fide.*

Sed probabiliùs Respondeo, prædicta verba etiam prolata à viro vili, ex natura rei, minime continere, aut esse iuramentum: nisi aliàs aliquis per ea verba specialiter iuramentum intendat efficere, intelligendo per ea fidem diuinam. Ratio est: Quia per illa verba: *Iuro in fide mea*; *Per fidem meam*; *aut*, *Sub mea fide*; non intelligitur fides diuina, sed fides, aut fidelitas humana; & sic sensus eorum verborum est: *A fe de quien soy*, *Per meam fidelitatem*, *aut veritatem ita faciam*, *aut ita est.* Sic in primis tenet Sotus, sibi contrarius, *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 6. *col.* 2. *vers. Hæc omnia*, & *de iurament. abusu cap.* 4. Vbi expresè ait, non esse iuramenta, *in fide mea*, vel, *per fidem meam.* Caiet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 6. Nauar. *cap.* 12. *num.* 2. & 5. Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 2. *n.* 3. *vers. Nono*, Alcozer *sum. cap.* 15. *in* 6. *Doctrina.* Lessius *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 13. *fine.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 2. *col.* 3. Aragon 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. *dub. circa* 1. *concl. in solut. ad* 3. Suarez *cap.* 13. *cit. à num.* 10. Petr. Ledesma, Rodriguez, & Azor, quos omnes refert, & sequitur Sanchez *loco cit. de matrim. & lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *n.* 32. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. Villalob. *tract.* 36. *diff.* 2. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 3. *num.* 88. Trullench. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 4. *numer.* 3. Graffiis *lib.* 2. *decis. cap.* 14. *num.* 7. Caramuel *in sua Theologia, fundam.* 50. *num.* 1383.

QVÆSTIO XIX.

An saltem sint iuramentum hæc verba: In bona fide, in bona fide iurata: *aut*, Per bonam fidem iuratam. *Vulgò*, En buena fe: en buena fe iurada: Por mi buena fe iurada?

AFfirmant Pinellus *in l.* 2. *C. de rescind. vendit.* 3. *part. numer.* 13. Auendanus *lib. de exequendis mandatis regum*, *cap.* 27. *numer.* 6. & Ioann. Gutierrez *in Authentica sacramenta puberum. Cod. si aduersus venditionem*, *n.* 149. & fauet quædam lex huius Regni *lib.* 4. *ordination. tit.* 3. *in principio.*

Sed multò longè probabiliùs Respondeo, *Primò*, nullo modo esse iuramentum hæc verba: *In bona fide*: *en buena fe.* Tum, quia iuxta communem vsum; & sensum sic loquentium, non censentur esse iuramentum. Tum etiam: quia etiam fides humana, bona est: ergo per illud additum, non determinatur fides ad diuinam: ergo &c. vnde sic sentiunt Sotus *libro* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 1. *colum.* 1. Caiet. & Nauar. quos citat, & sequitur Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 13. *num.* 17. Alcozer. *in sum. cap.* 15. *in* 6. *doctrina* Petr. Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 1. *in corp.* & *ad* 4. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 32. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. & 26. Villalob. *tract.* 36. *diff.* 2. *n.* 8. & alij.

Respondeo secundò, vt quid etiam probabiliùs, quod nec sint iuramentum: *in bona fide iurata*: aut, *Per bonam fidem iuratam.* Quia idem est sensus, & veritas assertionis innitur fidelitati humanæ non fidei diuinæ. Sic Sanchez allegatus, & etiam Fagundez. & à fortiori Ledesma, vbi ait idem esse dicendum de his verbis: *Iuro in bona fide*, aut *per bonam fidem.* Quod & admittunt citati Auctores. Quod intellige, nisi alias vtens prædictis verbis, intendat iurare.

QVÆSTIO XX.

An ad minus iuret, si quis dicat: In fide Christiani, *aut*, boni Christiani; *vel* per fidem Christiani, *Vulgò*; A fe de Christiano: A fe de buen Christiano, &c.

REspondeo adhuc non iurare; (nisi alias quis per ea verba specialiter intendat iurare intelligendo per illa, fidem Christi. Ratio est, quia dicta verba non dicunt ex se fidem diuinam, quam Christianus, profitetur; sed humanam. Efficiunt enim hunc sensum; *ea veritate loquor, qua loqui debet bonus Christianus*, & sic veritas asserti, fundatur in fidelitate humana, quam boni Christiani seruare solent; non in fide diuina, & virtute Theologica. Sic Suarez *cap.* 13. *cit. num.* 19. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dubit.* 1. *num.* 4. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 13. Azor *lib.* 11. *cap.* 3. *q.* 1. Petr. Ledesma *tract.* 11. *de iuram. cap.* 1. *dub.* 1. Sà *v. iuramentum*, *n.* 1. Sanchez *cap.* 2. *cit. num.* 32. Fagundez *cap.* 2. *n.* 21. & 25. Villalob. *tract.* 36. *diff.* 2. *num.* 8. ibi: tan poco es iuramento, si dice: *A fe de Christiano*, ò *A fe de buen Christiano*: ni tan poco lo es decir: *A fe de Religioso*, como dice Sanchez con otros; sino es que el que las dize intentasse iurar. Hæc ille. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 4. *numer.* 3. cum aliis.

QVÆSTIO XXI.

An contineant iuramenta hæc verba: in fide Religiosi, aut Sacerdotis: A fe de Religioso ò Sacerdote?

NEgat cum timore Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 1. *col.* 5. dicens, forsan non esse iuramentum.

Sed absolutè Respondeo, minimè continere iuramentum. Quia vbi non constat de alia intentione, verba hæc de fidelitate humana, & veracitate à bono Religioso, aut Sacerdote profitendis, accipienda sunt. Sic Suarez *n.* 10. Lessius *cap.* 42. *dubit.* 1. *n.* 4. Azor, Sà, Sanchez, Fagundez & alij nuper citati. Qui idem dicunt, quamuis dicatur, *Per fidem Religiosi*, aut, *Sacerdotis*, & constat ex habitis *quæst.* 10.

QVÆSTIO XXII.

An, si quis Religiosus dicat: Per habitum Sanctissimæ Trinitatis, S. Francisci, aut S. Dominici, *&c. censeatur verè iurare?*

REspondeo censeri verè iurare. Quia omnia præfata verba, & ex communi vsu, & ex se, continent iuramenta. Quia omnes sunt attestationes per res sacras, quæ per se dicunt habitudinem ad Deum. Sic Suarez *cap.13.cit.n.23.* Sanchez *cap.2.n.25.* Sotus *lib.8 de iust. q. 1. art. 1. col. 5.* Saytus *in Claui Reg. lib. 5. cap.1. fine*, Fagundez *lib. 2. in Decal. cap.2. n.23.* Trullench. *lib.2.cap.1. dub. 4. num. 5.* & alij qui idem affirmant de huiusmodi verbis: *Per hunc habitum, quem gero: Per vestes sacras, quibus celebratur: Per Ordinem quem recepi: Per has manus sacras.* Quia hæc omnia sacra sunt, in quantum rem sacram repræsentant.

QVÆSTIO XXIII.

An etiam verè iuret, qui dicit: Per fidem Christi, Per fidem Dei: *aut*, in fide Christi, vel in fide Dei?

REspondeo vt quid certum; Verè iurare. Quia verè per hæc verba, veritas fidei diuinæ in testimonium adducitur. Sic Sotus *loc.cit.* Suarez *n.18.* Sanchez *n.32.* Fagundez *n.24.* Villalob. *diff.2. citata, num.8.* Trullench. *num.3.* & alij. Qui idem dicunt si quis diceret hæc verba: *Per fidem Christianam; aut in fide Christiana.* Quia fides christiana est res valde sacra: ergo attestatio per illam, erit iuramentum; eo quod illa, quasi per se inuoluit respectum ad Deum.

QVÆSTIO XXIV.

An, verè iurent mulieres, quæ dum pueros minantur, digito naso, aut fronti applicato, dicunt: Per istam, *Hispanè*, Para esta, que me lo aueis de pagar? *vel*, Per istam crucem. Por esta cruz que me lo aueis de pagar?

REspondeo non iurare verè; dummodò crucem non efforment in fronte. Quia vere tunc non intendunt iurare, sed per talem modum comminandi deterrere pueros. Nec obest, quod dicant, *Per hanc crucem*, quia cùm nullam consultò (vt supponimus) faciant crucem, minimè tunc iurant per crucem absolutè, sed per crucem tunc formatam in fronte, quæ cum formata minimè sit, per nihil iurant. Sic Sanchez *lib.3. cap. 2. num. 27.* Fagundez ex illo, *numer. 41.* Trullench. *dub. 4. sub numero 4.* Villalob. *tract. 36. diff.2. num.10.*

QVÆSTIO XXV.

An faciat quis iuramentum, cùm per Deum, aut per propriam vitam interrogatus; *an ita res re habeat, absolutè respondet, ita rem se habere?*

REspondeo non facere iuramentum. Quia illa interrogatio, non est modus exigendi iuramentum sed est quædam adiuratio. Immo si interrogans diceret, *iuras mihi per Deum, ita rem se habere?* & interrogatus responderet, *ita res se habet*, non censeretur iurare. Quia non annuit, nec conniuet iuramento interrogantis; sed soli eius interrogationi per simplicem assertionem respondet. Secus esset, si dumtaxat responderet, *Ita.* Vulgò, *Si*: vel tantum capite annueret: quia tunc perinde est, ac dicere: *ita iuro.* Sic Sanchez *loc.cit. n.28.* Fagundez *num.42.* Trullench. *num.4.* Villalob. *num.16. fine.*

QVÆSTIO XXVI.

An sit iuramentum dicere: Per totum, *vel*, Per vitam eius per quod iurare possum: *Hispanè:* Por todo lo que puedo iurar: *ò*, por vida de lo que puedo iurar?

REspondeo minimè esse iuramentum. Tum quia illa dicens non habet animum iurandi. Nam dumtaxat hoc volunt dicere: cùm per nullam rem iurare liceat absque necessitate, per nullam iuro. Alias posteriora illa verba, *Per vitam eius, per quod iurare possum*; continerent blasphemiam; cum intelligerentur de vita Dei. Sic Sanchez *lib. 3. c.2. n. 23.* Fagundez ex illo, *lib.2.cap.2.n.38.* Trullench. *lib. 2.cap.1.dub.4.sub numer.4.* Villalob. *tract.36. diff.2. num.10.*

QVÆSTIO XXVII.

An saltem sit iuramentum dicere: Iuro ad talem: Per vitam talis. Voueo talem. *Hispanè.* Iuro à tal; Por vida de tal. Voto à tal?

REspondeo, quod nec hæc verba iuramentum sint. Quia *tal*, nihil est, Et certè dicta verba clarè vsurpantur ad vitandum iuramentum per Deum. At si quis sub verbo illo, *Tal*, Deum intelligeret, clara iuramenta essent. Sic Sanchez *loc.citato n.24.* Fagundez *n.39.* Trullench. & Villalob. *locis citatis.* Et loquendo de illo verbo, *Iuro à tal*, idem docet Suarez *lib. 4. de iuram. cap.13. numer. 3.* dicens, id esse certum.

QVÆSTIO XXVIII.

An iuret, qui dicit: Iuro à San oy?

REspondeo quod non. Quia sic iurantes communiter intelligunt per illa verba *à San oy*, diem præsentem, & hodiernum; non Sanctum, qui hodierna die celebratur (tunc enim esset iuramentum) sic communiter Doctores, Sanchez *n.26.* Fagundez *n.40.* Et minùs, est iuramentum, dicere, *Iuro à San.* vt ait Trullench *n.4.* & multò minùs *Iuro à San Iunco, ò*

à San Pedro el de Palo, vt dicunt ipsi Doctores, & nos supra *quæst. 9.*

QVÆSTIO XXIX.

An sit iuramentum dicere: Per meam vitam, aut salutem: *vel*, per vitam, aut salutem patris, vel fratris mei, aut alterius hominis?

NEgant quidam, (apud Emman. Sà *v. iuramentum, num. 1.* dicentes, non esse iuramentum, *Per vitam meam: sic me Deus adiuuet.* Ipse vero solùm dicit; pendere hoc ex intentione dicentis.

Sed vt certum Respondeo: verè esse iuramentum, ex vi verborum: & ita verè iuraret, qui illa proferret; nisi aliàs expressè intenderet non iurare. Ratio est: quia sensus illorum verborum est execratorius, & est hic: *Deus auferat mihi, vel patri, aut fratri meo, &c. vitam, aut salutem, si hoc non est ita.* Sic S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 6. Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 1. *col.* 5. *& art.* 6. *col.* 2. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 6. Couarru. *de pactis* 1 *p.* §. 1. *num.* 5. Suarez *lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 27. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 42. *dubit.* 3. *n.* 8. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 3. *& cap.* 3. *n.* 14. Azor *lib.* 11. *cap.* 3. *q.* 1. Alcozer, Pedraza, Aragon, & Rodriguez, quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *n.* 56. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. *n.* 31. Trullench. *num.* 6. & alij. Qui idem dicunt de his verbis: *Sic Deus me adiuuet.* Nam sensus est: *si mentior, non adiuuet.*

QVÆSTIO XXX.

An sit iuramentum dicere: Per vitam mei equi: *aut*, Per conseruationem huius arboris, aut alterius rei inanimatæ?

REspondeo: ex vi verborum, esse iuramentum; quia ad illud, ea verba ex se sufficiunt; nisi ex circunstantiis appareat ea dici ad vitandum iuramentum verum, quia quasi pro nihilo æstimantur. Sic Suarez *cap.* 13. *n.* 27. Sanchez *num.* 36. Fagundez *num.* 31.

QVÆSTIO XXXI.

An qui facit homagium, id est, pleito e omenaje, faciat iuramentum.

NEgant plures Doctores: eo quod iurare est Deum in testem inuocare, at qui facit homagiũ, non adducit Deum, aut fidem diuinam in testem, sed tantùm fidem viri nobilis. Nam homagium fit hoc modo, quod nobilis positis manibus suis, intra manus alterius, qui homagium recipit, fidem suam astringit. Hispanicè, in hac forma. *Doy mi fe y palabra, haciendo como hago pleito y omenaje, como Cauellero e Hidalgo segun el fuero Hespatia de cumplir, &c.* Atqui in omnibus istis verbis, non adducitur Deus, nec fides diuina in testem: ergo &c. Ita Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp* 11. *n.* 9. & *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *n.* 3. & penes illum, Gregor. Lopez *lege* 26. *tit.* 11. *part.* 3. Auendaño *de exequend. mandatis.* 2. *part. q.* 27 *n.* 6. *&* 7. Padilla *l. si quis maior. n.* 36. *C. de transaction.* Gutierrez *Authent. sacramenta puberum. n.* 149. *C. si aduers. vendit.* Meres. *de Maiorat.* 1. *p. q.* 22. *n.* 11. Azeuedo *lib.* 5. *recopil. tit.* 10. *l.* 3. *n.* 40. Angulo *de melior l.* 1. *Glossa* 8. *n.* 3. Couarruuias. *c. quamuis pactum, part.* 1. §. 2. *n.* 2. & Sayrus *in Clani Reg. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 13. sed ex iis, Padilla pro opposito refertur ab ipsomet Sanchez *n.* 9.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod ille, qui homagium facit, verè faciat iuramentum. Probatur. Quia licèt, qui facit homagium non faciat expressam mentionem iuramenti: tamen considerato fine illius, plane videtur coincidere cum fine eiusdem iuramenti, quod est firmare pacta & humanam fidẽ. Et certè illa ceremonia, qua homagium fit, non est introducta ad minuendam hanc firmitatem, sed potius ad augendam illam: ergo includit iuramenti firmitatem. Vnde Clossa in *cap. vltimo de regul. iuris.* homagium interpretatur, *Sacramentum fidelitatis. & in cap. Grauem. de excessib. Prælator.* Violator homagij, tanquam periurus grauiter punitur. Deinde, quia (vt benè ait Couarru.) *Homagium*, est nomen Græcum, venitque ab hac voce *Agios*, quod *Sanctum*, aut, *sacrum* significat: ergo perinde erit dicere, *Homagium facio: Hago pleito y omenaje*; atque dicere, *Iuramentum facio.* Vnde ita tenent in primis Couarru. citatus pro hac parte, & bene à Suario, *in cap. quamuis pactum.* §. 1. *num.* 1. *&* 2. licèt oppositum aliquo modo, insinuet, loco pro se citato à Sanchio. Sic etiam Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 4. *lib.* 1. *de iuram. cap.* 13. *num.* 24. *& sequent.* & penes illum, Baldus *consil.* 261. (non 26. vt legi apud Fagundez) *vol.* 2. & Auendaño, *eodem loco*, quo pro se citat Sanchez Quis autem eorum meliùs, vide si vis. Sic etiam apud Sanchez, Baldus *consil.* 201. Peralta *l. vnum ex familia, init. n.* 23. *ff. de legatis* 2. Quos sequitur Fagundez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 27.

QVÆSTIO XXXII.

An faciat iuramentum, qui dicit: Iuro per has barbas, per has vestes, per filum meæ tunicæ; per passeres, per ignem hunc; per hunc aërem; *& similia vilia, & nullius pretij.*

REspondeo quod non. Quia cùm in iis rebus diuina bonitas non reluceat specialiter, non censetur Deus adduci in testem: nisi alias quis specialiter per dicta verba iurare intẽdat; eo quod, qualemcumque craturam vero animo iurandi adducamus in testem, verum est iuramentum, quia tunc adducitur illa, vt refertur ad Deum. Sic Suarez *lib.* 1. *de iuram. cap.* 13. *n.* 23. Sayrus *lib.* 5. *Clauis Reg. cap.* 1. *in fine.* Nauarr. *cap.* 12. *n.* 5. Quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 25. Rodriguez, & Siluest. Quos citat & sequitur Fagundez *loco citato n.* 29. Qui addunt, nec facere iuramẽtum qui diceret: *Per vitam harum barbarum*: aut, *Per lac, quod suxi*, ob eamdem rationem.

QVÆSTIO XXXIII.

An saltem faceret iuramentum, qui diceret: *Per hunc aërem, ignem, terram, pluuiam, aut paleam Dei?*

REspondeo quod tunc sic. Quia nomen Dei in obliquo positum, efficit, vt Deus illius creaturæ conditor, adducatur in testem, ac proinde faciat iuramentum, qui talia verba profert. Sic. Sylueſter, Aragon, Sayrus, Rodriguez

guez, Sanchez, quos citat, & sequitur Fagundez *num.* 29.

QVÆSTIO XXXIV.

An sit licitum iurare per dictas viles creaturas, prout referuntur ad Deum: vt, Per hanc paleam Dei, &c.

REspondeo, Non esse licitum. Quia non sunt creaturæ, in quibus specialiter diuina bonitas relucet. Vnde quamuis iuramentum sit validum, non tamen fiet licito modo. Sic Authores citati, præcipuè Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 2. n. 10. & 11.* Fagundez *num.* 30.

QVÆSTIO XXXV.

An saltem sit licitum iurare, per idola, aut per dæmones, vt sunt Dei creaturæ?

REspondeo non esse licitum. Tum ob rationem nuper factam. Tum etiam: quia hoc modo iurans per idola, aut dæmones, videtur ea honorare, cùm eis faueat, confirmans promissionem suam, nomina eorum inuocando, & ideo peccabit lethaliter; vt docent Abulens. *cap. 5. Matth. quæst.* 268. Suarez *lib. 1. de iuram. cap. 5. n. 9.* idem dicens de damnatis. Fagundez *lib. 2. cap. 2. n. 30.* Qui tamen rectè aduertunt, quod fideles vsurpantes huiusmodi creaturas in iuramentis, id faciant causa irrisionis, non religionis, ac proinde excusari & à iuramento, & à peccato mortali, imo & à veniali, vt docet etiam Alcozer *in sum. cap. 15. doctrina 7. vers. Decir alguna palabra.* ibi: *Si la blasfemia fue iurar por algun falso dios, es mucho mas graue peccado mortal, por la Idolatria: saluo, si se dixo por burlar, y escar necer del, como creo yo que lo haria qualquier Christiano, que lo iurasse: y tal caso no sera pecado.* Hæc Alcozer.

QVÆSTIO XXXVI.

An contineant iuramenta hæc verba: Amen, amen dico vobis?

AFfirmant plures Patres, ac Doctores, existimantes, Christum Dominum per talia verba iurasse. Ita Origines *tract. 35. in Matth.* Innocent. *in cap. etsi Christus. de iureiurando.* & dicunt probabile Suarez *lib. 1. de iuram. cap. 14. num. 9.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 5. n. 17.* & Palaus *disp. 1. de iur. punct. 3. n. 1. vers. Christus verò.*

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod prædicta verba, non contineant iuramentum. Quia incredibile est, Christum Dominum, tam sæpe iurasse: quin potius verisimile est, nunquam iurasse, qui omne iuramentum, quantum fieri posset, vitandum docuit. Tantum igitur volebat illâ formâ loquendi, insinuare, se ex certissima veritatis notitia docere. *Confirmatur*, nam Hæbraica vox *Amen*, nil aliud significat nisi, *verè, certè*, vt colligitur 1. *ad Corinth. 1. vers. 17. 18. 19.* at qui profert hæc verba, *verè certè*, non iurat, vt communiter fatentur Doctores, vt infra: ergo. Sic Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dubit. 1. num. 4.* Azor. *tom. 2. lib. 11. cap. 3. q. 1. vers. hæ verò formulæ.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 4. numer. 4.* Luysius *in summa, part. 1. cap. 179. dub. 2.*

QVÆSTIO XXXVII.

An iuret, si quis dicat: In veritate: per veritatem: in realitate veritatis: verè; certè; profectò; sanè; reuerà; sincerè?

REspondeo vt certum; quod non: nisi aliàs hæc verba proferens, iurare per illa expressè intendat: aut existimet se iurare adducendo summam veritatem, quæ est Deus, in testem. Sic Lessius, & Azor. *locis citatis.* Suarez *lib. 1. de iuram. cap. 13. n. 21.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 2. n. 34.* Siluest. Sotus, Sà, Aragon, Alcozer, quos citat, ac sequitur Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 2. n. 28.* Trullench. *loco cit. n. 9.* Nauarrus, Clauis Regia, & Bonac. apud ipsum. Caramuel *loco cit. n. 1383.*

DISPVTATIO IV.

De Iuramento execratorio.

QVÆSTIO I.

Quid sit iuramentum execratorium?

RESp. dicendum, quòd iuramentum execratorium, sit illud, in quo nos ipsos, vel rem nobis charam, diuinæ vltioni subiicimus, si verum non sit quod asserimus: vnde per hoc iuramentum, Deus vocatur non solum in testem, sed etiam in Iudicem. Sic communiter Doctores: & constat ex dictis supra *disp. 2. q. 1.* Legantur Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 4. à num. 6.* March. *v. Iuramento. resol. 152. num. 5.* & alij.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit iuramentum execratorium?

REspondeo dicendum, quod duplex, vnum implicitum, & alterum explicitum. *Implicitum* dicitur illud, in quo expressè aliquid iuratur, implicitè subiiciens vitam, salutem, & similia, periculo amissionis, nisi verum sit id quod iurat. Et ad hanc implicitam iuramenti execratorij formam, reducuntur hæc iuramenta: *Per vitam, & salutem corporalem vel spiritualem meam, vel patris mei, filij; &c. Per caput meum: Per caput tuum, &c.* Quæ, vt probauimus, supra, in rigore verborum vera iuramenta sunt, & deinde execratoria: cum non solùm illa pronuncians, adducit Deum autorem vitæ in testem rei assertæ, aut negatæ; sed etiam in iudicem; quasi ab ipso, tanquam vero iudice vita priuetur ipse, vel ille per cuius vitam, aut salutem iurat, si falsum iurat.

Explicitum verò execratorium iuramentum, est illud, quod fit ab aliquo, per expressam mali imprecationem, vel sibi, vel rebus sibi charis. Vt cùm quis iurans dicit: *Peream, dispeream, nunquam*

ne Deus adiuuet: damon me, & res meas, aut paventum meorum tollat, si verum non dico. Hæc autem iuramenta sunt maximè cauenda: quia sunt grauissima, & generant scandalum audientibus. Sic Nauar. *cap.* 12. *n.*6. Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.*1. *col.* 5. & *art.*6. *col.* 6. Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 1. *num.* 5. Suarez *lib.*1. *de iuram. cap.*14. *n.*28. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.*2. *num.* 36. Lessius *lib.*2. *cap.*42. *dubit.* 2. *n.* 8. Sayrus *in Claui Reg. lib.* 5. *cap.* 2. *n.*3. & *cap.* 3. *n.*14. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.*4. *n.* 6. & alij cum D. Thoma 2. 2. *q.* 89. *art.* 6.

QVÆSTIO III.

An sit iuramentum execratorium dicere: Hæc faciat mihi Deus, *&* hæc addat (*mente intelligendo malum aliquod*) nisi hoc ita sit?

REspondeo affirmatiuè. Quia sic colligitur ex Sacra pagina, qua constat, huiusmodi iuramentum, frequens fuisse apud populum Iudaicum, & habet eumdem sensum, sicut & ista: *Per animam meam, per vitam meam, per caput meum.* Sic Læssius *n.*8. *cit.* Sanchez, Sayrus & Fagundez. Aragon. 2. 2. *q.* 89. *art.*1. quod monet circa 1. *concl. ad* 3. Alcozer *cap.* 15. *in* 1. *doctrina.*

QVÆSTIO IV.

An sit iuramentum execratiorum, dicere: Nunquam Deus mihi parcat, me saluet, tueatur: Mala morte obeam: non viuam vsque mane: Malũ Pascha mihi Deus impertiat: Ardeam in inferno, si hoc ita non sit?

REspondeo dicendum vt certum: quod verè sit iuramentum execratorium. Quia constat prædicta iuramenta habere sensum execratorium: sicut & habent sequentia: *Ita me Deus adiuuet; seruet; det mihi gratiam, vel gloriam: Ita Deus mihi benefaciat: ita Angeli me seruent.* Quia in hoc loquendi modo, intelligitur contraria execratio, & efficiunt hunc sensum: *Deus his bonis me priuet, si hoc non est ita.* Sic Nauarr. *cap.* 12. *n.*6. Caiet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. Sotus, Aragon, Lessius, Sanchez, Sayrus locis citatis, & Fagundez *num.*7.

QVÆSTIO V.

An contineant iuramentum execratorium hæc verba: Maledicti nummi, quos habeo: Maledicta bucella, quam edi. *Hispanè*, maldita sea la blanca que tengo: Maldito el bocado que he comido?

REspondeo vt certum: Non continere iuramentum. Sic Sanchez *lib.*3. *in Decal. cap.*2. *n.* 38. his verbis: Non tamen est iuramentum, quod communiter dici solet, ad affirmandum quempiam nummis carere, aut nihil edisse: *Maledicti nummi, quos habeo: Maledictum, quod hodie edi.* Quia maledictio non cadit in personam, sic enim esset iuramentum; sed cadit in nummos, vel in esum. Ita Suarez *eod. cap.*13. *n.*28. Vbi benè aduertit, fore iuramentum, si animus esset obiicere illam rem, vt materiam diuini iudicij. At credo, rarò hoc accidere. Hæc Thomas Sanchez; sic etiam Fagundez *lib.* 2. *cap.*4. *n.*9. Tamburinus *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. §.3. *n.* 3. Villalob. *tract.* 36. *diff.* 2. *num.* 19. *ibi:* Esta palabras (que suelen decir algunos, para decir que no tienen dinero) *Maldita sea la blanca que yo tengo*, y otras semejantes, bien se ve que no son iuramentos porque aqui no se trae a Dios por testigo, &c.

QVÆSTIO VI.

An saltem contineant iuramenta hæc verba: Tot Angeli tollant animam meam, quot vicibus hodie hoc feciſti; aut, quot aureos habes. *Hispanè*: Tantos Angeles vengan por mi alma, quantas vezes as echo esto oy: ò ducados tienes?

REspondeo dicendum consequenter, quod nec hæc verba contineant iurumenta. Quia nullam habent contrariam maledictionem, aut imprecationem inclusam, sed solum est sensus: *Gauderem, vt tot Angeli me reciperent, quot vicibus hoc feciſti, aut quot aureos habes:* Vt etiam solet dici: *tot aureos haberem, quot te habere credo.* Sic Sanchez *loc. cit. num.* 39. Fagundez *num.* 9. Trullench. & Villalobos citati. Trullench. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.*4. *num.*8. Qui secus dicunt de his verbis: *sic Angeli animam meam recipiant, quot vicibus hoc feciſti; aut, quot aureos habes.* quia tunc includunt contrariam execrationem, nimirum; *Aliàs Angeli non me recipiant*: & constat ex dictis supra *quæst.*4. Nam parificatur hæc vltima forma iurandi, cum illis, de quibus ibi egimus: *Ita me Deus adiuuet*, &c. *Ita Angeli me seruent*, &c.

QVÆSTIO VII.

An, hæc dicendi forma: Meliùs me Deus seruet; *aut*, Meliorem fortunam habeas, quod hoc ita sit: *Vulgò*, Mejor me guarde Dios: Meior bentura tengas, que esso es assi, *iuramentum includat?*

NEgat absolutè Villalobos *tract.*36. *diff.*2. *n.*19. docens, non esse iuramentum, nisi aliàs dicta verba proferens, iurandi animum habeat. Ita etiam sentit Trullench. *loco citato.*

Sed clariùs Respondeo cum Thoma Sanchez dicendum quod prædicta verba, dupliciter possunt pronunciari. *Primò modo*, comparatiuè, nempe, quando quis significare volens, aliquem aliquod malum patrare, dicit: *Melius illi Deus faueat.* Vulgò, *Mejor le ayude Dios.* Et in hoc casu, non includunt iusiurandum; quia nullam execrationem claudunt.

Secundo

Secundo modo, non comparatiuè, sed affirmatiuè; vt si velim affirmare, me aliquid non feciſſe, dicam ſic: *Melius mihi faueat Deus, quàm ita fecerim*, vel: *Melius me ſeruet Deus.* Vulgò, *Mejor lo haga Dios con migo: ò Mejor me guarde Dios, que yo tal hize.* Et in hoc caſu, ſunt iuramenta; quia contrariam execrationem includunt; ſicut diximus *q.4.&6.* Claudi in illis verbis: *ita me Deus adiuuet, ſeruet*, &c. Sic Sanchez *num.* 40. Fagundez *num.* 11.

QVÆSTIO VIII.

An ſint iuramenta hæc verba: Habear vt perfidus, *aut* hæreticus, *aut* mendax, *aut* iniquus ſim ego, ſi hoc non ita ſit? *Vulgo*; *Sea yo tenido per perfido, ò hereſe, ò menturoſo: ò ruyn ſea yo, ſi eſto no es aſſi?*

REſp. dicendum, quod non ſint iuramenta: Quia non includunt contrariam execrationem; cum idem ſignificent, ac, *eſtima me perfidum, aut hæreticũ*, &c. *ſi hoc non ita eſt:* & ideò non efficiunt ſenſũ execratorium, & propter eamdẽ rationẽ non iuraret, qui diceret alicui: *interfice me ſi hoc non fecerim. Mata me ſi eſto no huuiere echo, ò no fuere aſſi*, &c. Sic Sanchez *num.* 41. Fagundez *num* 12. *fine.* Trullench. *num.* 8. *cit.* ibi: Minùs eſt iuramentum, dicere, *Ruyn ſea yo ſi eſto no es verdad.* Nam ſenſus eſt; *Tengan me por vn ruyn ſi no es verdad.*

QVÆSTIO IX.

An ad minus iuramentum execratorium contineat hæc verba: Occidar; amputentur mihi aures, ſi hoc ita non eſt. *Vulgo. Que me maten: Que me corten las orejas, ſi eſto no es aſſi?*

AFfirmandum videtur: Quia in communi opinione hæc verba: *diris pugionis ictibus punctus confodiar*; *aut, ſuſpenſus, tanquam infamis, obeam, ſi hoc ita non eſt.* Vulgò, *à malas puñaladas muera: ſea ahorcado como infame, ſi eſto no es aſſi:* continent iuramentum execratorium: ergo continebunt hæc: *Occidar*, &c.

Sed Reſpondeo dicendum, quod licèt dicta verba, in rigore, iuramentum excratorium præ ſe ferant: (ſicuti præ ſe ferunt verba in ratione dubitandi adducta) attamen, vt communiter ea proferuntur, non continent iuramentum. Ratio eſt, quia non dicuntur ea verba, quaſi id ſibi malum imprecando, ac inuocando Deum, vt tanquam Iudex vindictam ſumat de illa proferente, ſi mendax fuerit: ſed dicuntur inſtar cuiuſdam ſponſionis. Et ita communiter incipiunt hæc dicentes, per hanc particulam Hiſpanicam, *Que?* cui Latinè correſpondet; *Sponſionem facio.* Quare dicere quis: *Occidar: amputentur mihi aures, ſi hoc ita non eſt*; idem valet, ac ſi dicat; *ſpondeo vitam meam; aures meas, ſi hoc ita non ſit.* Vulgò, *Que apueſto la vida; las orejas; ſi eſto no es aſſi.* Ad rationem autem dubitandi, iam patet; dicendum enim eſt, illa verba ex ſe, & ex modo illa proferendi, verè eſſe iuramenta: non verò alia, cum ex modo illa dicendi conſtet, non inuocari Deum, vt iudicem, &c. Sic Sanchez *n.* 2. Fagundez *num.* 12. Trullench. *n.* 9. Villalobos *num.* 19. (non 20. vt legi apud Trullench.)

DISPVTATIO V.

De *formis iuramenti, quæ habent adnexam blaſphemiam in Deum, & ſanctos.*

§. I.

De Blaſphemia in genere.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit blaſphemia.

RESPONDEO dicendum, quod eſt, *locutio contra Deum per modum conuitij.* Hoc eſt, eſt peccatum, quo aliquid de diuinæ bonitatis excellentia detrahitur, dicendo falsè aliquid Deo ineſſe, quod non ineſt: vel negare ineſſe, quod ineſt: Idque voluntate quadam ſaltem implicita derogandi diuinæ maieſtati, ſeu bonitati. Alij ſic blaſphemiam deſcribunt: *Eſt maledictio, & conuitium in Deum, iactatum.* Omnes benè Legantur D. Thom. 2.2. *q.*13. *art.*1. Valentia 2. 2. *diſp.*1. *q.*13. *punct.*1. Bañez 2.2. *q.*13. *art.* 1. *notabili* 2. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.*32. *num.* 1. Fagundez *lib.*2. *in Decal. cap.* 3. *à num.*1. Thom. Tamburin. *lib.* 2. *in Decal. cap.*6. §. 4. *n.* 1. vbi dicit, quod, Blaſphemia, *eſt conuitium, ſeu verbum contumelioſum contra Deum.* Et ideò, peccatum contra reuerentiam Deo debitam. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 12. *dub.*1. Azor *tom.* 1. *inſtit. moral. cap.* 28. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 81. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.*45. *dubitatione* 5. *n.*22. Sayrus *lib.*6. *clauis Regia, cap.*13. Sotus *lib.*8. *de iuſt. q.*2. *art.*3. Villalob. *tom.* 2. *ſum. tract.*1. *diffic.* 15. Bonac. *circa* 1. *Decal. præcep. diſp.*3. *q.* 8. *punct.* 1. Caſtro Palao *tom.*3. *tract.* 17. *diſp.* 2. *punct.*2. Suarez *tom.*1. *de Relig. tract.* 3. *lib.*1. *cap.* 4. Baſſeus *tom.* 1. & 2. *v. Blaſphemia*, & alij citandi.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit blaſphemia.

RESp. quod multiplex. Nam in primis, blaſphemia diuiditur in latè & ſtictè dictam. *Latè ſumpta*, comprehendit quamlibet irriſionem, & contumeliam, ſeu conuitium cuiuſcumque perſonæ excellentis; ſiue Dei, ſiue creaturæ. *Strictè verò ſumpta*, ſolum dicit irriſionem, ſeu conuitium contra Deum iactatum: & de hac ſolùm, hîc eſt ſermo.

Secundò blaſphemia, alia eſt hæreticalis; alia ſimplex. *Hæreticalis* eſt illa, qua euomitur aliquid fidei contrarium, v.g. *Deus iniuſtus, impotens, ignarus*, &c. *Simplex* verò, eſt illa, quæ nec affirmat, nec negat aliquid contra fidem, vti hæreticalis; ſed

aliquod verbum ſolum irreuerenter, & contumelioſè contra Deum profertur. Legantur Sanchez *lib.2. in Decal.cap.32. n.36.* Suarez *locit.* & Lupus *in edictum S.Inquiſit. part.4. lib.23. dict.1. art.1.* & alij citati.

QVÆSTIO III.

Quotuplex ſit blaſphemiæ hæreticalis ſpecies, vel modus?

REſpondeo quadruplex. *Prima* committitur, quando aliquid tribuitur Deo, quod ei non conuenit, vt ſi quis dicat: *Deus eſt iniuſtus, Crudelis*, &c.

Secunda, cum denegatur Deo quod ſibi conuenit: vt ſi dicatur: *Deus non eſt omniponitens: non eſt miſericors; non eſt prouidens*, &c.

Tertia eſt, cum creaturæ tribuitur, quod ei non conuenit: vt diabolo omnipotentia.

Quarta denique: cum quis fidei credenda abnegat; vt Sacramenta, aut ipſammet Catholicam, & Orthodoxam fidem, quam Romana tenet Eccleſia. Sic Lupus *loc.cit.art.1. diff.1.* & alij.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex eſt blaſphemia ſimplex?

REſpondeo dicendum, quoc item eſt quadruplex. *Prima eſt enunciatiua:* & committitur ſi quis dicat: *Ad iniuriam Dei volo hoc efficere. Secunda, deteſtatiua:* & committitur ſi quis proferat: *Pereat Deus: Maledictus ſit Deus: Diſpliceat Deo*, &c. *Tertia eſt irriſoria*; & continetur illis verbis: *Vah, qui deſtruis templum Dei*, &c. & tandem *quarta eſt iuratoria*, & committitur, quando quis cum blaſphemia iurat: vt ſi dicat: *Pereat Deus, ſi ita non eſt, vel*, &c. Sic Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap.6. §. 4. num.2.*

QVÆSTIO VI.

An Blaſphemia, non ſolùm ore; ſed etiam mente aut ſcriptura, committi poſſit?

REſpondeo dicendum, quod non ſolùm ore, ſed etiam mente, aut ſcripto committi poſſit. Ratio eſt: quia omnibus iis modis, poteſt contingere contumelioſa locutio: ſicuti omnibus iis modis contingit Dei honoratio, & laus, cui blaſphemia opponitur: igitur cùm laus diuina corde, ore, & ſcriptura, fieri poſſit; eiſdem inſtrumentis blaſphemia poteſt committi. Itaque ſi quis concipiat per ſimplicem intellectus apprehenſionem, Deum eſſe quod non eſt: v.g. *eſſe iniuſtum; aut non eſſe quod eſt*; v.g. *non eſſe omnipotentẽ*, tunc committitur blaſphemia cordis: dum verò in loquelam prorumpit, dicitur oris blaſphemia. Si verò in ſcripto proferat, dicetur blaſphemia ſcripto prolata. Verum eſt, quod propriè loquendo, ſolùm committitur ore, vt ſtatim dicam. Sic D.Thom.2.2. *q.13.art.1.* & cum eo Suarez *tom.1. de Relig. tract.3. lib.1. cap.4. n.4.* Sanchez *lib.2.in Decal.cap.32.n* 4. & 5. Palaus *diſp.2. punct.2. §. 1. num.* 1. Trullench. *lib.1. in Decal. cap.12. dub.1. n.* 2. Baſſeus *tom.1.v. Blaſphemia, num.1.* & omnes.

QVÆSTIO VI.

An deinde, non tantùm ore, corde & ſcripto, ſed etiam factis, & ſignis, blaſphemia committi poſſit?

AFfirmant quidam; & ſic docent, committere blaſphemiam illum, qui imagines Chriſti, aut aliorum Sanctorum conculcat, aut expuit. Ita, citato Beda, tenet Caſtro *lib.1.de iuſta hæretic. punit. cap.12.* Cordub. *in quæſtion. lib.1. quæſt.17. §. 15. notab.1.*

Sed probabiliùs Reſpondeo Blaſphemiam, propriè loquendo, non committi ſignis, aut factis, ſed ſolis verbis. Ratio eſt: quia, vt ſupra eſt habitum, blaſphemia directè opponitur diuinæ laudi: atqui laus ſolis verbis exhibetur: ergo blaſphemia ſolis verbis continetur. Sic Suarez *tom.1.de Relig. tract.3. lib.1. cap.4. n.4.* & ſequent. Sanchez *lib.2. in Decal. cap.32. n.5.* Bonac. *q.8. punct.1. n.2.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 42. dubit. 5. n.24.* Caſtro Palaus *diſp.2. cit. punct.2. §.1. n.1.*

QVÆSTIO VII.

An, de ratione blaſphemiæ, ſit affectus, ſeu voluntas expreſſa inhonorandi Deum; ſeu, derogandi diuinæ Maieſtati, aut bonitati?

AFfirmant aliqui apud Sanchez *lib. 2. cap. 32. num. 2.* Quorum ratio eſt: quia hæreſis exterius prolata, in qua aliquid falſum de Deo profertur, deficit à ratione blaſphemiæ; quia non profertur ex animo inhonorandi Deum, ſed quia iudicant eſſe veram: ergo hic animus neceſſarius eſt ad conſtituendam blaſphemiam.

Sed probabiliùs Reſpondeo, quod non ſit. Quia non requiritur voluntas expreſſa honorandi Deum, ſeu derogandi illius diuinæ Maieſtati, ſeu bonitati: ſed ſufficit implicita, ſeu, quod in actu exercito inhonoretur. Ratio eſt: quia ſi quis ex aliquo odio, ſeu ira, verba contumelioſa in Deum proferat, abſque expreſſa voluntate inhonorandi Deum, ſed ſolùm ad ſatisfaciendum ſuo furori, aut iræ, verè blaſphemiam committit: ergo de ratione blaſphemiæ non eſt voluntas expreſſa Deum inhonorandi. Sic Caſtro Palao *tom.3 tract. vltimo, diſp.2. punct.2. §.1. n.3.* & penes ipſum, Suarez *tom.1.de Relig.tract.3.lib.1. cap.6. n.8.* Sanchez *lib. 2. in Decal.cap.32. n.3.* & Valentia 22. *diſp. 1. q.13. punct. 1. notab. 2.* Sic etiam Tamburinus *lib.2.in Decalog.cap.6. §.4.n.3.* ibi: ſiue autem addas, vel demas ex intentione inhonorandi Deum; ſiue ſine tali expreſſa intentione; quia tamen ſic addendo, vel demendo, verè inhonoras illis verbis Deum, Blaſphemus eris. Sic ille.

QVÆSTIO VIII.

An de ratione blaſphemiæ ſit, quod conuitium, ſeu verbum contumelioſum, falſitatem contineat?

AFfirmant multi; eo quod, quidquid fidei confeſſioni opponitur, verè continet falſum: ſed ſic

eſt,

est, quod blasphemia confessioni fidei opponitur, vt ait D. Thomas, vbi infrà; ergo blasphemia verè debet continere falsum. Ita sentiunt D. Thom. 2.2. *q.13. art. 1 corp.& ad 1.& 3.* & ibi Caiet. Bañez, & Aragon. Valentia *disp.2.quæst.13.punct.1.* Toletus *in sum. lib.4.cap.13. num.6.* Simancas *de Cathol.institut. tit. 8. n.1.* Petr. Ledesma *tom.2. sum.tract.1. cap.9. concl.1.* Quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.2. cap. 32. num. 6.* Basseus *tom. 1. verbo, blasphemia, num.1.*

Sed probabiliùs Respondeo, non esse de ratione blasphemiæ, quod contineat falsitatem; sed sufficere, quod contineat in Deum contumeliam, quæ quomodocumque verbis contingat, blasphemia est. Ratio est, quia potest quis dicere verbum contumeliosum in Deum, & nullam continere falsitatem: ergo non est de ratione blaspemiæ, quod contineat falsitatem. Antecedens probatur. Quia potest quis malum aliquod imprecari Deo; aut Christi Domini membra irreuerenter profferre, &c. at sic est, quod nec imprecatio illius mali; nec horum indecora prolatio continet aliquam falsitatem, cum nihil falsum enunciet, & tamen sunt blasphemiæ: ergo hæc absque falsitate potest esse. Sic Palaus *loc. cit. num.2.* vbi ait quæstionem hanc ferè esse de nomine. Sic antea Suarez *lib.1. cit. cap.4. num.9.* Azor *tom.1. lib.9. cap.28. q.1.& 2.*

QVÆSTIO IX.

An conuitium, seu verbum contumeliosum in Sanctos, sit blasphemia?

NEgandum videtur. Quia vt constat ex dictis *quæst.1.* blasphemia definitur, quod sit locutio, seu conuitium in Deum iactatum: ergo non erit blasphemia si in Sanctos conuitium iactetur.

Sed vt certum Respondeo, esse blasphemiam. Tum quia sic habetur *in cap. 2. de maledicis*, & tradit D. Thom. receptus ab omnibus 2. 2. *q. 13. art.1. ad 2.* Tum quia conuitium, seu contumeliosum verbum iactatum in Sanctos, semper redundat in Deum, eo quod Sancti semper aprehenduntur vt aliquid Dei, nimirum, vt eius amici, & familiares, & glorificati ab ipso: ergo conuitium in Sanctos verè ob id erit blasphemia. Vnde non est opus in definitione blasphemiæ addere; *& contra Sanctos*, vt aliqui faciunt: quia quæ contra Sanctos dicuntur, contra Deum dicta censentur. Sic cum D. Thom. Valentia 2. 2. *disp.1. q.13. punct.2.* Vasquez *lib.1. de adorat. disp. 6. cap. 4.* Sanchez *lib. 2. cap. 32. num.7.& 27.* Fagundez *lib.2.cap.3 num.1.* Palaus §.1. *cit. fine.* Tamburin. *n.4. & 5.* & alij.

QVÆSTIO X.

An sit etiam blasphemia, conuitium iactatum in cæteras creaturas, siue rationales; vt si quis dicat, vel imprecetur aliquod malum patri suo; tempestati, aut ventis, &c.

AFfirmandum videtur: Quia omnes hæ creaturæ, sunt etiam aliquid Dei, & referuntur ad illum, tanquam ad creatorem ipsarum: ergo earum iniuria, semper redundat in Deum: ergo, &c.

Sed omnino Respondeo, non esse blasphemiam, conuitium in dictas creaturas iactatum, si præscindas ab eo, quod hæc referantur ad Deum, tanquam ad creatorem ipsarum; quia tunc non facit iniuriam Deo, sed ipsis creaturis: secus si non præscindat; ob rationem dictam. Vnde qui maledicit patri suo, verè est contra reuerentiam patri debitam ex quarto præcepto: & aliquando contra charitatem eiusdem, si ex animo aliquod malum ei desideraret: sed non erit irreligiosus in Deum, contra præceptum hoc, de quo agimus. Sic Tamburinus §.4. *num. 5.* & alij.

QVÆSTIO XI.

An blasphemia sit peccatum virtuti religionis oppositum?

NEgandum videtur ex D. Thom. 2.2.*q.13.art.1. in corp.& art.3.* dicente, blasphemiam opponi confessioni fidei: ergo. Ita tenet Villalob. mox citandus, & Basseus *tom. 2. verb. blasphemia, num. 1.*

Sed vt certum Respondeo dicendum, quod blaspemia, propriè, & formaliter loquendo, sit peccatum oppositum virtuti religionis. Patet: quia virtutis religionis est, Deum reuereri, eiusque honorem tueri: atqui blasphemus contra honorem Dei verbis offendit: ergo peccat contra virtutem religionis. Nec obstat. D. Thomam dixisse blasphemiam opponi confessioni fidei: quia intellexit, opponi confessioni fidei latè sumptæ, prout comprehendit Dei laudem, & honorem. Sic Sanchez *lib.2 in Decalog. cap.32.n.7.* Bannes 2.2.*q.13. art. 1. notab.3.* Petr. Ledesma *tom.2. tract. 1. cap. 9. concl. 3.* Palaus *tom.3.tract.17.disp.2. punct.2. §.2.n.1.* Trullench. *lib.1.cap.12.dub. 2.n.1.* Bonac. *tom.2. circa prim. Decal. præcep. disp. 3. q.8. punct. 3. n. 1.* Nauarr. Azor, Valentia & Sayrus; apud ipsos. Imò id dixerat Basseus *tom.1. v. blasphemia, n. 2.* Lessius, & Filliucius penes ipsum.

QVÆSTIO XII.

An, blasphemia, sit ex genere suo, peccatum mortale?

REspondeo tanquam certum, quod sit. Quia blasphemia, ex sua natura, infert Deo iniuriam grauem: ergo ex sua natura erit mortalis. Sic omnes. Legantur D. Thom. 2. 2. *q. 13. art. 2.* Suarez *tom.1.de Relig.tract.3.lib.1.cap.6.* Nauar. *in Man. cap.12. num.84.* Azorius, Sayrus Reginald. & alij apud Bonac. *loco citato n.2.* Palaus *loc.cit.* & alij.

QVÆSTIO XIII.

An, blasphemia propriè dicta, & deliberatè & seriò prolata, contra Deum; aut contra Sanctos, vt Sancti sunt, possit ex leuitate materiæ esse venialis?

AFfirmat Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 1. diff. 15. n. 5.* sic dicens: Digo lo segundo, que la blasphemia es pecado mortal de su naturaleza por que es contra la honrra de Dios. Verdad es que por no auer (*sic lege*, non, *que por auer*) plena

plena deliberacion, ò por inaduertencia podria ser pecado venial, como dice S.Thomas, Caietano, y Siluestro; Mas la duda es, si ay aqui pecado venial, por paruidad de meteria. Bañes, y otros dicen, que no por ser cosa grauissima la honrra de Dios. Mas ami pareceme lo contrario: que assi como todos los pecados son offensas de Dios, y no obstante esso ay pecados veniales, porque son leues ofensas; assi aqui. Y tal me parece, quando algunas vezes se traen las palabras de la Sagrada Escritura, apropósito de burlas con poca reuerẽcia: y lo mismo quando vn Organista, que sabe muy poco, en vna addeá, tañe en lugar de *Kyries* vnas vacas, ò vn sonecito (por que no se le alcanza mas) al *ite Missa est*, de la Pasqua. Ita Villalobos cuius verba refert Diana; sed non ita benè.

Sed vt mihi certum, Respondeo dicendum, quod blasphemia propriè dicta, contra Deum, aut contra Sanctos, vt tales sunt prolata, minimè possit esse peccatum veniale, ex paruitate materiæ. Quia certum mihi est, quod in blasphemia contra Deum, (aut Sanctos) non detur paruitas materiæ; sicut non datur in periurio. Ratio est, quia nulla respectu Dei potest dari leuis contumelia; cum Deus per quamcumque, etiam minimam, dehonoretur valde: ergo blasphemia, ratione leuis materiæ, nunquam poterit esse venialis. Sic insinuat D. Thom. 2.2. *q.* 13. *art.*2. *ad* 3. & docent expresè Bannez, & Aragon ibi. Caiet. *in sum. v. blasphemia*, Valentia 2.2. *disp.*1.*q.*13.*punct.*1.Suarez *tom.*1. *de Relig. tract.*3. *lib.*1. *cap.*6. *num.*2. Lopez 1.*p. instructorij, cap.*282. *col.*5. Petr. Ledesma *tom.*2. *sum. tract.*1. *cap.*9. *post* 7. *concluſ.* quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.*2. *in Decal. cap.*32. *num.* 40. Sic etiam Syluius, Hurtado de Mendoza, Sayrus, & Gordonus, sequitur Diana *par.* 5. *tract.* 5. *resol.*3. Quibus adhuc ego addo Bonacinam *disp.* 3. *cit. quæst.*8. *punct.* 3. Palaum *disp.*2. *cit.punct.* 2. §.2. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 12. *dub.*2. *num.*2. qui (quamuis dicat sententiam Henrici de Villalobos non esse improbabilem) benè respondet, exẽpla ab illo allata, non esse ad rem, quia vt constat ex aliàs dictis, præfata facere non est blasphemia, sed sacrilegium, seu irreuerentia quædam. Sic etiam Basseus *tom.* 1. *v. blasphemia, num.* 6. *& tom.* 2. *eod. verbo, num.*5.

QVÆSTIO XIV.

An, blasphemia, contra Deum, aut Sanctos, ioco prolata, sit etiam peccatum mortale?

AFfirmat absolutè Lorca 2.2.*q.*13.*art.* 2.*n.*9. vbi sic dicit: Est blasphemia ita graue peccatum, vt non possit fieri veniale, nisi solum ex defectu deliberationis. Nam quod aliqui dicunt, posse fieri veniale, si non serio, sed ioco proferatur, non approbo, quoniam illicitus est iocus, in quo iniuria Dei inuoluitur: nec propter iocum, deficit ratio iniuriæ, immò iocari rebus tanti momenti, specialis blasphemia est: nisi quis vocet iocum, quod non ex animo significandi quod verba sonant, profertur, sed per hyperbolem; vt qui fœminam vocat *Deam*: id enim veniale erit. Ita Lorca.

Negat contrà Suarez *cap.*6. *cit.n.*2. docens; quod si quis aliqua verba blasphemiæ, ex leuitate animi ioco proferat, tunc non committat peccatum mortale, sed solùm veniale cuiusdam leuitatis, & irreuerentiæ, non blasphemiæ; eo quod ad rationem blasphemiæ, requiratur, vt proferantur per modum conutiij, aut maledictionis in Deum. Sic Suarez. Cui consentit Valentia 2.2. *disp.*1. *q.*13. *punct.*2. *corol.*2. apud Palaum, mox citandum.

Sed clariùs distinguendo, Respondeo dicendum *Primò*, blasphemia quæcumque ioco prolata, si iocosus modus illam dicendi, non tollit ab illa rationem contumeliæ, aut irreuerentiæ Deo factæ, ac proinde, rationem blasphemiæ; semper erit mortalis. Quia adhuc sic prolata, vergit in diminutionem diuini honoris. Quis enim (vt ait Palaus) negare potest, grauem deordinationem esse, assumere verba blasphema ad iocum, & ludibrium? Neque enim Deus, etiam per iocum de honestandus est. Per iocum enim Iudæi Christum conspuebant, & blasphemabant, neque obinde à peccato grauissimo fuerunt excusati. Sic ferè omnes.

Respondeo *Secundò*. Si iocus, quo verba blasphemiæ proferuntur, talis sit, quod omnibus expensis, nulla diminutio honoris Dei appareat (quod rarò euenire potest) tunc non committeretur blasphemia mortalis; quia tunc blasphemia vera non esset; eo quod illi deesset blasphemiæ essentia; & de hoc rarissimo casu intelligi debent Suarez, & Valentia, cum docent; blasphemiam ioco prolatam non esse blasphemiam. Sic Sanchez *lib.* 2. *cap.*32. *à num.*40. Palaus *tom.*3. *tract.vltimo. disp.*2. *punct.*2. §.2.*n.*1. Tamburin. *lib.*2. *cap.*6. §.4.*num.*5. Basseus *tom.*1. *loco citato, n.*6. fine.

QVÆSTIO XV.

An, verba blasphema iactata in Sanctos, non quatenus Sancti formaliter sunt, sed materialiter; vt quidam homines sunt, tunc esset blasphemia venialis, si ioco dicerentur.

NEgat Lorca, apud Dianam: eo quod, vt vidimus, solum admittit paruitatem materiæ in blasphemia contra Deum, aut Sanctos, ex defectu deliberationis. Huic sententiæ fauet satis Fagundez infrà citandus, vbi sine vlla distinctione id negat.

Sed omnino Respondeo *Primò*, quod si talia verba, blasphema, sunt leuia, eo quod non iactentur in Sanctos, vt tales formaliter sunt; sed in rebus naturalibus (non in moralibus) & quia tunc vt quidam homines sunt tunc esset blasphemia venialis. Ratio est (inquit Sanchez) quia tunc Sanctitas se habet per accidens. Dicitur tamen blasphemia aliquo modo, & materialiter; quia propter coniunctam sanctitatem, sunt Sancti plus honorandi, etiam in naturalibus. Exemplum huius blasphemiæ venialis est; si quis ioco diceret Sanctos Crispinum, & Crispinianum fuisse sutores; & Sanctos Ioannem & Paulum fratres fuisse eunuchos. Sic Sanchez *n.* 42. & penes illum, Bannez, Aragon, & Lopez. Sic etiam Duualius, Sanctarellus, Sayrus & Syluius apud Dianam *part.*5. *tract.*5. *resol.*3. *vers. Et nota.*

Respondeo *Secundò* si vituperium iactatum in *sanctos, etiam* per iocum, sit graue, tunc, mortalis erit blasphemia (saltem meterialis.) Talis esset, si quis diceret de Apostolis, ideò defeciſſe vinum in nuptiis Cananitidis Galileæ; quia ibi erant Apostoli, qui erant piscatores, & naucleri; volens significare, piscatores, & naucleros esse homines amicos vini.

Hæc

Hæc enim locutio, etiam per iocum, mortalis esset, eo quod valde vituperat Apostolos, quoad mores, & in hoc benè Fagundez *lib.2. cap.3. n.21.*

QVÆSTIO XVI.

An sit peccatum veniale, blasphemia, ex in deliberatione, aut inaduertentia, in Deum prolata?

RESpond. dicendum, quod sit veniale peccatum. Quia sicut in aliis peccatis, indeliberatio, aut inaduertentia à mortali excusant: ita & in hoc. Vnde si quis blasphemat ex ira, & subita animi perturbatione, taliter, quod omnem rationem deliberationis anteuertat, tunc venialiter peccat. Si verò blasphemet, aliquantulum iudicium rationis sequendo, non tamen plenum, & omnino deliberatum, tunc peccabit, sed solum venialiter, etiam casu, quo indeliberatio orta fuerit ex causa iniusta, & illicita. Sic Nauarr. *cap.12. n.84.* ex S. Thoma 2.2. *q.13. art.2.* Sanchez *cap.32. citato num.40.* Bannez, Lessius, Reginald. & Bonauentura, quos sequitur Trullench. *dub.2 citato n.2.* & omnes communiter. Legatur inter alios Sayrus *lib.6. cap.13. n.6.*

QVÆSTIO XVII.

An, saltem mortaliter peccet, qui blasphemat ex habitu, etiamsi, sufficienter, nec plenè; sed solùm aliquantulum, ad blasphemias aduertat?

RESpondeo *primo:* Peccare quidem mortaliter, toties, quoties aduertit ad prauum habitum, & consuetudinem, quam habet blasphemandi, & non conatur illam euellere, & extirpare: quia voluntariè persistit in morali periculo, & occasione proxima blasphemandi; cùm talis habitus inclinet ad blasphemias proferendas: at qui voluntariè persistit in morali periculo, & occasione proxima committendi aliquod mortale peccat mortaliter, & dicitur, esse in statu peccati mortalis: ergo.

Respondeo *secundò*, & directè ad quæstionem: Qui ex habitu blasphemat, absque plena & sufficienti aduertentia ad peccatum mortale, tunc non committit nouum peccatum mortale; sed solum peccauit in causa, quatenus non abstulit prauam consuetudinem, ad quam aduertit. Ratio est, quia, vt aliquid sit in se peccatum mortale, debet esse in se plenè, & simpliciter voluntarium: sed blasphemia prolata, absque sufficienti, aut plena aduertentia, non est in se simpliciter, & plenè voluntaria: ergo nec in se erit nouum peccatum. Sic ferè Bonacina *disp.3. cit. q.8. punct.3. num.3.* & penes illum Suarez *lib.1. cap.6. num.2.* Filliuc. *lib.4. sum. tract.25. cap.1. q.5. num.20. & q.8. num.27.* Toletus *lib.4. sum. cap.13.* Layman. *lib.4. tract.10. cap.6. n.3.* Nauarrus *cap.12. num.24.* (*lege* 84.) & Sanchez *lib.3. in Decal. cap.5.* Sic etiam Trullench. (omninò ex Bonacina quem non citat) *lib.1. cap.12. dub.2. n.3.* Sayrus *loco cit. n.6.* legatur Tamburinus relatus à nobis *q.45.*

QVÆSTIO XVIII.

An saltem peccet mortaliter actu, ille, qui inaduertenter; & inconsideranter blasphemat; est tamen ita habitualiter dispositus, quod, etiam si aduerteret, blasphemaret?

AFfirmatiuam partem tenere Nauarrum in *sum. cap.12. n.24.* & Sayrum *in Claui Reg. lib.4. cap.4. n.7.* dicunt Bonacina & Trullench. vbi suprà. Sed certè Sayrus nil habet ad propositum loco citato: Immò nec Nauarrus. Verum est, quod hic, id insinuat *n.84.* his verbis: Neque satis est ad peccandum mortaliter, quod talis inconsideratio ex deprauata quadam consuetudine cum propriæ salutis contemptu coniuncta, vel ex culpa lata procedet, iuxta Siluestr. *verb. blasphemia q.4.* dummodo illa inconsideratio prolationi talis blasphemiæ causam dederit, hoc est (aduerte hîc) quod si animaduerteret id, quod pronunciat, non pronunciaret illud, secundùm Caiet. *in summa v. blasphemia.* Hæc Nauarrus, ibi, & expressè etiam antea *cap.12. num.6.* loquendo de iuramentis.

Sed probabiliùs Respondeo nec illum peccare mortaliter actu, in proposito casu. Nam vt quis actu peccet, nouumque peccatum committat, non sufficit quod sit habualiter dispositus, & proclivis ad peccandum: sed requiritur necessariò, quod actualiter, & in actu secundo sit: quia Deus inquit S. Augustinus contra Semipelagianos: non imputat nobis quod faceremus, si hoc, vel illud occurreret; sed quod actu facimus: alioquin homines dediti luxuriæ, vel auaritiæ, qui data opportunitate, consensum præbent his peccatis, semper actualiter peccarent; quod omnino est falsum. Sic Suarez *lib.3. de iuramento cap.7. n.5.* Valentia 2.2. *disp.6. q.7. punct.3. in fine,* Sanchez *lib.3. in Decal. cap.5. n.23.* Filliuc. Layman, Rodriguez quos citat, & sequitur Bonac. *disp.3. circa 1. Decal. præceptum q.3. punct.3. n.3.* & Trullench. *n.3. citato.* & nos adhuc infra *disp.8. q.8.*

QVÆSTIO XIX.

An blasphemia in Deum, vt sic; differat specie à blasphemia in Sanctos?

NEgant plures Doctores, vt Caiet. Lazarius, Azor, Homobonus, Faustus, Cœlestinus, & alij, quos citat, & sequitur Diana *1. p. tract.7. resol.50. & par.5. tract.13. resol.21.* Bonacina etiam *disp.3. cit. q.8. punct.4. n.1.* & penes ipsum, Valentia, Aragon. Bañes, Sanchez, & Layman. His addo Trullench, *dub.2. cit. n.4.* Basseum *tom.1. v. blasphemia, n.8.* & Tamburinum *lib.2. in Decal. cap.6. §.4. n.8.* sic dicentem. Tertiò pro praxi Cõfessariorum, quoad blasphemias alibi à nobis dicta recolantur, vbi resoluimus omnes blasphemias esse eiusdem rationis, siue in Deum, siue in B. Virginem, siue in Sanctos, &c. Addo nunc, varias blasphemias in Deum variasque in Sanctos, &c. non differre specie. Vnde satis est, in confessione dicere, toties blasphemaui. Ratio est, quia omnes specificantur à contumelia, quæ Deo infertur. Excipe blasphemiam hæreticalem, in illa enim superadditur peccatum infidelitatis, si aderit error intellectus; vel peccatum contra præceptum de externa confessione fidei, si solum ea fuerit verbalis. Huc vsque ille. Et licèt satis probabiliter.

Sed

Sed nihilominus iterum probabiliùs Reſpondeo blaſphemiam in Deum, vt ſic, differre ſpecie ab illa quæ profertur in Sanctos. Quia habent duas malitias ſpecie diſtinctas irreligionis, & irreuerentiæ in Sanctos; quia violatur religio debita Deo, & dulia, Sanctis debita. Sic Lugo, Sanchez, Sanchius, Petr. Hurtado, Aragon, Suarez & Fagundez, quos adduximus *1.parte,tract.5.de pœnit.diſp.*8.§.3.*q.*15. Quibus nunc addo Palaum *diſp.2.punct.2.§.2.n.4.*

QVÆSTIO XX.

An pœnitens teneatur in confeſſione explanare diuerſitatem, aut qualitatem blaſphemiarũ in Deum: v.g. an fuerit: Pœniteat Deum: per Dei vitam, *&c.*

AFfirmant Luyſ. Turrian, Sanctarellus, Layman, Petr. Ledeſma, Lopez, Bannes, Aragon, & Fagundez citati à nobis *1.p. vbi ſuprà, q.*14. Quibus addo Petr. Hurtado *2.2. diſp.*91.*ſect.* 12.§. 54. quia mala (inquit) quæ poteſt quis blaſphemè adſcribere ſunt diuerſa ſpecie: ergo, &c.

Sed probabiliùs iterum Reſpondeo non teneri ſpecialiter explanare in confeſſione qualitem blaſphemiæ in Deum: Quia omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, vt omnes ferè contrarij fatentur: niſi caſu, quo eſſent hæreticales, aut ex odio Dei procederent. Sic Sancius, Caiet. Valentia, Azor, Lazarius, Gyptius, Homobonus, Diana, & Lugo citati à nobis, vbi ſuprà. Quibus nunc addo Tamburinum citatum quæſt. antecedenti, & Palaum loco citato.

QVÆSTIO XXI.

An ſaltem teneatur pœnitens explicare in confeſſione contra quem fuerit blaſphemia; an contra Deum; an contra Sanctos, &c.

NEgat Caiet. Lazarius, Azor, Homobonus, & Diana citati à nobis *1.p. tract.* 5. *diſp.* 8. §. 3. *q.*14. Quia exiſtimant has blaſphemias non differre ſpecie, vt habes *q.*19. antecedenti: tenet etiam Tamburinus ibidem citatus.

Sed iterum Reſpondeo probabiliùs, teneri: Quia vt conſtat ex nuper dictis, probabilius eſt ſpecie differre: vt tenent Authores *q.*19. citati. Sic ipſi, & Trullench. *lib.1.in Decal. cap.*12. *dub.2. n.*5. ex Bonac. *diſp.*3. *q.*8. *punct.*4. *n.*2. *verſ. ex quo patet*, & alij penes ipſum.

QVÆSTIO XXII.

An etiam teneatur pœnitens explicare; an blaſphemia fuerit contra B. Virginem; an contra alios Sanctos?

NEgant, & à fortiori Doctores nuper pro prima ſententia adducti, & præcipuè, Diana, & Tamburinus.

Sed iterum probabiliùs Reſp. etiam teneri. Quia probabilius eſt, blaſphemiam in Beatam Virginem, differre ſpecie ab aliis, quæ proferuntur contra alios Sanctos. Sanchez, Aragon, Lugo, & Fagundez citati à nobis *1.p. tract.*5. *diſp.*8. §.3. *q.*16. quibus nunc addo Petr. Hurtado *2.2.diſp.*91. *ſect.*12.§.54. *ibi.* Inter Sanctos, exponenda eſt circunſtantia in Virginem Matrem Dei; quia eſt contra hyperduliam; quia hæc virtus, aut ſpecie differt à dulia, aut habet grauitatẽ exponendam in confeſſione. Sic ille. Et ſic etiam Bonac. & Trullench. tũ alij, locis citatis.

§. II.

De variis modis, & formulis blaſphemandi in Deum & Sanctos.

QVÆSTIO XXIII.

An ſit blaſphemia, iurare verum, vel falſum, per falſos Deos; vt per Martem, aut Iouem, &c.

REſpond. tanquam certum, quod ſit, ſi id fiat ſeriò. Ratio eſt, quia iuramentum eſt actus religionis, quo vero Deo cultum latriæ, & Sanctis propter Deum, cultum duliæ tribuimus: ergo qui per falſos Deos iurant, negant hunc cultum Deo vero, & Sanctis; & illum dœmoniis ac falſis diis tribuunt, quod eſt, idololatriæ genus. Sic omnes. Legantur Sanchez *lib.2. in Decal. cap.*39. *n.*9. Sotus *lib.*8. *de iuſt.q.*2.*art.*3. Suarez *tom.*1.*de relig. lib.*1. *cap.*1.*n.*13. Tamburin. *lib.*2.*cap.*4.§.4.*n.*15. Fagundez *lib.2.cap.*3.*n.*2. Qui ſecus dicunt, ſi non ſeriò, ſed ioci cauſa, aut irridendi falſos deos, quis per illos iuraret: quia tunc non eſſet blaſphemus, nec adhuc venialem culpam committeret.

QVÆSTIO XXIV.

An item eſſet blaſphemus ille, qui iuraret per aliquam creaturam, etiam ſanctam, ſiſtendo in ea tanquam in infallibili veritate?

REſp. tanquam certum: etiam eſſe blaſphemum. Quia aperta blaſphemia eſt, tribuere creaturæ aliquod quod eſt proprium Dei; at qui iurat per creaturam, non referendo illam ad Deum, ſed ſiſtendo in illa, tribuit ei honorem ſummæ, & infallibilis veritatis, quod ſoli Deo conuenit: ergo. Sic omnes. D. Thom. *2.2.q.*13.*art.*1. *ad* 3. *& q.*89.*art.*6. Sanchez *cap.*32. *cit.n.*10. *&* 34. Sotus *loc.cit.q.*1.*art.*6. Fagundez *n.*3. Tamburin. *loco cit.verſ. iurare ſerio.* Baſſeus *tom.*2.*v. blaſphemia, n.*3. & omnes.

QVÆSTIO XXV.

An ſint blaſphema omnia illa verba, quæ continent fidei debitæ Deo abnegationem?

REſpondeo tanquam certum: Eſſe. Et ideo inter bleſphemias numerantur hæc verba: *Non credo in Deum:* vulgò, *Deſcreo de Dios. Nego*, vel, *renego Deum. Renego*, vel, *abnego Crucem*, vel, *Sacramenta*, vel, *Chriſma, quod fronte percepi*; vel, *intemeratam Deiparæ virginitatem.* Quia hæc omnia inuoluunt abnegationem fidei Deo debitæ; & ſunt blabſphemiæ hæreticales ſecundùm aliquos. Sic omnes. Legantur *l.*5.*regia,tit.*4.*lib.*8.*nouæ recopilat.* Sanchez *lib.2. cap.*32. *n.*11. *&* 36. Tamburin. *lib.2.in Decal. cap.*6.§. 4. *num.*15. Fagundez *lib.2. cap.*3.*n.*4. Baſſeus *loco citato, num.*4.

An

QVÆSTIO XXVI.

An deinde, sint blasphemiæ, omnes illi modi loquendi, in quibus Deo, vel sanctis, aliquem dolorem, & pœnitudinem tribuimus?

RESP. tanquam certum, etiam esse blasphemias. Vnde blasphemia est dicere: *Pœniteat Deum; Pœniteat D. Petrum. Malum Deo contingat*; vulgo, *Malgrado aya Dios.* Quia per huiusmodi modos loquendi, attribuitur Deo id quod est omnino alienum ab ipso; vt dolor, aut aliquod malum. Sic *l. 5. regia citata.* Couarru. *de pactis 1. p. §. 7. n. 9. vers. Tertiò.* Roxas, Salcedo, Rodriguez, & alij, quos citat & sequitur Sanchez vbi suprà *num. 12. & 27.* Suarez *lib. 1. cap. 5. n. 6.* Tamburin. & Fagundez *locis citatis.* Et Basseus *loco citato*, versu *blasphemum est.*

QVÆSTIO XXVII.

An item sint blasphemiæ illa verba, quæ derogant omnipotentiæ Dei?

RESpondeo tanquam certum: Quod verè sint blasphemiæ. Cùm per ea denegetur id, quod Deo conuenit. Vnde blasphemia est dicere: *Non est potestas in Deo. Velit, nolit Deus hoc ita fiet.* Vulgò, *a despecho ò a pesar de Dios esto se ha de hacer. Deum tædeat*; *Deo displiceat*; vulgò, *Pesete Dios*, sic quàm plures Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 2. cap. 32. à num. 15.* Suarez *lib. 1. cap. 5. n. 8.* Tamburinus, Basseus, & Fagundez, vbi suprà, contra nonnullos antiquos, qui negarunt illa verba, *A despecho de Dios*, esse blasphema; sed malè id negarunt.

QVÆSTIO XXVIII.

An sit blasphemia, laudare Deum obscenis verbis?

RESpondeo certum esse. Quia id, in actu exercito, potius est spernere, & irridere Deum, quam laudare; vt benè Tamburinus *lib. 2. cap. 6. §. 4. sub n. 15. vers. laudare Deum*, & Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 12. dub. 1. num. 10.*

QVÆSTIO XXIX.

An, omnia iuramenta, quæ fiunt per pudenda Christi, & Sanctorum, sint blasphema, & mortalia?

NEgat ex parte Graffius *lib. 2. cap. 14. n. 10.* quatenus docet, quod qui per Christi inhonesta membra iurat, si contemptus desit, & scandalum, venialiter tantummodo peccet, aliàs mortaliter. Ita ille ex Siluest. *iuram. 2.*

Sed absolutè Resp. tanquam certum; talia iuramenta, etiam secluso contemptu, & scandalo, esse blasphema mortalia. Quia quamuis reuera dicta membra habeant; non tamen habent illa, tanquam quid vituperabile, aut ignominiosum; sed tanquam partes naturales corporis. Et ita in modo loquendi Christo Domino, & Sanctis vituperium tribuunt, quod eis non conuenit. Sic Caiet. Angelus, Armilla, Sotus, Nauarr. Couarru. Castro, Azeuedo, Simancas, Suarez, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. cap. 32. n. 28.* Fagundez *n. 11.* & Tamburinus *loco cit.* & idem dicunt, si quis iuret, per pudenda Christi, aut Sanctorum, quæ non habent: vt *per sexum fœmineum Christi*; aut, *D. Petri.* Quia in ratione vituperij vtrumque pessimè dicitur; & id vltimum peius. Sic etiam Petr. Hurtado *2. 2. disp. 91. sect. 8. §. 39.* Palaus *disp. 2. punct. 2. §. 3. n. 7.* Basseus *n. 4. cit. vers. item blasphemiæ sunt.*

QVÆSTIO XXX.

An etiam sint blasphema iuramenta, quæ fiunt per honesta membra Dei: vt per caput; per sanguinem; per corpus; per intestina; aut, per capillos Christi Domini; aut D. Petri?

AFfirmant multi: eo quod maxima sit irreuerentia quasi mèbratim Christum diuidere. Sic tenet *lex 6. regia, tit. 4. lib. 8. recopilat.* & ibi Azeuedo *n. 60.* Couarr. *de pactis par. 1. § 7. n. 9. vers. octauò*

Sed clariùs Resp. *primò.* Certum est, quod qui iurat per membra Dei, hoc est, *Per caput Dei, per corpus Dei*, &c. intendens Deo, vt Deus est, membra attribuere; tunc expressam blasphemiam committat; cum atribuat Deo id, quod ei non conuenit. In hoc omnes conueniunt, notantes, nunquam solere homines iurare in hoc sensu, cum iurant, *Per caput Dei, aut Christi*: sed per membra illa honesta, quæ habet Christus Dominus. Vnde hac intelligentia supposita.

Resp. *secundò*, verius omninò est, quod talia iuramenta, non sint blasphemia. Quia verum omnino est, quod tunc nihil Deo, aut Sanctis tribuatur, quod verè non habent, aut eis non conueniat. Sic Sanchez *loco cit. cap. 32. n. 29.* & penes illum, Caiet. Armilla, Nauarr. Alcozer, Lopez, D. Anton. Siluest. Tabiena, Toledo, Ledesma, Rodriguez, & Valentia. Sic etiam Fagundez *n. 14.* qui cum multis ex præcitatis Authoribus, addit, quod, si hæc dicta iuramenta reuerenter fiant, nec culpa sit venialis, Tamburin. *lib. 2. in Decal. §. 4. n. 25.* Palaus *disp. 2. punct. 2. §. 3. n. 7.* Basseus *loco cit. vers. Quando autẽ.*

QVÆSTIO XXXI.

An sit blasphemus qui in iurgio cum ira, & indignatione dicit: ô Cuerpo de Dios con vos: ô Sangre de Dios, Cuerpo de S. Pablo con tal hombre, &c.

RESp. vt ferè certum: Non esse blasphemum. Quia licèt irreuerenter talia verba dicat; non tamen ea dicit per modum contumeliæ, & iniuriæ, Deo irrogatæ; nec aliquid falsum Deo, aut Sanctis attribuit: ergo. Sic Caiet. *in sum. verb. blasphemia*, & ibi Armilla, Nauarr. *cap. 12. n. 85.* Alcozer, & Lopez, quos citat, & sequitur Sanchez *cap. 32. cit. n. 30.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 3. n. 15.* Tamburin. *loc. cit. vers. Hinc non est blasphemia*, & alij. Qui benè hoc intelligũt, casu, quo indignatio illa, & ira sit erga illum, cum quo contenditur: nam si esset contra Deũ, blasphema essent illa verba, & cõsequenter blasphemus, qui illa diceret. quãuis Suarez *tom. 1. de Relig.*

*tract.3.lib.1.cap.6.n.11.*dicat,hæc verba:*Cuerpo de Dios con vos,*in rigore ſemper eſſe blaſphemiã,etiãſi indignatio in ſolum hominem ſit. Sed contrarium, vltra citatos Authores tenet Palaus *diſp.2.punct.2. §.5. n.7.* & pene illum Valentia, & Bonacina. Sic etiam Baſſeus *loco citato.*

QVÆSTIO XXXII.

An ſaltem eſſet blaſphemus, qui cum ira diceret:ò fides Dei cũ tali homine:ò Virgo Deipara,cum tali bellua,non homine?

AFfirmat Sotus, *de iuramen. abuſu, cap.*4.vbi ait;talia verba proximè ad blaſphemiam accedere. Sunt namque ſimilia illis,quibus Gentiles implorantes Deorum fidem, aiebãt:*Dij veſtram fidem.*

Sed probabiliùs Reſp.nec eſſe blaſphemum,quia prædicta verba minimè ſunt blaſphema; niſi caſu, quo ex ira in Deum, vel B. Virginem concipiantur. Sic Sanchez, & Fagundez *locis citatis.*

QVÆSTIO XXXIII.

An ſit blaſphemia, dicere: Diabolum eſſe omnipotentem, aut Sanctum: Puellam amaſiam eſſe Deam:Fatum omnia regere, aut gubernare?

REſp.tanquam certum:Eſſe blaſphemiam & claram. Quia per ea verba, fit commune creaturis, quod proprium eſt Dei. Sic Sanchez *num.*3. ex D. Thoma 2.2. *q.*13. *art.*1. *ad* 3.Valentia 2.2.*diſp.*1. *q.*13.*punct.*1.Azor *tom.*1.*lib.*9. *cap.*28.*q.*3.Fagundez *lib.*2. *in Decal. cap.*3.*num.*17. Tamburinus *lib. etiam* 2. *cap.*4.§.4.*ſub n.*15.& 20. qui loquendo de puella amaſia benè notat, quod, vt illa verba ſint blaſma, debet, qui illa profert tribuere propriè ei nomen Deitatis: nam ſi quis non ex animo ſignificandi, quod verba ſonant; ſed per hyperbolem ſic loquatur, perperam quidem loquetur,nec ex probabili ſententia, non peccabit mortaliter ex hoc blaſphemiæ capite. Sic ille. Legãtur dicta à nobis ſuprà *q.*14.& Baſſeus *tom.*2.*v.blaſphemia.n.*4.*verſu,Porrò.*

QVÆSTIO XXXIV.

An item ſit blaſphemia dicere: Natus ſum in hoc fato: in hac Aſtrorum conſtellatione: ſic tandem futurum erat,&c.

AFfirmant aliqui,quos ſuppreſſis nominibus refert Fagundez *loco cit. n.*18. quia, cùm hæc verba ſoleant dicere illi, qui deditiſſimi ſunt alicui vitio, & peccato, videntur ſignificare per ea, fato omnia regi, & ſe non habere libertatem ad illud vitium cum gratia Dei effugiendum.

Sed probabiliùs Reſp. dictas propoſitiones (licèt ſint malè ſonantes)non eſſe blaſphemas: & ideò eis vtentes corrigendos eſſe. Et quidem, illa vltima propoſitio, videlicet: *ſic tandem futurum erat:* vera eſt,ſi intelligatur,non de neceſſitate abſoluta tollenti rerum contingẽtes euentus,& libertatem humanam, ſed de neceſſitate conditionali, & ex ſuppoſitione, quam Theologi vocant neceſſitatem conſequentiæ, qua omnia ordinata, & præuiſa à Deo neceſſe eſt euenire. Sic ex Corduba, & Ludouico Lopez tenet Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 35. quem citat, & omnino ſequitur Fagundez *lib.* 2. *cap.*3. *num.* 18. Sed licèt in ſubſtantia benè, non tamen in re. Nam Sanchez ſolùm loquitur de illa tertia propoſitione: *Sic tandem futurum erat.* Fagundez, hac omiſſa, de duabus prioribus.

QVÆSTIO XXXV.

An ſint blaſphema hæc verba: Renego talem: Pœniteat talem:Per vitam talis. *Vulgò*: Reniego de tal: Peſe atal: Por vida de tal?

REſpondeo dicendum quod ſi proferens hæc verba, per illud *talem* intelligat Deum, vel aliquem Sanctum, verè erunt blaſphema verba, ſecus autem non. Sic Petr. Ledeſma, Ludouicus Lopez, & Emman. Rodriguez, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 2. *cap.*32.*num.* 23. Fagundez *lib.*2. *cap.*3. *num.*7. Tamburin. §. 4. *ci. num.* 20. per hæc verba: Dubitatur primò, de illis verbis: *Renego talem.* Italicè, *Renego al tal*, vel, *Santo de tal*,&c. Reſpondeo ſi per illud *talem*,intelligis, vel indicas Deum, quis dubitet eſſe blaſphemiam? At puto, niſi ſignanter Deum, vel Sanctos notes, te non incidere in blaſphemiam. Ratio eſt, quia ex praxi communi, video, ideo fideles dicere *Renego talem*, & non, *Renego Deum*, quia effugere volunt,ſe contumeliosè cũ Deo agere.Sic ille

QVÆSTIO XXXVI.

An ſit blaſphemus Italus, qui ſuo idiomate,dicit: Al diſpetto de Di: *vel*, Rinego Di.*Hiſpanus verò,ſuo:* Al deſpecho de Di:*ò* Reniego de Di:*tacitâ vltima vocali*,o, *vel*, os.

AFfirmat abſolutè Bonac.*diſp.*3.*circa prim. Decal.præceptum,q.*8.*punct.*2.*n.*11. quia blaſphemans(inquit)tribuit Deo quod ei non conuenit,vel aufert quod Deus habet. Neque obſtat vltimam ſyllabam non fuiſſe prolatam:quia blaſphemans veram habuit intentionem blaſphemandi, & reuera protulit blaſphemiam,quamuis ſe continuerit à prolatione vltimæ vocalis *O*. Ita ille, ex Lazario *q.*3. *n.*36.& 37.

Sed,iuxta nuper dicta,clarius Reſp. dicendo,minimè eſſe blaſphemum, ſi ea intentione omittat ſyllabam,vt effugiat iurare, vel blaſphemare,aut agere contumeliosè cum Deo: ſecus alias. Sic optimè Tãburinus loc.citato *n.*20. per hæc verba:Sanè vſus viliorum percrebuit in Sicilia,vt in grauibus indignationibus,dæmonem vocent *Sanctum*,quã eſſe apertè blaſphemiã modo diximus.Sunt autẽ aliqui melioris conſcientiæ, qui ſic proferunt:*ſanto dia*, ſeu, *Santo diatani*, aiúntque ſe ideo ſic dicere,quaſi ſeſe cohibentes, ne diabolum *ſanctum* vocent.Hos ergo non peccare peccato blaſphemiæ (abſtrahendo à conſcientia aliquorũ erronea)ego, & aliqui Docti à me conſulti iudicauimus. Pari modo, qui in Italia dicit: *Al diſpetto de Di*:vel, *Rinego Di*,non blaſphemant, quando ex eo modo proferẽdi videntur ſe vel cohibere à nominando Deo, quem abnegare, vel deſpicere nolunt,&c. ſi tamen ſignatè intelligant Deum, tunc non eſt dubium blaſphemiam committere. Atque de hoc ſolùm caſu loquitur Bonacina, dum ait: *Al diſpetto de Di*, eſſe mortalem blaſphemiam;

blasphemiam: quia ipse scripsit in eo loco, vbi per proprium idioma, verba communiter dimidiata proferuntur; & vbi per illud, *Di*, verè intelligitur *Dio*, ideſt, Deus. Hæc omnia Tamburinus.

QVÆSTIO XXXVII.

An ſit ſaltem blaſphemus Italus, dicens: Al diſpetto di quel becco, che mi tiene, è ſoſtiene al mondo. *Hiſpanè* deſpecho de aquel cabron, que me tiena, y ſuſtenta en el mundo?

RESP. Nec eſſe, nec præſumi blaſphemum (niſi alias ex circunſtantiis conſtet proferentem hæc verba, proferre illa in contemptum & iniuriam Dei.) Ratio eſt: quia dicta propoſitio poteſt non minùs in homines cadere, quàm in Deum: cum etiam homines, homines ſuſtentent præbendo alimenta. Sic Bonac. *diſp. 3. cit q. 8. punct. 2. n. 12.* Tamburin. *loco citato n. 21.* Trullench. *lib. 2. cap. 12. dub. 1. n. 11.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An hæc Italica verba: Poter di Dio: Pofar Dio: *aut*, Poſſanza di Dio: *Hiſpanè* Poder de Dios: potencia de Dios: *importent blaſphemiam.*

RESP. quod non: Quia ſolum ex communi hominum vſu, important quoddam admirationis ſignum contra rem, quæ inſperatò, accidit. Et certè qui talia verba profert, minimè negat Dei potentiam, nec illam conuitiatur, vel irridet; ſed ſolum enunciat. Sic Bonacina *loco citato, n. 9.* & Tamburinus *n. 21. cit.* Qui idem docent, de hac propoſitione, *Al conſpetto di Dio.* Hiſpanè: *Delante de Dios.*

QVÆSTIO XXXIX.

An ſint blaſphemiæ, hæc verba blaſphema, ſub conditione, non abſolutè, prolata: Non credo Deum; *ſeu*, nego Deum, crucẽ, Euangelia, ſi ita non eſt. Deus eſt iniuſtus, ſi te non percuſſero, *&c.*

AFFIRMANT multi, eſſe blaſphemias, & hæreticales: quia talia verba proferens non de futuro offert negare Deum; ſed de præſenti negat, caſu quo aliter ſe res habeat, quàm affirmat: conditio enim non imponitur ex parte negationis, ſed ex parte rei affirmatæ: atqui negare exiſtentiam Dei, etiam ſub conditione cuiuſque obiecti, eſt negare quod eſt Deo proprium, nempe exiſtentiam à quolibet obiecto creato independentem: ergo qui ſic loquitur hæreticaliter blaſphemat. Ita Roxas *de hæreticis 2. p. aſſert. 12. n. 173. & 174.* Couarru. *de pactis 1. p. §. 7. n. 9. verſ. ſecundò.* Azeuedo *lib. 8. recopilat. tit. 4. l. 1. n. 14.* Sanchez (& penes ipſum, Cantera, Alcozer, Corduba, & Lopez) *lib. 2. in Decal. cap. 32. n. 24.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 45. dub. 5. n. 27.* quos refert, & ſequitur Palaus *diſp. 2. punct. 2. §. 3. n. 3.* Quibus addo Baſſeum *tom. 2. verbo blaſphemia, n. 4. verſ. ſi ſub conditione.*

Negant è contra alij, exiſtimantes, talia verba non eſſe blaſphema: quia conditionalis nihil ponit in eſſe. Sic Salazar *de vſu, & conſuetud cap. 5. n. 28. verſ. unde poſſunt.* quem citat, & ſequitur Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 4. n. 22.* quia (inquit) non eſt ſenſus, vt Sanchez putat, quaſi fides mea, vel iuſtitia Dei, dicatur dependere à veritate rei creatæ, vel à futuro euentu, quo pacto, certè eſſet blaſphemia: ſed ſus communiter eſt in hunc modum. Sicut eſt mihi certum (ex Dei gratia) me non receſſurum à fide; ita certum eſt quod aſſero. Et ſecuti certum eſt, Deum non eſſe iniuſtum, ita certum habeo à me te fore percutiendam: ita inquam, per ſimilitudinem (modò *n. 16.* dictam) non per æquiparantiam. Neque per huiuſmodi verba, me offero, vt ſi res ita non ſit, Deum renegem, vt putat Caſtro Palaus, abſit, nam ex dictis, ſic colligo ſenſum horum verborum. Abnego fidem, ſi res ita non eſt; ſed eſt impoſſibile (vt ego iudico) cum gratia Dei, quod fidem abnegem: ergo impoſſibile eſt, quod res ita non ſit. Eam igitur certitudinem huic rei dare, ſed per ſimilitudinem, pronuntio, quam certitudinem profiteor habere conſtantiæ in mea fide. Huc vſque Tamburinus, & licèt ſatis acutè, & ſatis probabiliter.

Nihilominus probabiliùs Reſp. cum Authoribus primæ ſententiæ dictas propoſitiones eſſe blaſphemias hæreticales, non abſolutas, ſed ſub conditione abſolutè, & de præſenti prolatas, vt benè Palaus probat. Sic illi.

QVÆSTIO XL.

An iurare; per vitam Dei, vel Sanctorum ſit blaſphemia?

AFFIRMANT comuniter DD. eo quod exiſtiment, tale iuramentum eſſe execratorium, faceréque hunc ſenſum: *Perat Dei vita, illámque vltioni, & vindictæ aſtringo, ſi res ita non eſt.* Sed nil magis blaſphemum eſſe poteſt, quàm vitam Dei defectioni, aut vltioni exponere: ergo. Ita ſentiunt Sotus *de iuramentor: abuſu cap. 6. & lib. 8. de iuſt. q. 2. art. 3. col. 6.* Couarr. *de pactis 1. p. §. 7. n. 9. verſ. ſextò.* Menochius *ad arbitrar. lib. 2. centuria 4. caſu 375. n. 12.* Medina *lib. 1. ſummæ cap. 14. §. 2.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 3. q. 2.* Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. n. 8.* Azeuedo. Alcozer, Roxas, Salzedo, & Ludou. Lopez. Quos omnes citat, & ſequitur Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 32. n. 25.* quibus addo Bonacinã *diſp. 3. de primo Decal. præcep. q. 8. punct. 2. n. 2.* Palaus *diſp. 2. punct. 2. n. 6.* Trullench. *lib. 1. in Decal. c. 12. dub. 1. n. 4.* Villal. *tract. 1. diff. 15. ſub n. 4.* Petr. Hurtado *diſp. 91 ſect. 8. §. 38.* qui idẽ dicunt de iuramẽto facto: *per vitã D. Petri*, aut aliorũ SS. eo quod per illud denotet S. Petrũ, vitã amittere poſſe; ſic etiam Baſſeus loco cit. *verſu. Iurare per Dei vitam.*

Alij contrà negant, exiſtimantes hæc iuramenta. *Per vitam Dei*, aut, *Sanctorum*, non eſſe blaſphema. quia exiſtimant, non eſſe iuramenta execratoria, ſed aſſertoria ſimpliciter; ſicut ſi quis diceret: *viuit Deus, viuit D. Petrus*, adducit enim Deum viuentem, & reſplendentem in vita ſua, & D. Petrum in teſtem. Ita Dacianus *tom. 2. crim. lib. 2. cap. 2. n. 13.* quem ſequitur Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 4. n. 23.* latè hanc partem probans.

Sed ego clariùs Reſp. dicendum, deciſionem huius dubij, pendere omnino ex intentione proferentis dicta iuramenta. Si enim dicta locutio proferatur ab illo, optando, aut deprecando; ſicut interponi ſolet vita Regis, aut Filij, vt ſenſus ſit: *Aſi viua Dios: ò S. Pedro*, &c. tunc certum eſt, eſſe blaſphemiam; quia ſignificat, vitam Dei, vel Sanctorum, non eſſe immutabilem, ſed talem, quæ minui, aut amitti poſſit, ſicut poteſt vita Regis, aut Filij. Si verò, dicta iura-

menta, efferãtur intentione afferendi solùm, & testificandi, tunc non erit blasphemia, sed iuramentũ, simile illi legitimo iuramento, *viuit Deus*, quia facit hunc sensum, sicut Deus vitam habet sic (per similitudinem) verum est quod dico. Et in hoc sensu vera est secunda sententia; in primo verò sensu iam dicto, secunda. Verum est, quod in praxi, huiusmodi iuramenta, vt blasphema puniantur. Legatur Lorca 2.2. *q.*13. *disp.*51. *art.*2. *n.*8. & Iacob. de Graffiis *lib.*2. *decis. aur. cap.*14. *n.*13.

QVÆSTIO XLI.

An committat blasphemiam qui dicit: Hoc ita verum est, sicut Euangelium; *aut*, sicut Deus verus est, *vel*, sicut Christus natus est ex Maria Virgine, *&c.*

AFfirmant absolutè aliqui; eo quod qui talia verba profert, verè æquat, & æquiparat veritatem creatam cum increata, & diuina; & consequenter tribuit creaturæ, quod est proprium creatoris: ergo committit blasphemiam, & hæreticalem. Ita Suarez *lib.*1. *de blasphemia*, *cap.* 6. *n.*12. Couarr. *de pactis* 1. *p.*§.7. *n.*9. Aug. Barbosa *3. p. de potest. Episcopi, alleg.*50. *n.*92. Sotus *du iuram. abusu cap.* 6. quãuis mitiùs loquutus fuerit *lib.*8. *de iust. q.*2. *art.*3. *col.*7. vbi solùm dixit proximè ad blasphemiam accedere. Lazarius *q.*3. *n.*45. Graffiis *loco cit. n.*12.

Sed clariùs & probabiliùs, iuxta nuper habita, Resp. cum distinctione dicendum. Si animus proferentis illa verba, sit dicere, tantam esse certitudinem in eo dicto, quanta est in ea fidei veritate; tunc verè committit blasphemiam, & hæreticalem; vt benè Authores citati dicunt: si verò solùm intendat significare similitudinem quandam; ita vt eius sensus sit: hoc suo modo est verum, sicut est ea fidei veritas, tunc non committit blasphemiam. Sic Medina *lib.*1. *sum. cap.*14. §.2. Alcozer *in sum. cap.*15. *in doctrina* 4. Lodou. Lopez 1. *p. cap.*282. *vers. Tertiò.* Azor *tom.*1. *lib.*11. *cap.*3. *q.*2. *fine.* Petr. Ledesma, Rodriguez, Azeuedo, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*2. *cap.*32. *n.*31. Bonac. *disp.*3. *cit. q.*8. *punct.*2. *n.*13. *fine.* Castro Palaus *disp.*2. *punct.*2. §.3. *n.*4. Tamburinus §.4. *cit. n.*16. Lupus *in edict. S. Inquisit. part.*4. *lib.*23. *difficult.*6. Petr. Hurtad. 2.2. *disp.*91. *sect.*8. §.40.

QVÆSTIO XLII.

An locutiones positæ in quæstionibus antecẽdentibus, sint absolutè iudicandæ blasphemæ, quando non constat de sana proferentis intentione?

AFfirmat Azeuedo *lib.*8. *recopilat. tit.*4. *l.*6. *n.*40. Sed probabiliùs Resp. Non esse blasphemas locutiones iudicandas. Quia ex communiter accidentibus, non præsumitur animus adæquandi omnino infallibilitatem, & certitudinem diuinæ veritatis, cum veritate creata; nec hic est communiter animus ea verba proferentis, sed solum velle illi aliquam similitudinem concedere, vsurparéque diuinam veritatem, ad hyperbolicam locutionem, & exaggerationem, non ad æqualitatem. Sic Alcozer, Ludou. Lopez & Sanchez, quos sequitur Palaus *loc. cit.* Tamburin. *loc. cit.* dum ait hanc communiter esse intentionem ea verba proferentis. Et alij: qui ex dictis, benè inferunt, quod nec blasphemæ sint dictæ locutiones, neque culpam lethalem committat illas proferens dummodo non constet de blasphemo omnino æquiparandi animo. Verba Alcozer *loc. cit* sunt hæc. La quarta dotrina es; Estos iuramentos: *como Dios es verdad*: *como nacio de Nuestra Señora*, *i*, *Por la Virginidad de N. Señora*; temeridad, è irreuerencia grande es iurarlos: porque no se hande comparar las verdades humanas con las diuinas, como se haçe en los dos primeros iuramentos, aunque no pienso, que quien las dize tiene tal sentido, i por esto creo, non pecar mortalmente quien las iura, si afirmando, ò prometiendo lo mismo por otro iramento, no pecan mortalmente. Sic ille, legatur Fagundez *lib.*2. *cap.*3. *n.*19. & 20.

QVÆSTIO XLIII.

An iuramentum factum, per intemeratam Deiparæ Virginitatem; sit blasphemum?

AFfirmant ali Doctores, ex eo quod videatur ignominiosè mentio fieri membri pudendi Diuæ Virginis. Ita Sotus *lib.*8. *de iust. q.*2. *art.*3. *col.*7, ibi: sicuti nefas est iurare per intemeratam Deiparæ Virginitatem. Couarr. *de pactis* 1. *par.*§.7. *n.*9. *vers. decimo.* Vbi ait, talem iurationem esse omnino improbatam: & ideò Carolus Cæsar, Hispaniarum Rex *l.*68. sanxit, hoc temerarium iuramentum puniendum esse pœnis statutis aduersus blasphemos. Azeuedo, & Menochius, apud Sanchez mox citandum.

Sed probabiliùs Resp. tale iuramentum non esse blasphemum. Quia nec est execratorium, vt intendit Couarruuias: nec per illud significantur pudenda Virginis, vt innuit Sotus: sed solùm adducitur in testem ea veritas diuina Virginitatis Deiparæ; sicut quando iuratur per Deum. Sic Sanchez *lib.*2. *in Decal. cap.*32. *n.*32. vbi concludit, quod tale iuramentum, nec est blasphemum, nec nefandum, nec est culpa aliqua id reuerenter iurare: sicut in cæteris iuramentis contingit. Si autem sit aliqua irreuerentia, erit culpa venialis. Sic ille, quem sequitur Tamburinus *lib.*2. *in Decal. cap.*6. §.4. *sub n.*16. Petr. Hurtado *disp.*91. *sect.* 8. §. 87. & clarè Palaus *disp.*2. *punct.*2. §.3. *n.*8.

QVÆSTIO XLIV.

An sit blasphemus, qui ad confirmandam facetiam adducit aliqua verba Scripturæ sacræ?

AFfirmant aliqui. Alij verò negant. Denique Tamburinus cum aliis sic distinguendo respondet: Afferre verba aliqua Scripturæ Sacræ ad confirmandum facetiam, si non ex contemptu, nec tam sæpe fiat, vt contemptum sapiat, vel non est blasphemia; sed venialis quædam irreuerentia. Vel si admittis paruitatem materiæ in blasphemia, erit hæc materia leuis. Sic ille, citans Villalobos, apud Dianam, *par.*5. *tract.*5. *resol.*3. cuius verba habes suprà *q.*13.

Sed probabiliùs Respond. verè non esse blasphemum, sed sacrigum, seu irreligiosum. Vnde & poterit huiosmodi peccare grauiter, vel leuiter, contra reuerentiam Deo, & Sacræ Scripturæ debitam, iuxta sententiam Tamburin. Sic Trullench *cap.*12. *cit. dub.*1. *n.*10. his verbis: Non committitur blasphemia, sed sacrilegium vtendo verbis Sacræ Scripturæ ad prophanos libellos, & ad res ludricas: *Como a farzas, pasquines, adulaciones, detracciones, supersticiones, incantaciones, diuinaciones, fuertes, y libellos famosos, ò si en el officio almino mezola cantares profanos.* Nam fit iniuria rebus sacris: nisi fortè tantus sit abusus, vt auctoritati, & veritati illorum verborum

rum derogari videatur: tunc enim esset blasphemia; quia contumelia trãsiret in auctoritatem eorum verborum. Sic ille.

QVÆSTIO XLV.

An verba contra Deum, in ebrietate, vel phrenesi, vel ex inaduertentia, orta, ex inueterata consuetudine blasphemandi, sint blasphemiæ?

RESp. ex dictis *quæst.* 17. & 18. non esse blasphemias. Quia malitia blasphemiæ, sicut & periurij, ac hæresis, requirit procedere ab homine, qui actu plenè, ac simpliciter ratione vtatur. Neque enim quis contumelia rationabiliter afficitur ex conuitio dicto à psyttaco. Sic ex Vasquio 1.2. *disp.* 127. *cap.* 3. & Luysio Turrian. *in* 2.2. *disp.* 58. *dub.* 2. *vers. solum remanet*, docet Layman. *tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 2. & 3. Tamburinus *lib.* 2. *in Decal. cap.* 6. §. 4. *n.* 17. & antea *in opusc. methodi Confessar. lib.* 2. *cap.* 3. §. 3. *n.* 25. vbi sic ait. Vnum nota: aliquando actus huiusmodi inaduertenter factos, non retinere, ne malitiam quidem materialem, seu quam vocant obiectiuam: & tunc, nec ipse actus, nec consuetudo est peccatum, adeóque nec confessioni subdendum. Talis communiter reputatur contumelia in ebrietate alicui facta ab ebrio. Cum enim contumelia ab ebrio, hoc est, ab experte rationis facta non sit, ne materialiter quidem contumelia (debet enim contumelia essentialiter esse per verba vtentis ratione, non autem sicut à psyttaco) in se non erit peccatum: & neque in causa: quia nunquam talis causa, ideſt, ebrietas, causabit verba vtentis ratione. Vnde ne materialiter quidem contumeliam causabit. Eodem modo dicendum esse docent aliqui de blasphemia, hæresi, & suprà dicto iuramento: quod, scilicet, essentialiter requirant esse ab vtente ratione, & consequenter ea inaduertenter facta, neque in se, neque in causa, esse peccata adeóque, nec necessario cõfitenda. Sic Tamburinus ibi ex Sancio *in selectis disp.* 20. *à n.* 2. & satis probabiliter. Legantur dicta à nobis *q.* 17. & 18. & Lupus *in edict. S. Inquisit. p.* 4. *lib.* 23. *diff.* 3. & penes ipsum, Suarez, Sanchez, & alij.

QVÆSTIO XLVI.

An, quando aliqua externa verba, quæ non clarè, sed dubiè, ex se videntur continere Dei contumeliam; sint censenda continere: & esse consequẽter blasphemia?

RESpondeo ex dictis suprà *quæst.* 42. Non esse censenda eam continere. Quia quoties aliqua verba possunt accipi pro blasphemia, & pro non blasphemia, debent profecto pro non blasphemia accipi: Nam verba in dubio, nunquam sunt accipienda, vt sonent delictum: nunquam enim præsumitur delictum, nisi de ipso clarè constet. Sic Tamburinus *lib.* 2. *in Decal. cap.* 6. §. 4. *n.* 19. & antea Bonac. *de primo præcep. Decal. disp.* 3. *q.* 8. *punct.* 2. *n.* 12. & & penes ipsum, Corneus, Alexand. & Lazarius, Castro Palaus *disp.* 2. *punct.* 2. §. 3. *n.* 6. *vers. De illis verbis.* vbi expresè ait, quod in casu dubio, non est facienda interpretatio inferens delictum, sed potius ab illo excusans.

QVÆSTIO XLVII.

An iuramentum falsum vel iniustum, eo ipso quod tale sit, sit blasphemum?

AFfirmat, licet timidè; & non resolutoriè, Palaus *loc. cit. n.* 9. ductus hac ratione. Quia, qui falsò iurat, Deum testem, confirmatorem falsi facit, & qui iurat contra iustitiam, Deum proponit assecuratorẽ iniustitiæ: ergo illis verbis, Deo tribuitur, quod nulla ratione conuenire potest: ergo sunt blasphema. Si enim claris verbis diceres: *Firmet Deus suo testimonio hanc falsitatem, vel iniustitiam*, blasphemus esses: sed eundem sensum habent falsa, & iniusta iuramenta: ergo sunt blasphema. Hæc Palaus, qui tandem hoc dubium lectori decidendum relinquit.

Sed omninò Respondeo tale iuramentum, minimè esse blasphemum. Quia, quamuis peierans falsò adducat Deum, vt testem, qua ratione peccat grauissimè; non tamen ideò blasphemus est, quia nihil demit, aut addit Deo in conuitium. Nec sic iurans petit (sicuti putat Palaus) vt Deus firmet falsitatem, seu iniustitiam: sed solum cum temeritate profert enunciatiuè, illud falsum à Deo confirmari, non autem optatiuè. Sic Tamburinum *loco cit. sub num.* 16. & antea D. Thom. 2.2. *q.* 13. *art.* 3. *ad* 2. & Sanchez *cap.* 32. *cit. n.* 33. vbi clariùs docet, per hæc verba: Peierans non dicit aliquid falsum de Deo, sed Deum adhibet in testem falsitatis; non quasi æstimans Deum posse falsitatis testem esse; aut id attribuere ei volens, sed tanquam sperans fore, vt Deus super hoc testificetur per aliquod euidens signum. Hæc ille, omninò ex S. Thoma.

QVÆSTIO XLVIII.

An sit blasphemia dicere: Per Corpus Dei Patris: *aut*, Per eius barbam: *aut*, Per alas Spiritus Sancti?

RESpondeo tanquam certum: Esse blasphemiam, & hæreticalem. Quia hæc verba sunt contumelioſa; & significant hæresim: verum est, quod si dicta verba sumantur pro corpore depictæ imaginis earum diuinarum personarum, tunc erunt blasphemia simplex. Sic Petr. Hurtado *in* 2.2. *disp.* 91. *sect.* 8. §. 40. Legatur Caramuel *in Theolog. fundam. fund.* 50. *num.* 1383.

QVÆSTIO XLIX.

An, qui eodem iracundiæ impetu, vnico continuato actu, seu sermone, plures blasphemias in Deum, vel in aliquem Sanctum, profert, vnum tantùm peccatum committat?

NEgat Bonacina relatus à nobis 1. *p. tract.* 5. *disp.* 8. §. 3. *q.* 9. Docet enim, quod ille, qui vnico iracundiæ impetu, absque morali interruptione temporis profert in alium, multa verba continentia vnam speciem iniuriam; vt si decies appellet ebriũ, vel furem, tunc non vnũ, sed plura peccata committere. Ita ille. *disp.* 5. *de Sacr. q.* 5. *sect.* 2. *p.* 2. §. 3. *diff.* 2. *n.* 17.

Sed probabiliùs Respondeo vnum tantum blasphemiæ peccatum committere. Quia totum hoc fit

vnico actu morali, sic expresse diximus *loco cit.* ex Nauarro, Fagundez, Sancio, Diana, Hurtado, & Castro Palao. Quibus nunc addo Trullench. *lib. 2. in Decal. cap.12. dub.1. sub num.* 4. ita dicens: Si quis continuato sermone multa maledicta in Deum, vel in aliquem sanctum coniicit, vnum tantum peccatum numero committit, quia moraliter censetur vnus numero actus, & omnia maledicta sunt partes vnius continuati sermonis. Sicque si quis alterum semel & iterum pugno percuteret, aut virgis occideret, absque temporis interuallo, vnum numero tantum peccatum patraret. Azor *tom.1.lib.4.cap.4.q.5. & lib. 9. cap. 28. q. 15. &c.* Huc vsque Trullench. Vide de hac materia, sapientissimum & amicissimum Amadeum Guimenium *tract.de pœnit.propos. 7.pag.mihi* 264.

QVÆSTIO L.

An saltem committat diuersa peccata, qui in Deum, vel in aliquem sanctum, vno actu continuato plures blasphemias diuersi generis profert?

AFfirmant tunc plura peccata committere Nauar. Henriquez, Sotus, Molfesius Yribarne, Megala, & alij adducti à nobis *1. p. tract. 5. disp.* 8. §. *3. q.* 10.

Sed ego iterum probabiliùs Respondeo non committere nisi vnum peccatum. Quia probabilius est, omnes dictas blasphemias esse eiusdem speciei, eo quod omnes in prædicto casu, ab vna ratione specifica formali accipiant suam malitiam: vt probauimus *loco cit.* Sic sentiunt Diana *1.p.tract.7. resol.* 28 Caiet. Sà, Molina, Azor, Reginald. & alij ibidem citati: sic etiam Fagundez *lib.2.in Decalog. cap. 3.n.* 24. ibi: & hoc intelligendum est, etiam si blasphemiæ diuersi generis sunt, & non sint vna, & eadem sæpius repetita: nam etiamsi diuersi generis sint, tamen ratione temporis, & vnius impetus, quo dicuntur, vniuntur, & vna censentur. Sic ille.

QVÆSTIO LI.

An saltem plura peccata committat, qui vnico impetu, erga plures Sanctos, plures profert blasphemias?

AFfirmant, & à fortiori Bonac. *loco q.49.citato.* Necnon Yribarne, Vasquez, Filliuc. Azorius, Molfes. Trullench. Nauar. Vgolin. Durand. Fagundez, Megala, & alij citati à nobis *1. p. tract. 5. disp.* 8. §. *3. q.* 21. *&* 24.

Sed iterum probabiliùs Respondeo non plura, adhuc, sed vnicum tantum peccatum committere. Sic Authores citati, locis citatis. Et constat. Quia (vt ibi *q.* 20. habitum est,) qui vnico ictu, & impetu decem occidit homines, non decem, sed vnicum in specie peccatum committit. Deinde qui vnico impetu tres occidit Clericos, non tres excommunicationes, aut tres irregularitates, sed vnam solum incurrit, vt ibi *q.* 22. diximus cum multis: ergo idem similiter debemus consequenter in præsenti dicere.

QVÆSTIO LII.

An, qui maledicit diabolo, peccet mortaliter?

REspondeo quod non. Quia nunquam maledicitur, vt creatura Dei est, aut vt dicit relationem ad Deum: sed semper maledicitur, vt author malorum, & vt est Dei inimicus; quo pacto, abstrahendo ab impatientiæ impetu, nec veniale quidem est. Sic Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap.6.§.4.n.11.*

QVÆSTIO LIII.

An saltem, maledicere hominibus, optando eis malum; v.g. Possit crepare, occidi, &c. sit mortale?

REspondeo tanquam quid certum, dicendum; *Primò.* Quod si quis maledicat alicui homini, vt est creatura Dei aut vt aliquid eius; tunc mortaliter peccet peccato blasphemiæ. Quia videtur imprecari malum Deo, in rebus ab eo factis, vt docent Lessius, Toletus, Filliuc. quos sequitur Bonacina *de 1. Decal.præc.disp.3.q.8.punct.3.n.4.* Tamburin. *loc.cit.* & omnes.

Respondeo *secundò*, si quis maledicit homini, non vt est aliquid Dei, sed sine relatione ad ipsum; tunc, licet non peccet mortaliter peccato blasphemiæ propriè dictæ; peccat tamen mortaliter, contra charitatem, qua debemus proximum diligere; dummodo deliberatè optet, quod illi veniat malum aliquod graue, quod imprecatur. Sic Authores citati.

Respondeo, *tertiò.* Quando communiter maledicuntur homines, & imprecantur eis aliquod graue malum, regulariter non peccatum, nisi venialiter. Quia regulariter loquendo, nec maledicuntur, vt aliquid sunt Dei, nec desideratur deliberatè vt illis eueniat illud malum. Sic Tamburinus loco citato, qui ad rem optimè introducit Escobarem sic loquentem: Assoles interdum in amicos indignari, vt filios, famulos, vicinos; interdum inimicos. Cum ex inimicitiæ affectu maledicta prodeunt, plerumque cum plena intentione feruntur: cum autem in amicos, rarissime ex intentione oriuntur, sed solum ex perturbatione, ebrietate, &c. Vnde lethalia peccata non erunt. Si interrogeris mox post prolationem maledicti, num intendas filium, aut famulum à diabolo arripi? Respondebis: minime planè. Fateor quosdam tam immoderata passione perturbari solere, vt etiam illo istanti, vel filios intendant deperire: id quod prudentiæ Confessarij ex diligenti examine relinquo. Hæc Escobar, legatur etiam Bonacina loco citato.

QVÆSTIO LIV.

An, qui imprecantur mortem filiis, ne in futurum delinquant, vel quid turpe faciant; peccent mortaliter?

REspondeo, non peccare mortaliter. Quia hæc imprecatio oritur ex motiuo licito. Sic Bonacina *loc. cit. num. 6.* citans Nauarrum, Caietanum, Lessium,

Lessium, & Reginaldum. sed hi Authores non loquuntur de assignato casu, legantur pro sequentibus.

QVÆSTIO LV.

An, Maledicere creaturis irrationabilibus, secundum se, & propter ipsas, sit mortale?

REspondeo vt certum *primò*, quod non. Quia creaturas irrationales (abstrahendo à proximi damno) possumus occidere, absque peccato: ergo etiam possumus illis, absque peccato mortali, maledicere. Sic Azor. *p. 3. lib. 13. cap. 10.* Trullench. *lib. 8. in Decal. cap. 8 dub. 7.* Basseus *tom. 2. v. maledictio, num. 1.* & alij.

Respondeo *secundò*, si creaturæ irrationales considerentur, non secundum se, sed vt sunt bona nostri proximi; tunc erit mortale illis maledicere, sicuti est, maledicere homini, cuius bona sunt. Sic Bonac. *loc. cit. n. 5.* Tamburinus *n. 13.* his verbis: si maledicuntur animalia, arbores, &c. si hæ res sint proximi, & ex odio ipsius hoc dicatur, & cum animo, vt verè pereant illæ res, est similiter peccatum odij contra proximum: id quod tamen rarò solet communiter euenire; & solum in casu, quo, vt offendas Dominum, eius rebus malum deprecaris. Quod si res illæ nostræ sint, tametsi ex animo desideraretur, vt eueniat eis malum, solùm erit veniale, quia odium est, circa res nostri dominij. Sic ille.

QVÆSTIO LVI.

An, quando quis maledicit diei, horæ, loco, ventis, pluuiis, &c. peccet mortaliter?

REspondeo *primò*. Si hæc omnia maledicantur, quatenus illis Deus, vt mediis vtitur ad nos puniendos, tunc mortale esse, illis maledicere: quia indignatio esset contra Deum; secùs aliàs. Sic Tamburinus mox citandus.

Respondeo, *secundò*: si quis maledicat diei, aut horæ, &c. quatenus illi fuit occasio peccati, vel magnarum calamitatum, tunc nedum venialiter peccabit per se. Constat, nam hac de causa maledixit Iob diei natiuitatis suæ: & Dauid montibus Gelboë: secus esset si molestia esset parua, quia hæc non est iusta causa maledicendi: quomodo aurigæ maledicunt interdum suis equis; & nauta ventis. Verùm ordinariè non est nisi peccatum veniale, vt docent Caiet. *2. 2. q. 13. art. 1.* & Nauar. *cap. 12. n. 86.* ex illis sic omninò Lessius *lib. 2. cap. 45. dubit. 5. num. 30.*

Respondeo *tertiò*. Si maledictio redundet in aliquem, veluti in parentes, vt quando dicitur: maledicta hora, aut dies, qua parentes me genuerunt, & ediderunt: tunc verè erit mortalis talis maledictio, contra pietatem, aut obseruantiam, si desideraretur illis aliquod graue malum: venialis verò, si leue. Sic Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 4. num. 14.*

§. III.

De blasphemia, quoad absolutionem, & reseruationem, & punitionem.

QVÆSTIO LVII.

An blasphemiæ hæreticales, solùm possint puniri à Dominis Inquisitoribus?

NEgant aliqui, apud Acacium March. de Velasco, *1. tom. sum. v. blasphemia, resol. 122. n. 1.* Vbi ita ait: Acerca de lo primero se ha de aduertir que aunque muchos Dotores son de parecer qué quando la blasfemia es heretical, pueden conocer della, no solamente los Inquisidores, sino tambien el juez Eccleſiastico y secular; como dicen Azor. *tom. 1. lib. 9.* Corduba *lib. 1. qq. q. 12. §. 15. not. 4.* Castro *de iusta hæret. punit. lib. 1. cap. 12.* & Diana *4. p. tract. 7. resol. 8.* y otros. Con todo la mas recebida, y comun opiniones, que como la blasfemia sea heretical solo pertenece alos Inquisidores el conocer della, y no a otro Iuez: ita Accacius.

Sed Respondeo vt certum: solùm posse puniri, & cognosci ab illis, ab eorumque Tribunal. Ratio est: quia blasphemia hæreticalis, est propositio hæretica formaliter, vel virtualiter: at sic est, quod propositio hæretica solùm spectat ad Tribunal DD. Inquisitorum: ergo & blasphemia hæreticalis. Sic Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 32. n. 37.* & penes ipsum, Eymericus, Peña, & Simancas, docentes de dictis blasphemiis cognoscere dictos Inquisitores, priuatiuè, ideſt, inhibēdo quemcumque alium Iudicem Ecclesiasticum, aut sæcularem, ne de illis cognoscat. Azor. *lib. 9. cap. 28. q. 5.* Farinac. *praxi, q. 20. n. 39.* Salzedo, & Barbosa, quos sequitur Palaus *disp. 2. pun. 2. §. 4. n. 5.* Fagundez *lib. 2. cap. 3. num. 27.* Petr. Hurtad. *2. 2. disp. 91. sect. 7. §. 23.* Trullench. *lib. 1. in Decal. cap. 12. dub. 3. n. 1.* & alij. Nec Azor, aut Diana citati ab Acacio pro opposita parte illam tuentur, potius Diana illam dicit falsam, & Azor citatur à à Palao pro hac parte, vt vidimus, & melius certè. Imo Acacius postea citat Dianam pro hac parte.

QVÆSTIO LVIII.

An etiam de blasphemiis non hæreticalibus, possint cognoscere Domini Inquisitores, easque punire?

AFfirmant aliqui, dicentes; posse de illis cognoscere cumulatiuè cum Iudice Ecclesiastico, & sæculari, itavt inter ipsos detur præuentioni locus: & hoc illos posse, vel ex potestate delegata, vel ex regni consuetudine. Ita Castro *lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 12. fine.* & Corduba *in quæst. lib. 1. q. 17. §. 15. notab. 4. vers. in cuius examinatione.* & Sanctarellus, *tract. de blasphemia, cap. 8. d. 1. n. 1.*

Sed multo probabiliùs Respondeo non posse dictos Dominos Inquisitores de blasphemiis non hæreticalibus cognoscere; sed solum vtrosque Iudices, Ecclesiasticos, vel sæculares; nam sunt mixti fori, & ita datur locus præuentioni inter illos ad cognoscendum de dictis criminibus. Sic per *cap. 2. de maledicis*, docent Abbas *ibi num. 9.* Couarru. *de pactis*

1.p.§.7.n.12. verſ. Crimen autem. & penes illum, Bart. Socin. *conſil.* 119. *lib.* 4. Simancas *de catholic. inſtit.tit.*8. *n.*6. Rojas *de hæret.part.*2.*aſſert.*12. *n.*171.*&* 172.Azor. *tom.*1.*lib.*9.*cap.*28. *q.* 5. quos citat & ſequitur Sanchez *num.*37. *citato.* Fagundez *lib.*2.*in Decal.cap.*3.*n.*27. Barboſa *de offic.& poteſt. Epiſcopi tom.*1. *allegat.*11.*à num.*6. & 3. *p. allegat.* 50. *n.* 93.*&* 94. Trullench. *num.* 1. *cit.* Petr. Hurtad. §. 27. Vbi malè affert pro hac parte Alfonſum de Caſtro. Palaus *n.*5.*cit.*his verbis : Si blaſphemia non ſit hæreticalis, eius iudex eſt Epiſcopus, tam clericorum, quàm laicorum. Laicorum autem, eſt etiam ſæcularis iudex, inter quem, & Epiſcopum, datur præuentio. Sic ille & omnes communiter.

QVÆSTIO LIX.

An, ſi vnus iudex procedat, & pœnam blaſphemo non hæreticali adæquatam imponat; poſſit nihilominus alius iudex procedere?

REſpondeo vt certum: Quod non, ſi primus iudex pœnam poſuit adæquatam delicto: bene tamen ſi inadæquatam; quia tunc poteſt ſecundus procedere, & condignam pœnam ponere. Quia in delictis mixti fori hæc praxis communis eſt. Ita Farinac. Couarru. Peña, Barboſa, Bouadilla, Salzedo, & alij, quos citat & ſequitur Palaus *tom.*3.*tract.*17.*diſp.* 2. *punct.*2.§.4.*n.*6. Qui benè aduertit, quod, cum pœnæ ex circunſtantiis occurrentibus, tum perſonæ, tum delicti, ſæpe minuantur, rarò poſſit iudex ſæcularis cauſam ab Eccleſiaſtico deciſam, vel è contra, Eccleſiaſticus cauſam à ſæculari deciſam aſſumere iudicandam, prætextu, quod rectè iudicata non fuerit, neque condigno pœna pro delicto impoſita: quia ſemper præſumendum eſt, rectè fuiſſe iudicatum. Et in caſu dubio, iudici decidenti litem ſtandum eſt. Neque alius contrarium declarare poterit; aliàs non ſolum iudex erit delinquentis, ſed & iudicis. Sic ille. Ex Barboſa 3.*p.de poteſt.Epiſcopi, alleg.* 50. *n.*95. Sic etiam Trullench.*lib.*1.*in Decal.cap.*12. *dub.*3.*n.*2.*in fine.*

QVÆSTIO LX.

An olim in lege veteri, pœna mortis afficerentur blaſphemi?

REſpondeo quod ſic. Sic namque habetur Leuit. 24. *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit.* Sic Sacer textus. Adeò hoc peccatum eſt immane, atrox, & deteſtabile. Vnde Sacræ literæ, cum de blaſphemia ſermo incidit, benedictionis nomine vtuntur, per antiphaſim, ſignificantes maledictionem. Sic 3. *Reg.* 21. Impia Iezabel de Naboth loquens, calumniando dixit: *Benedixit Deo, & Regi. Iob.* 1. *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Et *cap.* 2. *Benedic Deo, & morere.* Sic omninò Azor.*tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæſt.* 6. & omnes.

QVÆSTIO LXI.

An etiam in lege noua, blaſphemi, vltimis ſuppliciis, ideſt, pœna capitis, ſeu mortis puniantur?

REſpondeo, puniri tali pœna, iure ciuili, blaſphemantes ex conſuetudine. Sic habetur *in Authent.vt non luxurientur homines.* Vbi Pius Imperator conſtituit legem, qua præcipit, vt blaſphemi vltimis ſuppliciis puniantur. *Propter talia* (inquit Imperator) *delicta, fames, & terræ motus, & peſtes eueniunt.* Verum tamen eſt, quod iam hæc pœna mortis, lata per Imperiales leges conſuetudine recepta, abrogata, & ſublata eſt: vt docent communiter Doctores. Legantur Iulius Clarus *lib.*5.*ſententi.in practica. verbo blaſphemia, n.* 3. Menochius *de arbitrar. caſu* 375. *n.* 25.*&* 26. Couarru. *in cap. quamuis pactum, de pactis* 1.*p.*§.7.*n.* 10. Azor.*loco citato*, Caſtro Palao, *diſp.* 2. *punct.* 2. §. 5. *numer.* 1.

QVÆSTIO LXII.

An etiam iure canonico ſtatuta fuerit pœna mortis blaſphemantibus in Deum?

REſpondeo vt certum: Quod non fuerit illis ſtatuta pœna mortis: ſed variæ aliæ pœnæ. Nam in primis, *in cap. Sancimus. de maledicis*, ſancitum eſt, vt ſi quis laicus contra Deum, vel aliquem Sanctorum ſuorum, & maximè Beatam Virginem, linguam in blaſphemiam publicè relaxare præſumpſerit, per Epiſcopum ſuum pœnis debitis ſubiiciatur. Videlicet, vt ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ palam, dum aguntur Miſſarum ſolemnia exiſtat. Et vltimo die Dominico pallium, & calceamenta non habeat, ligatus corrigiam circa collum: & ſextis quibuſque feriis, intra illud tempus contentis, in pane, & aqua ieiunet, arceaturque ab Eccleſiæ ingreſſu: & tres ſi poterit, alioqui, duos pauperes, aut vnum reficiat illis diebus. Hæc ibi. Quam pœnam ſolùm laïcis, non Clericis, imponi debere, teſtatuntur communiter Doctores.

Deinde Clericis blaſphemis, *in cap. ſi quis per capillum* 22. *q.*1. ſtatuitur pœna depoſitionis ab Ordine Eccleſiaſtico, & honore. Et pro Clericis, & laïcis, in Concil. Lateranen. ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *cap. Ad abolendam.* Et in conſtit. Iulij III. quæ incipit: *In multis depranatis*: Et in alia conſtitut. Pij V. incipiente: *Cum primùm Apoſtolatui.* Variæ aliæ pœnæ deſignantur. Sed quia huiuſmodi conſtitutiones vſu non ſunt receptæ, vt teſtatur Suarez *lib.* 1.*cap.*7.*n.*3. ideo pœnas pro blaſphemis ab illis latas, non refero. Legatur Azor, vbi de his latè agit. Nam quoad praxim ſpectat, in punitione huius criminis ſpectandæ ſunt conſtitutiones, & ſtatuta ciuitatum, & maximè conſuetudo recepta, & ſecundum eam iudicandum, vt aduertit Palaus §. 5. *citato, numer.* 1.

QVÆSTIO LXIII.

An de facto, & communiter puniantur blasphemi, aliquibus determinatis pœnis?

REspondeo quod sic. Nam, vt refert Petr. Hurtadus, blasphemus hæreticalis his subiicitur pœnis. Si homo ignobilis sit, producitur galero papyraceo, seu mitra infami, apud nostros; *Coroza*, collum ligatus fune, lingua ligata palo: sine pallio, nudis pedibus, flagellatus tandem mittitur in exilium. Si verò blasphemus sit nobilis, licèt blasphemia sit atrox; nec vapulat, nec mitratus producitur, nec exulat; sed certo tempore concluditur in Monasterium; interdum compulsus abiurare hæresim. Ob minus graues blasphemias solent homines produci die festo ad sacrum audiendum, stantes, sine pallio, sine calceis, & tibialibus, fune succincti tenent manu cereum ardentem; deinde audita sententia mulctantur pecunia. Hæc Hurtadus 2. 2. *disp.* 91. *sect.* 7. §. 33. ex Peña, Rojas, & Simancas.

QVÆSTIO LXIV.

An blasphemus condemnatus pro tali, repellendus sit à testimonio dicendo, tanquam infamis?

NEgat Castro Palaus *disp.* 2. *punct.* 2. §. 5. *n.* 6. Quia talis blasphemus post condemnationem criminis, nec est infamis infamia iuris, neque facti, vt tradunt Baldus *consil.* 152. *lib.* 1. *col.* 1. Quem sequitur Aymon Sauillia. *consil.* 6. *col.* 2. ergo non debet repelli à testificando aliquid; ita ille. Qui tamen addit, dicti blasphemi testimonium, non esse vndequaque firmum, sed aliquantulum diminutum ex delicto facto, tametsi castigato.

Sed ego clariùs Respondeo, *Primò*: Blasphemum repellendum esse à testimonio dicendo, in omnibus causis, quæ exigunt testes omni exceptione maiores; modo ille fuerit, semel saltem, etiam pœna pecuniaria pro hoc crimine damnatus. Ratio est, quia (ait Couarruuias) etiamsi verum sit, blasphemum infamen non esse, infamia quidem iuris: attamen ipse censeo, post vnicam huius criminis condemnationem, non esse hunc idoneum testem, in his causis, quæ requirunt testes omni exceptione maiores. Quod probatur ex cap. *licet causam, de probationib.* Vbi in causa ardua non admittitur testis, cuius fides aliqua ex parte diluitur. Nec negare possumus, blasphemum post condemnationem esse infamem, saltem infamia facti: atque ideo non est omnino testis idoneus. Huc vsque Couarruuias. Et ego confirmo id: quia (vt concedit etiam Palaus) testis omni exceptione maior, est ille, cui nihil obiici potest, quod suspicionem ingerat falsitatis: at blasphemo obiici potest blasphemiæ crimen: ergo nequit censeri testis omni exceptione maior. Legatur Couarru. *in cap. quamuis pactum, de pactis* 1. *p.* §. 7. *num.* 12. *vers. His equidem.* & in *Epitome ad* 4. *lib. Decretal.* §. *vltimo, num.* 7. & 8. Vbi alios Doctores citat.

Respondeo *Secundò*. Blasphemus non est repellendus à testimonio dicendo, in aliis causis, quæ non exigunt testes omni exceptione maiores, & id probat solum Palaus. Legatur attentè propter defectum, ni fallor, impressionis, in qua aliqua verba fuerunt omissa.

QVÆSTIO LXV.

An, qui consuetudinem blasphemandi habet, teneatur illam sub mortali extirpare?

REspondeo vt certum: teneri (vt constat ex dictis supra) etiam casu quo blasphemus blasphemias omnino indeliberatè pronunciet. Quia licet huiusmodi, sic prolatæ blasphemiæ, à culpa mortali vacent, eo quod non sint simpliciter voluntariæ; attamen vt actu in se, & materialiter sunt Deo iniuriosæ, & aliis scandalosæ, quod sufficit, vt teneatur illas vitare. Sic Palaus, *disp.* 2. *pun.* 2. §. 4. *n.* 1. & alij Doctores à nobis supra citati.

QVÆSTIO LXVI.

An, blasphemuus possit absolui à Confessore, absque imposita ab ipso pœnitentia grauissima?

NEgant multi; eo quod Concil. Lateranense *sess.* 9. §. *Ad abolendam.* Absolutè præcipit, ne absoluatur vllus blasphemus, nisi imposita pœnitentia grauissima, his verbis: *in foro pœnitentiæ, nemo blasphemiæ reus absque grauissima, seueri Confessoris arbitrio, iniuncta pœnitentia absolui possit.* Ita Concilium; & ideò, ita tenent Nauarrus *cap.* 12. *n.* 83. Ludou. Lopez 1. *p. instructor. cap.* 5. Petr. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9 *fine.*

Sed probabiliùs Respondeo posse absolui absque grauissima imposita pœnitentia Quia probabilius est, præfatum dicti Concilij decretum, non esse vsu receptum; & ideo hodie non obligare. Sic Armilla *verb. blasphemia. fine.* Sà *ibi, num.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 9. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 32. *num.* 44. Petr. Hurtad. 2. 2. *disp.* 91. *sect.* 12. §. 61. Palaus *disp.* 2. *punct.* 2. §. 4. *n.* 2. *fine.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 45. *dubit.* 5. *in fine.* Acacius *v. Blasphemia resol.* 123. *numer.* 2.

QVÆSTIO LXVII.

An, qui consuetudinem habet blasphemandi, sit arcendus ab absolutione sacramentali; vel ei hæc differenda?

AFfirmant esse ab absolutione arcendum, donec à sua praua blasphemãdi consuetudine emendetur, Petr. de Ledesma, & Lopez *locis citatis*: necnon Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 21. (apud Sanchez, apud me §. 5.) & alij.

Sed probabiliùs Respondeo, non esse arcendum ab absolutione sacramentali (licet possit Confessarius eam illi differre, casu, quo ad salutem pœnitentis conueniat) si verè de peccatis doleat; tametsi aliis vicibus monitus, emẽdatus non fuerit. Quia nulla occasione extrinseca tenetur, quam debeat expellere. Sic Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 32. *n.* 45. Castro Palaus *disp.* 2. *punct.* 2. §. 4. *n.* 2. Hurtado de Mendoza 2. 2. *disp.* 91. *sect.* 12. §. 61. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 12. *dub.* 3. *n.* 2. Nec non Henriquez, Suarez,

rez, Reginald. Granad. & Lugo, quod in simili, loquendo de illo, qui habet consuetudinem iurandi, aut peierandi, citauimus *1.p.tract.5.disp.7.q.49.*

QVÆSTIO LXVIII.

An, audiens blasphemantem, teneatur eum grauiter increpare, etiamsi nulla spes emendæ adsit?

AFfirmant quidam Doctores, eo quod Concilium Lateran. *sess.9.§. Ad abolendam*, id videatur præcipere, his verbis: *Quicumque blasphemantem audierint, eum acriter verbis obiurgare teneantur; si citra periculum suum id fieri posse contingat.* Sic Concilium. Nunc illi. Ad obiurgandum blasphemum, solum petit Concilium, vt obiurgans, citra periculum suum id facere possit: ergo non petit, vt credat delinquentem emendandum esse: ergo absque spe emendationis debet adhiberi. Ita tenent Nauar. *in sum. cap. 12. n. 83.* Petr. de Ledesma *2. tom. sum. tract. 1. cap. 9. in fine.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 45. dubit. 5. in fine.* & Ludouic. Lopez *1. part. instruct. cap 51.* paulò post princip. Quos omnes pro hac parte refert Palaus, vbi infra. Et bene. Sed non notat, quod adiicit Lessius, nempe, quod in hoc casu, prudentia opus sit: Et plerumque sufficiat rei grauitatem, absque alia verborum asperitate, ob oculos ponere.

Sed probabiliùs Respondeo, dicendum, quod minimè teneatur audiens blasphemantem eum acriter obiurgare, increpare, & reprehendere. Siue sit, siue non spes emendæ. Quia, licet id præcipiat Concilium Lateranense, ferens nouam legem distinctam à lege diuina de correctione fraterna (hæc enim non est acris obiurgatio, seu reprehensio, sed suauis admonitio) ea tamen lex & præceptum iam non obligat, eo quod consuetudine, iam sit abrogatum. Quare solùm obligatur audiens ad fraternè corrigendum, præcepto naturali, & diuino, quando speratur emenda, & concurrentibus aliis circunstantiis, explicatis à nobis *part. 6. tract. de correct. fraterna.* Sic Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 7.* (quamuis hic Author credat Concilium Lateranense, noluisse cõstituere præceptum nouum distinctum ab illo de correctione) Sanchez *loc. cit. num. 46.* Palaus *n. 3.* Petr. Hurtado §. 62. Bonac. *disp. 3. de primo Decalogi præcep. q. 8. punct. 1. versu, Addo.*

QVÆSTIO LXIX.

An audientes blasphemum, teneantur ad denunciandum illum Iudici?

REspondeo tanquam certum, teneri. Quia sic habetur in supra dicto decreto Concilij Lateran. Et id etiam cautum est à Iulio III. *in Constitut.* quæ incipit: *In multis.* In qua mandatur, vt publicè blasphemans accusetur apud legitimum iudicem, ab auditoribus omnibus intra triduum; nisi vnus pro omnibus constituatur accusator: alioquin pœnis blasphemi subdantur. Sic omnes. Legantur Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 8.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 32. n. 47.* Petr. Hurtado *2. 2. disp. 91. sect. 12. §. 63.* Palaus *disp. 2. punct. 2. §. 4. numer. 4.* & alij. Sed quibus iudicibus hæc denunciatio est facienda, iam dico.

QVÆSTIO LXX.

An qui blasphemias hæreticales pronunciant, denunciandi sint Inquisitoribus: Qui vero non hæreticales, Episcopis, vel aliis iudicibus?

REspondeo vt certum, quod sic. Quia illis est facienda denunciatio, qui in hoc crimine procedere possunt: atqui de blasphemia hæreticali, solum cognoscere possunt Inquisitores hæreticæ prauitatis: ergo de tali blasphemia illis solum est deuunciandum. Deinde de aliis blasphemiis, quæ non sunt hæreticales solùm cognoscunt Episcopi, aut Iudex secularis, iuxta dicta supra *quæst. 57. & 58.* ergo. Sic omnes Doctores præcipuè ibi citati. Legatur Petr. Hurtado *disp. 91. sect. vltima §. 63.* Vbi benè aduertit, quod cum Episcopi præcipiunt, vt apud ipsos accusentur blasphemi, non obligant ad eorum tribunal in singulari: quia eorum edictum non adimit iurisdictionem laico tribunali; obligant autem ad deferendum crimen ad tribunal legitimum. Idem dico de Prætore, cum obligat, vt apud ipsum exponatur blasphemus. Legatur Sanchez *numer. 47. citato.*

QVÆSTIO LXXI.

An, blasphemi, præcipuè hæreticales, debeant; ante denunciationem, fraternè corripi, si spes sit emendæ?

NEgant aliqui Doctores, dicentes non esse præmittendam correctionem, ante denunciationem, etiam casu quo blasphemia sit occulta; seu secreta, & speretur fore, vt blasphemus fraternè correctus emendetur. Quia putant, quod illa denunciatio, non præcipitur ob criminis emendam; sed ad eius punitionem, & in pœnam sceleris. Ita Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 8.* & Ioan. Sancius *in selectis disp. 11. num. 56.* loquendo de simili crimine.

Alij contrà affirmant præmittendam esse correctionem fraternam ante denunciationem. Quia speciale est in crimine hæresis, vt ob magnum eius periculum, & difficillimam hæretici correctionem, sit statim denunciandum, nulla correctione præmissa. Sic Bonac. *disp. 3. de primo Decal. præcep. q. 8. punct. 1. n. 5. vers. Addo.* Palaus *disp. 2. punct. 2. §. 4. num. 4.* Qui & citat Sanchez *num. 47.* sed hic Author, non ita indistinctè loquitur. Vnde.

Ego clariùs Respondeo, *Primò.* certum est, quod si blasphemiæ crimen est publicum, non sit præmittenda correctio, ante denunciationem. Nam Edictum S. Inquisitionis, ad minus de denunciatione publici blasphemi debet intelligi. In hac responsione conueniunt omnes DD. præcipuè Sanchez *c. 32. n. 47. cit.* ibi: Quare prædicta decreta, & edicta, intelliguntur, seruato ordine Euangelico, nempe, vt si blasphemia sit publica, aut si secreta, desperetur fore, vt correctio profit, statim denuncietur. Si verò occulta sit ac spes subsit, vt correctio fraterna profit, illa præmittatur. Sic ille, citans pro se Medinam, Manuelem, & Ludou. Lopez.

Respondeo, *Secundò.* Quando crimen blasphemiæ

miæ est occultum, aut secretum, & speratur, quod correctio prosit, tunc probabilius est præmittendam correctionem esse: (secùs casu, quo desperetur, vt correctio prosit). Ratio sit: quia hæc denunciatio criminis occulti intelligenda est, seruato ordine Euangelico. Sic Sanchez cum aliis citatis pro secunda sententia. Quibus addi possunt Ignatius Lupus *in Edictum S. Inquisitionis par. 4. lib. 23. dist. 3. art. 1. diff. 2. vers. Secundò, & vers. è contrà.* & apud ipsum, Fagundez *de 2. præcep. Eccles. lib. 4. cap. 3. n. 31.* Baiardus, Simancas, & Lazarius. Sic etiam Petr. Hurtad. *2. 2. disp. 91. sect. vltima. §. vltimo.*

QVÆSTIO LXXII.

An sit denunciandus blasphemus publicus, qui statim ac pronunciauit blasphemiam, plenè se retractat percutiendo sibi pectus, aut os?

NEgat esse denunciandum talem blasphemum, Lupus *dist. 3. citata, art. 2. diff. 4.* tum, quia, qui alicui errori plenè voluntariè assentit, non ita facile resipiscit; nec ita cito, contra seipsum, afficitur magna tristitia, vti iste se habuit: requiritur autem ad peccatum actus prorsus voluntarius. Dico *prorsus*, quia non sat est, ex aliqua parte esse voluntarium: & tunc grauius, vel leuius peccatum est quo magis, vel minus est voluntarius actus, vel recessus. Ita Toletus *lib. 3. cap. 1. num. 6.* Tum, quia ad blasphemiam mortalem requiritur aduertentia. Vnde euomens blasphemiam aliquam, siue hæreticalem, siue non, minimè aduertens, vt accidere solet vehemētissima ira omnino excæcato, qui non blasphemiam formalem, sed solummodo materialiter, quamuis etiam sciuerit se in tali passione solitum esse effutire verba blasphemiæ. Hæc Lupus.

Sed probabiliùs Respondeo omnino esse denunciandum. Quia dictus blasphemus, verè, publicè blasphemiam pronunciauit: ergo, etiamsi minus voluntariè, verè tenentur audientes ad illum, iuxta edictum S. Inquisitionis, denunciandum. Confirmatur ex dictis; quia leges, & edictum Inquisitionis agunt de blasphemiis, in eorum punitionem; atqui hoc delictum, vtpotè publicum, meretur puniri à Tribunali, quantumuis minus voluntarium pronunciatum fuerit: ergo consequenter tenentur audientes ad illud denunciandum. Solùm igitur conuincunt rationes Lupi, quod tale delictum modo dicto patratum, & statim à patrante retractatum, debeat mitius, ac leuius puniri.

QVÆSTIO LXXIII.

An, blasphemia hæreticalis, sit reseruata, in foro Sacramenti Pœnitentiæ, Inquisitoribus tantùm?

NEgat absolutè Lupus *in edict. S. Inquisit. par. 4. lib. 23. dist. 4. art. & difficult. 1.* Vbi hisce verbis quæstioni satisfacit: Respondetur, quod blasphemia, licet sit hæreticalis, in foro Sacramenti Pœnitentiæ, non reseruari Inquisitori, sed Ordinario. Cuius ratio est, quia (vt suppositum est) Inquisitor est præcisè iudex ad puniendam blasphemiam hæreticalem, non autem ad illam sibi reseruandam in foro interno. Ita Lupus.

Sed clariùs, ac distinctius Respondeo dicendum, quod blasphemia hæreticalis prolata ab habente errorem in mente, & consequenter ab hæretico, omnino reseruata sit, etiam in foro Sacramenti Dominis Inquisitoribus: quia tunc talis blasphemia verè inuoluit in se hæresim formalem: at hæc omnino est reseruata, etiam in foro Sacramenti Inquisitoribus: ergo & illa. Secus dicendum de blasphemia prolata ab homine irato, sed non habente talem errorem, quia tunc talis blasphemia non continet hæresim formalem, sed materialem: sic tenet nouissimè cum aliis Acacius *verb. blasphemia. resol. 123.* his verbis: Si la blasphemia es heretical, con las calidades que se ha dicho deue tener para serlo; es cierto que la absolucion della esta reseruada alos Inquisidores, y que solos ellos pueden absoluer della. Pero como ya se ha dicho, y aduierten muchos Doctores, Torreblanca *de magia lib. 4. cap. 5. numer. 8.* Zanard. *in Director. Theolog. part. 2. præcep. 1. cap. 11.* Diana *3. p. tract. 4. resol. 43.* y otros, para que la blasphemia se diga hæretical, i por esta raçon que de totalmente reseruada alos Inquisidores, es necessario que el que la diçere, aunque *sapiat hæresim*, tenga error en el entendimiento i sienta mal de la fe, y sea verdaderamente heresé. Y no siendo assi afirman muchos Doctores, particularmente Francisco Siluio *in 2. 2. D. Thom. q. 11. art. 3. concl. 2.* Homobonus *in examine Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 1. q. 4.* & alij supra citati, que puede absoluer los qualquier Confessor, sin authoridad, ni comision de los Inquisidores, ni Iubileo, ò Bula de la Cruzada: sino es que por otra parte, el tal pecado de la blasfemia, estuuiese al Obispo reseruado. Sic ille. Et innuit tandem Lupus *loco cit. diff. 2.*

QVÆSTIO LXXIV.

An blasphemia publica, & notoria, sit, iure Canonico, reseruata Episcopo?

AFfirmat Panormitan. & alij, apud Siluestrum *v. blasphemia, numer. 6. & 7.* Quia id videtur statuere, textus *in cap. statuimus, de maledicis.*

Sed vt fere certum Respondeo, minimè esse reseruatam ipso iure, Episcopo, aut Papæ. Quia nec talis reseruatio (probat Suarez) facta est Papæ; quia hæc non solet fieri sine annexa censura, & in iure nulla legitur: nec etiam facta est Episcopo, ex vi communis iuris: quia nullibi legitur. Nam *in cap. statuimus, de maledicis*, quod citari solet, non est sermo de reseruatione in foro pœnitentiæ; sed de pœna in foro contentioso, vt notaui *disp. 28. de pœnit. sect. 3. n. 10.* Vbi hoc latiùs tractaui, & specialiter aduerti Concilium Lateran. sub Leone X. *sess. 9.* supponere ordinarios Confessores posse absoluere ab hoc peccato. Hæc sapientissimus Suarez, quem sequitur Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 32. num. 44.* & tenet Acacius *v. blasphemia, resol. 123. numer. 3.*

DISPVT.

DISPVTATIO VI.

De Personis, quæ iurare possunt, tam in iudicio, quàm extra.

§. I.

De Personis, quæ in iudicio iurare possunt.

QVÆSTIO PRIMA.

An omnes homines, qui non sunt aliquo iure excluſi, possint in iudicio iurare?

RESPONDEO tanquam certum. Posse iurare in iudicio, omnes homines habentes vsum rationis, nisi aliquo iure positiuo repellantur. Vnde ex hoc capite pueri, & amentes incapaces sunt iurandi non solum in iudicio, sed extra. Quia licet possint interdum proferre verba, quæ ad iurandum sufficiunt, non tamen ex libera voluntate, & intentione iurandi, quæ ad iuramentum necessaria est. Sic Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. cap. 14. num. 5.* & omnes; inter quos solùm est difficultas, quæ personæ, ex habentibus rationis vsum, sint à iure repulsæ, & sic constabit, quæ iurare possint.

QVÆSTIO II.

An, excludantur à testificando in iudicio pueri, & puellæ, ante annos pubertatis; qui in pueris, quatuordecim; in puellis, duodecim sunt?

RESpondeo tanquam certum: Excludi à iure, per cap. *Pueri*, & caput, *Paruuli 22. q. 5.* & *lib. 2. tit. 10. Instit. de testament. §. testes.* Et ratio exclusionis est; quia ante ætatem pubertatis, non censentur à iure, plenam discretionem, & aduertentiam ad iurandum cum debita reuerentia, & rei examine, habere. Sic S. Thom. *2.2. q. 89. art. 10.* & omnes. Legantur Suarez *cap. 14. cit.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 3. num. 6.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 5. n. 4.* Castro Palao *tom. 3. disp. 1. de iuram. punct. 3. n. 11.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 5. n. 2.* Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 1. dub. 13.* Bonac. *de 2. Decal. præcep. disp. 4. q. 1. punct. 10. n. 1.* & alij plures, quos reperies apud Didacum Narbonam *in suis annalib. anno 14. quæst. 44.* per totam.

QVÆSTIO III.

An saltem, si dicti pueri, & puellæ, ante annos pubertatis, sponte iurare velint; admitti possint, vt in iudicio testificentur?

AFfirmant aliqui Doctores, docentes tunc debere admitti. Ratio est quia textus nuper citati, tantum dicunt, quod ad iurandum non cogantur: indicant ergo, quod admitti debeant, si sponte iurare velint. Ita tenet Sotus *lib. 8. de iust. q. 1. art. 10. paulò post principium*, & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. cap. 14. n. 5.* (non 15. vt inuenies apud Palaum) in fine.

Sed probabiliùs Respondeo, nec ad huiusmodi iuramentum admittendos esse, dictos pueros, & puellas, etiamsi ipsi sponte ad iurandum accedant. Quia ratio nuper adducta, etiam id probat. Nam ius meritò præsumit eam ante pubertatem ætatem, non esse capacem iuramenti, quod tanta maturitate præstari oportet. Sic Sanchez *loco cit.* ex Siluestro, & Valentia. Azor. etiam *tom. 1. lib. 11. cap. 11. q. 6.* Palaus *disp. 1. de iuram. punct. 3. n. 11.* Fagundez *lib. 2. cap. 5. n. 5.* dicens id verissimum. Bonac. *tom. 2. disp. 4. circa 2. præcep. q. 1. punct. 10. n. 1.* Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 1. dub. 13. n. 2.*

QVÆSTIO IV.

An, si aliqui, de facto ante pubertatem, ad testificandum in iudicio, admittantur; faciant plenam fidem?

RESpondeo quod non faciant plenam fidem; benè tamen præsumptionem magnam. Sic *l. inuiti. ff. de testibus.* & *l. Regia 9. tit. 16. part. 3.* illis verbis (pro simili prolatis casu) *Pero siendo de buen entendimiento, a tales menores farian grande presuncion al fecho sobre que fuesse el testimonio.* Sic lex, & sic Sanchez, Fagundez, Palao, & alij locis citatis. Quos sequitur Narbona *in suis annalib. anno 14. quæst. 44. n. 8. & 9.* Lara, Cabalcanus & Villadiego, apud ipsum. Legatur itidem. *anno 20. q. 6.*

QVÆSTIO V.

An, eadem met ætas sufficiat ad testificandum in ciuilibus, & in criminalibus?

RESpondeo vt certum: quod non. Nam ad testificandum in ciuilibus causis, requiritur, & sufficit ætas pubertatis, ideſt, quatuordecim annorum, vt iam constat ex dictis. In criminalibus autem non admittuntur minores viginti annis. Constat *ex l. inuiti. ff. de testibus. l. in testimonium. ibi.* & *cap. si testes. §. Item in testimonium 4. q. 3.* & *l. Regia 9. citata.* Quibus communiter omnes subscribunt. Sic Sanchez *loco cit.* & *lib. 6. consil. 3. cap. 5. dub. 14. n. 4.* Palaus, Fagundez, Trullench. *locis citatis*, Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 5. num. 2.* Narbona *in suis annalib. anno 20. q. 6.* & alij plures apud ipsum. Qui rectam disparitatis rationem assignat. Quia (inquit) in criminalibus de maiori præiudicio agitur, quàm in ciuilibus; ideoque magis idonei testes ad criminum probationem

tionem desiderantur. Legatur ipse ibi, & Farinacius, *de testib. q.* 58. *vbi num.* 20. meritò recipit sententiam aliquorum Canonistarum defendentium, minores vigesimoquinto anno, etsi vigesimo maiores existant, in criminalibus à dicendo testimonio fore repellendos, eo quod horum sententia expresè contrarietur decisioni dictæ *leg. in testimonium, ff. de testibus.*

QVÆSTIO VI.

An, in aliquibus criminalibus causis, possint ad testificandum recipi minores anno vigesimo?

REspondeo quod in aliquibus sic. Et in primis, *in crimine læsæ maiestatis*, non solum impuberes, verum etiã omnes indistinctè admittuntur in testes. Constat ex *l. de minore* 10. *ff. de quæstion.* Et sic tenent Gigas, Mascard. Rebellus, & alij plures, quos refert Farinac. *de testibus q.* 58. *n.* 22. 23. *&* 24. Vterque Narbona, Alphonsus *in comment. ad* 3. *p. nouæ recoll. legum Hispan. lib.* 7. *tit.* 25. *l.* 2. *Glos.* 5. *n.* 24. & Didacus *in annalib. anno* 20. *q.* 6. *n.* 6.

Secundò. Quando dominus aliquis occisus reperitur, tunc ad detegendam veritatem, & vt constet quis illum interfecerit, omnes de familia, etiam impuberes ad testimonium vocantur, *l. excipiuntur.* 14. *ff. de Syllan.* Et sic tenent Aufrerius, Nellus, Mascard. & alij, quos congerit, & sequitur Farinac. *loco cit. n.* 25. Didac. Narbona. *num.* 7.

Tertiò. Quando veritas aliter haberi non potest; tunc, vt delicta non maneant impunita, non tantum impuberes, sed etiam pupilli, ideſt, maiores anno septimo, testificari possunt, eorumque testimonia fidem faciunt. Sic Farinacius citatus *n.* 29. Decian. *lib.* 9. *criminal. cap.* 14. *n.* 7. Vbi refert duos pueros ad vxoricidij probationem fuisse satis. Narbona *in annalib. loco cit. n.* 8. & alij plus apud ipsos.

Quartò. Quando Clerici sunt testes; nam hi etiam minores vigesimo anno testes admittuntur in omnibus illis criminalibus causis, in quibus de iure possunt testificari. Sic Caualcan. & Carol. de Grassis, quos citat, & sequitur Narbona *num.* 9.

QVÆSTIO VII.

An, non attento iure communi, sed iure nostro Hispano; possint in criminalibus admitti testes, qui minores sint vigesimo anno?

REspondeo quod sic. Quia ex dispositione legis *Fori*, quam expresse confirmat *l.* 1. *versic. è presentados, tit.* 4. *lib.* 4. *Ordinam.* post decimum sextum annum, quilibet in criminalibus testis legitimus habetur, & plenam, integramque fidem facit. Sic Auendaño, *respons.* 31. *à n.* 8. *vers. ex supradictis.* & Alphons. Narbona, quem citat & sequitur eius frater Didacus *in annalib. anno* 20. *q.* 6 *n.* 10. Qui & addunt, quod attenta dicta lege Regia, admitti possint testes anno decimo sexto minores, dummodo puberes sint, ad probãdum crimen sodomiticum. Quia (inquiunt) lex 2. *tit.* 21. *lib.* 7. *recollect.* disponit, nullã aliam exceptionem in hoc delicto testibus obiici posse, præter inimicitiam capitalem: ergo exceptio minoris ætatis (dummodo impubertatis non sit) testem à dicendo in causa sodomitica non repellet, cum id solum inimicitiæ capitali tribuatur, contra dispositionem iuris communis. Sic illi.

QVÆSTIO VIII.

An etiam attento iure communi, qui nondum vicesimum annum excesserunt, possint recipi in testes ad probationem nefandi criminis?

AFfirmant aliqui & probant; quia (vt supra *q.* 6. est habitum) in delictis difficilis probationis, in defectum aliorum testium, quando aliter veritas haberi non potest, etiam minores ad testificandum admittuntur: atqui peccatum sodomiæ, est difficilis probationis, quia semper in abscondito perpetratur; ergo etiam per minores anno vigesimo probari potest. Confirmant; quia hoc crimen frequenter perpetratur cum minoribus, ac pueris: ergo si horum testimonium contra Sodomicos non reciperetur, vix posset crimen huiusmodi probatione patefieri, vnde & inultum ferè semper remaneret. Ita vterque frater D. Alphonsus Narbona 3. *p. nouæ recopillat. lib.* 7. *tit.* 21. *l.* 2. *Glossa* 5. *à num.* 25. & Didacus *in Annalib. anno* 20. *q.* 6. *n.* 13. *in fine.* & licèt satis probabiliter.

Nihilominus non minùs probabiliter Respondeo quod, attento iure communi, eiusque dispositione, etiam ad probationem nefandi criminis, minores anno vigesimo, nequaquam in testes fore esse admittendos. Sic docent Marsilius *consil.* 28. *num.* 13. Patisius *consil.* 163. *lib.* 4. Grammaticus *decis.* 40. *n.* 14. Auendaño *respons.* 31. *n.* 8. Mascard. *de probat. concl.* 1313. *n.* 9. *volum.* 3. Fachinæus *consil.* 63. *n.* 1. *lib.* 2. Tribisius, Pisan. Riccius, & alij, apud Didacum Narbona.

QVÆSTIO IX.

An, attento iure ciuili, possint mulieres, quæ vicesimum annum excesserunt, esse testes in criminalibus causis?

NEgant aliqui apud Farinac. infra citandum. Sed vt ferè cereum, Respondeo posse attento iure Ciuili fœminas in testes in quacumque ferè causa recipi; ac proinde, posse in criminalibus etiam admitti, si vicesimum annum excesserunt. Hæc veritas constat ex *l. ex eo, ff. de testibus.* Et docent omnes ferè Doctores. Canonistæ ibi, quos congerit Farinac. *q.* 59. *cit. n.* 17. Narbona *in annalib. anno* 20. *q.* 6. *n.* 18. Palaus *disp.* 1. *de iuramento, punct.* 3. *n.* 10. vbi docet, quod mulier, iure ciuili, in omni causa admittatur in testem, præterquam in testamento, *l. qui testament.* 20. §. *mulier. ff. qui testament. facere possunt.* Sic ille ex Gomezio *lib.* 3. *variar. c.* 12. *n.* 13. & Lessio *lib.* 2. *de iust. cap.* 30. *n.* 39. (lege tu) 36. Sic etiam Ioannes Delcastillo *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 8. *dubitatione* 3. *n.* 17. Panormitan. *cap. quoniam n.* 2. *de testibus*, dicens esse communem sententiam.

QVÆSTIO X.

An, etiam iure Canonico attento, possint mulieres, quæ vicesimum annum compleuerunt, admitti ad testificandum in criminalibus causis?

AFfirmant non nulli Canonistæ, docentes, etiam iure Canonico inspecto, posse admitti fœminas ad dicendum testimonium in criminalibus causis. Probant id authoritate legis *ex eo. ff. de testibus*, ex qua omnes DD. ferè, vt nuper vidimus, deducunt posse mulieres de iure ciuili in criminalibus testimonium dicere: atqui hæc lex canonicata est in cap. *Ex eo.* 15. *q.* 3. ergo ius Canonicum in hac parte sæcularibus legibus assentitur: ergo vtroque iure, tam Canonico, quàm ciuili inspecto, possunt mulieres in causis criminalibus testificari. Ita tenet nouissimè Didacus de Narbona *in annalib. anno* 20. *q.* 6. *n.* 17. sequutus Glossam *in cap.* 2. *vers. iure prohibetur, de iudiciis lib.* 6. Felinum *in d. capite quoniam, n.* 1. *fine. de testib.* Decium *in l. fœmina, n.* 35. *de regul. iuris.* Petrum Moncada *in addit. ad Crotum. de testibus par.* 3. *n.* 55. *lit. O.* Ioann. Andr. & Alexand. relatos à Farinac. *q.* 59. *n.* 2.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod attento iure Canonico, omnes fœminæ cuiuscumque ætatis illæ fuerunt, etiamsi compleuerint viginti annos, repelli debent à dicendo testimonio, seu à testificando, in causa criminali, ob fragilitatem sexus, & ingenij mutabilitatem, & ob alias causas, quas congerit Farinc. infra. Sic habetur in cap. *Forum.* 10. *de verb. significat. & cap. mulierem* 33. *q.* 5. Vbi communiter Doctores, docentes solum admitti in illis casibus, in quibus infames. Sic Glossa *in pracit. textibus.* Tiraquel. *in l.* 6. *connubial. n.* 67. dicens id esse indubitatum. Anton. Gomez *variar. to.* 3. *cap.* 12. *n.* 13. Vulpel. *consil.* 12. *n.* 7. Vbi hanc receptissimam sententiam appellat. Farinac. *tract. de testibus q.* 59. *n.* 1. *&* 3. Vbi hanc opinionem verissimam, rationabilem, & sensui naturali conuenientissimam exclamat. Mascard. Iulius Clarus, Villalob. Crasus, & alij quam plures apud ipsum. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 30. *dubit.* 5. *num.* 36. Dicastillo *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 8. *dubit.* 3. *num.* 17. Lugo *tom.* 2. *de iust. disp.* 39. *sect.* 2. *n.* 11. Palaus *disp.* 1. *de iuram. punct.* 3. *n.* 8. Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 5. *dub.* 14. *numer.* 3.

QVÆSTIO XI.

An excludatur à iuramento iudiciario, inimicus eius, contra quem testimonium ferre debet?

REspondeo vt certum, quod sic. Quia sic habetur expresse in cap. *accusatores, cap. omnes* 3. *q.* 5. & *l.* 3 *ff. de testibus.* Et ratio decisionis est: quia inimicus præsumitur, semper malè cogitare de inimico, & ideò, de eo omne malum præsumitur. Sic omnes Doctores, qui ita dicto iure, repellunt à tali iuramento inimicum, vt etiam in criminibus exceptis, vt hæresis, læsæ Maiestatis, simoniæ, &c. in quibus testes alioquin inhabiles admittuntur, ipse nihilominus repellatur. Legantur Alphons. Narbona *lib.* 8. *recopill. tit.* 21. *l.* 2. *Glossa* 6 *à n.* 1. Lessius, Delcastillo, & alij citati, inter quos, solum est difficultas quæ sequenti quæstione enodabitur. Sit ergo.

QVÆSTIO XII.

An vt inimicitia à testificando aliquem repellat, debeat esse capitalis?

AFfirmant necessariò debere esse capitalem, & non leuem, in causis ciuilibus; in criminalibus vero, sufficere quamlibet inimicitiam, etiam leuem, vt testes à testimonio repellantur: eo quod in criminalibus agatur de maiori præiudicio, & ideo in his testes omni exceptione maiores esse debeant, Alphons. de Narbona *loco cit. num.* 5. *&* 6. & penes illum, Franc. Curc. Abbas, Grammaticus, & Farinac.

Sed probabiliùs Respondeo *Primò*, & tanquam certum, quod, vt inimicitia repellat aliquem à testificando in causis ciuilibus, debeat esse grauis, & capitalis, non leuis. Id ad minus expresè colligitur ex *l.* 22. *tit.* 26. *par.* 3. vbi sic dicitur: *Por ende defendemẽto, que ningun ome, que sea enemiciado con otro, de gran enemistad, que no pueda per testigo.* Sic tenet communis Canonistarum consensus. Farinac. cum aliis supra citatis. Marsilius deinde, Anton. Gomez, Iulius Clarus, Gratianus, & alij apud præcitatos. Greg. Lopez *in d. lege.* Lessius, & Palaus *loc. cit.*

Respondeo vt verius *Secundò*, etiam in causis criminalibus requiritur inimicitia grauis, & capitalis, vt testis repellatur à dicendo. Quia lex solùm expellit à testificando illum qui magnam habet inimicitiam cum eo, contra quem dicturus est. Sic tenent cum aliis Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *dubit.* 5. *n.* 37. Vbi sic ait: Tertiò inimicus eius, contra quem testimonium dicitur: hic repellitur etiam in criminibus exceptis, &c. debet tamen esse, inimicitia grauis, vt si præcesserit inter eos iniuria, vel lis, super causa capitali, vel magna parte bonorum; sed hoc relinquitur arbitrio iudicis definiendum. Sic ille. Palaus, & Dicastillo, *loc. citatis.*

Quod si hîc inquiras; quæ sit inimicitia capitalis, & ex quibus cognoscatur. Respondeo esse, & cognosci; tùm ex eo quod inter eos præcesserit iniuria, vel lis, &c. vt dixit nuper Lessius. tum etiam, ex eo quod à Iudice per sententiam pro inimico datus fuerit. Tum deinde, quia atrox iniuria inter eos præcesserit, & publicè nota ferè apud omnes, vel maiorem partem Ciuium sit, vel esse facile possit, ob publicum locum, vbi delictum fuit admissum. Alij dicunt id dependere ex arbitrio Iudicis iudicantis inimicitiam esse grauem. Legantur de hac materia Farinac. *tom.* 1. *praxis crimin. tit. de iudiciis, & tortura q.* 40. *&* 10. 2. *de testibus, q.* 53. *n.* 5. & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XIII.

An, periurus repellatur à testificando in iudicio?

REspondeo tanquam certum: Expelli, & merito. Quia ex quo quis semel peierauit, præsumitur semper peieraturus. Sic enim habetur, *cap. paruuli, & cap. quicumque* 6. *q.* 1. ibi: *Eorum testimonium infirmetur.* Et *cap. non potest.* 2. *q.* 7. & *in cap. testimonium. de testibus*, dicitur esse repellendum, etiamsi emendatus sit. Sic omnes. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de iuram. cap. vltimo n.* 18. *& sequent.* Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. *n.* 5. Delcastillo *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 8. *dubit.* 3. *numer.* 30. Palaus

disp.

disp. 1. de iuram. punct. 3. n. 3. & punct. vltimo n. 5. Lessius *dubit. 5. cit. n. 39.* Fagundez *lib. 2. in Decalog. cap. 5. n. 7. & cap. 51. à num. 11.*

QVÆSTIO XIV.

An, vt periurus depellatur à testimonio dicendo, sufficiat, quod sit periurus notorius notorietate facti, etsi in iudicio non sit conuictus?

AFfirmant id sufficere multi DD. existimantes, sufficere periurum notorietate facti notorium, in quo euidens sit dixisse aliquem verba iusiurandi falsò cum vera deliberatione, & cognitione, ad hoc vt periurus repelli possit à testificando in iudicio. Ita apud Sanchez, & Palaum Sylvester *v. iuramentum 2. q. 3.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3. dicto 3. col. 4.* & Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 11. q. 6.* his verbis: Arcentur etiam, ac repelluntur à iureiurando, infames, & ij, qui tanquam periuri damnati sunt. Archidiaconus dubitat de his, qui infames periurivè sint notorij per euidentiam facti: aliàs verò magis probatur in vniuersum omnes excludi, qui sunt notorij, siue sententia iudicis conuicti, siue ipsorummet confessione in iudicio, siue per euidentiam facti. Hæc Azorius. Qui vt vides, solùm refert placita Doctorum, ipse verò, si quid resoluit potiùs videtur oppositum, vt constat ex illis verbis: *repelluntur*, &c. *qui tanquam periurij damnati sunt.* Fauet his authoribus Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 20. n. 20.* dicens ad incurrendam dictam pœnam sufficere periurium in iudicio, vel in solemni pacto, & promissione, vel publicam infamiam quod talis homo soleat peierare.

Palaus verò *disp. 1. de iuram. punct. vltimo n. 6.* dicit necessario requiri, & sufficere, vt periurus à testificando in iudicio expellatur, quod periurium absque iniuria, vel metu extortum, sit nociuum proximo, & in iudicio probatum: etiamsi de illo lata non sit sententia. Omnes certè probabiliter.

Sed non minùs probabiliter Respondeo dicendum, quod vt periurus à testimonio in iudicio dicendo repellatur, non sufficiat, quod talis sit notorietate facti, sed oporteat necessario, vt sit periurum in iudicio conuictum, & condemnatum; & rursus, quod periurium nõ sit iniuria, vel metu extortum, aut à reo in iudicio de propria causa commissum. Sic Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 3. n. 5.* & penes illum, Archidiaconus, quem citat, & vt ipse ait, sequitur Silvester, *verbo periurium. q 5.* Tabiena *verb. iurare, q. 21.* Sotus *lib. 8. de iust q. 1. art. 10. col. 2.* Aragon *2. 2. q. 89. art. 10. paulò post princip.* Sed ex his, Sylvester oppositum clarè contra Archidiaconum tenet, loco pro prima sententia allegato. Sic etiam Fagundez *lib. 2. in Decalog. cap. 5. num. 7. & cap. 51. n. 12.* Qui id hac ratione probat: Nam periuri repelluntur à iureiurando, ob infamiã, quam ob periurium contraxerunt iure ciuili: de iure autem ciuili solum illi infames habentur, qui in iudicio contradictorio periuri probantur, aut proprio ore periurium suum confessi sunt, in eodem iudicio: ergo; sic ille.

QVÆSTIO XV.

An saltem possit periurus, in sua causa ad iurandum à Iudice admitti?

NEgandum omnino videtur, ex textu *in cap. paruuli*; supra citato, vbi interdicitur, periurum etiam in sua causa ad iurandum admitti.

Sed clarè Respondeo non posse admitti ad iurandum in causa propria, de re sibi vtili, bene tamen de onerosa, vt explicat ibi Glossa, & Sanchez *loco cit. n. 5.* his verbis: Dum in cap. *paruuli*, interdicitur periurum, etiam in sua causa, ad iurandum admitti: intelligitur de iuramento purgationis, ita, vt à suspicione contra se orta, nequeat se proprio iuramento purgare. At iuramenta, quæ sunt potius oneris, quàm honoris, bene præstabit: vt iuramentum calumniæ, & de dominio in causa feudi. Sic Sanchez ibi, & Fagundez *lib. 2. cap. 5. n. 7.* Qui & benè, addit, quod etiam in casibus difficilis probationis, & quando aliter delictum per alios testes probari non possit, tunc, ne delicta maneant impunita, admitti ad iurandum possit. Legantur Farinac. *de hæresi q. 118. n. 83. & 84.* Paris. *consil. 2. numer. 84. lib. 4.* Roxas *singul. 88. n. 11.* & alij.

QVÆSTIO XVI.

An, infames infamiâ iuris, à iuramento in iudicio repellantur?

REspondeo vt quid certum: Repelli. Quia id constat ex *cap. si quis. 3. q. 3. cap. nulli vnquam.* ibi. *cap. constituimus 3. q. 5. cap. licet ex quadam.* & *cap. testimonium, de testibus.* Ratio huius decisionis est: quia ferre testimonium in iudicio, computatur inter actus legitimos: atqui ab his merito infames arcentur: ergo. Sic omnes. Legantur Sanchez *in consil. lib. 6. cap. 3. dub. 4.* & *cap. 6. dub. 14.* Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 7. q. 3.* Palaus *disp. 1. de iuram. punct. 3. num. 4.* Delcastillo *tom. 1. de iust. lib. 2. tract. 1. disp. 8. dubit. 3. n. 27.* Noster P. Franciscus à S. Iuliano *in tribunali Regular. cap. 1. aduertentia 4. §. 1.* Vbi enumerat, ex *cap. infames 6. q. 1.* crimina, quæ iure Ciuili, vel Canonico annexam habent infamiam: sunt autem, hoc iure, infames periuri in iudicio, simoniaci, sodomitæ, vsurarij, sacrilegi, hæretici, eorumque fautores, raptores mulierum, apostatæ à fide, lenones, maledici, venefici, adulteri, qui fratribus calumniantur, & non probant, &c. Sed hæc infamia non contrahitur, nisi post iuridicam declarationem criminis.

QVÆSTIO XVII.

An etiam, infames infamiâ facti, debeant repelli à iuramento in iudicio?

REspondeo dicendum, quod infames, facto, aut infamia facti, quales sunt, qui criminosi sunt, sed non in iudicio condemnati, debent regulariter repelli à iuramento in iudicio (si eorum crimen probetur) in causa criminali, aut ardua. Quamuis interdum in defectum admittantur si aliter veritas cognosci nequeat; vt quia crimen suapte naturâ occultum est; vel etiam in occulto loco commissum. In causa vero ciuili non ardua facilius admittitur, quamuis minor fides ei adhibeatur. Sic communis. Legantur Couarru. *in practic. qq. cap. 18. n. 1.* Tuschus *tom. 1. concl. 192. & 209.* Farinac. *de testib. q. 56.* Iulius Clarus *q. 24. n. 13.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 30. dub. 5. n. 39.* Delcastillo *loco cit. n. 27. & 28.* qui eodem *tract. 1. disp. 5. dubit. 4. n. 88.* sic infamiam describit: Est *frequens vox bonorum virorum, & proborum, quæ hominem de tali crimine suspectum reddit.* Legatur P. Fr. Franciscus à S. Iuliano, *loco cit.* qui optimè & latè de hac materia agit. Palaus *disp. 1. p. 3. n. 4.* & alij penes ipsos.

QVÆSTIO XVIII.

An, socius criminis debeat à iudiciali iuramento excludi?

REspondeo vt certum: debere excludi ordinariè. Quia sic habetur in *cap. veniens. de testib.* & *cap.1.de confess.* & *l.vltima, C. de accusation.* & *l. Quoniam.C.de testibus.* Et ratio huius decisionis est (inquit Palaus) Quia putatur falsum alteri impositurum, vel ex eo quod speret, se liberandum propter complicem; vel quia optat in supplicio socium habere, ratione odij, aut solatij. Sic omnes. Legantur. Panormitan. *in text.citatis.* Gomez *lib.1.variar.c.12. n.16.* Lessius *n.39.* Delcastillo *n.31.* Palaus *n.5.* Farinac. *tract.de testib.q.60.* Alphonsi. de Narbona 3. *p. recopillat.lib.8.tit.21.l.2.Glossa 5.à num.3.* Decian. Greg. Lopez, Boërius, Mascardus & alij apud Nostrum P.Franc.à S.Iuliano *in TribunaliRegul.cap.5. aduertentia 5.* Sanchez *lib.6. consil.cap.6.dub.15.*

QVÆSTIO XIX.

An, in aliquibus delictis possit socius criminis, contra socios esse testis?

REspondeo posse esse in omnibus criminibus exceptis, in quibus, ob eorum grauitatem, etiam socij criminis in testes admittuntur. Constat ex cap. *Si quis Papa,79.dist.cap.nemini. 3. q. 5. cap. 1. de confessione, cap.in primis 2. q. 1. cap.fin.de testibus. cog. l. quisquis 5. C.ad l.Iulian.l. Diuus Adrianus, de custod. reorum, l. Prouinciarum.C. de feriis.& alibi.* Sic tenent communiter DD. & praxis.

Quod si hîc inquiras, quænam sint delicta, aut crimina excepta, in quibus etiam socij in testes admittuntur? Respondeo esse sequentia, nempe, crimen hæresis, læsæ maiestatis, Sodomiæ, falsificationis monetæ; maleficij; furti famosi, & denique omnia crimina, quæ in damnum vergunt Reipublicæ. Sic Authores omnes, præcipuè supra relati; inter quos solùm sequens difficultas versatur. Sic ergo.

QVÆSTIO XX.

An in dictis casibus, possit socius criminis esse integer testis, contra socios; ita, vt semiplenè probet?

AFfirmant quidam Doctores, existimantes, depositionem socij, non solùm esse sufficiens indicium ad torturam; sed etiam esse semiplenam probationem; & accedente alio socio, qui idem deponat, esse plenam probationem, & posse reum damnari. Subiungunt tamen, hanc depositionem debere fieri, cum iuramento, & citata parte; cui danda est copia depositionis, vt se defendat. Sic Lessius *lib. 2.de iust.cap.30.dubit.5.n.39.* Cynus, & Panormitanus, apud ipsum. Sanchez *lib 6.consil.cap.6.dub.15. num.3.* Anton. Gomez *tom.3. variar. cap. 12.n.18.* & noster P. Franciscus *loco cit. §. 2.* qui pro se citat Delcastillum *dubit.3.cit.n.31.* Trullench. *lib. 8. in Decal. cap. 3. dub. 4. numer. 11.* & Fagundez *lib. 8. in Decalog. cap. 40. numer. 24.* Probant, quia defectus testium habetur ex ipso iure: ergo in casibus, in quibus, ius statuit esse admittendos cum tali defectu, est signum tollere defectus, & reddere eos habiles, & legitimos.

Sed æquè probabiliter Respondeo: socium criminis in dictis casibus, non esse integrum testem, nec semiplenè probare, nec esse iudicium sufficiens ad torturam, nisi concurrat aliqua alia præsumptio. Solùm enim eius testimonium valebit ad præsumptionem faciendam. Ratio est, quia socius criminis, ob præsumptionem, quam habet dicendi falsum, est testis diminitus: ergo etiam in casibus, in quibus ius statuit esse in testem admittendum, hæc præsumptio perseuerat: ergo eius depositio, nisi aliis adminiculis adiuuetur, non potest constituere semiplenam probationem. Vnde Delcastillo, citatus pro opposita parte, quamuis dicat, quod testimonium socij fidem faciat; addit tamen, quod eam faciat, sicut testimonium alterius hominis vilis, infamis, aut suspecti. Sic ergo sentiunt apud Sanchez, Glossa *l.fin.C.de accusat.* & ibi Petrus, Iacobus Butrius, Faber, Albericus, Salicetus, Oldrad. Angel. Roman. Hippolit. & Greg. Lopez. Palaus *disp.1.de iuram.punct.3.num.5.* Bartol. Alexand. & Mascardo apud ipsum.

QVÆSTIO XXI.

An, homo vilis, & inops, à iuramento iudiciali repellatur?

REspondeo quod repellatur, casu, quo suspicio sit, vt facilè pecunia corrumpi possit, vt habetur expressè *lege 3.& l.22.tit.16.part.3.* & ibi Greg. Lopez. Secus verò, si talis homo sit honestus, & bonæ famæ, vt etiam habetur *l.3.& 4.ff.de legibus.* Sic, ex communi sententia, docent Panormitan. *cap. si qui testimonium, de testibus.* Silvester *verb.testis, q.1.* Lessius *dubit.5.cit.n.39. vers.nono.* Farinac. *de testib. q.55.num.48.& q. 57. num.1.* Tuschus *tom.1.concl. 206. & 215.* Delcastillo *loco cit. num. 32.* Palaus *numer. 7.*

QVÆSTIO XXII.

An, laïcus admittatur in iudicio, ad testificandum contra Clericos?

REspondeo vt certum, dicendum, quod non admittitur, quando criminaliter proceditur, vt habetur in *cap. de cætero. de testibus.* & etiam *cap. ipsi Apostoli,* & *cap.testes. 2. q. 7.* Vbi omnes illi, qui Sacerdotes esse non possunt, à testificando contra Sacerdotes excluduntur. Secus verò dicendum, si ciuiliter procedatur, vt traditur in cap. *Quoniam, de testibus.* Rursus admittuntur in testes, in exceptis criminibus, vt constat ex *cap.tanta, de simonia.cap. Sacerdotes. 2.q.7.& ex l.si quemquam.C.de Episcop. & Cleric.* Requiritur tamen tunc, quod laïci sint bonæ famæ: nam si viles sint, & malæ famæ, debet Clericus antea esse infamatus de illo crimine, & malè audire. Et ex alia parte illis non est credendum, sine corporali tormento, vt habetur *cap. in primis 2.q.1.* Sic omninò Palaus *punct.3.citato.n.9.*

QVÆSTIO XXIII.

An, Sacerdotibus sit interdictum, in iudicio ex leui causa iurare?

REspondeo dicendum quod sic, quia sic habetur in cap. *si quis Presbyter.* 2. q. 4. cuius rationem reddit D. Thom. 2. 2. q. 89. *art.* 10. Quia tunc dictum hominis confirmatione iuramenti indiget, quando de eius veracitate dubitatur: atqui de veritate Sacerdotum in leui causa omninò dedecet dubitare: ergo pro tali causa interdicitur eis iurare in iudicio. Sic omnes. Legantur D. Thom. loco cit. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. *n.* 7. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 3. *n.* 7. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap* 5. *n.* 8. Palaus *disp.* 1. *de iuramento punct.* 3. *n.* 14. Trullench. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 13. *n.* 4.

QVÆSTIO XXIV.

An saltem sit licitum Sacerdotibus, iurare in iudicio, pro necessitate, vel magna vtilitate?

REspondeo esse omninò eis licitum in iudicio pro necessitate, aut magna vtilitate, iurare. Quia sic habetur in *d. cap. si quis Presbyter.* & etiam *in capite significasti. de electione*, & *cap. ad reprimendam, de offic. Ordinar. cap. cum nuntius. de testib.* Et in nostra Apostolica, & propria regula ab Innocentio III. anno primo sui Pontificatus confirmata, sic habetur: *Iuramenta non faciant, nisi magna necessitate, cum licentia ministri, vel iussi ab aliquo vices Apostolicas gerente, & hoc pro honesta, & iusta causa.* Sic Innocentius III. Et sic omnes, præcipuè nuper citati.

QVÆSTIO XXV.

An assignari possint causæ, in quibus iure permittitur Sacerdotibus, vt sint testes in iudicio, & ibi iurare?

REspondeo quod sic. Nam præcipuè sunt sex sequentes. *Primò* namque, iurare possunt pro pace, & amoris coniunctione, & habetur 22. *q.* 1. *cap.* 1. *Secundo*, pro infamiæ expurgatione, & habetur 2. *q.* 4. *cap. Presbyter & tribus sequentibus. Tertio*, pro fide, & fidelitate, & habetur *cap. Ego Berengarius, de consecrat. dist.* 2. *& cap. alius* 15. *q.* 6. *Quartò*, pro reuerentia, vel obedientia: & habetur cap. *Quamquam, dist.* 23. *Quintò*, pro veritate inquirenda siue in testibus, siue in aliis: & habetur cap. *Quamquam* 14. *q.* 2. *& c.* 1. 22. *q.* 1. *Sextò* pro damno dato, vel dando; & habetur cap. *in primis* 2. *q.* 1. quibus sunt versus, quos affert Glossa. *v. necessitate. c.* 1. *de feriis. Pax, & fama, Fides, Reuerentia, cautio damni: Defectus veri, sibi poscunt magna caueri.* Sic ego *to.* 5. *in expositione nostræ Regulæ c.* 26. *lit. d.* Legantur de hac re Sanchez, Fagundez, Palaus, Trullench. *loc. cit.* Azor. *tom.* 1. *c.* 11. *q.* 6. Sylvester. *iuramentum* 2. *q.* 3.

QVÆSTIO XXVI.

An, Clerici possint, sine sui Prælati licentia, in manu laïci iurare?

REspondeo posse quidem, vt constat ex cap. *Ex rescripto*, & cap. *Peruenit.* de iureiurando; exceptis tribus casibus, in quibus nequeunt Clerici in manu laici iurare, sine licentia sui Episcopi; & Episcopus sine licentia Papæ. *Primus* est, quando iurant coram iudice laïco, tanquam suo superiori, & ab ipso ad id coguntur. *cap. nullus* 22. *q.* 5. secus quando coram eo iurant, non tanquam Superiori; tunc enim possunt, absque licentia. cap. Ex *rescripto.* & *cap. Peruenit.* citatis.

Secundus est, quando iurant de calumnia. Quia non possunt hoc iuramentum præstare, nisi is, coram quo litigant sit Superior eorum; vel de licentia Superioris. *cap. nos* 22. *q.* 7.

Tertius est. Quando iurant in actu iustificandi, tunc enim iurare non possunt in manu laïci, nisi de licentia sui Episcopi. Sic communis. Sylvest. *iuramentum* 2. *q.* 3. Angel. *iuramentum* 3. *n.* 3. & penes illos, Abbas. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. *n.* 8. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. *n.* 11. Trullench. *lib.* 2. *in Decal. c.* 1. *dub.* 13. *n.* 5. Palaus *disp.* 1. *pun.* 3. *n.* 14.

QVÆSTIO XXVII.

An Sacerdotes, cum iusiurandum præstant, teneantur sacra tangere?

REspondeo non teneri; nisi in causis grauibus, & in quibus iure expressum est, vt Episcopi, & Sacerdotes sacra tangant; veluti in casu, quo essent infamati; tunc enim sacra essent ab illis in iuramento tangenda, quia id iure expressum est cap. fin. de Iuram. calumniæ. Extra hos igitur casus sat est illis iurare per suam consecrationem, tãgendo proprium pectus vt habetur *cap. si quis Præsbyter.* 2. *q.* 5. Sic Couarru. *de pactis* 1 *p.* §. 1. *num.* 3. & penes ipsum, Panormitan. Barbarius, & Guido Papæ, Sanchez *num.* 9. Fagundez *num.* 12. Ioan. de Selua, *de iureiurando* 1. *p. q.* 4. *n.* 5. Legantur dicta à nobis supra *disp.* 1. *q.* 11.

QVÆSTIO XXVIII.

An consanguinei descendentes, vel ascendentes eius, pro quo est testimonium dandum; repellantur à testificando in iudicio?

REspondeo vt certum: Repelli. Quia sic colligitur ex *l.* 3. *ff. de testibus, & ex cap. similiter* 3. *q.* 5. *cap. Absens* 3. *q.* 9. Et docent Gomez 3. *variar. c.* 12. *n.* 15. & ex illo Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 30. *dubit.* 5. *n.* 37. *vers. Quartò.* Farinac. *de testib. q.* 53. *&* 54. Tuschus *tom.* 1. *concl.* 201. Delcastillo *dubit.* 3. *cit. n.* 22. Fagundez *lib.* 8. *in Decalog. cap.* 40. *n.* 21. Palaus *disp.* 1. *punct.* 3. *n.* 12.

QVÆSTIO XXIX.

An item repellantur à testificando in iudicio collaterales, & affines eius, pro quo est testimonium dandum?

REspondeo etiam repelli, sed solùm illos, qui sunt consanguinei collaterales, vel affines, vsque ad quartum gradum. Sic Lessius, Delcastillo, Fagundez, ex Gomezio *loco cit.* & alij. Ex quo colligunt, filios non posse testimonium ferre contra parentes; imo si id faciant, peccare contra reuerentiam illis debitam.

QVÆSTIO XXX.

An, prædicti consanguinei, & affines, possint interdum admitti ad testificandum pro reo?

REspondeo, posse interdum. Nam in primis possunt admitti consanguinei & affines rei, ad illum defendendum, eiusque innocentiam probandam: Quia sic habet vsus, quando innocentia illius aliunde constare non potest: teste Iulio Claro *q.24.n.12.* & docent ex illo, Lessius, Delcastillo, & Fagundez.

Secundò, possunt admitti, pro consanguinitate, aut ætate probanda, vt habetur *l.14.tit.16.par.3.* & *in cap. super eo. de testibus* & ibi Ioan. Andr. & Palaus *loco cit. n.12.*

Tertiò, admittuntur Parentes in testes, super fœdere matrimonij, vt notat Glossa, in cap. *Quod verò 3.q.5.* Nisi fortè, propter incrementum, & honorem filiorum, videantur suspecti de veritate dicenda, vt habetur expresse in cap. *super eo. de testibus.* Vbi filia petens virum aliquem maiorem se, adduxit matrem in testem promissionis. quæ mater repulsa est à testimonio; eo quod suspecta esset de veritate dicenda, propter incrementum, & honorem filiæ. Sic Palaus *num.12. citato.*

QVÆSTIO XXXI.

An, repellantur à testificando, domestici eius, qui testes producit?

REspondeo vt certum: Repelli, in omni causa, tam ciuili, quàm criminali, & in omni negotio ipsiusmet producentis, excepto infra assignando, q. sequenti, in fine, sic omnes, ex *l. testes. ff. de testibus.* & *l.1.§. ad quæstionem de quæstion. l. etiam, C. de testibus. & cap. si testis 4. q. 3.* Legantur Farinac. *de testib. q.55. n.35.* Palaus *disp.1. de iuramento, pun. 3. n.13.* Delcastillo *tom.1. de iust. lib. 2. tract. 1. disp.8. dub.3. n.24.* Fagundez *lib.8. in Decal. cap. 40. n.22.*

QVÆSTIO XXXII.

Qui nomine domesticorum, intelligantur?

REspondeo, quod intelligantur, & tales dicantur, non solùm vxor, filij, serui, & liberti, famuli conductitij, & alij familiares, saltem si eis aliquo modo imperare possumus. Sic colligitur ex *l. respiciendi. ff. de pœnis.* & tenet Panormitan. *in cap. litteris. n.5. de testibus.* Delcastillo, Fagundez & Palao *n.13. citato*, id docet ex Glossa in cap. *quod verò 3.q.5. & l.18 tit.16. part.3.* ibi: En supleito mismo, ninguno puede ser testigo. Atro si, no puede ser cauido en aguel pleyto, testimonio de suffiso, ni de su siervo, ni de su afortunado, ni de su Mayordomo, ni de su quintero, ni de su hortelano, ni de su molinero, ni de ome, que sea sic paniaguado. Imo (addit Palaus) neque fideiussor potest esse testis in causa principalis debitoris: quia sua interest maximè illud negotium. Benè tamen singuli de vniuersitate, & collegio possunt esse testes in causis pertinentibus non ad singulos in particulari, sed ad collegium, vt notat ibi Greg. Lopez: & docentur hæc omnia expresse in *cap. si testes. 4. q. 3.* Hæc Palaus. Addit etiam Dicastillo *n.26.* quod domestici item admittuntur in testes in subsidium, si veritas aliter haberi non potest: v.g. in causa adulterij, vt communiter docent Doctores *l. consensu, C. de repudiis.*

QVÆSTIO XXXIII.

An, Pagani, Iudæi, & apostatæ à fide, & alij ex alia lege; possint testificari contra Christianum?

REspondeo vt certum: quod non possint. cap. *non potest. & sequent. 2.q.7. & cap. 1. & cap. Iudæi, & cap. licet. de testib. & l.8. tit.16. par.3.* Et merito, tum, quia, vt ait S. Augustinus relatus in cap. *ipsa pietas 23. q. 4.* Qui diuina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt. Tum etiam: quia ob dissimilitudinem religionis, & odium frequenter conceptum, præsumuntur falsum iurare. Sic omnes. Legantur Delcastillo *dubit.3. cit.n.3.* Palaus *n.6.* Qui ex supra *l.8. part.* excipit crimen læsæ Maiestatis diuinæ, & humanæ, in quo iurare possunt aduersus Christianum, si sint homines eius conditionis, qui inter ipsos Paganos admittuntur in testimonium.

QVÆSTIO XXXIV.

An, vt iuramentum in iudicio forensi licitè proferatur; debeat fieri, debito tempore, & à ieiuno?

REspondeo dicendum, quod debeat fieri sic. Nam in primis, debet fieri debito tempore, hoc est, non in diebus festis; nam in his non potest fieri, nisi pro pace, fide, obedientia, pietate, fama, aut necessitate vrgente; vt diximus *3.part.tract.1. de obseruat. festorum, disp.5.q.27. & 30.* cum communi omnium Canonistarum, & Theologorum. *Secundò* debet fieri à ieiuno. Nam sic habetur in *cap. honestum 22. q.5. & cap. placuit. 4.q.3.* ibi: *Nullus ferat testimonium, nisi ieiunus.* Sed hæc conditio solùm est ex consilio, non ex præcepto. Et hodie non est in vsu. Legantur Sanchez *lib.3. in Decal. cap.3. n.4.* Fagundez *lib.2. in Decal. cap.5. n.2. & 3.* Palaus *n.15.* Lege me ipsum *3.p. disp.5.*

QVÆSTIO XXXV.

An, vt duo testes plenè probare dicantur, etiam circunstantiæ aliquæ sint necessè requisitæ?

REspondeo quod sint requisitæ quatuor. Nam *primò* requiritur, vt testes sint iurati: vt habetur cap. Fraternitatis & cap. Tuis, de testib. & meritò, nam facilius est, mentiri sine iuramento, quàm cum illo.

Secundò, requiritur quod sint contestes, hoc est, quod ambo testentur idem factum indiuiduale, ac proinde debent conuenire in loco, tempore, & specie delicti.

Tertiò requiritur, vt sint testes idonei, iuxta nuper dicta, ita vt ipsis nihil iure opponi possit.

Quartò tandem, vt sensu externo perceperint, & ita dicant, se percepisse, v. g. se vidisse furantem, aut, audiuisse blasphemantem. *cap. si testes 4. q.3.* Ratio est; quia non sunt certi ex facto externo, nisi sensu externo perceperint. Quare testes ex auditu, non plenè dictum probat, quod non consistit in voce: vnde si dicant se audiuisse,

homicidium

homicidium patratum à Petro, non probant plenè, sed indicium aliquod faciunt, vt inquiratur. Sic omninò Delcastillo *tom.1.de iust. lib.2. tract.1.disp.8. dubit.3. à num.37.* ex Lessio *lib. 2. cap.30. dub.4. num.31.* Tuscho *tom.8.concl.8.17.& 176.* Azorio, Claui Regia, Tabiena, Sylueſtro, & Angelo.

§. II.

De personis, quæ extra iudicium iurare possunt.

QVÆSTIO XXXVI.

An Deus Opt. Max. iurare possit?

NEgandum videtur, *Primò*: quia iuramentum est propriè actus Religionis: sed Deus non est talis actus capax; cum per illum, alterum superiorem & excellentiorem nobis, agnoscamus: ergo. *Secundò*, quia iuramentum interponitur ad confirmandum dictum, propter defectibilitatem veritatis ex parte personæ iurantis: atqui diuinum dictum non est capax confirmationis, cum per se habeat infallibilem veritatem: ergo.

Sed vt certum Respondeo dicendum quod Deus optimè possit iurare, non propriè, & rigorosè loquendo, sed impropriè, quasi metaphoricè. Quod possit iurare, sic constat ex Scriptura, in qua legimus, sæpè iurasse. *Genes.* 22. vbi dicitur, Deum iurasse per semetipsum. *Psal.*109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Hierem.* 22. *&* 44. *Ecce ego iurauí in nomine meo magno*, & alibi.

Nec obstant rationes dubitandi. Quia solum probant Deum non posse propriè, & rigorosè iurare, quod concedimus: non verò probant non posse impropiè, & ablatis imperfectionibus efficere iuramentum, quoad ea tantum, quæ dicunt perfectionem. Sic omnes. Legantur Caiet. *in cap. 22. Genesis* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 1. de iuram. cap.14. n.2. &* 3. Fagundez *lib.2. in Decal. cap.5. n.15.* Palaus *tom.3. disp.1.de iuram. punct.3. n.1.* Luysius *in sum.1. par.cap.179. dub.1.*

QVÆSTIO XXXVII.

An, Deus non solùm per simplicem attestationem; sed etiam per execrationem, possit iurare?

AFfirmat (apud Suarium) Adam. ad *Hebr.*3. Qui explicans illa verba Psal.88. *Semel iurauí in sancto meo, si Dauid mentiar*, dicit, hunc habere sensum; *Non sim Deus, vel viuam, si hoc non impleuero.* At hæc verba expresè continent execrationem: ergo. *Confirmatur* hæc sententia. Quia in Scriptura habetur, quod Deus iurauit, *per animam suam*; *in anima sua*, *per vitam suam*; aut, *in vita sua*; *in ira sua*; *in sancto suo*: *Ierem.* 51. *Amos 6. Psal.*88. *&* 94. At hæ formulæ iurandi continent execrationem, vt ex dictis suprà *disp.4. q. 2.* constat: ergo propter hæc Suarez, & Fagundez innuunt hanc sententiam esse probabilem.

Sed ego longè probabiliùs Respondeo Deum minimè posse iurare per execrationem, sed solum per simplicem attestationem. Ratio est, quia nullibi in Sacra Scriptura talis modus iurandi inuenitur expressus. Deinde quia talis modus iurandi, vel Deo est impossibilis, vel saltem ipsum minimè decere videtur, vt optimè probat Suarez *tom.2. de Relig. lib.1. de iuram. cap.14.* (el *primero*) *num.5.* Et ex illo, non citato, Fagundez *lib.2.in Decalog. cap.5. num.16.* qui facilè respondent fundamentis sententiæ oppositæ.

QVÆSTIO XXXVIII.

An, Christus Dominus iurare potuerit?

REspondeo vt certum: quod potuit iurare, & propriè: quia Christus Dominus, quatenus homo, minor fuit Patre: ergo per maiorem se, iurare poterat. Sic omnes, inter quos solùm est dubium, vtrum de facto aliquando iurauerit, affirmantes quidam, negantes alij, & hi probabiliùs, vt diximus suprà *disp.3.quæst.36.* Legatur.

QVÆSTIO XXXIX.

An, Angeli boni loquentes cum hominibus, iurare etiam possint; & an aliquando iurauerint?

REspondeo vt certum: Posse. Nam *Apocalyſ.*10. expresè legimus de facto iurasse, *per viuentem in sæcula sæculorum.* Et notauit Innocent. III. *in cap. Etsi Christus.* Et ratio est, quia nostra incredulitas, & diffidentia, diuini numinis attestatione, aliquando confirmari oportet, vt dixit Andræas Cæsarienſ. *in commentariis Apocal. cap.* 28. & docent omnes. Legatur locis citatis Suarez *num.* 13. Fagundez, *num.*18. Palaus *punct.3. sub n.*1. Ribera in citatum *cap. Apocal.*

QVÆSTIO XL.

An etiam, Angeli, inter se loquentes, possint iurare?

REspondeo vt certum: Non posse, saltem ratione status. Quia inter sanctos Angelos, nec potest esse necessitas, nec vtilitas iuramenti: ergo iurare non possunt, cum nihil agere possint otiosum, & inane. Antecedens constat: quia cuilibet Angelo constat euidenter, alium mentiri non posse, eo quod beatus sit: ergo iuramentum necessarium non est: ergo iurare non possunt, dum inter se loquuntur. Sic Suarez, Fagundez, & Palaus locis citatis.

QVÆSTIO XLI.

An, Angeli mali, loquentes inter, aut cum Angelis bonis, possint, & de facto iurent?

REspondeo dicendum, quod licèt possint iurare; de facto tamen verisimilius est, quod non iurent. *Prima* pars constat, quia non est ratio, cur dæmones, loquentes inter se, iurare non possint; cum ex malo fine id præstare valeant. *Secunda* etiam pars, nempe, quod de facto non iurent, probatur: quia ab hac actione se abstinent; ne videantur diuino testimonio indigere ad confirma-

tionem ſuorum dictorum; nevè Deum aliquo modo ſuperiorem cognoſcant, & ne ipſum honorare videantur. Sic Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. cap. 14. num. 15.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 5. n. 19.* Palaus *tom. 3. diſp. 1. de iuram punct. 3. ſub n. 1.* ex quibus, addit Suarez, quod loquendo de dæmonibus reſpectu ſuorum ſociorum, fortaſſe non ſunt iuramenti capaces.

QVÆSTIO XLII.

An Angeli mali, loquendo cum hominibus, interdum iurent?

REſpondeo interdum (cùm permittuntur) iurare; non ex bono fine, ſed ad decipiendos homines: ſicut interdum, ob eundem finem, fingunt ſe viros religioſos, aſſumendo illorum ſpeciem. Et hoc maximè habet locum, quando dæmones ſe latere putant, & non agnoſci: nam ſi agnoſcantur rarò vtentur diuino iuramento ad perſuadendum aliquod malum hominibus, tum propter ſuam ſuperbiam, ne videantur confiteri, ſe indigere teſtimonio Dei, ad firmanda ſua dicta, vt ſuprà diximus. Sic Suarez, & Fagundez *locis citatis.*

Quod dictum eſt de Angelis bonis, & malis; idem dic, de hominibus beatis, & damnatis.

QVÆSTIO XLIII.

An, omnes homines viatores, ſint capaces iuramenti?

REſpondeo dicendum; quod non. Nam, pueri ante annos diſcretionis, amentes, furioſi, & omnes iudicio rationis carentes, incapaces iuramenti ſunt. Poſt verò rationis vſum, ex natura rei omnes ſunt iuramenti capaces, *cap. 1. de delictis puerorum.* Legantur Suarez *cap. 14. citato à num. 5.* Fagundez *n. 22.* Palaus *n. 1. fine.* & nos infrà latius *diſp. 43. q. 12.* & omnes, qui idem docent loquendo de perſonis, quæ voto obſtringi poſſunt, de quo infrà *tract. 2. diſp. 5.*

QVÆSTIO XLIV.

An Pagani, qui nullum omnino Deum cogitant, vel admittunt; vt Athei, qui animam immortalem non credunt, ſint capaces iuramenti?

REſpondeo vt certum: quod non. Quia nullum Deum poſſunt in teſtem inuocare. Imo, nec videntur cogitare aliquid maius homine: ſed omnes, qui iurant, per maiorem ſui iurant, vt dixit Paul. *ad Hebræos 6.* ergo. Sic Suarez *n. 6.* Fagundez *n. 23.* & Palaus *loco cit.* & omnes.

QVÆSTIO XLV.

An ſaltem Gentiles, qui licèt verum Deum ignorent, falſos tamen deos cognoſcunt, & colunt, ſint capaces iuramenti?

REſpondeo vt certum. quod huiuſmodi homines, verè, & in re, non ſint capaces iuramenti, & conſequenter nec obligari poſſint ex vi illius. Benè tamen poſſint vti iuramento, intentione, & exiſtimatione ſua; & obligari ex conſcientia erronea; at ſublato errore, v.g. cum baptizantur, iam non tenebuntur amplius ad tale iuramentum. Sic omnes.

QVÆSTIO XLVI.

An Iudæi, Mauri, & Turcæ, & alij, qui verum Deum, licèt imperfecto modo, agnoſcunt; ſint capaces iuramenti?

REſpondeo vt certum: quod ſic. quia quælibet exiſtimatio de vero Deo, ſufficit ad colendum illum per iuramentum, & conſequenter ad inuocandum illum in teſtem, vt docet Paulus *ad Roman. 1. & 2.* erit ergo tale iuramentum verum, & ſolidum, & habere poterit effectus iuramenti proportionatos cognitioni, & honeſtati naturali. Sic Suarez *loco cit. num. 7.* Fagundez *num. 25.*

DISPVTATIO VII.

De comitibus, ſeu conditionibus iuramenti, nempe, de veritate, iuſtitia, & iudicio.

QVÆSTIO PRIMA.

An, vt iuramentum quodlibet ſit licitum, & honeſtum, debeat habere veritatem, iuſtitiam, & iudicium?

REſpondeo debere habere, & ſufficere pro honeſtate cuiuſlibet iuramenti, vt diximus ſupra *diſp. 1. quæſt. 20. 21. & 22.* Legantur ibi dicta. Nunc de ſingulis præfatis conditionibus, more ſolito, tractabimus.

---

§. I.

De veritate requiſita in iuramento aſſertorio.

QVÆSTIO II.

An veritas in iuramento aſſertorio, conſiſtat formaliter, in eo, vt iurans exiſtimet verum eſſe id, quod iureiurando affirmat, vel negat?

NEgat ex parte Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 1. dub. 5. num. 2.* quatenus dicit, quod veritas in iuramento aſſertorio eſt, & conſiſtat, in eo quod res ita ſe habebat, ſicut firmatur; vel ſaltem debita facta diligentia, verum exiſtimet eſſe id, quod atteſtatur.

Sed clarius, & melius Reſpondeo affirmatiuè, nempe, quod veritas in iuramento aſſertorio, formaliter conſiſtat in eo, vt iurans aduertat, & bona fide

fide putet verum esse, quod iureiurando affirmat, vel negat; siue rem præsentem affirmet, siue præteritam, siue futuram; v.g. quis iuret heri eleemosynam dedisse, tunc velle dare, & cras daturum. Debet saltem moraliter scire ita esse, & fore. Veritas ergo (ait Tamburinus) non tam sumitur ex ipso obiecto, seu re iurata materialiter, quàm formaliter ex ipso animo iurantis. Contingit enim sæpe, rem non ita esse, vt ego sine dolo, & facta diligentia sufficienti inquirendi veritatem, deliberate iuro, sed tamen quia ita est in cognitione mea, iuramento non deest veritas. Dico, *deliberatè*, quia excusatur quis à mortali, si perfecta deliberatio defuit, vt est vniuersalis doctrina in similibus actibus humanis. Hæc Tamburin. *lib.3. in Decal. cap.1. §.4. num.1.* Fagundez etiam *lib.2. in Decal. cap.6. num.2.* Sanchez *lib.3. in Decal. cap.4. num.2.* ibi: veritas in iuramento assertorio, in eo consistit, vt iurans arbitretur esse verum id, quod iureiurando asserit. Palaus *disp.1. de iuram. punct.5. num.2.* sic dicens: Aduerto tamen; mendacium in iuramento assertorio, non tam desumi ex conformatione (sic *lege*; non, *confirmatione*) iuramenti cum re asserta in se, quam in mente iurantis. Potes namque iurare rem aliter, quàm à parte rei est; & non ob inde falsum iurare: quia prudenter existimasti, sic se habere. Et è contra, iurare potes rem, prout est in se, & falso iurare, si prudenter existimabas aliter se habere. Debet ergo iuramentum assertorium; vt verum sit conformari cum intellectu iurantis. Sic ille. Et Luysius *in sum.1.p. cap.168. dub.1.concl.1.*

QVÆSTIO III.

An defectio veritatis in iuramento assertorio, si res sit grauis; semper sit mortalis?

REspondeo vt quid certissimum: semper esse mortalem: (nisi aliàs absit perfecta libertas.) Ratio est; quia inuocare Deum in testem falsi, est grauissima illius iniuria, cũ Deus sit summa veritas, cui falsitas infinitè repugnat. Sic omnes. Legantur D. Thom.2.2 *q.98. art.5. ad 1.* Caiet. *in sum. v. periurium, cap. 1. vers. inchoando.* Sotus *lib. 8. de iustitia q.2. art.3 concl.1.* Azor *tom.1. lib.11. cap.4. q.1.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.3. de iuram. cap.4. num.2.* Valentia 2.2. *disp.6. q.7. punct.3. concl.1.* Lessius *lib.2. de iust. cap.42. num.11. vers. deinde.* Sanchez *lib.3. Decalogi, cap.4. num. 6.* Sayrus *in claui Reg. lib.1. cap.4. num.15. & 16.* Tolet. *lib.4. sum. cap. 21. num. 8.* Fagundez *lib. 2. Decalogi cap.6. n.3.* Palaus *tom.3. disp.1. de iuram. punct.5. n.1.* Bonac. *in 2. præcept. Decal. disp.4. q.1. punct.3. num.5.* Trullench. *lib.2. decal. cap.1. dub.6. num.1.* Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 2. §.1. num. 1.* & alij apud Dianam *p.5. tract.5. resol.4.* & alij.

QVÆSTIO IV.

An etiam, defectus veritatis in materia leui, sit etiam mortalis, in iuramento assertorio?

REspondeo vt quid certissimum: Etiam esse mortalem. Quia etiamsi leuissima sit materia iuramenti, fit Deo grauissimã iniuria, cum adducatur in testem falsitatis. Sic omnes Authores nuper citati, nec non Sanctarellus, Merolla, Baldellus, Homobonus, Faustus, Malderus, Molfessius, & alij quos citat, & sequitur Diana *resol. 4. citata.* Sic etiam Luysius *cap. 168. citato dub.3. concl.2.* & omnes.

QVÆSTIO V.

An, iuramentum assertorium falsum, factum causa ioci, etiam sit periurium mortale?

NEgarunt quidam existimantes, solum esse periurium veniale. Quia mendacium iocosum, non est simpliciter mendacium; ergo qui tale mendacium iurat, non dicetur simpliciter iurare mendacium: ergo nec simpliciter periurus. Ita tenuere Gotfredus *in cap.* Quod autem, *& cap. vltimo 22. q.2.* & Glosa *in cap. vnum. 5. Nunc in fine vers. iuramus 25. dist.* Quorum sententiam, ita existimat probabilem Angelus, vt contrariam solum appellet tutiorem, his verbis: Secundò, falsa iuratio, est ex parte iurantis tantum: vt cùm quis iurat verum, credens esse falsum, quod iurat. Tertiò, ex parte vtriusque, scilicet, cum quis iurat falsum, sciens esse falsum. Et istis duobus modis, si fiat iocosè, est peccatum veniale, secundum Gotfred. *22. q.2. cap. Quod ait, & cap. vltimo.* Secundùm verò Theologos est peccatum mortale, propter irreuerentiam Dei. Posset tamen dici, quod mendacium iocosum, non sit propriè mendacium, vt in dicto *cap. Quod ait*, ideo posset teneri opinio Gotfredi, quod non peccat mortaliter: quia non propriè periurat. Sed opinio Theologorum est tutior. Hæc Angel. *verb. periurium in principio.*

Sed vt quid certissimum Respondeo dicendum, quod etiam iuramentum falsum, iocosè factum, sit mortale periurium. Ratio est quia cæteris paribus, eo periurium est grauius peccatum, quo materia illius leuior, & vilior est: quia plus diuini nominis honori derogatur, cùm assumitur in testem falsitatis, nulla causa ducenti, sed solo ioco. Sic D. Thom. 2.2. *q.98. art.3. ad 2.* & expresè contra Angelum & Gotfredum, Sylvester *v. periurium, num. 1.* Couarru. *de pactis 1.p. §. 6. num. 5.* Sayrus *lib. 5. cap.4. n.15. & 16.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.3. de Decal. cap.4. num.7.* Fagundez *lib.2. cap.6. num.4.* Trullench. *num.1. citato.* Bonac. *loco cit.*

QVÆSTIO VI.

An sit etiam mortale, iurare rem dubiam, vt certam?

REspondeo tanquam certum: Esse etiam mortale. Quia, qui rem sibi dubiam, vt certam iurat, reuera falsum iurat: quia reuera mentitur, cum asserat tanquam certam rem, de qua est dubius, vt igitur tunc non iuret falsum, debet illam rem affirmare tanquam dubiam: dicendo suspicor, aut credo, ita esse. Sic Angelus *verb. periurium, n.3.* sic dicens: Quarto modo dicitur periurium affirmatio dubitationis: vt cum quis illud de quo dubitat, asserit cum certitudine efficaci, iuramento confirmata; & sic peeccat mortaliter secundum Aureol. secus si assereret illud humano modo, sicut potest scire in talibus, sicut respondet ordinandis, quantum permittit humana fragilitas: quia non esset mortale,

secundum

ſecundum eundem Aureol. Sic Angel. Sylueſter etiam, ibi, *quæſt.* 1. Suarez *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7. Nauarr. *cap.* 12. *n.*7. Sayrus *lo.cit. num.*7. Sanchez *cap.*4. *cit. num.* 8. Qui idem dicit de illo, qui rem ſibi certam, iuraret, vt dubiam. Quod totum docet Palaus *punct.* 5. *citato*, *num.* 2. ibi: Exquo fit, ſi rem, quam exiſtimas dubiam, vt certam affirmes: vel, quam exiſtimas certam, vt dubiam iures, periurium falſum committere: quia firmas iuramento rem, aliter quam habes in mente. Sic ille Bonac. *diſp.* 4. *q.*1. *punct.*3. *n.*6.& 8. & Luyſius *cap.*168. *cit. dub.* 3. *concl.* 3. docens: Peccat mortaliter, qui affirmat cum iuramento quod eſt dubium, aut ipſe de eo dubitat.

QVÆSTIO VII.

An iuret falſum, peccétque mortaliter, qui per hyperbolem, iurat rem, quæ vt ſonat, vera non eſt?

REſpondeo vt certum; non iurare falſum, & conſequenter, nec peccare mortaliter. Quia dicere aliquod falſum per hyperbolem, vel aliam figuratam locutionem, non eſt mendacium, nec peccatum, vt tradit S. Thom. poſt D. Auguſtinum 2.2. *q.*111. *art.* 1. & probatur per illud Dauidis 1. *Reg. cap.* 10. *Ionatas, & Saül, aquilis velociores, & leonibus fortiores.* Sic Nauarr. *lib.* 5. *conſil. tit. de hæreticis, conſil. mihi* 15. Et ratio, inquit Sanchez, eſt: quia hyperbolica locutio non efficit illum ſenſum, quem ſonant verba; ſed eſt quædam exaggeratio: ſic ille, *num.*9. Et poſt illum, Thom. Tamburinus ſic dicens: Ad moralem certitudinem ex parte rei iuratæ, pertinet locutio hyperbolica. Iuro, Petrum, infinitis pollere diuitiis; à me infinito amore te diligi; innumerabiles eſſe tuos æmulos, &c. vt enim veritate non careant hæc iuramenta, ſatis eſt, diuitias, amorem, æmulos, aliquo tandem modo excedere: id enim eſt prædicta eſſe talia, humano more, & moraliter. Sic ille *lib.* 3. *Decal. cap.* 2. §. 1. *num.* 4. Fagundez *lib.*2. *cap.* 6. *n.*10. Bonac. *loco cit. num.*6. Palaus *diſp.*1. *de iuram. punct.* 6. *num.*2. Sayrus *lib.*5. *cap.*5. *num.*12.

QVÆSTIO VIII.

An, certitudo veritatis, quam exigit aſſertorium iuramentum, debeat eſſe euidens, & omnino infallibilis?

REſpondeo vt certum: quod non: quia ſi talem certitudinem exigeret vix poſſet iurare. Igitur ſat eſt, quod quis habeat certitudinem moralem, aut probabilem veritatis, quam iurat. Sic Sanchez *loc. cit. num.* 10. his verbis: Ad veritatem huius iuramenti aſſertorij, exigitur, & ſatis eſt, vt iurans, ita rem ſe habere arbitretur prudenter, & non leui coniectura ductus, ſed certa, aut veriſimili, atque probabili; ac proinde ſecundum iudicium iurantis conſentaneum rationi, ſiue id à parte rei verum ſit, ſiue falſum ſit. Quia hoc eſt mortaliter certum eſſe. Sic ille. Et apud illum Azor, Leonardus, Suarez, & Valentia. Palaus *punct.* 5. *cit. n.* 2. *verſu dixi.* Bonac. *diſp.* 4. *q.*1. *punct.*3. *n.*5. Tamburin. *lib.*3. *Decal. cap.*2. §. 1. *n.*6. Qui tamen addit, quod ad iurandum non ſufficiat quælibet probabilitas, ſed ea, quæ ad certitudinem moralem faciendam, peruenire, neceſſaria ſit. Sed certè, quælibet probabilitas facere moralem certitudinem, ſæpe diximus, cum communi. Vnde (vt benè ait Palaus) ſufficiet, ſi prudenter, hoc eſt, ſecundum probabilem rationem, ita eſſe, arbitretur. Sic etiam ſentit Luyſius 1. *p. ſum. cap.* 168. *dub.* 3. *concl.*4. per hæc verba: ſi tamen quis affirmet cum iuramento quod putat verum prudenter etiamſi ſit falſum, non peccat peccato periurij; imo nec alio, ſi prudenter ſe geſſit. Sic ille.

QVÆSTIO IX.

An, vt ſcholaſtici verè iurent, aliquem ſcholaſticum ad ſcholas acceſſiſſe tempore requiſito ad curſum conficiendum; ſufficiat, quod rationabiliter id credant, eo quod illum viderint eo tempore communiter ad ſcholas adeuntem?

REſpondeo id ſufficere. Quia ad id iurandum, ſufficit certitudo moralis, qualis eſt hæc, quam, in caſu propoſito, habent teſtes. Vnde conſtitutio petens iuramentum, eſt de hac morali certitudine intelligenda. Sic Sanchez *lib.*3. *Decal. cap.*4. *n.*11. & Petr. Hurtado 2.2. *diſp.*173. *ſect.*15. §.229. per hæc verba: Scholaſticus vult probare curſum, ad quod eget duobus teſtibus, adhibet duos amicos, qui illum non viderunt intereſſe lectionibus: at ſatis ſibi perſuadent illum interfuiſſe, at non poſſunt iurare, ſe id vidiſſe, ad primum enim habent ſufficientem cognitionem (vt pono ex caſu) ſecundum autem illis conſtat eſſe falſum. Hæc ille, quem citat, & ſequitur Diana *par.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 10. & vtrumque Tamburinus *loco cit. num.* 8. citans pro hac parte Lugum. *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 39. *ſect.* 3. *n.*19. Palaum *diſp.*1. *punct.*5. *n.*3.

QVÆSTIO X.

An, liceat perſuadere alicui, vt iuret obiectum quidem verum, ſed quod ille ignorat?

REſpondeo vt certum: Non licere; niſi iuratus, prius ſibi perſuadeat probabili fundamento perſuadentis ita eſſe. Sic Hurtado *loc. cit.* cuius ratio eſt: quia iurare ſine probabili cognitione, aut certitudine rei iuratæ eſt peccatum mortale: ergo & inducere ad tale iuramentum. Si verò prius perſuadeamus homini veritatem, ita vt ille efformet dimen practicum de honeſtate iuramenti, licitum eſt illud petere, quia petimus rem licitam. Id conſtat, tum exemplo ſcholaſticorum adducto nuper, *quæſt. antecedente.* Tum ſequenti. Nam ſi quis interrogatus de nobilitate Antonij, doceatur prius ab ipſomet Antonio fundamenta facientia fidem de illius nobilitate: quia vel adducit ſenes, homines quidem frugi, & gnaros, vel oſtendit antiquitatis (non iniquitatis, vt leges apud Dianam) inſtrumenta, & monumenta vetuſta, quibus prudenter creditur, rem ita eſſe; poſſumus quidem licitè iurare, Antonium eſſe nobilem: quia ad id aſſerendum, ſatis eſt prudens perſuaſio ſine vlla ratione probabiliter dubitandi. Sic Hurtad. loco cit. & Diana. quibus accedit Tamburin. *loco cit. n.*7. *fine.* ibi. Quando petitur

titur informatio personæ, v.g. vel, vitæ, & famæ & similium, cum non intentatur à Iudice certitudo de visu, satis est certitudo moralis ex auditu, siquidem methaphisica, & omnimoda de his, nec haberi, nec quæri solet. Sic ille, ex Sanchez *lib.3. Decal. cap.4. n.13.*

QVÆSTIO XI.

An etiam in iudicialibus, sufficiat certitudo moralis, quæ consurgit ex auditu fide digni, vt quis rem tanquam certam iuret?

REspondeo, non sufficere. quia in iudicialibus, semper quod testis absolutè testatur, testari censetur, de visu, & præsentia propria; & ideo secundum hunc sensum à Iudice (cui cum veritate responderi debet) expostulatur iuramentum, vt habetur *in cap. testes 3.q.9.* in iudicialibus ergo exigitur ad iuramenti veritatem, omnimoda certitudo: nisi quando ex lege, aut consuetudine intelligitur id iuramentum, de credulitate, eo quod nequeat plena certitudo haberi: vt quando accipitur à Iudice iuramentum de idoneitate alicuius personæ, vt tradunt Sotus, Gabriel, & Sayrus, quos sequitur Sanchez *num.13. cit.* & etiam Tamburinus, *num.7. citato*, & Palaus.

QVÆSTIO XII.

An scholasticus possit inrarè, aliquem ex suis sociis, toto anno scholas frequentasse; cum id non fecerit, nisi per maiorem partem anni?

NEgat absolutè Sanchez *lib.3. Decal. cap.4. num.11. in fine*. vbi ait: quod ad huius iuramenti veritatem, opus sit, aut mathematicè totum tempus impletum sit: quia id Vniuersitatis constitutiones petunt; vt reputetur integer vnius anni cursus. Ita ille.

Sed clariùs Respondeo, Posse quidem; nisi aliàs expresè id constitutiones Vniuersitatis petant, & extent in viridi obseruantia, nec sint consuetudine introducta derogatæ. Sic Tamburinus *lib.3. Decal. cap.2. §.1. n.2.* iis verbis: Hinc non est condemnandus Parochus, si testificetur suum clericum frequentasse toto anno Ecclesiam; cum tamen per maiorem solum anni partem diuinis officiis astiterit; id enim est moraliter toto anno frequentasse. Idem dic de scholasticis, si testificentur aliquem ex suis scholas simili modo frequentasse. Excipe, nisi fortè Vniuersatis, vel Ecclesiæ constitutiones requirant annum mathematicum; tunc enim, non de re morali, sed de re, prout adamussim se habet, iurandum. Sic ille. Et benè, si addas, nisi alias dictæ constitutiones non sint derogatæ consuetudine contraria interpretante illas de re morali, hoc est, de maiore parte anni. Hinc excusauit idem Tamburinus quendam Sacerdotem iuratem se in Parochia per hebdomadam maiorem, confessionibus excipiendis operam dedisse, iuxta edictum Episcopi, sub excommunicatione latæ sententiæ id præcipientis, licèt per aliquem diem abfuerit; quia videlicet, moraliter semper adfuit.

QVÆSTIO XIII.

An, vt licitum sit iuramentum, sufficiat, vt res de qua profertur, secundùm modum, & sensum humanum sumpta, sic se habeat?

REspondeo, sufficere. quia reuera adest certitudo moralis sufficiens ex parte rei iuratæ, vt sit licitum, cum secundum sensum humanum, ita res se habeat. Sic Tamburinus *loc.cit.num.2.* id sequentibus exemplis probans. Si quis (inquit) iuret, se lautè manè comedisse; se vidisse statuam marmoream lacteam: se scire Petrum esse iracundum, &c. non est necesse, vt lautissimum fuerit conuiuium; marmor verè lacteum; Petrum quocumque momento irasci solere: sed satis est, iuxta consuetum ciuitatis morem opiparè comedisse; marmor ad lactis candorem accedere; Petrum identidem excandescere; id enim est moraliter lautum, lacteum, iracundum, &c. Sic ille. Lege pro hac conditione, *quæst.23.* infrà excutiendam.

§. II.

De iustitia in iuramento assertorio requisita.

QVÆSTIO XIV.

An iustitia in iuramento assertorio requisita, consistat, in eo quod actus iurandi sit iustus, & rectus?

REspondeo, quod sit, vt docet Sanchez *lib.3. Decal. cap.4. num.3.* vel, vt Bonacina dicit, consistit in hoc, quod iuramentum non fiat de re illicita. Vel, vt Palaus vult, in eo quod iuratur, honestè iuretur. quod idem dicit Tamburinus *lib.3. cap.1. §.4. n.5.* his verbis: iustitia in eo consistit, vt id iuratur honestè, & sine peccato iuretur. Hic enim iustitia non sumitur strictè, pro virtute reddendi vnicuique suum; sed latè, iuxta illud: *Oportet me implere omnem iustitiam.* Legatur Bonac. *disp.4. q.1. punct.3. n.9.* Palaus *disp.1. punct.2. num.2. fine.*

QVÆSTIO XV.

An, ex eo precisè, quod aliqua res iniusta, & iniqua, iuretur ab aliquo, deficiat in tali iuramento iustitia?

REspondeo dicendum: quod non præcisè ex eo quod quis aliquam rem iniustam, & iniquam iuret, deficit in eo iuramento iustitia; sed ex eo, quod rem iniustam, & iniquam, iniustè, & iniquè iuret, nempe ad securiorem, & firmiorem reddendam rem, quam asserit.

Prima pars patet: nam rectè potest quis rem iniustam & iniquam, iustè & licitè iuramento firmare; vt patet, si ob aliquem bonum finem, peccatum suum vel alterius, iuramento confirmet: ergo iuramentum precisè ex hac parte, nec iniustum, nec iniquum esse potest.

Secunda

Secunda verò pars constat. Quia ex eo quod quis rem iniustam, & iniquam iuret ad firmiorem, & securiorem reddendam, assumit iniustè, & iniquè nomen Dei, cum illud assumat vt medium, & instrumentum iniquitatis. Sit exemplum. Si enim (ait Palaus) crimen occultum proximi reuelares, ex cuius reuelatione grauatur eius opinio, & reuelationem iuramento firmares, iam iuramentum assumis, vt medium, & instrumentum ad securiorem, & firmiorem reddendam tuam iniquitatem. Tua enim iniquitas in eo sita est, vt reuelatione occulti delicti proximi de illo audientibus opinionem ingeras; sed hanc malam opinionem auges, firmorémque reddis iuramento: ergo in iuramento assertorio defectus iustitiæ esse potest, non ex eo quod res iurata mala sit, sed eo quod male iuretur, assumendo iuramentum, vt firmamentum iniquitatis. Sic ille *punct.4. cit. in principio, & fine.*

QVÆSTIO XVI.

An defectus iustitiæ in iuramento assertorio, sit mortalis, vel venialis, secundum quod narratio, confirmata iuramento, mortalis, vel venialis fuerit?

AFfirmant quidam Doctores, docentes, quod quoties quis iuramento assertorio affirmat rem, in cuius assertione est culpa mortalis commissa, tunc eam asserendo, est præter illam culpam mortalem assertionis, alia culpa mortalis iuramenti defectu iustitiæ. Et si in assertione culpa venialis committitur; est alia venialis, ratione iuramenti. Vt si quis, v. g. absque iusta causa, occultam grauem proximi infamiam detegat, id iuramento asserens; dicendo v.g. *iuro per Deum hunc esse adulterum*, tunc vltra peccatum graue detractionis, est mortale id iuramentum defectu iustitiæ. Et si iniqua actio sit venialis, v.g. *iuro per Deum, hunc mendacia officiosa dixisse*; tunc iuramentum erit veniale, ita sentiunt Sotus *lib. 8. de iust. q.1. art.3.* Petr. Ledesma *2.tom. sum.tract.11. cap.2. dub.4.* Toletus *lib.4. cap. 21. num. 11.* & alij apud Sanchez mox citandum.

Sed clariùs, & probabiliùs Respondeo dicendum ex nuper dictis, quod defectus iustitiæ in iuramento assertorio non sit desumendus ex eo, quod iuramentum confirmet rem, aut actionem, quæ mortalis sit, vel venialis; sed ex eo, quod assumatur, vt medium, & instrumentum ad finem prauum. Et ideo, si finis, ad quem iuramentum vt medium assumitur, mortalis sit, mortale erit iuramentum, si vero finis sit venialis, veniale erit.

Ex quo infertur, quod quotiescumque proximo grauiter quis detrahit, & id iuramento confirmat, præter peccatum detractionis, mortale nouum peccatum committit defectu iustitiæ: quæ assumit iuramentum, seu testimonium Dei, tanquam medium ad iniquè agendum, nempe, ad veriorem & firmiorem faciendam detractionem proximi. Sic ex Suario *tom.2. de Relig. lib.1. de iuram. cap.3. n.6. & lib.3. cap.2. num.5. & cap.12. n.7. & 8.* docet Sanchez *lib.2. Decal. cap.4. n.33.* Bonac. *punct.2. cit. fine.* Reginald. *lib. 18. n.87.* Tamburinus *lib. 3. cap.1. §.4. n.5.* Palaus *disp.1. punct 5. n.5.* Qui *n.6.* cum Suario, & Sanchez infert secundo, non committere peccatum mortale, contra Religionem, & contra iuramentum, quando quis proprium peccatum manifestat, & de illo se iactat, & vt credatur commisisse, vel complacentiam illius habere, iuramento id confirmat. Nam esto illa narratio, aut complacentia sit mortalis, iuramentum tamen non assumitur vt medium, ad augendam & firmandam illam moralem complacentiam in se, sed in audientium animis; hoc est, assumitur, vt medium ad firmandam in auditoribus credulitatem illius, qui finis non videtur mortaliter prauus. Sic Palaus. Quem citat, & sequitur Tamburinus *n.6.*

§. III.

De iudicio in iuramento assertorio requisito.

QVÆSTIO XVII.

An iudicium, in iuramento requisito, consistat in eo, quod adsit matura consideratio de necessitate, vel vtilitate iurandi?

REspondeo vt certum quod sic. Ratio est: quia irreuerenter certè Deum implorat, qui nulla rationabili interueniente causa, ad tantum testimonium interponendum, accedit. Sic omnes. Legantur Sotus *lib.8. de iust. q. 1. art. 3. ad finem corporis.* Sanchez *cap. 4. cit. n.4.* Palaus *punct.4. n.2.* Tamburinus §. 4. *fine.*

QVÆSTIO XVIII.

In quonam consistat necessitas, & vtilitas, requisitæ ad honestatem iuramenti?

REspondet, ex Soto, Sanchez *n.4. cit.* quod in tribus consistat. *Primum* est, vt veritas iuramento stabilienda, nequeat alia via comprobari. Nam patentissimæ veritates, vel speculatiua dubia, quæ rationibus muniri debent, iuramento confirmare, temerarium est. *Secundum est*, vt subsit necessaria, aut pia iurandi causa. *Tertium* vt præcedat veritatis maturum examen. Et *quartum* (addit Sanchez) vt debita, diuini nominis in testem adducti, reuerentia iuretur. Sic ille, quem sequitur Fagundez *lib.2. Decal.cap.5.n.14.*

Sed quia adhuc manet dubium, quænam sit, & quanta debeat esse necessitas iurandi, quodvè maturum examen; Resp. cum Suario, id prudentis arbitrio iudicandum esse, ideóque (ait Suarez) hunc tertium comitem, merito iudicium, & discretionem appellari: quia non potest certior regula tradi. Ad hoc autem iudicium ferendum, præcipuè considerandus est finis iuramenti, posito autem fine honesto, & sufficienti, satis erit ad honestatem iuramenti, quod aliqua moralis vtilitas ad talem finem in eo expectari, & operari possit: quia tunc iam cessat omnis ratio irreuerentiæ. Sic ille *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. cap.3. n.8.* quem sequitur Palaus *disp.1. de iuram. punct.4. n.2.*

QVÆSTIO XIX.

An defectus iudicij repertus in iuramento, constituat culpam mortalem, sicut defectus veritatis?

REspondeo tanquam quid certum. Quod talis defectus, præcisè ex se consideratus, minimè culpam mortalem, sed solam venialem constituat. Quia non irrogatur grauis Deo irreuerentia, sed leuis, ex eo, quod eius nomen, absque necessitate, aut vtilitate, inuocetur; si aliàs, iustè, & verè inuocetur. Sic Sanchez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 12. num.* 3. Nauarr. *cap. 12. num.* 3. Sayrus *lib. 5. cap. 4. num.* 32. Lessius *lib. 2. cap. 42. dubit. 3. num.* 17. D. Anton. Angel. Sylust. quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 4. num. 35.* Palaus *disp. 1. de iuramento punct. 5. n. 7.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 5. n. 15.* Tambutin. *lib. 3. cap. 1. §. 4. fine.*

QVÆSTIO XX.

An saltem, si desit iudicium, ex parte negligentiæ, & iniquisitionis necessariæ ad perpendendum, an sit verum, & iustum, quod iuratur: tunc defectus iudicij sit mortalis?

REspondeo dicendum, quod si negligentia sit grauis, erit mortale peccatum, non tam, ob defectum iudicij, quàm ob periculum graue falsò, & iniustè iurandi. Si verò negligentia fuerit leuis, & exigua, eo quod aliqua, licet non sufficiens, adhibita fuerit, erit veniale. Ratio est (inquit Sanchez) quia quando quis est notabiliter negligens, censetur perfecta falsi iurandi voluntas: quando verò leuiter, censetur ea voluntas imperfecta. Cum enim tota voluntarij indirectè & culpæ ratio, ex negligentia proficiscatur; eatenus est perfectè, aut imperfectè voluntarium, quatenus est perfecta, aut imperfecta negligentia. Sic Sanchez *cap. 4. cit. num.* 13. Abulens. Angel. Sylvest. Sotus, Nauarr. Suarez, Lessius, Sayrus, & Valentia apud ipsum. Palaus, Fagundez, & Tamburinus *citati.*

QVÆSTIO XXI.

An, qui notabiliter est negligens, in inquirenda veritate rei, quam iurat; excusetur à mortali, casu, quo contingat esse verum, quod iurauit?

REsp. vt certum: Non excusari à mortali. Quia non sufficienter prouidet, vtrum falsum sit, nec ne id, quod iuramento confirmat; & per accidens contingit, quod verum sit. Sic communiter Doctores, S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. S. Bonauent. *in 3. dist.* 39. *art.* 1. *q.* 2. *n.* 16. & ibi Scot. *q. vnica.* Ricard. Angel. Caiet. Sotus, Nauarrus. Couarru. Valentia, Aragon, & alij plures, quos citat, & sequitur Sayrus *lib.* 1. *clauis. Reg. cap.* 4. *n.* 33. *vers. dixi.* Vbi aduertit, hanc doctrinam intelligendam esse in casu, quo talis aduertat, se iurare; & aduertat, se iurare id, quod est falsum, aut dubium, an verum, aut falsum sit, & consequenter etiam id, quod est insufficienter discussum, quod Doctores vocare solent, *aduertere de dicto, & iuramento.* Sic enim quis solùm anteuertente lingua iudicium, inter id, quod non sufficienter discussit, non aduertens se aliquid tale iurare, non peccat iurando, cum iurare ita induertenter non sit actus humanus. Sic ille. Legantur etiam Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 4. num.* 10. & 15. Fagundez *lib. 2. cap. 6. num.* 17. & 18.

QVÆSTIO XXII.

An, si quis, dum initio iurare cæpit, non plenè animaduertit esse mendacium; & cum aduertit, non cessat; peccet, in hoc casu, mortaliter?

REsp. mortaliter peccare: quia tunc consultò rem falsam iurat. Sic Sylvester *v. iuramentum 2. q. 6. vers. secundò!* vbi docet, peccare mortaliter illum qui impetu iræ iurat, si iurando aduertit, se iurare falsum, & tamen prosequitur. Sic ille. Et ex illo, Sanchez *n.* 15. *cit.* ibi: Quamuis autem in initio iurare cœpit, non plenè aduertit, si in ipso iuramenti discursu, aduertat esse mendacium, & cum aduertit non cessat, est mortale. Sic ille & Fagundez ex vtroque, *loco citato.*

QVÆSTIO XXIII.

An, iurare falsum cum aduertentia plena, excusetur à mortali, si id fiat ex aliquo bono fine?

REspondeo vt certum: Non excusari à mortali. Ratio est: quia mendacium, ita est intrinsecè malum, vt nullo bono fine, nullavè causa, & ratione, honestari possit: ergo nec iuramentum confirmatorium illius, nullo bono fine, nullavè causa, & ratione à propria malitia, quæ mortalis est, excusari potest. Igitur, iurare cum mendacio, quocumque fine bono, necessario, vel voluntario; siue pro bono priuato, siue pro communi, siue grauissima necessitate vrgente, semper est mortale, ob ratione dictam. Sic ex Soto, Sayrus *lib. 5. clauis Reg. cap. 4. num.* 15. vbi ait, peccare mortaliter, qui falsum iurat ad cauendum sibi mortem vel, innocenti, vel Regi, vel ad liberandam ab incendo, & proditione, totam rempublicam. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 6. Suarez *lib. 3. iuram. cap. 4. num.* 6. Sanchez *cap. 4. cit. num.* 6. Caiet. Toledo, & alij penes ipsum. Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 6. num.* 18.

§. IV.

De iuramento promissorio, & de veritate, iustitia, & iudicio, ad illud requisitis: & vbi etiam multa de voto.

QVÆSTIO XXIV.

An etiam, ad iuramentum promissorium licitè præstandum, requirantur illi tres comites, quos requirit iuramentum assertorium?

REspondeo tanquam quid certum: Requiri eosdemmet comites, quod hactenus diximus requiri ad iuramentum assertorium licitè præstandum nempe, veritatem, iustitiam, & iudicium. Sic omnes Doctores: quia tamen iuramentum promissorium, nonnulla habet propria quoad dictos comites, necessarium est illa specialiter explicare. Sit ergo.

QVÆSTIO XXV.

An, eamdemmet, & vnicam veritatem habeat iuramentum promissorium, ac assertorium?

AFfirmandum videtur. Quia iuramentum promissorium, verè continet assertorium; cum, vt illud verum sit, debet quis habere verum animum, promissum implendi: ergo de facto asserit implicitè, hunc animum habere: ergo, &c.

Sed clariùs Resp. non habere eamdem, & vnicam veritatem, sed duplicem. Quia veritas (ait Sanchez) in iuramento assertorio in eo consistit, vt iurans arbitretur esse verum, quod iureiurando asserit: at in iuramento promissorio, duplex veritas exigitur; altera de præsenti, nempe, vt adsit animus, rei iuramento promissæ implendæ, in qua conuenit cum iuramento assertorio: altera verò de futuro, vt res promissa impleatur suo tempore. Quare inter assertionem simplicem, & iuramentum id, distat, quod ad illius veritatem, satis sit affirmantem in animo habere id implere quod affirmat, nec erit mendax si postea, mutata voluntate, id non impleat: vt si quis affirmet, se à prandio dormiturum, verax est, si tunc in animo habuit, etsi postea non dormiat. Ad iuramenti autem promissorij veritatem, vtraque veritas desideratur. Atque ita docent D. Thom. 2.2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 1. & ibi Caiet. Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 7. *ad* 1. & omnes. Huc vsque Sanchez *lib.* 8. *Decalogi cap.* 4. *n.* 2. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 21. & alij infrà *disp.* 44. *q.* 7. referendi.

QVÆSTIO XXVI.

An defectus veritatis de præsenti in iuramento promissorio, (seu in voto) semper sit mortalis; etiam si res, quæ promittitur, sit parua, & leuis?

REsp. tanquam certum: semper esse mortalem. Ratio est: quia vt nuper est habitum, in veritate de præsenti, conuenit iuramentum promissorium cum assertorio: atqui grauissima iniuria irrogatur Deo, si in testem assertionis falsæ, etiam rei leuissimæ, adducatur, vt suprà est habitum: ergo etiam erit grauissima iniuria, si in testem falsæ promissionis, etiã rei leuissimæ, inuocetur: patet, quia in vtroque casu fit Deus à iurante testis falsus. Semper igitur erit mortale iuramentum promissorium, quo aliqua res, siue magna, siue parua, siue licita, siue illicita promittitur, sine veritate de præsenti, hoc est, sine animo implendi, & exequendi talem rem promissam iuramento, aut etiam voto. Sic Syluest. *v. periurium q.* 1. *& ibi* Armilla. Caiet. 2.2. *q.* 89. *art.* 7. *circa solut. ad* 1. & alibi. Sotus *q.* 1. *cit. art.* 7. *& q.* 2. *art.* 1. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 13. Valentia 2.2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *cõcl.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *q.* 1. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 27. Suarez *lib.* 3. *de iuram. cap.* 15. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 42. *dubit.* 4. *n.* 18. Quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 16. quibus addi possunt Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 6. *n.* 22. Luysius 1. *p. summæ cap.* 168. *dub.* 3. *concl.* 4. Palaus *disp.* 1. *de iuram. punct.* 6. *n.* 1. Tamburinus *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. §. 1. Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 4. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. *q.* 8. §. 1. *n.* 11. Basseus *tom.* 2. *v. iuramentum, n.* 6. & omnes.

QVÆSTIO XXVII.

An peccet peccato mortali, qui iuramento (aut voto) promittit aliquid per hyperbolem, aut exaggerationem.

AFfirmandum videtur, cum promittat iuramento rem, quam adimplere, vt sonat, non potest, ac proinde falsò.

Sed vt certum Resp. non peccare mortaliter. quia hyperbolica locutio, non efficit illum sensum, quem sonãt verba, sed est quædam exaggeratio, vt de iuramento assertorio diximus sup. *quæst.* 9. & tenet Tamburinus ibi citatus, per hæc verba: Atque hæc, vt semel dicam, locum etiam habent in iuramento promissorio; vt si tibi promittam infinitas gratias acturum; si mater iuret, filium rixantem se occisuram, vel caput fracturum; si vir vrbanus, vt honore alium præueniat, iuret se primum non egressurum ex ianua', &c. Ad horum etiam veritatem, satis, supérque est, extraordinaria quædam gratitudo; punitio filij qualiscumque; animus qualis qualis non egrediendi; si quidem hæc dumtaxat, per illa verba intelliguntur. Sic ille, nec non Palaus *punct.* 6. *n.* 1. & antea Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *n.* 19. *& cap.* 9. *n.* 15. *&* 16. Sayrus *libro* 5. *clauis, cap.* 5. *n.* 12. Bonac. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. *n.* 6. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 6. *n.* 25. *&* 26. Prado, *loco cit. n.* 10.

QVÆSTIO XXVIII.

An, vt quis non peccet, quando aliquid per hyperbolem iuramento (aut voto) promittit; debeat habere animum illud implendi, iuxta sensum hyperbolicum?

REspond. vt certum: debere habere animum implendi id, quod iurat, iuxta sensum hyperbolicum: Quia aliàs esset mendax, & iuraret falsò si talis animus illi deesset. Hunc ergo debet habere animum, (non illum quem sonant verba) adimplendi iuramentum, iuxta sensum hyperbolicum. V. g. (ait Sanchez, *num.* 19. *cit.*) iurat quis alicui,

alicui, fore, vt ipsum auri statera pendat, si aliquid benè exequetur; vulgò, *Haced esto bien, que yo os pesare à oro*: sufficit ad veritatem, adesse animum satis, supérque soluendi. Id enim exaggeratio illa hyperbolica significat. At esset mendacium, si deesset animus copiosæ solutionis. Similiter, minatur quis filio, famulo, aut seruo, fore, vt ipsum interimat, ipsi vè ossa confringat; satis est, & requiritur ad huius iuramenti veritatem, vt iurans animum habeat grauiter puniendi, qui est sensus illius hyperbolis, &c. Sic Sanchez, & sic omnes, præcipuè suprà citati.

QVÆSTIO XXIX.

An peccet mortaliter, qui promittit cum iuramento aut voto aliquid, quod credit, non posse adimplere, eo quod sit impossibile?

NEgat Aragon 2.2.*q*.89.*art*.3.*dicto* 4.*pag*.1062. vbi affirmat, quod ille, qui iurat se facturum aliquam rem, indifferentem, vel impossibilem, tantum peccet venialiter. Quod peccet (inquit ille) patet: quia vtitur nomine diuino ad confirmandam rem, quæ vel fieri non potest; quia impossibilis; vel nihil refert, vt fiat, quia indifferens: quod sine aliquali irreuerentia fieri non potest. Quod autem huiusmodi peccatum sit tantum veniale, probatur: quia irreuerentia est leuis. Hæc Aragon. Quem sequitur Sayrus *lib*. 5. *clauis Reg*. *cap*.4. *in fine capitis*; vbi citat plures, quasi id ipsum docentes; sed male, vt infrà.

Vnde multo probabilius, immo vt mihi certum, Resp. dicendum, quod huiusmodi peccet mortaliter. Quia tali iuramento (aut voto) deficit veritas de præsenti, cum iurans (aut vouens) nequeat habere firmum animum implendi rem sibi impossibilem. Sic Nauarr. *cap*.12.*n*.22. Azor *lib*.11.*cap*.5. *q*.1. Suarez *lib*. 3. *de iuram*. *cap*. 18. *fine*. Angel. Hostiens. Syluest. & Abulens. quos citat, & sequitur Sanchez *lib*.3. *cap*.4.*n*.18. Fagundez *cap*.6. *cit*. *n*.24. Prado *tom*.2. *cap*.32. *de iuram*. *q*.8. §.1.*n*.11.

QVÆSTIO XXX.

An, saltem liber sit à mortali, qui iuramento (aut voto) promittit aliquid, quod, si non probabiliter, leuiter tamen credit, promissum posse adimplere?

AFfirmabunt à fortiori Aragon, & Sayrus. Sed ahuc, vt multò probabilius, Resp. nec hunc esse liberum à mortali. Quia vt liber sit, debet habere ad minus probabilem causam credendi, fore vt postea possit promissum implere. Quia hanc ad minus certitudinem in iuramento assertorio desiderari, cum communi suprà diximus. Sic Sanchez, & Fagundez, & penes illos, Hostiens. Angel. Sylvest. & Suarez, & sic Prado *loco citato*.

QVÆSTIO XXXI.

An deinde, sit mortale, iurare (aut vouere) rem aliquam alteri, animo dubio adimplendi illam?

REspondeo vt certum: Esse etiam mortale, quia qui iuramento assertorio affirmat rem dubiam pro certa, peccat mortaliter, vt sup. *quæst*. 6. est habitum: ergo similiter peccabit, qui iuramento promittit aliquid alteri, animo dubio implendi illud; patet, quia in vtroque defuit certa veritas moralis. Sic Sanchez *loc*. *cit*.*num*.17. qui citat Sotum *lib*. 8. *de iust*. *q*.1. *art*.7. *in solutione ad* 1. vbi ait, exigi ad huius iuramenti veritatem, vt adsit animus firmus, & certus implendæ rei promissæ. Sic etiam Fagundez *lib*.2. *Decalogi*, *cap*.6. *num*. 23. Qui citat Sanchez, omissio, ex iniuria Typographi, Soto, cuius verba (non Thomæ Sanchez) sunt, quæ adduximus. Sic etiam Mag. Prado *tom*.2. *cap*.32. *de iuram*. *q*.8. §.1. *n*.11.

QVÆSTIO XXXII.

An peccet mortaliter, qui alteri iuramento (aut voto) promittit rem aliquam grauem, & iustam, animo exequendi illam; si postea iuramentum (aut votum) frangat, & non impleat?

REspondeo tanquam certum: Peccare mortaliter. *Primò*, quia talis iuramenti fractione, grauis valde iniuria irrogatur Deo, contemnendo authoritatem illius in re graui. *Secundò*. Quia violatio voti in re graui licita ac iusta; est mortale peccatum: ergo à fortiori erit violatio iuramenti. Sic Palaus *disp*. 1. *de iuram*. *punct*. 6. *num*. 5. Sanchez *lib*.3. *Decal*. *cap*.4. *num*.21. qui dicunt in hoc omnes conuenire, licèt discordent in casu, quo materia sit leuis. Sit ergo.

QVÆSTIO XXXIII.

An etiam peccet mortaliter, qui iuramento (aut voto) rem leuem alteri promittit, animo illam exequendi, si postea illud non impleat?

AFfirmant multi. quia ideo iuramentum assertorium, vel promissarium, cui defuit veritas de præsenti, est mortale, etiam in parua materia, quia Deus, vt testis falsus adducitur: ergo etiam erit mortale, si deficiat de futuro veritas; patet, quia tunc iurans, quantum est ex se, est causa vt Deus sit testis falsus. Ita Gabriel *in* 3. *dist*. 39. *q*.2. *art*. 2. *concl*. 4. Caiet. *in sum*. *v*. *periurium*, *cap*.2. Armilla *verbo*, *iurare*, *num*. 12. Valentia 2. 2. *disp*.6. *q*.7. *punct*. 3. *concl*.3. Lessius *lib*.2. *cap*.42. *dubit*.5. *n*. 23. Bonac. *disp*.4. *q*.1. *punct*.14. *n*.2. Reginald. *lib*.1. *num*.79. Medina *in sum*. *cap*. 14. .4. ibi: Quarta regula. Quien iura de hacer vna cosa, despues no lo cumple siendo licita, i santa, i no contra los mandamientos, ni consejos de Dios, peca de suyo mortalmente, porque trae a Dios por testigo, i

por confirmador de sus falsedades, i engaños. Ita Medina, Fillucius etiam *tract.25. cap.10.q.7.* tenent etiam hanc partem, apud Acacium, Tabiena *v. iuram.n.11.* Couarr. *1.variar.cap.7. n.2* Philiarcus *de Offic. Sacerd.tom.1. lib.3.cap.3.* Sayrus *lib.5.clauis Reg. cap.4. n.28.* Toletus *lib.4. cap. 22. in principio*, & alij. Qui omnes defendunt, iuramentum promissorium de re parua & minima, dummodo licita sit, vt v.g. de dando pomo, aut obolo puero, obligare ad mortale. Sic etiam Basseus *tom.1.v.iuramentum 4.n.3. & tom.2.eod.verb.n.7.*

Alij omninò contrà negant, peccare mortaliter illum, qui rem paruam promissam, siue ea sit tota materia, siue pars tantum, non adimplet. Ratio eorum est: quia violatio voti in re parua, non est peccatum mortale, nisi veniale: ergo, nec erit mortale, sed veniale tantum, violatio iuramenti promissorij, circa similem materiam; nam vtriusque violatione, Deo, eiusque honori, & auctoritati irrogatur iniuria. Sic tenet D.Anton. *2.p.tit.10. cap.4. §.1.* Angel. *v.iuramentum 5.n.41.* Sylvest. *iuramentum. 4. q.1.* Sotus *lib.8. de iust. q. 1. art.7. dub.1.* Nauarr. *in summa latina cap.12. n.10. & cap. 18. n.7.* (mutans sententiam, quam tenuerat in summa Hispana *cap. 12.num.10. & cap.18. n.4.*) Aragon *2.2. q. 89. art. 3. pag. 1061.* Azor *tom. 1. lib.5. cap.27. q. 2. & lib.11. cap.5.q.3.* Henriquez *lib.5. de pœnit. cap.20. num.4. in comm. lit. m.* Rodrig. *tom. 1. sum. in 2. edit. cap. 192. num. 2.* Petr. Ledesma *tom.2. tract.11. cap.3. dub. 1.* Sà *v.iuramentum num.7.* Suarez *lib.3. de iuram. cap.16. à n. 9.* quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.3. Decal.cap.4. num. 23.* Quibus addo Dianam *par. 4. tract.4. resol.70. & par.5. tract. 5. resol.4.* & penes illum, Ioann. à Cruce, Bizzozerum, Syluium, Dauid à Mauden. Ioann. Franciscum Suarez, Villalob. & Layman. Addo item Trullench. *lib. 2.in Decal. cap.1. dub.6. num.6.* Fagundez *lib.2. Decal. cap.6. num.29. & cap.15.n.8.* Castro Palao *disp.1. de iuram. punct.16. num.8.* Acacium *v. iuramento, resol.156. num.2.* Tamburinum *lib.3. Decal.cap.3. §.3. num. 4. vers. Dico tamen.* Martinez de Prado *tom.2. oper.moral.cap. 32. §.2. n.7.* & Ioann. à S. Thoma *2.2. q.88. disp.29. art.8.*

Alij tandem distinguunt, & dicunt, quod quando res parua est tota materia iuramenti promissorij, tunc violatio iuramenti sit peccatum mortale: secus si solùm sit pars materiæ, v.g. Promittit quis cum iuramento se recitaturum vnum Psalmum, & dum recitat omittit vnum versiculum, tunc omissio huiusmodi leuis, quasi pro nihilo reputatur, & consequenter non potest inducere culpam mortalem. Secus verò si promisit dicere vnum *Aue Maria*, aut dare pro eleemosyna potum aquæ frigidæ; quia si id omittat, peccabit mortaliter, eo quod licèt sit materia leuis, est tamen totalis materia iuramenti. Ita sentiunt Caiet. *2.2. q. 87. art. 7. dubit. 1.* Couarru. *lib. 1. variar. cap. 1. numer. 2. vers. secundò.* Philiarc. citatus pro prima sententia. Corduba *in sum. q.188.* & tandem id sentit Sayrus citatus pro prima sententia *à n.29.*

Ego autem Respondeo dicendum, quod licèt prima, & vltima sententia sint satis probabiles, probabilior tamen sit secunda, quam, ratione deducta ex ipsa natura iuramenti promissorij, his verbis probat Tamburinus. Nam in iuramento promissorio, non inuocatur Deus, vt testis futuræ executionis, sed vt testis præsentis voluntatis: quoad futuram executionem autem, affertur Deus, vt sua authoritate promissionem suscipiat; vt scilicet executio correspondeat factæ promissioni: ergo si non correspondeat, infidelis erit iurans, non verò propriè mendax. Quare cum in casu nostro, sit infidelis in re leui, leue solùm peccatum attinget. Sic ille. Ex Sanchez loco citato, *n.23.* Legatur. ille, & nos infrà *tract.2. de voto, disp.3.*

Qvæstio XXXIV.

An, qui iurat, aut vouet, rem exiguam quotidie dicendam; v.g. vnum Aue Maria; *& nunquam implet, peccet mortaliter?*

Affirmant, & à fortiori, omnes Doctores pro prima, & vltima sententia nuper adducti, nec non Zumel *1. 2. q. 88. art. 4. dub. penult. vers. Nec obstat.* Ludou. Lopez, cum Cano, apud Sanchez *lib. 1. sum. cap. 4. num. 13.*

Negant contrà alij docentes, non peccare nisi venialiter. quia omissio huiusmodi, est rei leuis, & modicæ: ergo. Sic sentiunt Villalob. *in sum.tom.2. tract.36. diff. 5. num. 9.* & Acacius *tom. 2. sum. v. iuramento, resol.156. n.8.* vbi sic infert: De todo infiero con Villalobos, que elque juro de reçar todo vn año, cada dia vna Aue Maria, i la dejo todo el año, no peco mortalmente, aun enel fin del año, como dice Soto *lib. 8. de iust. q.1. art. 7. dub. 1. col. 4.* Sic ille. Addo ego iterum eundem Sotum *lib.7. de iust. q.2. art. 1. col. mihi 3. vers. conclusio ergo*, vbi loquendo de voto rei leuis, ait: Quod si votum emisisti quotidie dicendi *vnum Credo*, & si id quotidie omittas, nunquam mortaliter delinquis. Sic etiam tenet Diana *par.4. tract.4.resol.70.* Et licèt absolutè loquendo vtraque sententia sit satis probabilis, & hæc vltima conformior dictis à nobis.

Nihilominus clariùs cum eadem Respondeo distinguendo sic: si iuramentum quotidie recitandi modicum, v. g. vnum *Aue*, seu *Credo*, sit, & fiat in honorem diei, & temporis, tunc non erit mortale, etiam si iuramentum semper violetur. At si non sit, aut fiat in diei honorem, sed tantum dies præfigatur, vt terminus, ne vltra illum executio iuramenti differatur, tunc licèt singulis diebus, sit omissio venialis, tanquam rei modicæ omissio, tamen, dum notabilem orationis omissæ quantitatem attingit, erit mortalis. Sic Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 4. num. 14.* vbi id latè probat, & citat pro se Gabrielem Vasquez *1. 2. q. 88. art.4. disp.146. cap. 2.* fine, & Azorium *tom. 1. lib.11. cap.5 q.3.* Quia verò difficile erit cognoscere, quo fine, quavè ratione, aut intentione factum fuerit, iuramentum recitandi modicum illud quotidie (nisi id expressè à iurante fiat) in praxi optimè potest quis se conformare cum Authoribus secundæ sententiæ. Legatur Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 15. num. 12.*

QVÆSTIO XXXV.

An similiter, solùm peccet venialiter, qui iurat, aut vouet, erogare quotidie modicam eleemosynam, & nunquam tale iuramentum, aut votum, implet?

NEgant, & à fortiori solùm peccare venialiter omnes primæ sententiæ Authores; nec non ex secunda Sotus *lib.* 7. *cit. q.*2. *art.*1. vers. *conclusio ergo*; vbi verbis suis, à nobis nuper relatis, hæc adiecit: secus si fortasse voto spoponderis quotidie obolum erogare pauperibus: tunc enim licèt, nec vnius solutionis, nec duorum omissio, sit mortalis, tamen quod hodiè non tribuis, cras teneris: quare vbi debiti summa excreuerit, mortalis fit culpa. Sic ibi. *Et lib.*8. *loco citato.* Acacius etiam *loco citato.* Aragon. 2. 2. *q.*88. *art.* 3. *concl.* 3. Medina 1. 2. *q.*88. *art.* 4. *ad.*4. Petr. de Ledesma *tom.*2. *sum. tract.* 10. *cap.* 3. *dub.*1. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 36. *diff.*5. *num.*11. (non 9. vt inueni apud Dianam) vbi sic ait: Delo duho se infiere, que el que dejo de rezar todo vn año, cada dia vna Aue Maria, i lodejo todo el año no peco mortalmente aun enel fin del año. Como dice Soto. Mas si prometio, ò juro, de dar à vn pobre cada dia medio real, vendra aser peccado mortal, quando legasse aser suficiente materia, i estara obligado à restituir, conforme aloque se dijo arriba del voto. Hæc ille, & Ioann. à S. Thoma 2.2.*q.*88. *disp.*29. *art.*8.

Alij autem, absolutè affirmant solùm peccare venialiter. Quia vtraque materia est leuis, & exigua, Sic cum Diana *Resol.* 70. *cit. in fine*, sentiunt multi ex Doctoribus secundæ sententiæ quæstionis superioris: & præcipuè Nauarrus *cap.* 17. *num.* 103.

Sed, iuxta à nobis dicta, Resp. dicendum; non peccare mortaliter, nec sub mortalis reatu teneri ad restitutionem, qui nunquam implet iuramentum aut votum, erogandi quotidie pauperi quadrantem, aut aliam paruam eleemosynam, si fiat in honorem cuiuslibet diei, & temporis: secus, si aliàs, iuxta à nobis dicta. Attamen, quia non est facile cognitu, quam intentionem habuerit iurans, præcipuè si non doctus, sed rudis sit in praxi, poterit securè sequi sententiam secundam. Legatur Sanchez *lib.*1. *Decal. cap.* 4. *à n.*13. & *lib.*4 *cap.* 14. *à num.* 35. Tamburin. *lib.* 3. *cap.*16. §. 2. *num.* 8. *loc. cit.* lege de hac materia *tract. de voto disp.* 3. *de obligatione voti.*

---

§. V.

De iustitia requisita in iuramento promissorio, & voto.

QVÆSTIO XXXVI.

An sit peccatum mortale, iurare aliquod mortale committere; vt fornicari; grauiter se vindicari, &c.

NEgatiuam sententiam non improbat Luysius *in sum.* 1. *p. cap.*168. *dub.*8.

Sed Respondeo tanquam certum: Esse peccatum mortale; & ideo tale iuramentum, nec obligare, nec indigere relaxatione, quid enim relaxabitur, si nulla adest obligatio? Ratio est: tum quia magna Deo irrogatur iniuria, afferendo Deum in testem faciendi aliquid contra eius legem. *Tum*, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. Vnde si quis iuret, se fornicaturum, præter peccatum propositi fornicandi, admittit aliud lethale iuramenti præstiti contra religionem ex defectu iustitiæ. Sic omnes DD. Legantur Suarez *lib.* 3. *cap.*19. *à n.*9. Nauarr. *cap.*12. *num.* 13. Sotus *lib.*8. *de iust. q.* 2. *art.* 3. *concl.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.*11. *cap.*5. *q.* 1. Sayrus *lib.*5. *cap.*4. *num.* 35. Lessius *lib.*2. *de iust. cap.* 42. *dubit.* 4. *num.* 18. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.*4. *num.*26. Tamburin. *lib.*3. *Decal. cap.*3. §. 3. *num.* 3. Palaus *disp.*1. *de iuram. punct.* 6. *num.*9. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 6. *num.*20. & omnes. Idem docentes, de illo, qui vouet, facere aliquod mortale. Lege Pradum *cap.* 31. *q.*2. §. 8. & Luysium *loco cit. dub.* 6. vbi expressè hanc nostram tenet sententiam.

QVÆSTIO XXXVII.

An etiam peccet mortaliter, qui iurat aliquod veniale committere, animo adimplendi illud?

AFfirmat Catharinus (relatus à Couarr. *de pactis* 1. *p.* §. 6. *n.*6. *fine*) dicens à contraria opinione esse cauendum. Cui fauet satis, id probans multis argmentis, Castro Palao, *loco citato, n.*10. quamuis tandem dicat, non propterea, velle se à communi sententia, & praxi recepta recedere. Cum illa ergo oppositam tenet sententiam *disp.*1. *de voto punct.* 8. §. 3. *n.*9. citans pro se Lessium *lib.*2. *cap.* 40. *dub.*7. *n.*39. & Suarium *lib.*5. *de voto cap.*2. *n.*9. & loquendo de voto idem sentit Prado §. 8. *cit. n.*100. Luysius *loco cit.* & alij.

Igitur vt longè probabiliùs Resp. dicendum, solum peccare venialiter. quia, etsi iurans adimpleat quod iuramẽto promisit, solũ peccat venialiter: ergo dum iurat aliquẽ actũ venialem, solùm peccat venialiter. Nec iurãs veniale opus, tenetur sub mortali, sed sub veniali solùm, reddere falsum tale iuramentum, non implendo illud. Sic Couarr. *n.*6. *cit.* ex Caiet. 2. 2. *q.*89. *art.*7. *ad* 2. *& in summa, v. periurium promissorium*, & Sylueſtro *iuramentum* 2. *q.*7. *& iuram.*4. *q.*1. Sotus, Nauarr. Lessius, Suarez, Sayrus, Azor, quos sequitur Sanchez *n.*28. Palaus, & Fagundez vbi suprà, Tamburinus *lib.*3. *cap.*3. §. 3. *n.*10. Basseus *to.*2. *v. iuramentum, n.*8. modo explicando infrà *tr.*2. *disp.*4. §. 5. *q.*35.

QVÆSTIO XXXVIII.

An saltem peccet mortaliter, qui adimplet iuramentum (aut votum) rei venialis; eo quod iurauerit (aut vouerit) tale veniale facturũ?

AFfirmat Angel. ex Hugone, *v. iuramentum* 5. *n.*2. ita scribens: Hugo tamen, quod si seruat tale iuramentum peccat mortaliter: quia facit contra istud, cap. *in malis* 22. *q.*4. secundum Rodo, tamen, quod solum venialiter. Quod verũ est, quando simpliciter committit veniale. Sed ideo cõmitteret, quia iurauit; dic, quod mortaliter peccaret, quia nomẽ Dei assumit in malum. Hæc Angelus. Cui fauet Sotus *lib.*8. *de*

ust. q. 1. art. 7. circa solut. ad 2. vers. Ex his ergo. Quatenus dicit, quod seruare iuramentum rei mortalis, respiciendo iuramenti vinculum, vt scilicet, illi reuerentia seruetur, sit blasphemia. quia peccatum in Dei honorem offerretur. quæ ratio in culpa veniali locum habet.

Alij contra absolutè negant esse mortale: eo quod circunstantia hæc, hoc peccatum leuius reddat: cum executio illius peccati venialis, ex quadam iuramenti reuerentia proficiscatur. Sic Sayrus *lib. 5. clauis cap. 4. n. 35. vers. secundò est*, ibi: Dixit etiam non esse mortale, etiamsi adimpleat iuramentum de peccando venialiter: quia ex reuerentia iuramenti Deo præstiti videtur impleſſe, & non ex contemptu. Et ideo, licèt Angelus *in verb. iuram. 5. n. 2.* concedat esse veniale solùm quando simpliciter committit veniale, mortale autem, quando quis, ideo committeret veniale, quia iurauit; eo quod nomen Dei assumit in malum: vt tamen diximus, hoc male dictum est: quia illa intentio non aggrauat, sed alleuat, cum veniat ex reuerentia Dei. Nec tunc assumit nomen ad malum, sed quando iurauit: & tamen tunc non peccauit mortaliter, quia res est modica. Sic Sayrus & apud illud illum, Sylvester, Caiet. Couarr. Nauarr. S. Anton. Tabiena, & Ludou. Lopez.

Sed clariùs, & probabiliùs Resp. cum distinctione dicendum, quod regulariter loquendo, non peccet nisi venialiter, eo quod id faciat ex quadam vulgari ignorantia, credens sic iuratum exequendum esse. At si excludamus talem ignorantiam, dicendum est, quod executio actus venialis, aut operis, quia iuratum est, sit ex se peccatum mortale; tum quia est grauis superstitio indebiti cultus Deo exhibiti, tum etiam, quia, ignorantia excluſa, blasphemum est offerre Deo peccatum, quasi ei placens. Sic ex Suario *lib. 3. de iuramento cap. 19. n. 6. & 7.* docet Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 4. n. 29.* & ex vtroque Palaus *disp. 1. de iuram. punct. 6. fine.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 3. num. 5.* Idem dic loquendo de vouente talia.

QVÆSTIO XXXIX.

An item peccet mortaliter, qui secluſa omni ignorantia, iurat (aut vouet) se facturum aliquid contra consilia Euangelica, vt se non futurum Religiosum, &c.

AFfirmat Angelus *v. iuramentum 5. n. 3.* his verbis: Tertius, quando iurat aliquid, quod est contra consilia Euangelica, putà, quod non efficietur Episcopus, Religiosus, & huiusmodi. Nec obstat *cap. Florentinum 85. dist.* quia non dicit, quod teneat votum; sed peccauit mortaliter, iurando contra secundam partem iustitiæ, quæ est facere bonum: sicut si iurasset, contra primam partem iustitiæ, quæ est, declinare à malo. Ita Angelus. Cuius sententiam tenet Abulens. *cap. 5. Matth. q. 301.* & approbat Sylvest. *v. iuramentum 2. q. 7.* casu, quo res illa iurata contra consilia esset grauis; vt non ingredi Religionem. Ita etiam Gabriel, & Catharinus apud Sayrum, infrà citandum.

Sed multò longè probabiliùs, Resp. Non peccare, nisi venialiter. Quia non videtur grauis Dei iniuria vti diuino testimonio, ad nolendum facere id ad quod quis non tenetur; cum non præceperit Deus. Sic Nauarr. *cap. 12. n. 16.* Suarez *lib. 3. cap. 18. n. 6.* Caiet. *2. 2. q. 89. art. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dubit. 3. n. 17.* Luysius *in sum. cap. 171. dub. 4.* Azor *lib. 11. cap. 5. q. 1.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3.* Sayrus *lib. 5. clauis, cap. 4. n. 36.* Sanchez *lib. 3. cap. 4. n. 30.* Palaus *loco cit.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 14. n. 15.* Tambur. *lib. 3. cap. 3. n. 10.* Idem de illo qui de tali re votum fecerit, *tract. 2. de voto, disp. 4. §. 5. q. 38.*

QVÆSTIO XL.

An, qui iurauit (aut vouit) non daturum eleemosynam (quando ad eam non tenetur) non ingressurum Religionem, &c. peccet saltem venialiter, si postea det eleemosynam, ingrediatur Religionem, &c.

RESp. vt certum: Non peccare. quia, cum nullo ex capite teneatur implere tale iuramentum (quandoquidem iuramenta, quæ aduersantur charitati minime obligent) sanè non peccabit ea non seruando. Imo melius faciet, si non seruet, vt ait D. Thom. *2. 2. q. 89. art. 7.* & ex illo Sayrus *n. 36. citato, in fine*, Tamburinus *n. 10. cit.* & Fagundez *n. 15.*

QVÆSTIO XLI.

An iurare (aut vouere) rem indifferentem, sit ex se veniale?

RESpondeo, quod sit veniale peccatum, defectu iustitiæ. quia res indifferentes, quales sunt omnes, quæ nec benè, nec malæ sunt ex obiecto, vt leuare festucam, amputare vngues tali die, ascendere equum, ire in campum, & similia, non sunt apta iuramenti materia. Ratio est: quia hoc iuramentum est otiosum, & inutile: ergo veniale peccatum erit. *Confirmo id*: quia iurans rem indifferentem ex obiecto, vtitur Dei nomine ad confirmandam rem, quæ fieri, vel non fieri parum refert: at id est quædam irreuerentia, & vanitas: ergo & peccatum veniale. Sic communis. Armilla, Sotus, & Sayrus, quos sequitur Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 4. num. 31.* Nauarr. *cap. 12. n. 17.* Tolet. *lib. 4. cap. 22. num. 4.* Fagundez *lib. 2. cap. 14. n. 10.* & Suarez (ex D. Thom.) *lib. 2. de iuram. cap. 16. n. 1. & lib. 15. de voto cap. 2. n. 14.* Palaus *disp. 1. de voto punct. 8. §. 3. n. 10.* & alij, hinc colligentes, tale de re indifferenti iuramentum, minime obligare, etiamsi quando illud fuit factum ab aliquo intenderit illud obseruare; quia de se fuit nullum, & veniale peccatum. Legantur dicenda *tract. de voto, disp. 4.*

QVÆSTIO XLII.

An saltem sit immunis à veniali, qui iurat (aut vouet) rem, aut actum indifferentem ex obiecto, propter honestum finem?

RESpondeo vt certum: Tunc iurantem esse immunem à veniali; immo & teneri ad exequendam talem rem, aut actum indifferentem. Ratio est: quia iuramentum de quocunque opere virtutis est licitum, & inducit obligationé: sed opus indifferens, factum propter honestum finem, est opus virtutis:

ergo

ergo sic iuratum cadit sub obligationem. *Confirmatur* : quia actus de se indifferens factus, propter aliquem finem honestum, iam desinit esse indifferens; quia propter circunstantiam illi adiunctam, est bonus, & licitus : ergo obligat iurantem. Sic Suarez *loco cit. num.*4. Fagundez *n.*13. Tamburin. *lib.*3. *cap.*3.§.3.*n.*8. sic dicens : Si iurasti in honorem Dei non transiturum v. g. per hanc viam, quia id res est indifferens, Deus non acceptat, vt potè non cedentem in eius honorem. In quo tamen, & in his similibus, aduerte, non rarò rem alioqui indifferentem fieri, propter aliquod adiunctum, materiam admodum bonam; & tunc iuramentum fore licitum, atque obligatorium : vt si quis iuret, non transiturum per aliquam viam, quia in illa habitat puella, causa peccati. Hæc ille. Idem omnino dic de vouente.

QVÆSTIO XLIII.

An iuramentum (aut votum) factum à principio de re indifferenti, postea obliget, si post aliquos dies talis res fiat bona?

AFfirmant Nauarrus, Luysius de Torres & alij, quos infrà *tract.*2. de voto referemus.

Resp. tamen, non obligare : *Quia non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*: atqui iuramentum de re indifferenti, non subsistit à principio, nec obligat, vt nuper est habitum : ergo nec postea obligabit. Sic Tamburinus *n.* 8. *cit.* & Fagundez *num.* 14. id exemplo sequenti explanans: iurasti, te non iturum per certam plateam, ob nullum finem, sed quia ita voluisti : postea verò in illa platea datur certa occasio, & muliercula, cum qua es peccaturus : quæro an illud iuramentum stet, & ex vi illius tenearis illac non transire. Respondeo, te ad id non teneri sub iuramento; teneri tamen ex ex iure diuino, & præcepto charitatis, erga te ipsum. Ratio est, quia quod semel inualidum est, non potest postea conualescere; & illud iuramentum à principio fuit inualidum : ergo semper inualidum manebit. Sic Fagundez. Et idem dicendum est de iuramento, aut voto, facto à principio de re impossibili, aut mala, quod, etiamsi postea fiat possibilis, aut honesta, non valet iuramentum, aut votum; quia à principio fuit nullum. Sic Prado *tom.* 22. *cap.*31. *q.*2. §.9. *num.*121. & communiter DD. lege dicenda à nobis infrà *disp.*34. *de iuram. seruandi statut. q.*9. & *tract.*2. *disp.*4. *q.*21.

QVÆSTIO XLIV.

An, ille, qui ab aliquo didicit certam medendi artem, sub iuramento (aut voto) non communicandi illam aliis; teneatur ad tale iuramentum, seu votum?

REspondeo cum distinctione dicendum; quod minimè teneatur ad iuramentum (vel votum) casu, quo adsit aliqua necessitas illius modi medendi (propter vtilitatem proximi) communicandi; quia tunc tale iuramentum militat contra charitatem, & ideò non ligat. Tenebitur tamen in aliquibus casibus, ad tale iuramentum obseruandum; veluti si ille à quo talem artem didicit, sit præsens, & voluerit illam alicui manifestare, vel si aliquis sit paratus ad præstandum aliud tam efficax remedium ad subleuandam præsentem necessitatem : quia tunc & iniuria fieret illi, qui docuit talem artem; & ratio charitatis cessaret : sic ex D. Thoma, *Quodlib.*2. *art.*22. & Syluestro *v. iuramento q.*1. docet Fagundez *lib.*2. *Decal. cap.*14. *fine.*

QVÆSTIO XLV.

An, peius sit, iurare (aut vouere) quempiam, se facturum rem venialem, aut contra consilia Euangelia, aut indifferentem, animo non implendi; quàm animo implendi?

REspondeo ex dictis dicendum, quod peius sit iurare (aut vouere) animo non implendi. Patet, quia iurare aliquid ex dictis, animo non implendi, est peccatum mortale : iurare verò illa, animo adimplendi est solum veniale, vt suprà cum communi diximus. Sic Sanchez *lib.*3. *Decal. cap.*4. *num.*32. Qui secus dicit, de illo qui iurat rem mortalem animo exequendi, quàm animo non exequendi; quia in priori euentu, est duplex lethalis culpa, in posteriori verò, vnica tantum.

QVÆSTIO XLVI.

An sit necessè distinctè fateri, quoties quis cum mendacio; & quoties cum dubio; & quoties cum animo non implendi aliquid, iurauerit?

REspondeo non esse necessarium; sed satis esse fateri, se toties falsò iurasse. Quia hæc omnia, sunt mendacia iuramenta eiusdem rationis, vt constat ex suprà dictis. Sic Sanchez *n.*36. & ex illo Fagundez *lib.*2. *Decal. cap.*6. *n.*35.

QVÆSTIO XLVII.

An, homicidium sit grauius peccatum periurio?

AFfirmant multi Doctores : eo quod homicidium sit peccatum, contra iustitiam, & periurium contra Religionem : atqui, cæteris paribus, grauiora sunt peccata contra iustitiam particularem, quàm contra Religionem; nam in illis; vltra offensionem, & iniuriam Dei, datur etiam læsio proximi, in his verò solum datur nuda iniuria Dei per se, & ex obiecto : ergo. Ita Durandus *in* 3. *dist.*39. *q.*5. *art.*8. & 9. Angelus *v. periurium num.* 8. Gabriel *in* 3. *dist.* 39. *q.*2. *art.*3. *dub.*4. Maior ibi *q.*5. Selua *de benefic. p.*3. *q.*2. *art.*3. Rebuff. *de pacifica possessione num.*223. Lessius *lib.*2. *de iust. cap.*42. *dubit.*14. *num.*75. & apud Sanchez, (omisso ex incuria Typographi, nomine) Suarius *lib.*3. *de iuram. cap.*3. *n.*12.

Sed probabiliùs Respondeo homicidium non esse maius peccatum periurio; sed potius contrà. Ratio est : quia periurium tendit immediatè, & directè contra diuinum honorem : quia periurus priuat Deum, quantum in se est, diuino suo honore, & cultu latriæ soli illi debito : at homicidium non est offensio directè, & immediatè contra Deum,

ſed contra proximum: ergo per ſe, & ex obiecto, ſecluſis aliis circunſtantiis extrinſecis, grauius eſt peccatum periurij, quàm peccatum homicidij. Sic S. Thomas *quodlib.* 1. *art.* 18. apud Sanchez; & apud Azorium, *quodlib.* 1. *quæſt.* 9. *art.* 2. Sotus *lib.* 8. *de iuſt.* (non 3. vt leges apud Azorium) *q.* 2. *art.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 12. *q.* 6. Abulenſ. *cap.* 5. *in Matth. q.* 302. Ægidius *quodlib.* 6. *q.* 24. Silueſt. *v. periurium, q.* 2. Tabiena, *ibi*, §. 4. Couarru. *de pactis par.* 1. §. 6. *n.* 1. Graffius *par.* 2 *deciſ. cap.* 11. *n.* 7. D. Anton. *par.* 2. *tit.* 10. Turrecrem. *in cap. ille* 22. *q.* 1. Sayrus *lib.* 5. *Clauis, cap.* 4. *n.* 9. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *n.* 37. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 36. licèt *n.* 38. Suario adhæreat aliqualiter. Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *dub.* 20. *n.* 2. Medina mox citandus. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. §. 1. *num.* 16.

QVÆSTIO XLVIII.

An, periurium ſit etiam grauius peccatum, quàm parricidium?

AFfirmat adhuc Medina *lib.* 1. *ſum. cap.* 14. §. 5. *fol. mihi* 82. ibi. Dice Señor S. Thomas, i aſſi es verdad, que el peccado de periurio, es mas graue qué matar a vn hombre, aunque ſea ſu proprio Padre. Ita ille.

Sed probabiliùs reſpondeo non eſſe grauius peccatum, quàm parricidium. Quia per hoc, violatur pietas naturalis in patrem. Quæ circunſtantia mutat ſpeciem peccati, & mirum in modum illud aggrauat. Sic Suarez *cap.* 3. *cit. n.* 10. dicens, oppoſitum eſſe incredibile, & contra communem ſenſum. Sic etiam ſentit Sanchez, *loco citato.* Fagundez *num.* 37.

QVÆSTIO XLIX.

An, grauius peccatum ſit, iurare verum, per falſos deos; quàm iurare falſum, per verum Deum?

NEgare videtur D. Auguſtin. *Epiſt.* 154. refertur *in cap. monet te.* 22. *q.* 1. Vbi ait: minus malum eſſe, per deum falſum iurare veraciter; quàm per Deum verum fallaciter.

Sed vt quid verum, Reſpondeo dicendum, quod grauius, ac maius peccatum ſit, iurare verum per falſos deos; quàm falſum, per verum Deum. Ratio eſt: quia, qui iurat per falſos deos, quos veros eſſe arbitratur, quamuis veraciter iuret, grauiſſimè tamen peccat peccato idololatriæ, & blaſphemiæ, (quæ peior periurio eſt) cum cultum vero Deo debitum, tribuit Idolis. Sic S. Thom. 2. 2. *q.* 13. *art.* 3. *ad* 2. Sotus *lib.* 8. *de iuſt. q.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 1. *n.* 10. Suarez *cap.* 3. *cit. n.* 6. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 18. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 12. *q.* 12. Sanchez *cap.* 3. *cit. n.* 38. Qui ad auctoritatem D. Auguſtini, reſpondet cum Azorio, quod intelligatur, caſu quo Chriſtianus iuret per falſos deos, qui eos falſos exiſtimat, ſolo decipiendi animo: is enim ſi fidem non ſeruat, peccat decipiendo, at non eſt periurus: at iurans falſum, eſt periurus, & ſic grauius peccat. Sic illi, Graffius etiam, *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 6. & *cap.* 21. *n.* 5. Aragon, 2. 2. *q.* 89. *ar.* 6. *dub.* 2. Baſſeus *tom.* 2. *v. iuramentum, num.* 11.

DISPVTATIO VIII.

De conſuetudine iurandi.

QVÆSTIO PRIMA.

Quotuplex eſt conſuetudo iurandi?

RESPONDET Tamburinus *lib.* 3. *in Decal. q.* 1. §. 5. *n.* 1. eſſe triplicem. *Prima*, inquit, eſt iurandi verum. *Secunda*, malè, vel falsò iurandi aduertenter. *Tertia*, iurandi malè, vel falsò inaduertenter. Palaus verò, dicit, quod ſit duplex, nempe iurandi falsò, abſque aduertentia; an ſit verum, vel falſum: & iurandi cum aduertentia, vt verum iuretur. Ita *diſp.* 1. *punct.* 9. *n.* 1.

Sed clariùs Reſpondeo cum Sanchez dicendo, quod ſit quadruplex. *Prima* eſt, paſſim iurandi cum debita tamen aduertentia, vt iuretur verum; ſiue coniungatur illi conſuetudo mentiendi, abſque iuramento, ſiue non. *Secunda* eſt, iurandi falsò aduertenter. *Tertia* aduertendo ad iuramentum; non tamen ad veritatem, vel falſitatem rei iuratæ. *Quarta* tandem, quando ad neutrum aduertitur. Sic omnino Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 5. *n.* 2. Et ex illo, non citato, Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 8. *num.* 1.

QVÆSTIO II.

An conſuetudo iurandi per ſe ſumpta; ſit diſtinctum peccatum, ab ipſiſmet actibus iurandi, ex quibus conſurgit?

REſpondeo vt certum: Quod non ſit. Patet: quia ſi loquamur de ipſa conſuetudine formaliter, non eſt peccatum diſtinctum ab ipſis actibus: eſt enim ipſemet actus frequenter repetitus. Si verò loquamur de conſuetudine materialiter, hoc eſt, de effectu ipſorum actuum, eſt quidam iurandi habitus ab ipſa productus: & quamuis ipſe ſit vitioſus, quia ad malum inclinat, non tamen ipſe eſt peccatum: quia peccatum ſolùm eſt actus iurandi. Quamuis autem ipſe habitus non ſit peccatum formaliter, & in ſe; omiſſio tamen extirpationis illius, poteſt eſſe peccatum mortale, ratione periculi peccandi mortaliter, moralis & proximi, cui exponit; & ſic poteſt hominem conſtituere in ſtatu peccati mortalis. Sic Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 8. *n.* 3. omnino ex Sanchez (quem non citat) *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. & 5. Sotus *lib.* 8. *de iuſt. q.* 2. *art.* 3. *concl.* 7. Aragon 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. *dub. vltimo, concl.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *q.* 3. Suarez *lib.* 3. *de iuram. cap.* 6. *n.* 1. & alij apud ipſos.

QVÆSTIO III.

An, quæcumque iurandi consuetudo, constituat hominem in statu peccati mortalis; & teneatur, qui illam habet, eam sub mortali extirpare?

AFfirmat Sotus, *lib. de cauendo iuramentorum abusu cap.* 12. Vbi docet, consuetudinem iurandi passim venialiter, ex defectu iudicij, cum aduertentia etiam ad iuramenti veritatem, esse de se mortalem, & extirpationem illius ad salutem necessariam; quia constituit hominem in periculo peccandi mortaliter. Nam sicut (ait Sotus) multiloquio periculum conflatur mentiendi venialiter: ita in frequentatione iurandi, periculum existit mentiendi cum iuramento; quod semper est mortale. At qui amat periculum peribit in illo. Hæc Sotus. Quem videtur sequi Sayrus *lib. 5. Clauis cap. 5. n.* 8. quatenus absolutè docet, habentes consuetudinem iurandi, non esse absoluendos, tanquam constitutos in peccato mortali, nisi firmiter eam extirpare proponant.

Sed longè multò probabilius Respondeo negatiuè. Quia consuetudo iurandi passim, cum debita tamen aduertentia ad rei iuratæ veritatem, non constituit iuratorem in statu peccati mortalis, sed venialis solum; nec tenetur iurator talem consuetudinem, sub mortali culpa, sed tantum sub veniali, extirpare. Ratio est. Quia, cum habitus totam suam malitiam sumat ex actibus, quibus generatur, nequit habere maiorem malitiam, quàm ipsi actus habent: at actus iurandi, facti cum plena aduertentia ad veritatem, ex quibus talis consuetudo consurgit, sunt tantum veniales, cum illis solum deficiat comes iudicij, & necessitas: ergo ea consuetudo tantum erit venialis, & in solo statu peccati venialis hominem constituit.

Nec obstat quid ratio Soti. Quia respondetur, quod consuetudo illa iurandi coniuncta cum solicitudine iurandi verè, & iustè, non constituit in periculo proximo periurandi; sed solum iurandi sine necessitate, & sub veniali; nec si ex dicta consuetudine quis aliquando in periurium labatur, censeri potest esse in mortali periculo periurij; quia ad hoc periculum deberet frequenter in periurium induci. Sic Scotus *in 3. dist. 39. q. vnica art.* 1. & ibi Gabriel. *q. 2. art. 1 notab. 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. num. 7.* Medina *lib. 1. sum. cap. 14. §. 4. fine.* Lopez *1. p. instructorij cap. 25. & cap. 42.* Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 6. numer. 4. & 5.* Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tract. 11. cap. 2. dub 1. & cap. 5. dub. 4. & 5.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3. versu, Respondeo diiudicandum.* Manuel, & Vega, quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib. 3. Decal. cap 5. numer. 9.* Fagundez *lib. 2. cap 8. numer. 5.* Beia *in respons. casuum, cap. 4. casu 2.* Magister Ioan. Martinez de Prado *tom. 2. cap. 32. q. 8. §. 2.* Palaus *disp. 1. punct. 9. numer. 2.* Benac. *tom. 2. disp. 4. q. 1. de iuram. punct. 3. numer. 2.* Trullench. *lib. 2. Decal. cap. 1 dub 20. numer. 4.* Luysius *in summa 1. p. cap. 169. dub. 2. concl. 3.*

QVÆSTIO IV.

An saltem consuetudo iurandi aduertenter verum, adiuncta consuetudini mentiendi, absque iuramento; constituat sic iurantem in statu peccati mortalis, & sub eadem culpa, teneatur illam extirpare?

AFfirmant multi: eo quod quantumuis curet sic iurans, cauere omne iuramentum mendax; verùm ea consuetudo iurandi, scilicet, & mentiendi absque iuramento, constituit illum in morali ac proximo periculo coniungendi mendacia solita cum iuramento. Consuetudo namque, quæ per se est venialis, vt coniuncta consuetudini mentiendi, constituit complexum, quod est proximum morale periculum mortalis. Ita sentiunt Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3.* Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tract. 11. cap. 5. dub. 5. dicto 2.* Bonac. *disp. 4. q. 1. de iuram. punct. 13. numer. 5.* (non 2. vt leges apud Pradum.)

Sed probabiliùs Respondeo nec talem consuetudinem constituere iurantem in statu peccati mortalis, sed solum venialis, & consequenter non teneri sub mortali, sed tantùm veniali culpa, dictam extirpare consuetudinem. Quia omnes rationes adductæ ad probandam nostram sententiam, quæstione antecedenti, habitam, militant pro ista. Cum vtraque consuetudo sit solum venialis. Parum autem refert ad præsens, quod sic assuetus iurare, soleat absque iuramento mentiri. Quia est ò quod aliquando contingat, quod periuret, & iuramentum cum mendacio contingat, id est per accidens, & rarò, & illud peccatum periurij non est voluntarium in se, neque in causa proxima, sed remota, cum hic habeat consuetudinem aduertendi ad veritatem iuramenti. Sic Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 6. n. 2.* Sanchez *lib. 3. cap. 5. n. 19.* Castro Palao *disp. 1. de iuram. pun. 9. n. 3.* Fagundez *lib. 2. cap. 8. num. 7.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 26. num. 5.* Prado *tom. 2. cap. 32. q. 8. §. 2. n. 19.*

QVÆSTIO V.

An, consuetudo iurandi falsò aduertenter: vel sine aduertentia, an sit verum, vel falsum; constituat sic iurantem in statu peccati mortalis, & teneatur, sub eodem mortali, talem consuetudinem extirpare?

REspondeo vt certum: Quod sic. Patet, quia talis consuetudo, vel inducit ad coniungendum iuramentum cum mendacio; vel ad æquè exponendum periculo iurandi verum, ac falsum: ergo constituit in occasione proxima sæpe peierandi illum, qui talem habet consuetudinem: ergo in statu peccati mortalis: ergo tenetur talem consuetudinem expellere. Sic Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 5. n. 6. & 8.* Petr. Ledesma *tom. 2 tract. 11. cap. 5. dub. 4.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3.* Vega *tom. 2. sum. cap. 16. casu 14.* Quos omnes citat & sequitur Sanchez *lib. 3. cap. 5. num.*

num..Palaus *loc.cit.n.*4.Fagundez *n.*8.Prado *n.* 20. & Trullench. *num.6.* Luysius *dub.* 2.*citato,concl.*2.

QVÆSTIO VI.

An, qui assuetus est passim iurare, sine aduertentia, an verum, vel falsum iuret; peccet mortaliter, etiamsi verum iuret?

AFfirmat Vega *tom.*2.*cap.*16. *casu* 14. his verbis: Quando vno esta acostumbrado à iurar, i lo hace frequentemente, i iuntamente esta acostumbrado à mentir à menudo enel iuramento, que es verdad que peca mortalmente, aunque iure la verdad. Ita ille. & apud Fragosum Azor. *p.*1.*lib.*11.*cap.* 3.*q.*3. ibi: *certè lethaliter peccat, quamuis verum iuret, quoniam se exponit periculo peierandi*: sed certè Azor oppositum docet loquendo de hac quæstione, vt statim videbis.

Sed vt certum, Respondeo, non peccare mortaliter, non obstante ea praua consuetudine dummodo dum iurat, aduertat, verè, & iustè, iurare. Quia tunc illa praua consuetudo, solùm se habet quasi materialiter ad illum actum. Quod secus contingit quando consuetudine ductus, non ad aduertit iurans ad veritatem, & iustitiam, quas requirit immune à mortali iuramentum. Sic Sanchez *loco cit. n.* 12. dicens sententiam Vegæ cautè esse intelligendam. Si enim (ait Sanchez) Vega loquatur solùm de iuramento inaduertenter dicto, tunc verum dicit: si verò de illo, qui aduertententer verum iurat, tunc falsum dicit; quia tunc iurans neutiquam peccabit mortaliter; quia tali iuramento solus iudicij comes deest, quatenus claudit necessitatem, & reuerentiam, cuius defectus est sola venialis culpa. Sic ille. Suarez etiam *cap.*6.*cit.n.* 6. Fagundez *loco citato n.* 8. Qui non citat, ex omni parte, bene, Vegam. Trullench. *num.*6. Prado *num.*20. Legantur item Sanchez *n.*13. Trullench.*n.*7. Suarez *n.*9. Azor.*lib.*11. *cap.* 3.*q.* 3. ibi. Deinde qui eiusmodi prauo habitu incitatus & motus iurat, si quando iurat certò & manifesto nouit, aut credit verum esse quod iurat, lethale peccatum non incurrit, quia nec mendacium iureiurando confirmat, nec se periculo periurij exponit. Sic Azor. & Palaus *disp.*1.*punct.*9.*n.*5. Fragos. 3.*p.disp.*1.§.8. *num.*104.

QVÆSTIO VII.

An, consuetudo iurandi, absque aduertentia, an iuretur, nec ne; constituat sic iurantem in statu peccati mortalis, & quoties sic iurat, semper mortaliter peccet?

NEgat Azor. *tom.*1.*lib.*11.*cap.*3.*q.*2. his verbis: Qui eiusmodi prauo habitu incitatus, & motus iurat, si quando iurat, certò, & manifesto nouit, aut credit, verum esse, quod iurat, lethale peccatum non incurrit: quia nec mendacium iureiurando confirmat; nec se periurij periculo exponit. Qui vero prauo illo habitu iurat, si ita subitò iuret, vt plenam animi deliberationem iusiurandum præcurrat, lethalis peccati reus censendus non est, vt ex proximè ante dictis patet. Quod si ita iuret, vt quamuis subito, plenè tamen, & perfectè animaduertat, se iurare; certè lethaliter peccat, quamuis verum iuret, non falsum; quoniam sese periurij periculo obiicit. Hæc Azor. Et clarius Ioan. Sanchez *disp.*20.*n.*5. Vbi docet, quod iuramenta indeliberata orta ex praua consuetudine iurandi, nec in seipsis, nec in sua causa sint peccata.

Sed probabiliùs Respondeo, dicendum, quod talis consuetudo, verè constituat, iurantem in statu peccati mortalis, & quoties sic iurat, semper mortaliter peccet, in sua causa; siue verum, siue falsum iuret; modo prius non aduertat ad veritatem rei iuratæ. Ratio est: quia nullum discrimen est, inter inaduertentiam ad iuramentum, & inaduertentiam ad veritatem rei iuratæ; cum vtraque sit æquè voluntaria in sua causa: sed sic est, quod, qui iurat, non aduertendo ad veritatem rei iuratæ peccat mortaliter, vt ex dictis constat: ergo & mortaliter peccabit, qui iurat, non aduertendo ad iuramentum Sic Suarez *lib.*3.*de iuram.cap.*8.*n.*1. Sanchez *lib.*3.*Decal.cap.*5.*n.*14. Fagundez *lib.*2.*cap.* 8. *n.* 10. Trullench. *lib.*2.*cap.*1. *dub* 20.*num.* 7. Legantur à nobis dicta *q.* 16. & 17. *disp.* 5. *de blasphemia.* verum est quod vt mox dicemus, possit in aliquo casu, habere verum sententia Azorij, & Sancij.

QVÆSTIO VIII.

Cur inaduertentia, quæ in omnibus fere rebus, à peccato excusat (vt sæpè diximus) non excusat ab illo, quando datur, ad iuramentum, & ad veritatem rei iuratæ; vt nuper adstruimus?

REspondent quidam, ideo esse, quia ratione illius prauæ consuetudinis, ita homo est dispositus, vt si aduerteret, vel iuramentum esse falsum, vel rem, quam iurat, non esse veram, nihilominus falsum juraret. Ita Caiet. 2.2.*q.*98. (non 8. vt leges apud Fagundez) Nauarr. *cap.*12.*n.*6. Toledo *lib.*4. *cap.* 21. *n.*1. Sayrus *lib.*5.*Clauis Regiæ cap.* 4. *n.* 17. Corona, & Valentia apud ipsum. Sed hæc sententia iam est reprobata à nobis supra *disp.*5. *q.* 19. igitur ex ibidem dictis.

Respondeo probabiliùs dicendum, quod malitia horum actuum, seu huiusmodi iuramentorum, non cõsistit in inaduertentia; quia illa semper ex se excusat ad nouum peccatum committendum, (vt vbi supra diximus) sed consistit in sua causa antecedente, nempe, in aduertentia illa, qua homo aduertit, se habere consuetudinem non aduertendi, vel, ad iuramentum, vel ad veritatem rei iuratæ, & non illam retractat; nam tunc omnes postea actus iurandi sunt peccata mortalia, siue verum, siue falsum iuretur; nam tunc incipiunt habere grauitatem mortalem in causa volita. Sic late Fagundez *loc.cit.n.*14. ex Suario *lib.*3.*iuram.cap.*7.*n.*6. & 9. Soto *de iurament. abusu cap.*12. Sanchez *lib.*3. *Decal. cap.* 5. *n.* 28. Legatur Diana *tom.*2.*tract.*5.*resol.*62. Nota quod si cui deficeret omninò aduertentia ad aduertendum se habere consuetudinem non aduertendi; tunc verum haberet sententia Azorij, & Ioan. Sanchez adducta *q.*7.

QVÆSTIO IX.

An, saltem, desinant esse peccata, iuramenta indeliberata, ex praua consuetudine iurandi orta, postquam pœnitens talem consuetudinem, efficaci proposito, retractauit?

REspondeo tunc iam non esse peccata, nec in seipsis, nec in sua causa. Quia in neutro sunt voluntaria. Sic Layman. *tom.1.lib.1.tract.2.cap.3.n.6.* vers. *Quapropter*: vbi ita ait: Postquam verò pœnitens prauam consuetudinem efficaci proposito retractauit, tunc (sic lege, non *tum*) consequentia falsa iuramenta, & verba blasphemiæ, ex eadem consuetudine, quasi naturali, & necessario impetu prouinientia, non imputabuntur ad peccatum: cum neque sint voluntaria in se, sicut suppono; neque in sua causa, putà consuetudine; quippe, quæ ab ipso per propositum retractata, non amplius voluntaria censeri debent. Sic Layman. Et ex illo Diana *3.part. tract.5.resol.62.* & à fortiori id docebunt Azor, & Ioan. Sancius *q.7.* relati. Sic etiam Sanchez *lib.3. cap.5.n.16.* Bonac. & Filliuc. Quos citat, & sequitur Trullench. *lib.2.Decal.cap.1.dub.20.sub num.8.* Fagundez *lib.2.Decal.cap.8.n.9.* his verbis: Quæres, quamdiù dicatur quis permanere in hoc statu consuetudinis iurandi, aduertendo, quod iuret, non verò, an vtrum, siue verum, siue falsum iuret? Respondetur, tamdiù in eo statu censeri esse, quamdiu non proponit efficaciter illam consuetudinem auellere. Nam, cùm ille status prauæ consuetudinis, per proprios actus voluntarios comparatus sit, tamdiù censetur voluntarius, quamdiù per contrarium propositum efficax non retractatur: si autem tale propositum retractandi habet, iam est inuoluntarius talis status respectu illius, & non poterit imputari ad peccatum iuranti; quia tunc iam illa consuetudo non est moralis, nec voluntaria; sed quasi naturalis. Sic ille. Ex Suario *lib.3.iur.cap.6.& 9.* Sanchez *n.16. citato* (non 13. vt inuenies apud Fagundez) Aragonio *2.2.q.89.art.3.dub.vltimo in 3.concl.* Azorio *loco cit.* & Petro Ledesma *tom. 2. summæ tract.11. cap.5.dub.4.* & à fortiori id tenent Valentia, & Sayrus mox citandi.

QVÆSTIO X.

An etiam præfata iuramenta ex consuetudine orta, desinant esse peccata, postquam pœnitens, simplici proposito, talem consuetudinem retractauit?

AFfirmatiuam sententiam tenuisse Valentiam *2.2.disp.6.q.7.punct.3.* & Sayrum *lib.5.Clauis Reg.cap.5.n.10.* dicit Layman. hisce verbis: Quapropter, plerumque etiam non sufficit talem hominem de præteritis periuriis, aut blasphemiis dolere, & concipere propositum in posterum abstinendi; sicuti docuisse videtur Sayrus, & Valentia (*locis citatis*) nisi id propositum efficax sit, extendens se ad propinquas occasiones, siue pericula tollenda, si fieri possit, sine magno incommodo. Hæc Layman. vnde.

Cum illo omnino Respondeo non desinere esse peccata; Quia vt desinant, non sufficit simplex, seu inefficax propositum, sed necessum est, quod sit efficax, vt constat ex nuper dictis. Nec Sayrus certe, oppositum tenuit; solum namque ait, *num.10. citato*, quod sit necessarium, vt quia à tali statu desistat, quod doleat de peccatis, & mala consuetudine præterita, & proponat se amplius non malè iuraturum. Quæ verba, de efficaci dolore, & proposito, esse intelligenda, non dubito; vt constat haud obscurè, ex contextu, & ita intelligit Sayrum, & Valentiam, Fagundez *lib.2.Decal.cap.8.num.18.*

QVÆSTIO XI.

An neganda sit absolutio iis, qui habent consuetudinem iurandi?

REspondeo vt certum: Negandam esse, quando non habent firmum, & efficax propositum talis consuetudinis corrigendæ; sicut contingit in aliis peccatis mortalibus: secus alias, si tale propositum habeant. Circa quod credendum est ipsi pœnitenti, sicut in aliis, quæ pro se, & contrà se dicit. Sic Suarez *lib.3.iuram.cap.8.n.vltimo.* Sotus *lib.8.de iust. q.2.art.3.post 7.concl.* Valentia, & Sayrus vbi supra, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.3. Decal. cap.4.n.16.* Fagundez *num.18. citato.* Trullench. *lib.2.cap.1.dub.20.num.10.* & alij. Quando autem possit confessarius differre absolutionem iis, qui consuetudinem habent iurandi, latè diximus, *1.p.tract.5. de Sacram.pœnit.disp.7.per plures quæst.*

QVÆSTIO XII.

An, teneatur pœnitens, qui sæpius proposuit emendam, nec id fecit, acceptare aliquam pœnam, vel remedium, iudicio confessoris, pro singulis iuramentis temerariis, ad tollendam consuetudinem iurandi?

AFfirmat Suarez *lib.3.de iuram.cap.8.n.7.* his verbis: Deinde, si sæpius proposuit emendari, & non fecit, adhibenda sunt remedia conuenientia, quæ ipse tenebitur acceptare iudicio Confessoris; qualia sunt, frequentius confiteri, aliquam eleemosynam, vel orationem breuem facere pro singulis iuramentis temerè prolatis, vel similia. Ita Suarez. Cuius fundamentum (inquit Fagundez) potest esse; quod vnusquisque tenetur ex iure diuino, & naturali, procurare remedium, ne amicitiam cum Deo amittat, & consequentur, illud acceptare cùm à medico spirituali offertur.

Sed probabiliùs Respondeo non teneri in rigore pœnam aliquam acceptare. Quia pro praua consuetudine in aliis peccatis, pœna aliqua imponi nequit; ita vt illius acceptatio obliget sub mortali: ergo nec pro praua consuetudine iurandi; cum nullo iure probetur, id speciale esse in hac consuetudine.

Nec ratio adducta pro Suario, aliquid conuincit. Nam sufficiit, quod iure diuino teneatur quis gratiam, & amicitiam cum Deo conseruare; non tamen est necessum, vt illum obligemus sub mortali ad acceptandum medium, ac remedium, à nobis oblatum, vt gratiam Dei conseruet. Solum igitur

erit

erit saluberrimum consilium. Sic Sanchez *num.* 17. Fagundez *num.*21. Trullench. *n.*10. ex Soto *de iuram. abusu cap.*12. Et fauet Palaus *disp.*1. *de iuram. punct.* 9. *num. vltimo*, licet ex parte Suario consentiat.

DISPVTATIO IX.

De iuramenti & voti obligatione, & materia.

QVÆSTIO PRIMA.

An iuramentum sicuti votum, obliget tanquam priuata lex?

NEGAT Valentia 2.2.*disp.*6.*q.*7. *pun.* 4. *initio.* Quia iuramentum (inquit) non est lex, sed inuocatio diuini testimonij, quod longè aliud est.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod iuramentum promissorium obliget instar priuatæ legis, quam iurans sibi imponit. Probatur: quia iuramentum promissorium obligat, sicuti votum: atqui votum obligat instar legis priuatæ, quam vouens sibi imponit: ergo & iuramentum. Maior patet, quia tam iuramenti, quàm voti obligatio, consurgit ex sola voluntate hominis, eo vinculo se constringentis: vtrumque est priuata lex, ab ipso homine sibimet imposita; in voto quidem, per fidem datam Deo; in iuramento autem promissorio, per eamdem fidem, inuocato diuino testimonio, quasi fideiussore. Sic omninò Sanchez *lib.*3. *Decal. cap.*9. *num.*1. ex Medina *tract. de Confess. quæst. de dispensatione, super confessione reuelanda ad* 2. quos citat, & sequitur Prado *tom.*2. *cap.*32. *q.*3. §.2. *n.*6.

QVÆSTIO II.

An obligatio implendi iuramentum promissorium, sit ex genere suo sub mortali?

RESpondeo vt certum quod sic. Quia est res grauissima afferre testimonium diuinum implendi promissionem, eo confirmatam, vt habitum est supra *disp.*7. *q.*32. cum communi omnium Doctorum, qui solùm discordant, quando iuramentum est de re leui, & modica, de quo etiam diximus ibi: *quæst.* 33. Legatur Prado *loc. cit. n.*5.

QVÆSTIO III.

An obligatio, quam includit iuramentum assertorium, sit maior quàm obligatio voti?

NEgant aliqui Canonistæ, apud Suarium, existimantes, votum, & iuramentum paria iudicari.

Sed oppositum omninò Respondeo dicendo, quod obligatio, quam includit, seu supponit iuramentum assertorium, grauior, & maior sit, quàm obligatio, quam votum inducit. Ratio est, quia obligatio veritatis dicendæ, quam supponit, & includit iuramentum assertorium, est obligatio negatiua, seu pertinens ad præceptum negatiuum, vt ex forma præcepti constat: *Non assumes in vanum nomen Dei tui.* vel, *Non peierabis*: obligatque ad non inferendum Deo grauissimam iniuriam, & nocumentum, quantum est ex parte iuramentis, priuando Deum, prærogatiua primæ veritatis, & faciendo illum mendacem. At verò obligatio voti, pertinet ad præceptum affirmatiuum, vt ex ipsa verborum forma apparet: *Reddes Domino vota tua*, & obligat ad seruandam Deo fidelitatem. At peius est iniuriam positiuam directam (sic lege, non, vt leges apud Sanchez, *passiuam directam*,) alicui irrogare, quàm esse illi infidelem, deficiendo à fide data; sicuti grauius delinquitur per iniuriam furandi, quam per infidelitatem non dandi: ergo. Sic Suarez *lib.*2. *de iuram. cap.* 3. *num.* 5. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 9. *numer.*4.

QVÆSTIO IV.

An item, obligatio iuramenti promissorij rei futuræ, v. g. ingrediendi Religionem, facti Deo; sit maior, quàm obligatio voti?

RESpondeo vt certum. Quod sic. Quia tale iuramentum promissorium continet vtramque obligationem, nempe, & voti, & iuramenti: ergo maior est, quam obligatio voti, vt sic. Sic supponunt communiter Doctores, Suarez, & Sanchez *citati.* Maior *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *dub.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.*42. *dub.*11. Palaus *disp.*2. *de iuram. pun.*1. *num.*1.

QVÆSTIO V.

An, iuramenta de re futura facienda in honorem Dei, semper includant votum?

AFfirmant quidam DD. Probant, quia, qui iurat Petro, se daturum ei centum nummos, id promittit Petro confirmans promissionem testimonio diuini nominis: ergo iurans Deo, se (v.g.) seruaturum castitatem, vel ingressurum Religionem, id promittit Deo, iuramentoque firmat: & proinde ibi est votum, vtpotè quod nil aliud est, quam promissio facta Deo. Ita Sotus *lib.*8. *de iust. q.*1. *art.*9. *in solut. ad* 2. *in fine.* & Nauarr. *cap.*27. *num.*275. *vers. Decimo sexto.* Quibus fauet Tamburin. *lib.*3. *cap.* 3. §.3. *num.*1. Vbi absolutè ait, quod iuramentum, quod fit Deo, semper inducat rationem voti.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quòd licèt iuramenta facta Deo de re aliqua futura eius honori concernenti, regulariter contineant promissionem factam Deo, ac proinde votum: tamen aliquando possunt talia iuramenta fieri, ita, vt nullam promissionem Deo factam includant; sed mera sint iuramenta. *Prima pars* huius responsionis conuincitur ratione primæ sententiæ. *Secunda* vero *pars*, hâc. Nam optimè potest quis expressè velle non promittere aliquid Deo, sed solum simpliciter proponere,

v. g.

v.g. ingressum Religionis, & huiusmodi propositum firmare iuramento, vt verè firmare possit. Tunc enim ille, solo iuramenti vinculo, & non voti, tenebitur. Sic Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 1. n. 3. & cap. 2. n. 6.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dubit. 11. n. 53.* Lopez, & Valentia, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 13. n. 4. & lib. 3. in Decal. cap. 9. n. 5.* Palaus *disp. 2. de iuram. punct. 1. n. 3.* & alij. Qui omnes conueniunt, secus dicendum de omnibus promissionibus homini factis iuramento confirmatis, in quibus sola obligatio iuramenti, non voti reperitur.

QVÆSTIO VI.

An obligatio iuramenti promissorij, quod votum non includit; sit maior, quàm obligatio voti?

AFfirmat Medina *lib. 5. de continentia Sacerd. cap. 22. & 23.* Vbi comparando iuramentum promissorium homini (quod vt nuper diximus, non includit votum) cum voto nudo, dicit, maiorem esse obligationem iuramenti; licèt obligatio voti sanctior sit. Probat, quia, qui non implet, quod iurauit, facit Deum testem falsi: atqui, hoc est grauius, quàm ei non seruare fidem in promissis; per illud enim tribuitur Deo aliquid, quod ipsius naturæ repugnat; per hoc, solùm officium debitum deseritur: ergo. Ita cum Medina sentit Lessius *dubit. 11. citata, numer. 53.* & alij. Et licet satis probabiliter, vt ait Sanchez.

Probabiliùs tamen Respondeo dicendum, quod obligatio voti, maior sit, quàm obligatio iuramenti promissorij homini facti. Probatur: quia per votum fides directe datur Deo, per iuramentum autem promissorium, vt tale est, non fit obligatio ipsi Deo, sed solum adducitur Deus, vt testis propositi, vel assertionis de aliquo actu futuro: sed inter hos duos respectus, prior videtur pertinere ad honorem Dei, cum magis illum directe respiciat, & ad diuinam auctoritatem, & reuerentiam magis spectet: ergo. Sic D. Thom. 2. 2. *q. 89. ar. 8.* Caiet. Sotus, Aragon, Sylvester & alij, quos citat, & sequitur Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 3. n. 7.* Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 9. n. 4.* Castro Palaus *disp. 2. de iuram. punct. 1. fine.* Mag. Prado *tom. 2. oper. moral. cap. 31. q. 14. §. 10. num. 106.*

QVÆSTIO VII.

An, Qui iurat aliquid facturum, sine promissione aliqua, sed cum solo proposito; teneatur ad faciendum quod iurauit?

NEgandum videtur. Quia tale iuramentum est purè assertorium: ergo non inducit obligationem de futuro, sed solum dicendi veritatem de præsenti, instar iuramenti merè assertorij. Ita videtur sentire Soto *lib. 7. de iust. q. 2. art. 2. ad 1.* quatenus ait, iuramentum promissorium non obligare, nisi virtute præcedentis promissionis. Verum est, quod Sotus, ibi solùm loquatur, argumentando pro quadam sententia, quam postea non defendit.

Sed vt certum Respondeo teneri ad faciendum quod iurauit, vltra obligationem dicendi veritatem de præsenti. Ratio est. Quia obligatio iuramenti ad exequendam rem iuratam, non pendet ab obligatione promissionis, cum contingere possit promissionem esse irritam, & tamen iuramentum obligare; vt contingit in iuramento soluendi vsuras iuxta *cap. Debitores, de iureiurando.* in quo casu constat promissionem illam nil prorsus conferre ad iuramenti obligationem; quod enim est irritum nil operari potest: ergo nil refert ad iuramenti de futuro obligationem, siue promissio intercedat, siue non. Sic Sanchez *loco cit. n. 6.* ex D. Thoma 2. 2. *q. 89. ar. 7.* Suario *lib. 2. de iuram. cap. 1. à numer. 11.* Lessio *lib. 2. de iust.* (non 1. vt legi apud Sanchez) *cap. 42. dubit. 11. n. 53. vers. Respondeo.* Sic etiam Palaus *disp. 2. de iuram. pun. 1. n. 3. vers. Quocumque tamen modo.*

QVÆSTIO VIII.

An iuramenti facti homini, non includentis promissionem, vnica sit tantum obligatio?

REspondeo vt certum, vnicam tantum esse obligationem, nempe ad Deum, ratione iuramenti; sicut nuper diximus de iuramento soluendi vsuras. Ratio est: quia tale iuramentum nullam confirmat promissionem, sed solum propositum, ex quo nulla oritur obligatio, vt nuper est habitum: ergo sola supereſt obligatio Religionis, ex iuramento orta, quæ erga Deum solum est. Sic Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 4. n. 2.* Vbi optimè id probat, & dicit id esse illi certum. Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 9. n. 8.* Palaus *punct. 1. cit. num. 1.* & omnes.

QVÆSTIO IX.

An, etiam iuramenti facti homini, includentis promissionem, sit item vnica obligatio?

AFfirmant quidam, dicentes in illo iuramento promissorio, tantum esse vnam obligationem ad hominem, innitentem duplici vinculo, nempe, promissionis, & iuramenti. Ratio eorum est: quia per iuramentum promissorium factum homini, nulla fit promissio Deo: ergo nulla est specialis obligatio ad illum: ergo vnica erit ad hominem, cum illo duplici titulo. Ita Caiet. *in 2. 2.* D. Thom. *q. 89. art. 7. circa solutionem ad 3.* & Sotus *lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. in solut. ad 3.*

Sed longè multo probabiliùs Respondeo in tali iuramento promissorio, duplicem esse obligationem, vnam homini, & alteram Deo. Ratio est, quia ex iuramento promissorio, quod fit per humanam, ac veram promissionem iuratam, nascitur obligatio religionis in ordine ad Deum; & iustitiæ, vel fidelitatis (iuxta varias sententias) in ordine ad hominem, cui fit promissio: at hæ obligationes sunt diuersæ speciei, vt constat: ergo. Sic D. Thom. *art. 7. citato*, quem citat, & sequitur Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 4. num. 3. & 4.* Qui *numer. 5.* ad fundamentum contrariorum, respondet, negando, consequentiam. Quia non tantum vno modo obligamur Deo. Imò in voto iurato, est duplex obligatio ad eumdem Deum; vna fidelitatis, quæ dici potest

esse ad Deum, vt creditorem; alia dici potest reuerentiæ, quæ respicit Deum, vt fideiussorem, seu testem, & hæc inuenitur in iuramento promissorio homini. Sic ille. Et ex illo Sanchez *cap. 9. cit. n. 8.* & antea *lib. 7. de matrim. disp. 27. n. 26. & lib. 9. disp. 15. n. 6.* Palaus *punct. 1. citato, num. 4.* ita dicens. Est tamen maxime aduertendum. Quoties iuramentum cum promissione valida coniungitur, duplex peccatum committi in eius violatione; aliud aduersus religionem iuramenti; aliud aduersus obligationem natam ex promissione. Nam valida promissio homini facta, inducit obligationem iustitiæ, vel fidelitatis: si Deo facta sit, inducit obligationem voti: violans ergo promissum iuratum, duplicis culpæ reus est. Sic ille.

QVÆSTIO X.

An obligatio iuramenti promissorij facti homini; directè, & principaliter sit respectu Dei?

NEgant Caiet. & Sotus *locis citatis*, & certè consequenter, cum non cognoscant in tali iuramento aliquam obligationem Deo, vt constat exnuper dictis. Sed iuxtà nostram, & veram D. Thomæ doctrinam.

Respondeo dicendum, quod obligatio dicti iuramenti, primariò, & directe sit respectu Dei (licèt effectus concernat vtilitatem proximi) secundariò verò respectu hominis. Probatur, quia huiusmodi obligatio ad Deum, est inseparabilis à iuramento; cum tamen aliquando separetur obligatio, quæ est ad hominem: ergo signum est illam, esse primariam, & quasi intrinsecam iuramenti obligationem. Sic D. Thom. & ex illo Suarez *cap. 4. cit. num. 1.* Sanchez *num. 9* Abbas, Alex. de Neuo, & Palaus apud ipsum.

QVÆSTIO XI.

An, si quis iuret; se daturum aliquid alicui homini absenti; teneatur dare illi promissum, casu, quo nullus, nomine ipsius, legitimè acceptet?

AFfirmant multi Doctores. Eo quod tale iuramentum non sit contra bonos mores; nec contra bonum commune: ergo obseruandum est, etiam casu, quo promissum iuratum, nullus nomine absentis, cui promissio fuit facta, acceptauerit; vt deducitur ex capite *si verò, de iureiurando.* Ita tenent Couarru. Molina, Gutierrez & alij multi, quos refert Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 7. numer. 23.* Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 1. numer. 13. & cap. 12. n. 21.* & penes illum, Sotus, Greg. Lopez, & alij nuper citati.

Sed probabiliùs Respondeo non teneri, si ante acceptationem legitimam potentis acceptare, tale iuramentum reuocet, vt certè potest. Quia licet Deus adducatur in testem talis promissionis, seu donationis; at cum sit homini facta, & non ipsi Deo per modum voti, Deus minimè acceptat, donec ipse homo, cui iurans obligatur, acceptet: ergo ante eius acceptationem, nihil ita firmum actum est, quin reuocari possit. Sic Sanchez *de matrim. loco cit. num. 24. & lib. 3. in Decal. cap. 9. n. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 4. n. 22. antè à cap. 17. dubit. 7. n. 52. & 53.* Qui secus dicunt, quando promissio illa iurata, fit Deo per modum voti.

QVÆSTIO XII.

An iuramentum factum soli Deo, (seu votum) de materia mala; indifferenti; impedienti maius bonum; de re impossibili, aut ob malum finem, obliget?

REspondeo vt certum; quod non. Quia iuramentum factum soli Deo, induit naturam voti: ergo ad sui valorem exigit eamdem materiam, quam votum ad sui valorem petit: sed sic est, quod votum de re mala, indifferenti, aut impedienti maius bonum, contrariaquè diuinis consiliis, aut de re impossibili, non obligat: ergo neque iuramentum de his rebus. Sic docent communiter Doctores, D. Thom. *2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.* Caiet. Sotus, Suarez, Nauar. Couarruu. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 9. n. 11.* & constat clarè ex à nobis supra dictis *disp. 7. à quæst. 41.* & tenent omnes. Sed de hac materia lege infra dicenda, *tract. 2. de voto disp. 4.*

QVÆSTIO XIII.

An, iuramentum factum soli Deo (seu votum) de re difficillima, obliget in conscientia?

REspondeo vt certum. Obligare, vt docet Aragon *2. 2. q. 89. art. 7. initio explicationis articuli*, his verbis: Notandum est, non satis esse, quod id, quod iuratur, sit difficillimum, vt in foro conscientiæ excusatio admittatur: sed requiritur esse impossibile. Vnde quantumcumque quis grauissimæ pecuniæ pondus, persoluere iuret, licet id ei perquam difficile fiat, tenetur tamen iuramẽtum seruare. Quod est intelligendum, dummodo res iurata, aliunde non desinat esse actus virtutis. Nam si esset manifestum prodigalitatis vitium, iuramentum non obligaret. Quando autem nullum est vitium, & est res grauissima, tunc causam affert idoneam, iuramentum, eius petendi relaxationem, vel commutationem; vt si mulier pedestrem, eamdemque longam iurasset peregrinationem, aut quisque difficile aliud, vnde periculum timeretur. Sic Aragon, (omnino ex Soto non citato, *lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. col. mihi 7. vers. in quarta, & quinta*) Sanchez *num. 11. citato.*

QVÆSTIO XIV.

An, quando materia iuramenti, seu voti, partim est licita, & partim illicita; partim possibilis, & partim impossibilis, seruandum sit, quoad partem licitam, & posßibilem?

REspondeo vt certum: Esse seruandum, quoad partem licitam, & possibilem; saltem casu, quo iurans, aut voues, non curauerit, aut vouerit rem licitam, & illicitam; impossibilem partim, & partim possibilem, per modum vnius, vel vnam depẽter ab alia. Quia saltem in hoc casu, est certa illa regula iuris, *vile per inutile non vitiatur.* cap. *vtile. de regul. iuris in 6.* & illa *si non valet quod ago, vt ago; valet, vt valere potest.*

poteſt. Sic communiter DD. loquendo de iuramento, aut voto de prædictis rebus. Legantur Nauarr. *cap.* 12.*n.*43. Rodriguez *tom.*2. *ſum. cap.*92 *num.* 1. Sà *verb. votum n.*32. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *num.* 11. remiſſiuè, & latè *lib.*4. *cap.* 10. *à num.*1. vſque *ad* 16. Bonac. *de præcep.* 2. *Decal. diſp.*4.*q.*1. *pun.*4.*n.*1.*& q.*2.*pun* 4.§. 4.*n.* 1. Suarez *lib.* 2. *de voto cap.*10.*n.*2. Filliucius, Layman. Valentia, Reginald. apud Bonac. Trullench. *lib.*2.*in Decal.cap.* 1.*dub.*8.*num.*1 *fine.* Palaus *tom.*3. *tract.* 15. *diſp.* 1. *pun.*8.§.1.*num.*10.

QVÆSTIO XV.

An etiam iuramentum, ſeu votum, factum partim de re licita, & partim de illicita aut partim de re poſſibili, & partim de impoſſibili, obliget, etiam caſu, quo vtraque pars collectiuè, & per modum vnius iuretur?

AFfirmant aliqui etiam in hoc caſu obligare, quoad rem poſſibilem, licèt non quoad impoſſibilem, &c. Ita Nauarrus *cap.*12.*cit.n.* 43. Rodriguez; & Sa *loc. citatis n.*42. his verbis: in voto ſeruandum poſſibile, & honeſtum, omiſſo impoſſibili, & turpi. Ita ille.

Sed clariùs, Reſpondeo: tunc non obligare iuramentum, ſeu votum, etiam quoad partem poſſibilem, ſeu honeſtam; nam ad neutram partem tenetur iurans, ſeu vouens, ſi alteram adimplere nequit: quia iurans aut vouens in hoc caſu, non intendit, vt ſupponimus, ſe ad vnam partem obligare, niſi etiam ſe obligaret ad aliam: ergo cum non potuerit ſe obligare ad partem, quæ non eſt apta materia iuramenti, ſeu voti, conſequenter nec ad illam, quæ eſt apta materia iuramenti, ſeu voti. Sic Sanchez, Suarez Bonac. & alij, vbi ſupra. Et quidem ſi iurans, aut vouens, expreſſam habeat intentionem, non ſe obligandi ad partem poſſibilem, quin ad totum maneat obligatus, tunc certiſſimum eſt, minimè manere obligatum ad vllam partem. Quia iuramentum, ſeu votum, eſt lex, quam iurans, ſeu vouens ſibi imponit, quæ vltra illius intentionem extendenda non eſt, vt optimè, ex Suario *loco citato*, & Leſſio *lib.*2.*cap.*40. *dubit.* 7. *n.*31. aduertit Palaus *loco citato num.* 10. Quid autem dicendum caſu, quo non conſtet de iurantis, aut vouentis intentione an per modum vnius; an potius per modum plurium, vtramque partem promiſerit, dicemus in ſequentibus. Sit ergo.

QVÆSTIO XVI.

An iuramentum, ſeu votum, non peccandi mortaliter; ſit omninò validum?

NEgandum videtur, eo quod videatur factum de re impoſſibili; quia ſpectata humanæ naturæ fragilitate, & ordinariis Dei auxiliis, nullus eſt qui regulariter poſſit omnia mortalia vitare. Et ita videtur ſentire Nauarr. *cap.*12.*n.*65. quatenus dicit, quod votum nunquam mortaliter peccandi, videatur eſſe de re tam difficili, quamuis non impoſſibili, vt non obliget, aut certe facilè per Ordinarium relaxari debeat. Ita ille. Cui conſentit Palacios in 4. *diſt.*38.*diſp.*1.*col.*18. quatenus dicit, hoc votum forſitan non obligare.

Sed vt quid certum Reſp. Eſſe omnino validum. Quia certum eſt, tale iuramentum, ſeu votum, eſſe de re poſſibili, non viribus naturæ, ſed gratiæ, quæ omnibus ea vti volentibus, diuinamque eius miſericordiam implorantibus, parata eſt: ergo eſt validum. Sic Sotus, Aragon, Rodriguez, Toletus, Azor, Sà, & Petr. de Ledeſma, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.*4.*in Decal.cap.*5.*n.*16. Suarez *tom.*2.*de relig.lib.* 2.*de voto cap.*3.*n.*2. Palaus *diſp.*1.*de voto punct.* 8. §.1.*n.*4. Qui tamen malè citat Nauarrum, eo quod illum abſolutè citet pro hac parte. Sayrus *lib.*6.*Clauis Reg.cap.*3. *n.*9. Qui à fortiori ait, iuramentum, ſeu votum de vitando peccato mortali in ſpecie, eſſe validum; imo & laudabile.

QVÆSTIO XVII.

An, tale iuramentum, ſeu votum, ſit etiam validum, ſi fiat ab homine fragili, & peccatis dedito, & periculum tranſgreſſionis habente?

NEgant aliqui doctiſsimi Moderni, quos, ſuppreſſis nominibus, referunt Petrus Ledeſma, & Sanchez, dicentes, horum ſententiam eſſe probabilem.

Sed multo veriùs Reſpondeo etiam eſſe validum. Quia re vera eſt de re bona, & grata Deo, & moraliter poſsibili, etiamſi fiat ab homine fragili, & peccatis dedito, & periculum tranſgreſsionis habente. Quia hoc periculum non prouenit ex iuramento, ſeu voto; ſed ex praua diſpoſitione iurantis, ſeu vouentis, quam diuinâ gratiâ ſuperare poteſt, & tenetur: ergo tale periculum iuramenti, ſeu voti, obligationem impedire nequit. Sic Petr. Ledeſma *tom.*2.*ſum.tract.* 10.*de voto, cap.*2.*concl.*2.*poſt dub.*3. dicens (ſed non conſequenter) hanc partem eſſe certam. Sanchez *num.*16.*citato*, cum aliis vbi ſupra Raphaël de la Torre, quem citat, & ſequitur Prado *tom.*2.*cap.*31.*q.* 2.§.*vltimo n.*122.

QVÆSTIO XVIII.

An, votum, ſeu iuramentum, non peccandi mortaliter, ſit conſulendum?

AFfirmat Prado loquendo de viris timoratæ conſcientiæ, quos per plures menſes experti ſumus mortali caruiſſe: his enim (ait) conſuli poteſt votum de nunquam peccando mortaliter, vt ſic voluntas magis firmatur in bono. Sic ille. *n.*123.

Sed omnino Reſpondeo nulli eſſe conſulendum ob periculum tranſgreſſionis. Nam peccata lethalia, quæ cogitatione committuntur, difficile cauentur, vt ait Sanchez. Et certè, vt addit Palaus, rarus eſt, præcipuè ex his, qui in ſæculo viuunt, qui peccato mortali, toto vitæ tempore abſtineat. Sic Ledeſma, Nauarr. Sanchez, Suarez, Palaus locis citatis, Acacius March. *verbo voto, reſol.* 446. *num.* 5. Ioan. à S. Thom. 2.2. *diſp.* 29. *art.* 5. Sotus, quem citat Prado *num.* 123. cum quo addo quod in materia determinata conſuli prudenter poſſit, votum cauendi mortalia.

QVÆSTIO XIX.

An, homo fragilis, & peccatis deditus, peccaret, emittendo votum, aut faciendo iuramentum, non peccandi mortaliter?

REspondeo dicendum, quod peccaret; sed solùm venialiter: quia (vt ait Sanchez) imprudenter ageret. Sic ille *loco cit. n.* 17. addens, quod tanta posset esse imprudentia ratione nimiæ fragilitatis vouentis, seu iurantis, vt ratione periculi, cui se exponeret, peccaret mortaliter.

QVÆSTIO XX.

An iuramentum, seu votum, nunquam peccandi; obliget?

AFfirmant quidem, eo quod lex diuina obligat ad omnia peccata vitanda: ergo & priuata iuramenti, seu voti lege, potest quispiam ad id se obligare, cum vtraque lex materiam petat possibilem. Ita tenent Nauarr. *cap.* 12. *n.* 34. fine, vbi docet, vouentem in genere, se non amplius peccaturum, teneri dum peccat, voti circũstantiam exprimere. Et Angles *florib.* 2. *p. q. vnica de voto, art.* 1. *diff.* 8. apud Sanchez infra. Sed certe hic Author, solùm dicit, valere votum nunquam venialiter peccandi, quoad illa venialia, quæ sunt in nostra potestate, vt quæ non præcedunt, sed sequuntur rationis vsum, quale est mendacium leue, verbum otiosum: non vero, quoad venialia, quæ sunt ineuitabilia, qualia sunt, quæ rationis vsum præueniunt, vt primi sensualitatis motus. Ita ille ibi. Cuius sententiam volui referre, nunc non examinare. Immo Nauar. contrarium expresse tenet, vt infra dicemus.

Sed vt certum cum distinctione, Respondeo dicendum, quod tale votum seu iuramentum, minime obliget; nisi aliàs constet, non fuisse vouentis, seu iurantis intentionem, seu mentem, obligare se ad omnia peccata vitanda, sed ad specialem diligentiam adhibendam, nunquam peccandi, seu vitandi peccata.

Prima pars huius responsionis constat. Quia tale votum, seu iuramentum, est de re moraliter impossibili: ergo non est validum: consequentia ex dictis constat. Antecedens probatur: quia etsi vitare omnia peccata, tam mortalia, quam venialia sit, phisice loquendo, possibile; at moraliter loquendo, spectatoquè communi rerum cursu, & auxiliis à Deo concessis, non est possibile, vt experientia demonstrat.

Nec est simile de præcepto, aut lege diuina naturali; quia hæc obligatio ad vitanda omnia peccata est velut proprietas rationalis naturæ, ac proinde non mirum si solam potentiam physicam vitandi omnia peccata spectet: quia rationali naturæ, qua talis est, accidentaria est moralis impossibilitas prouenies ex appetitu rationi non subiecto: at obligatio voti, aut iuramenti, & cuiusuis legis positiuæ, cum subsequatur hanc moralem impossibilitatem, illam spectat; ac proinde cum illa comparari non potest. Sic Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *col.* 9. vers. *vtrum verò votum.* Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *dub.* 2. *circa* 4. *concl.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 2. *vers. si autem quærat aliquis.* Rodriguez *tom.* 2. *sum. cap.* 49. *n.* 4. Petr. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 2. *post dub.* 3. *concl.* 3. & 4. Quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 5. *num.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 7. *n.* 31. Suarez *lib.* 2. *de voto cap.* 3. *num.* 5. Palaus *disp.* 1. *de voto pun.* 8. §. 1. *n.* 5. Immò Nauar. id expresè docet *n.* 65. his verbis. Dico, quod votum nunquam venialiter peccandi, & nunquam peccandi, non valent quia sunt de re homini in hac vita impossibili. Sic ille. March. *verb. voto, resol.* 446. *num.* 4.

Secunda vero pars responsionis, nempe, quod tale iuramentum, seu votum, sit validum, quando constat, solùm fuisse mentem iurantis, seu vouentis, obligare se, non ad omnia peccata vitanda, sed ad specialem diligentiam adhibendam, vitandi peccata; constat. Quia hoc moraliter est possibile. Vnde talis verè satisfaceret voto, aut iuramento, quando adhibita ea speciali diligentia, succumbens tentationi præ fragilitate peccaret: quia ex vi iuramenti, aut voti, ad nullum peccatum vitandum tenetur, sed ad eam solam diligentiam adhibendam. Sic omnino Sanchez, *loco citato, num.* 13.

QVÆSTIO XXI.

An item, minimè obliget iuramentum, vel votum, nunquam peccandi mortaliter, nec venialiter?

REspondeo dicendum ex dictis, non obligare, nec valere; Quia verè iurans, vel vouens, promittit hoc per modum vnius: atqui posterior pars, saltem, est impossibilis, & sic inepta materia: ergo & totum votum, iuxta dicta à nobis *supra q.* 15. Sic Sanchez *loco cit. num.* 10. ex Ledesma *loco cit.* Qui & citat Nauarrum, Toletum, Azorium, & Sà pro se. Palaus *num.* 5. & alij apud Pradum *cap.* 31. *q.* 2. §. 10. *n.* 124. P. Ioan. à S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *disp.* 29. *art.* 5.

QVÆSTIO XXII.

An tale iuramentum, seu votum, obliget saltem ad partem possibilem; nempe, ad vitanda omnia peccata mortalia?

AFfirmant multi DD. *Primo.* Quia, quoad hanc partem, possibile est tale iuramentum, seu votum: ergo quoad illam tenet, & obligat. *Secundo.* Quia (vt supra *q.* 14. est habitum) vtile, per inutile vitiari non debet: ergo illa pars voti, seu iuramenti, non peccandi mortaliter, quæ est possibilis, vitiari non debet ex coniunctione alterius partis impossibilis, nempe, non peccandi venialiter. Ita Suarez *lib.* 2. *de voto cap.* 3. *n.* 16. Quem citant, & sequuntur Bonacina *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 4. §. 4. *n.* 2. & Palaus *disp.* 1. *de voto, punct.* 8. §. 1. *num.* 8.

Sed clariùs Respondeo dicendum *primò*; si iurans aut vouens, habuit expressam voluntatem non se obligandi vitare mortalia, nisi simul obligatus maneret, omnia venialia vitare; tunc certum est, iuramentum, aut votum non tenere, aut obligare. Quia non purgatur conditio, sub qua obligationem intendebat. Sic Palaus, loco cit. & omnes Doctores, & constat ex dictis *quæst.* 15.

Resp. *Secundò*, adhuc casu, quo non constet de iurantis, aut vouẽtis intẽtione prædicta, est probabilius, quod

quod irritum, ac nullum sit iuramentum, aut votum, & consequenter nec ad partem possibilem, nempe ad vitanda mortalia, obligare: quia verba huius iuramenti, aut voti, verè continent rem moraliter impossibilem. Sic Sanchez *lib.4.cap.5.n.10.* Vbi citat pro hac parte Nauarrum, Toletum, Sà, Azorium, & Ledesmam *tom.2.sum. tract.10. cap.2. post dub.3. concl.4.* Vbi sic ait: si vno haçe voto de nunca pecar mortal, ni venialmente no esta obligado à cosa alguna; por ser el voto de cosa impossible, y aunque la vna parte es posible, que es el nunca pecar mortalmente, como ya declaramos en la segunda conclusion, no esta obligado por el tal voto à cosa alguna; porque la materia del voto, no fue la parte, sino todo esto: yo prometo à Dios, de nunca pecar mortal ni venialmente; loqual es impossible moralmente hablando. Sic ille, Trullench. etiam *lib.2.in Decal.cap.2.dub.10.n.11.* Necnon in simili, Sayrus *lib.6.cap.3.num.10.* Imò Suarez, loco citato, *num.16.in fine*, dicit, hanc partem practicè sequi posse.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem, votum, seu iuramentum, verè disiunctiuum, non peccandi mortaliter, aut venialiter; sit validum, & obliget, quoad partem possibilem, nempe, ad non peccandum mortaliter?

AFfirmabunt, & à fortiori, omnes Authores nuper, pro prima sententia adducti.

Sed nihilominus, adhuc probabiliùs Respondeo tale votum, seu iuramentum esse nullum, ac irritum, & consequenter nec quoad partem possibilem obligare. Ratio est, quia obligatio disiunctiua cadit in vtramque propositionis partem: ergo quando vna pars est impossibilis, & consequenter inepta, votum, seu iuramentum erit nullum, & irritum; ergo ad nullam partem obligabit. Sic Sanhez *lib. 4. cit. cap.10. n. 17. & 19.* Trullench. *n.11. citato.*

QVÆSTIO XXIV.

An, licèt non sit validum iuramentum, aut votum de non peccando venialiter in genere; (vt habitum est) sit validum illud, quo quis promittit, omnia peccata venialia, quantum in se est, vitare?

NEgat adhuc esse validum tale iuramentum, aut votum, Palaus *disp.1.de voto pun.8.§.1. n. 12.* Quia, inquit, est de obiecto humana ratione ignoscibili. Quis enim cognoscet, quando debitam diligentiam adhibet, præcipuè in peccatis, quæ ex surreptione contingunt, quæque præueniunt plenam aduertentiam, & considerationem? At votum, cum obligationem inducat, debet esse de re certa, & determinata, & vouenti cognoscibili. Secus verò est in proposito, quod quia obligatorium non est, eam distinctionem non postulat. Ita ille Quem citat, & sequitur Mag. Prado *cap.31.q.2.§.10 n.126.*

Sed probabiliùs, iuxta *dicta q.20.* Respondeo dicendum, validum esse tale iuramentum, vel votum; quia verè est de re bona, & possibili, vt ibidem, diximus ex Sanchez *lib.4. Decal.cap.5.num.13.* & tenet etiam Lessius *lib.2. cap.40. dubit.7. in princip. n.33.* (non 31. vt leges apud Palaum) vbi ita ait: Hinc fit, vt votum de nunquam peccando venialiter, non valeat: quia cum auxilio ordinario non est in nostra potestate, omne peccatum veniale vitare. Si tamen intenderes, te obligare ad vitanda omnia non absolutè, sed quantum diuinâ gratiâ consequi posses, & humana infirmitas permittit, eatenus esset validum, &c. Sic ille.

QVÆSTIO XXV.

An, qui iurauit, aut vouit absolutè, & in genere, abstinere se à venialibus; teneatur, ex vi iuramenti, aut voti, abstinere ab illis venialibus, quæ in particulari facilè saltem vitare potest?

AFfirmant quidam, eo quod, qui vouit, aut iurauit, se per totam quadragesimam ieiunaturum, si postea non potest ieiunare omnibus diebus, tenetur nihilominus ieiunare diebus, quibus potest: ergo idem dicendum in casu nostro. Ita Angles *quæst. de voto, art.8. diff.8.* vt habes supra *quæst.20.* Suarez *lib. 2. de voto cap.3.n.16.*

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod minimè teneatur, ex vi iuramenti, aut voti, abstinere ab aliquo veniali peccato, quod facile vitare potest, vt à mendacio leui, verbo otioso, &c. Quia, cum iuramentum, aut votum, quod quis absolutè, & in genere, de abstinendo à venialibus fecit, sit nullum, & irritum (vt cum communi sententia supponimus) eo quod sit de re impossibili; ad nihil tenebitur ratione illius. Vnde talis venialiter peccans, non magis peccat, quam si iuramentum, aut votum, non emisisset.

Nec obstat ratio contrariorum, dicendum namque est, diuersam esse rationem in illo casu, ac in isto. Nam iuramentum, aut votum de ieiunio quadragesimali, est omnino validum, ex se, & ex natura sua, cum sit de re bona, & omni ex parte possibili: & ideo ex vi talis iuramenti, aut voti, tenetur postea adimplere quod potest. In casu autem nostro, iuramentum aut votum, omnino fuit nullum, & ideo minime obligat ad aliquid inde faciendum. Sic Sotus, Aragon, Valentia, Rodriguez, Petr. de Ledesma, & Sanchez locis citatis, supra *q.20.* Quibus nunc addo Palaum *disp.1.de voto, pun.8.§.1.n. 9. vers. At mihi verius apparet.* Sayrum *lib. 6. Clauis cap. 3. numer. 10.*

QVÆSTIO XXVI.

An, iuramentum, aut votum factum de vitando aliquo genere peccatorum venialium, sit validum?

AFfirmant absolutè quidam Doctores. Ratio est: Quia tale iuramentum, seu votum, est de te bona, & possibili: ergo & validum, & firmum erit. Antecedens probatur: quia licet ad vitandum quodlibet genus peccatorum venialium diuinæ gratiæ munere egeamus; non est tamen, præter huiusmodi gratiæ auxilium consuetum, & communè Dei morem; ergo. Sic Sotus, & Nauarrus, quos citat, & sequitur Azor. *tom.1.cap.mihi 14.* aliis *13.q.4. vers. Quid dicendum.*

Caiet. Rodrig. Aragon, Petr. Ledesma apud Sanchez mox citandum.

Sed clariùs Respondeo dicendum, quod verè valeat iuramentum, seu votum de vitando tali, vel tali genere peccatorum venialium; non tamen de vitando omni genere, hoc est, istud, & istud genus, discurrendo per omnia genera peccatorum venialium: quia horum verè est aliquod genus, quod vix euitari potest longo tempore: vt mox explicabimus. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 5.* Palaus *disp. 1. de voto punct. 8. §. 1. numer. 11.* Et credo id ipsum sentire Authores citati pro sententia prima.

QVÆSTIO XXVII.

An, iuramentum, seu votum, de non mentiendo iocosè, sit omnino validum?

REspondeo vt certum: quod sit omnino validum. Quia est de re bona, & moraliter possibili, cum fiat ex plena aduertentia, & deliberatione. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 5. num. 18.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dubit. 7. n. 33.* Suarez *lib. 2. de voto cap. 3. n. 4.* Sayrus *lib. 6. cap. 3. n. 9. vers. consulendum*, vbi ait huiusmodi iuramentum, seu votum, non solùm esse validum, sed & laudabile. Petr. Ledesma *loc. citato. concl. 3.* Acacius *v. voto resol. 446. num. 4.* Ioan. à S. Thoma *art. 5. cit.*

QVÆSTIO XXVIII.

An etiam sit validum iuramentum, seu votum, de nunquam loquendo verbum otiosum?

AFfirmant Caietan. 2. 2. *q. 88. art. 8. ad finem*, & Angles citatus *supra q. 20.* nempe *q. de voto art. 1. diff. 8. concl. 2.* vbi ita ait: valebit tamen votum istud, quoad illa venialia, quæ sunt in nostra potestate, vt quæ non præcedunt, sed sequuntur rationis vsum, quale est mendacium leue, verbum otiosum, &c. Ita ille.

Sed probabiliùs Respondeo non esse validum. Quia probabiliùs est tale iuramentum, seu votum, esse de re moraliter impossibili. Sic Sanchez *loco citato*, dicens, id sentire doctissimos Neothericos. Palaus etiam *num. 11. citato.*

QVÆSTIO XXIX.

An item sit inualidum iuramentum, seu votum de nunquam peccando venialiter, in cogitationibus luxuriæ, vel iudicij temerarij, vel infidelitatis, vel in cibo, & potu sumendis?

NEgare videtur Suarez *lib. 2. de voto cap. 3. n. 12.* vbi ait, contrariæ sententiæ se non audere assentiri.

Sed probabiliter certè Respondeo etiam esse inualidum, & ideò non obligare. Quia hæc omnia venialia vitare per totam vitam, est moraliter impossibile. Præueniunt namque, cum per surreptionem admittuntur, plenam aduertentiam, & deliberationem, & ideo, attenta humana fragilitate, vix vitari possunt. Sic Sanchez & Palaus, *locis cit.* atque Petr. Ledesma *tom. 2. tract. 10. cap. 2. post dub. 3. concl. 3.* Ita dicens: El voto de nunca pecar venialmente es nullo, si incluye todos los peccados veniales. Mas si es de no pecar venialmente en materia determinada, sera valido, si fuere facil de guardar, i sino sera inualido. La primera parte desta conclusion es cierta, porque el tal voto es de materia impossible, segun el comun curso de la diuina gracia: luego no obliga. De aqui se collige la intelligentia, i verdad de las otras dos partes de la conclusion. Porque si los peccados veniales en particular son faciles de euitar, llano es que obliga el voto de euitallos. Y assi vemos que le hacen hombres santos, i temerosos de Dios, i seacusan en la confession Sacramental, sino le cumplen. Como de iurar aunque sea con verdad, sino vbiere necessidad, i no dezir mentira de proposito, i de otras cosas a este tono. Mas los peccados veniales que son muy difficultosos de euitar, i tanto, que aun los hombres santissimos, casi nunca se escapan dellos: como son la distraction inaduertida en los diuinos officios, los mouimientos segundo primeros acerca de muchas materias grauissimas en materias de juicios temerarios, i de infidelidad, i otros deste jaez, sin duda hablando moralmente, se reputa la materia del tal voto por impossible, i por el consiguente, el voto no es obligatorio, porque es blasfemia dezir, que Dios obliga al impossible. Hæc Ledesma, sic etiam Prado *tom. 2. cap. 31. q. 2. §. 10. num. 127.* & Ioan. de S. Thoma *2. 2. q. 88. disp. 29. art. 5.* Vbi docet, quod votum de non committendo veniale circa euagationem mentis, subreptionem, & motus secundò primos non sit validum.

QVÆSTIO XXX.

An sit validum iuramentum, aut votum, de fatendo in Confessione omnia venialia?

REspondeo dicendum, quod iuramentum, seu votum, de fatendis omnibus absolutè venialibus, quæ quis commisit, minimè sit validum: quia est de materia omnino impossibili: *Delicta enim quis intelliget.* erit tamen validum iuramentum, seu votum de fatendis omnibus venialibus, quæ facta mediocri diligentia memoriæ occurrerint: quia huiusmodi iuramentum, seu votum, est de re moraliter possibili, & cognitu facili. Sic Sotus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 3.* immediatè ante *5. concl.* Azor. *1. p. lib. 11. cap. 14.* (non 13. vt leges apud Palaum) *q. 4. vers. Quid dicendum.* Aragon, & Rodrig. quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 5. n. 20.* Sayrus *lib. 6. Clauis cap. 3. n. 10. vers. Ad argumentum.* Palaus *disp. 1. de voto pun. 8. §. 1. n. 13.*

QVÆSTIO XXXI.

An, casu, quo quis, dicto iuramento, aut voto, astrictus, fateatur omnia venialia, quorum meminit, teneatur alia venialia oblita, quæ postea in memoriam venerint, in sequenti confessione fateri?

NEgare videtur Azor. *loco cit.* Quia huiusmodi votum (inquit) interpretari debemus benignè, videlicet, vt qui ita vouerit, solum vouisse putetur, se confessurum

confessurum omnia peccata venialia, quæ in eius memoriam venerit, eo tempore, quo sacram suorum peccatorum confessionem facit.

Sed clariùs Respondeo dicendum, quod prædictus verè, ex vi iuramenti, & voti, teneatur fateri in sequenti confessione peccata venialia oblita in antecedenti; non tamen statim, estò sacram Eucharistiam sit susceptorus: quia illius susceptionem non impediunt dicta peccata oblita, & votum, aut iuramentum intelligitur factum de fatendis venialibus, quæ tempore confessionis memoriæ occurrerint. Nec credo Azorium contrarium sentire: nam quod quærit est, an dicta peecata oblita teneatur ille, qui votum fecit, statim postea confiteri? & respondet, quod non. Sed quidquid sentiat ille, nobiscum sentiunt Sanchez *cap.7.n.20.*Palaus, *num.13.* Sayrus *num.10.*

QVÆSTIO XXXII.

An, qui iurauerit, aut vouit ædificare totam Ecclesiam, si postea fiat adeò inops, vt non possit nisi partem; teneatur ad illam partem ædificandam?

AFfirmant multi DD. eo quod materia huius iuramenti, aut voti, quoad illam partem, est bona, & possibilis: ergo vouens verè tenebitur ad illam ædificandam. Ita D. Thom. *in 4. dist. 38. q.1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1.* Turrecrem 17. *q.1. in sum. art. 4. ad 3.* Sylvest. *votum 2. q.1.* Nauarr. *cap.12. num.39.* Valentia 2.2. *disp.6. q.6. punct.4. col.4. notab.2.* Bonac. *disp.4. circa 2. Decal. præcep. q.2. puncto 4.§. 4. num.3.* dicens, id esse contra Sanchez *lib.4. cap.10. num.7.* sed non omninò benè, id dicit, vt iam dicam Prado *cap. 31. q. 2. §. 9. num. 118.*

Clariùs igitur cum Sanchez loco citato, sub distinctione Respondeo sic. Iurans, aut vouens ædificare totam Ecclesiam, si postea non possit totam, verè tenebitur ad ædificandam partem, quando constat intentionem iurantis, aut vouentis fuisse, obligare se diuisiuè, & per modum plurium ad illam ædificandam. At vbi non constat de hac peculiari intentione, tunc vouens non potens ædificare totam Ecclesiam, non tenebitur ad partem; quia censendum est in hoc dubio, quod ille ædificium Ecclesiæ per modum vnius promiserit, ac proinde, si non potest ædificare totam, non tenebitur ad partem. Sic Sanchez *loco cit.* Trullench. *lib.2. in Decal. cap.2. dub.10. num.3. vers. secundò deducitur.* Villalob. *tom.2. tract.34. de voto diff.2. n.8.* Palaus *loc. cit. n.10.* & apud ipsum, Layman.

QVÆSTIO XXXIII.

An, iurans, aut vouens dare alicui Ecclesiæ centum (v.g.) aureos: si postea non possit nisi quadraginta, teneatur hos illi dare?

NEgandum videtur ex dictis: quia huiusmodi iurans, aut vouens est impotens ad soluendum totum, quod vouit, aut iurauit: ergo non tenebitur ad partem: sicuti est habitum de illo, qui promisit ædificare totam Ecclesiam.

Sed vt certum Respondeo teneri iurantem aut vouentem dare illos quadraginta aureos, etiam si sit impotens ad dandum centum quos promisit: casu, quo non constat vouentis, non iurantis intentionem fuisse per modum vnius hoc promittere. quia in dubio censendum est, talem diuisiuè promisisse.

Nec obstat argumentum, à paritate Ecclesiæ ædificandæ, factum: nam dispar profecto est ratio. Quia Ecclesia est quoddam corpus indiuiduum; & ideò in dubio censetur promitti per modum vnius. At verò eleemosina illà, est quid diuiduum, & ideò in dubio censetur per modum plurium promitti: atque ita existente tota illa materia eleemosynæ impossibili, verè obligabit pars possibilis. Sic communis sententia; præcipuè id tenent Authores omnes, pro vtráque sententia, quæstione superiori citati.

QVÆSTIO XXXIV.

An, qui iurauit, aut vouit, ieiunare omnibus diebus vitæ suæ, teneatur ad id; & casu, quo non possit id totum, teneatur ad partem?

AFfirmandum videtur, quia iuramentum de re difficillima est validum, vt suprà *q.13.* est habitum.

Sed pro resolutione huius quæstionis Respondeo *Primò*, dicendum, quod talis iurans, aut vouens, minimè teneatur ad totum promissum, hoc est, ad ieiunandum omnibus diebus suæ vitæ; eo quod tale iuramentum, aut votum, non solum est de re difficillima; verum etiam, de re legibus prudentiæ dissonanti; & moraliter impossibili: & consequenter inualidum quoad totum.

Respondeo *Secundò*, talis iurans, vel vouens verè tenetur ad partem iuramenti, vel voti, hoc est ad ieiunandum illis diebus, quibus absque sui officij, & rerum sui status, & salutis corporalis detrimento, commodè potest: Ratio est, quia cum ieiunium vnius diei, à ieiunio alterius commodè diuidi valeat, quoties non constat, peculiarem vouentis, aut iurantis, intentionem fuisse, obligare se ad dictum ieiunium per modum vnius; censetur per modum plurium promissum. Sic omninò Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 10. num. 8.* ex Corduba *sum. q. 131.* & Rodrig. *2. tom. sum. cap. 99. num. 8.* qui addunt tutius esse hac in re petere dispensationem.

QVÆSTIO XXXV.

An, qui iurauit, aut vouit, adire Hierosolyman, flexis genibus, aut cum buffone in ore; quamuis his modis adire nequeat, teneatur adire, meliori modo, quo possit?

RESpond. vt quid certum: teneri tunc adire, absque prædictis modis: quia substantia principaliter voto, aut iuramento promissa, est bona peregrinatio: modi autem sunt impossibiles: & ideò, nisi expresè de contraria vouentis, aut iurantis intentione constet, non censetur peregrinatio prædicta

per modum vnius, dependentérque ab illis modis promissa. Sic Nauarr. *cap.* 12. *num.* 43. (non *cap.* 30. *num.* 39. vt leges in Bonac.) vers. *Ex quibus.* vbi inquirit; An valeat iuramentum, aut votum non ludendi, aut non ingrediendi talem domum, quæ illi occasionem peccandi præbet, sub pœna eundi genibus Hierosolymam, ore buffonem ferendo? & respondet; valere quidem quoad ipsam profectionem; sed non quoad circunstantiam ferendi buffonem: quia (inquit) id inhonestum est, & nullius erga Deum reuerentiæ. Neque quoad circunstantiam eundi genibus; quia est impossibile, saltem moraliter, quod sub votum non cadit. argum. *l. nepos prouido, ff. de verb. signif.* & *cap. Faciet.* 22. *q.* Profectio verò ipsa, est honesta, & possibilis, & ita merito, quoad ipsam valet, non quoad circunstantias, argum. *cap. vtile per inutile non vitiatur. de regul. iur. lib.* 6. quando sunt separabilia, vt hæc. Sic meus Nauarrus, & Sanchez *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 12. Rodriguez, Lopez, & Sà apud ipsum, Valentia, Sylvest. Filliuc. & Reginald. quos sequitur Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 4. §. 4. *num.* 4. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 10. *n.* 5. Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *q.* 2. §. 9. *n.* 115. Palaus *disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *num.* 10.

QVÆSTIO XXXVI.

An iuramentum, seu votum, eundi ad Indos ad opes augendas, præmissa Confessione, sit validum?

REspondeo, non esse validum, & ideo ad nihil obligare. Ratio est: quia quando pars possibilis, & bona, adiicitur, vt minus principalis, & accessoria parti ineptæ promissæ, censetur in dubio vtraque pars per modum vnius promissa; & ita totum votum est irritum: atqui in proposito casu, profectio illa ad Indos ad opes augendas est pars principalis promissa, quæ cum indifferens sit, est inepta materia iuramenti, aut voti; confessio autem, quæ est apta voti, aut iuramenti materia, est promissa tanquam accessoria, & illius iteneris dispositio: ergo censenda est vtraque pars per modum vnius promissa: ergo non obliganti materia principali, nempe, profectione ad Indos, nec obligat accessoria, nempe confessio. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 10. Trullench. *lib.* 2. *Decap.* 2. *dub.* 10. *num.* 5. Bonac. *disp.* 4. *circa* 2. *præcep. Decal. q.* 2. *punct.* 4. §. 4. *num.* 6. his verbis: Præterea patet; eum, qui vouit Constantinopolim proficisci, causa visendi morem Turcarum, vel ad comparandas diuitias, præmissa confessione, nó teneri vi voti confessionem facere. Ratio est, quia confessio est accessoria rei, quæ non est apta materia voti, nec vouens præsumitur voluisse se obligare ad confessionem, nisi in ordine ad profectionem, quæ hìc non est apta materia voti. Sic ille.

QVÆSTIO XXXVII.

An, qui iurauit, aut vouit adire Romam indutus sacco; teneatur adire, si saccus sit illi impossibilis?

REspondeo tunc teneri adire, sine sacco, Romam. quia quando materia aliqua bona est principaliter promissa; altera verò accessoriè: non censetur vtraque pars per modum vnius, sed per modum plurium promitti: & ideo etiamsi pars accessoria sit impossibilis tenebitur vouens ad partem principalem possibilem: at in hoc casu pars principalis, & possibilis promissa, est profectio ad Romam, & accessoria est, adire cum sacco: ergo, existente hac impossibili, ad illam adimplendam tenebitur. Sic Suarez *lib.* 2. *de voto cap.* 2. *num.* 10. Qui benè addit, hanc responsionem intelligendam, casu, quo contrarium non constet de voluntate vouentis, aut iurantis, nempe, non voluisse se obligare ad actum sine tali modo, seu ad principale sine accessorio. Sanchez *num.* 10. *cit.* Trullench. *n.* 5. & Bonac. *num.* 6. *vers. ex quo patet.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An, qui iurauit, aut vouit adire Romam sacco indutus; cessante possibilitate peregrinationis, cesset etiam obligatio induendi saccum?

REspondeo vt certum: Cessare: ob contrariam rationem. Quia quando actus principaliter promissus inuenitur impossibilis; cessant illi accessoria, etiamsi possibilia sint: quia non sunt per se, sub promissione; sed vt adiacentia alteri: atqui in hoc casu, actus principaliter promissus, est peregrinatio, accessorium verò illi gestatio sacci: ergo ad hoc non tenetur, qui impotens est ad illud. Ex quo infert similiter, quod si quis iuret, aut voueat, Sacram Eucharistiam sumere, & consequenter teneatur confiteri, supponendo habere conscientiam peccati mortalis, si postea non possit Eucharistiam sumere, nec confiteri tenebitur. Sic Suarez *lib.* 2. *de voto cap.* 2. *num.* 10. Bonacina *loco citato*, Villalob. *tom.* 2. *tract.* 34. *diff.* 2. *num.* 9. Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *q.* 2. *num.* 116. Palaus *disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *n.* 10. *fine.*

QVÆSTIO XXXIX.

An, qui iurauit, aut vouit, adire Romam nudus; teneatur illam adire?

NEgat Nauarrus *cap.* 12. *num.* 37. (non 137. vt leges apud Suarium, *nec* 39. vt leges apud Sanchez) eo quod existimet, tale iuramentum, aut votum, non obligare, quoniam (ait) id inhonestum est, & posset valetudini corpori maximè officere, præsertim in hyeme. Sic Nauarrus.

Diuus verò Antonius (vt notat ipse Nauarrus) 2. *p. tit.* 11. *cap.* 1. §. 3 non audet dicere esse nullum, tale iuramentum, seu votum; immò potius indicat esse validum; dum dicit, esse necessario, authoritate Superioris, commutandum in aliud opus pium.

Sed, vt verum vterque Author dicat (ait Sanchez) sic intelligendus est: Posterior, vt id votum (seu iuramentum) sit validum, commutationêque indigens, quantum ad substantiam rei promissæ quæ est Romana peregrinatio. Prior autem, vt sit irritum, nec communicatione indigeat, quantum ad modum illum honestati contrarium, nempe, ire nudum. Cum enim principalis rei promissæ pars, sit bona, soluíque modus accessorius sit malus, hoc vitiato, non corruit votum: dum expresè non constat de contraria vouentis intentione. Hæc Sanchez *n.* 13. & Trullench, quod substantiam, *n.* 5. *citato.*

Sed

Sed clariùs adhuc Respondeo *primò*. Tale iuramentum, seu votum, quoad substantiam peregrinationis Romanæ, sine dubio est validum: quia sine dubio (si aliàs non constet de contraria voluntate iurantis, seu vouentis, vt dictum est) factum est per modum plurium; & sic obligat quoad partem possibilem. In hac responsione conueniunt omnes DD. præcipuè Suarez *lib. 2. cit. cap. 10. n. 3.*

Respondeo *secundò*. Tale iuramentum, aut votum, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circunstantiam nuditatis potest esse validum, & consequenter obligatorium: & etiam inualidum, & consequenter non obligabit. Erit namque validum, casu, quo nec impotentiam claram, vel turpitudinem, aut inhonestatem contineat. Inualidum verò si contrà. Censebitur autem (ait Suarez) continere impotentiam, si credatur futura conditio valde nociua saluti: turpis verò, quando manifestè est contra honestatem, vt si esset de totius corporis nuditate, sine discrimine partium. Et tunc intelligerem, non tenere conditionem, quoad inhonesta. Seruari autem debere quoad nuditatem possibilem, & honestam, quæ ad humiliationem, vel macerationem corporis deseruiret: vt in hac ciuitate homines cuiusdam populi, quotannis in processione veniunt nudi, quoad totam superiorem partem corporis, quod, quod nec indeceus, nec à religione alienum reputatur: nam ad ostensionem humilitatis, & corporum macerationem, & ad populi deuotionem deseruire potest. Hæc Suarez *num. 3. citato*. Et ex parte tenet Prado *cap. 31. de voto q. 2. §. 9. n. 115.*

QVÆSTIO XL.

An, qui iurauit, aut vouit, se equestrem peregrinaturum Romam; si præ paupertate equestris nequeat, teneatur pedestris?

Respondet Bonacina *disp. 4. q. 2. punct. 4. §. 4. fine*, standum esse intentioni vouentis, nam votum, aut iuramentum ab ea vires suas accipit. In dubio verò intentionis vouentis, dicit, illum, obligatum esse ad peregrinationem pedestrem, si eam commodè susciperè possit. Tum quia in dubio, præsumendum est in fauorem voti, quod possidet: tum quia principale potest adimpleri, quamuis accessorium factum sit impossibile. Ita ille.

Sed probabiliùs Resp. non teneri peregrinari pedestrem; (nisi aliàs constet de voluntate iurantis, seu vouentis, quia ab illa pendet tota obligatio, vt in hoc benè Bonacina.) Ratio est. Quia modus additus ad minuendam obligationem iuramenti, seu voti si sit impossibilis, tollit obligationem voti, & iuramenti, ex defectu voluntarij, vt optimè probat Suarez. Et ita esse dicendum in casu profito tenet ipse *lib. 2. de voto, cap. 2. n. 11.* & Sanchez *lib. 4. cap. 10. n. 11.* docens ita esse tenendum: ne dicamus votum, cum multò maiori difficultate obligare, quam vouens intenderit. Sic etiam Sanchez. Trullench. *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 10. n. 5. in fine.* Villalob. *tom. 2. tract. 34. diff. 2. n. 9.* Palaus *disp. 1. de voto punct. 8. §. 1. n. 10.* Prado *cap. 31. q. 2. §. 9. n. 120.*

QVÆSTIO XLI.

An, iuramentum, & votum contra bonos mores naturales, sit validum, & obliget?

Affirmatiuam sententiam tenere Couarru. *de pactis par. 2. initio n. 1. vers. Secundò hinc constat*, in casu, quo iuramentum sit contra bonos mores naturales fundatos in ratione naturali, tanquam in causa proxima, ait Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 15. num. 22.* his verbis: vnde non placet Couarru. quatenus ait, tunc iuramentum contra bonos mores naturales esse obligatorium, quando boni mores fundantur in ratione naturali, tanquam in causa proxima: *secus* (inquit) *si boni mores sint fundati in ratione naturali tanquam in causa remota, quia tunc iuramentum hoc moribus contrarium obligatorium non est.* Hæc Fagundez referens sententiam Couarruuiæ, sequutus Suarium, ex quo dicta verba transcripsit. Sed certè malè illas refert: vt constabit ex verbis ipsius. Ait enim Couarruuias sic. Secundò hinc constat, non esse ad intellectum huius regulæ distinguendum inter legem ciuilem, & canonicam: sed esse considerandum, an boni mores sint fundati super ratione naturali, tanquam ex causa proxima. Nam in hoc casu, iuramentum contra bones mores non est obligatorium: secus si boni mores sint fundati, super ratione naturali, tanquam causa remota; tunc etenim iuramentum confirmabit actum his bonis moribus contrarium. Quod in specie adnotauit Alciatus *in d. cap. cum contingat. n. 74.* Cui ipse libenter addiderim, bonos mores nusquam distingui ab immediata ratione naturali: atque ideò, siue fiat mentio de his à lege canonica, siue à ciuili, semper intelligerem, hos bonos mores ita ad honestatem pertinere, quod eis contrarium turpe sit. Sic Couarru. Ex cuius verbis, constat malè ex omni parte citasse Fagundez, & ante Suarius, quod valde miror.

Igitur omninò vt certum Respondeo dicendum, quod iuramentum, aut votum factum contra bonos mores naturales, (ideſt, contra mores, qui sunt consentanei naturæ rationali, & quibus homo efficitur bonus, & quibus contra venire est peccatum) nec sit validum, nec obliget. Ratio est: quia quod sic est contra bonos mores, est peccatum; atqui iuramentum, aut votum, non est vinculum iniquitatis, vt obliget ad peccatum: ergo. Sic latè Couarru. *loco (cit.* quem etiam citat pro hac parte Fagundez) vers. *Tertiò. Quartò* & *Quintò*. Panormit. *in cap. cum contingat. & in cap. Si verò, de iureiurando.* Suarez *lib. 2. iuram. cap. 21.* (non 22. vt leges apud Fagundez,) *num. 3.* Gutierrez *de iuram. confirmat. 1. p. cap. 40. §. 4.* & alij, quos citat & sequitur Facundez *num. 22. cit.* Azor. *1. p. lib. 11. cap. 6. fine.* Lessius *lib. de iust. cap. 17. num. 50.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 151. num. 29.* Rebell. *de inst. p. 2. lib. 1. q. 9. num. 1.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib. 3. cap. 9. num. 30.* Palaus *disp. 2. de voto punct. 8. num. 2.*

QVÆSTIO XLII.

An saltem, iuramentum, & votum, contra solos bonos mores ciuiles, seu politicos, factum; sit validum, & obliget?

AFfirmat Fagundez *lib.2. Decal.cap.15. num.23.* his verbis: Respondeo breuiter, & resolutiuè. Omne iramentum precisè factum contra bonos mores ciuiles, seu politicos, esse validum, & nunquam fieri inualidum, ex eo præcisè, quod sit contra bonos mores ciuiles. Ratio est: quia si repugnantia ad bonos mores ciuiles præcisè, esset sufficiens causa ad inualidandum iuramentum, & eneruandam illius vim, & obligationem; vbicumque inueniretur iuramentum contra solos bonos mores ciuiles, non valeret: consequens est falsum: ergo, & antecedens. Maior patet: Minor ostenditur in iuramento metu graui à latrone extorto, (lege, *iuramentis*, &c. *extortis*) quæ sunt contra bonos mores ciuiles, & contra pacem Reipublicæ, vt docet Suarez allegatus, *dicto num.7.* & tamen valent, vt satis iam alibi probauimus. Ita docent communiter Doctores, Suarez *tom.2. de relig. lib.2. de iuram. promissorio cap.22. num.7.* & hoc pro regula certissima statuunt Doctores *in cap. Quando*, & *in cap. cùm contingat, de iureiurando*, vbi Panorm. *n.7.* & Glossa *in cap. si aliquid. 1. 22. q.4.* & Turrecrem. *sentit in princip. d. cap. Quando, n.3.* & idem Couarru. *de pactis part.2. & par. 3. in principio*, Molina Theologus *tom.2. disp.271. dub. vltimo. §. Hoc tamen loco*, & Sachez *lib.1. de matrim. disp.21. n.1.* Huc vsque Fagundez.

Alij contrà dicunt, quod iuramentum factum contra leges ciuiles, quæcumque sint, sit irritum iure ciuili. Imò, & canonica. Ita Basil. Legionens. *lib.12. de matr. cap. 8. §. 1. à num.38.* Quem *citat, & sequitur* noster Ludou. à Concep. *in examine verit. tract. 2. de restit. casu 39. concl.1. num.1.* & *concl.2. num.1.* & alij apud ipsum.

Alij tandem dicunt, quod iuramentum, aut votum factum contra leges ciuiles ad nullam culpam obligantes, verè sit validum, & obliget. Ratio est: quia in hoc casu, potest iuramentum, seu votum, absque vlla culpa seruari: ergo obligabit. Sic Sanchez *disp.22.* (*num.31.* vt citat Fagundez) *de matrim. num.1.* & *lib.3. in Decal. cap.9. num.19. & 30.* & penes ipsum, omnes ferè authores citati, quæst. antecedenti, & alij infrà à nobis citandi. Et in hoc sensu loquuntur omnes Authores, quos citat suprà, & sequitur Fugundez.

Sed ego clariùs, & probabiliùs Respondeo *primò* etiamsi aliquando possit obseruari iuramentum sine vllo peccato, non sequitur quod semper sit validum, & obliget. Hæc conclusio constabit ex dicendis infrà *q.4.*

Respondeo *secundò* iuramentum, seu votum, contra bonos mores politicos, seu (quod idem est) contra leges ciuiles obligantes ad aliquam culpam, etiam venialem, nequaquam est validum, nec obligat ad sui adimplentionem, secus aliàs. Hæc responsio est contra sententias duas primas nuper relatas. Ratio est: Quia ideò, iuramentum, aut votum, præstitum, contra bonos mores naturales, est irritum, & nullum, nec obligatorium; quia res per tale iuramentum, aut votum promissa, impleri nequit absque culpa mortali, vel veniali: ergo similiter erit irritum, nullúmque, nec obligatorium iuramentum, seu votum, præstitum contra leges ciuiles obligantes ad aliquam culpam mortalem, vel venialem, cum similiter nequeat tale iuramentum, aut votum, absque culpa mortali, vel veniali obseruari. Sic docet Sanchez (quid quid dicat Fagundez) *locis nuper citatis*, & præcipuè *lib.3. Decal. cap.9. num.19. & 30.* vbi se citat *lib.1. de matr. disp.32. num.1.* Abbas, Alex. de Neuo, Corneus, Cumanus, Minchaca, Tuschus, Gutierrez, Molina, Azor, Rebellus, & alij, quos citat, & sequitur Sanch. ipse. Palaus *loc. cit.* Rocaffull. *lib.2. de 2. præc. cap.5. n.234.* vbi ad faciliùs intelligendam obligationem iuramentorum has duas regulas ponit. Prima est, negatiua vniuersaliter vera, scilicet: *Non est seruandum iuramentum, quando sine peccato impleri non potest.* Secunda est affirmatiua, nempe: *Iuramentum est seruandum, quando in seruando nullum est peccatum.* Hanc regulam secundam, non esse vniuersaliter veram, docent Basil. & noster Ludouicus locis citatis. Et benè, vt constabit ex dicendis infrà *q.47.* vnde maior difficultas est in cognoscendo, quando lex ciuilis obliget ad culpam, & quando non, nam hoc cognito, facilè cognoscetur quando communiter loquendo, iuramentum contra leges, aut mores ciuiles, obliget, & quando non; pro cuius difficultatis enodatione, sint sequentes quæstiones.

QVÆSTIO XLIII.

An, iuramentum, seu votum contrarium legi ciuili disponenti, primo, & principaliter, de materia pertinente ad bonum commune, sit validum, & obligatorium?

REspondeo ex dictis: nec esse validum, nec obligatorum. Ratio est, quia lex, quæ immediatè, primario, & principaliter, dirigitur ad bonum commune, & publicum, obligat ad culpam saltem venialem: atqui iuramentum (aut votum) minimè potest obligare ad faciendum aliquid culpabile, seu aliquod peccatum; cum non sit vinculum iniquitatis: ergo non potest ad huiusmodi legis transgressionem obligare. Sic tenent Suarez *tom.2. de relig. lib.2. de iuram. cap. 26. n.4.* Sanchez *lib.3. cap.9. n.31. & 34.* Bonac. *de 2. præc. Decal. disp.4. q.1. punct.5. num.1.* Palaus *disp.2. punct.8. num.3.* Rebell. *de iust.2. p. lib.5. q.7. sect.3. num.15. & vltimo.* Tuscus *tom.4. v. iuramentum, concl.500. n.18.* & alij plures apud Sanchez *n.34.*

QVÆSTIO XLIV.

An, iuramentum aut votum factum à clerico, parendi iudici sæculari; aut renunciandi priuilegio fori; sit validum, & obligatorium?

REspondeo dicendum, quod non sit validum, nec obligatorium. Quia est omnino illicitum, vt potè contrarium materiæ in commune bonum immediatè, & primario ordinatæ, nempe, priuilegio statui clericali concesso non iudicandi à laïca

potestate

potestate. Vnde *in cap. Si diligenti, de foro compet.* planè deciditur, irritum esse pactum iuratum, quo fori priuilegio Clericus renunciat, eo quod id concessum sit in totius status clericalis fauorem. Et idem dicitur *in cap. Nimis, de iureiurando*, de iuramento fidelitatis præstito à Clerico Principi sæculari. Quia etiam hoc iuramentum est contra immunitatem Clericorum, quæ in fauorem publicum status Clericalis concessa est. Sic Sanchez, Suarez, Thuscus, Rebell. & Palaus, & Bonacina nuper citati, & communiter DD.

QVÆSTIO XLV.

An, iuramentum, seu votum, præstitum, de extrahendis è ciuitate mercibus, armis, aliisque rebus prohibitis; aut de excedendo taxam rerum venalium, &c. sit validum, & obligatorium?

REspondeo ex dictis: Nec esse validum, nec obligatorium. Quia tale iuramentum, seu votum, est de re iniqua prohibita per leges, & præiudicanti bono communi: ergo erit iniquum, ac proinde, & eius executio iniqua etiam erit. Sic dicti DD. præcipuè Sanchez cum aliis *lib. 3. cap. 9. n. 31.* Palaus *loco cit. num. 3. vers. Hinc fit.* Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 26. num. 5.* Couarru. Matienço, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XLVI.

An, iuramentum, seu votum, præstitum, contra legem ciuilem disponentem immediatè de bonis, & actionibus suorum ciuium, sit validum, & obligatorium.

REspondeo ex dictis: Nec esse validum, nec obligatorium, casu saltem quo illa lex obliget ad culpam aliquam, vt verè obligare posse supponit Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 20. num. 8.* Ratio est, quia tunc iam iuramentum, seu votum, obligaret ad exequendum peccatum, eisérque vinculum iniquitatis, quod repugnat. Sic communis. Suarez *cap. 20. cit. & 21.* Basil. Legion. *lib. 2. de sponsal. cap. 8. num. 30.* Sanchez *lib. 3. cap. 9. n. 36.* Palaus *n. 4.* & alij DD. inter quos, solum est difficultas, quando talis lex obliget ad culpam. Pro qua enodanda sit.

QVÆSTIO XLVII.

An, semper quod lex ciuilis respiciens bonum priuatum suorum ciuium, dirigitur immediatè, siue in personam, siue in actum, prohibendo, ne fiat actus, aut factum irritando: obliget ad culpam, & consequenter iuramentum, aut votum de re illa prohibita præstitum, sit inualidum?

NEgant absolutè quidam Doctores, existimantes tale iuramentum non esse inualidum, sed potius validum, & obligatorium; eo quod existiment, talem legem ciuilem, non obligare ad culpam, quia cum sit in fauorem priuatæ personæ, non cogit eam, ne possit fauori facto per legem renunciare, quando id absque præiudicio tertij facere potest; licitè, & absque vlla culpa: ergo consequenter tenetur seruare iuramentum, aut votum factum in alterius fauorem, contra legem ciuilem respicientem bonum priuatum. Ita Sanchez *lib. 3. cap. 9. num. 35. & 37.* Quem citat, & sequitur Bonac. *disp. 4. de 2. præcep. Decal. q. 1. punct. 5. n. 2.*

Affirmant è contra alij, sentientes, nullum iuramentum, (seu votum), esse validum, & obligatorium, si legi aduersetur cuilibet. Nam eo ipso, quod aduersetur legi, aduersatur publico præcepto, vt saltem publicæ Ordinationi, & Superioris iuri: sed ius publicum non potest priuatorum pactis derogari, *l. ius publicum, ff. de pactis*: ergo iuramentum aduersum legi, obligatorium esse non potest. Ita Palaus *disp. 2. de iuram. punct. 8. num. 7.*

Distinguunt alij, dicentes, quod, si lex respiciens bonum priuatum; dirigatur ad personas; tunc obliget ad culpam, & consequenter, iuramentum, seu votum illi contrarium, nec valeat, nec obliget. Si verò dirigatur in actum, prohibendo, ne fiat actus, vel factum irritando, tunc non obliget ad culpam, & ideo iuramentum, seu votum tali legi contrarium valeat, & obliget. Ita sentiunt Baldus *in l. si quis pro eo 57. in princip. num. 9. ff. de fideiussorib.* Tuschus *tom. 4. v. iuramentum, concl. 500. n. 21. & 22. & concl. 528. n. 16. & 56.* Vasquez *1. 2. disp. 171. cap. 2. num. 13.* Basil. Legionens. *lib. 12. de matrim. cap. 8. num. 36.*

Et licèt omnes relatæ sententiæ sint satis probabiles, secunda tamen, vt explicatur à Tamburino, quia magis expedita ad praxim, magis placet.

Respondeo ergo cum illo sic. Vel leges ciuiles sunt prohibentes, vel sunt solum permittentes; si iuramentum, aut votum fiat contra priores, non valet, nec est obligatorium iuramentum, aut votum; quia sic, etiamsi aliunde, nec venialiter quidem peccaretur, fieret tamen contra bonum publicum, dum non seruarentur leges superiorum. Vnde oriri non potest obligatio vlla, nec ratione promissionis, nec ratione puræ assertionis, nec alio modo; quia eo ipso, quod iuramentum est de re contra leges prædictas, est de re, siue mala, siue, quæ à Deo non acceptatur ob bonum publicum, & animarum. At verò si iuramentum aut votum fiat contra leges ciuiles permittentes, tunc valet iuramentum, & votum; quia non est vnde illud sit malum. Non quidem ex se, vt supponimus; non ex lege, quia iam ipsa solum est permissiua, ergo, &c. sic Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 7. num. 42.* ex Oñate *tom. 1. de contr. tract. 4. disp. 11. sect. 2. n. 49.* Et primam partem nostræ conclusionis late, & benè probat noster Ludouicus *tract. 2. casu 39. concl. 1.*

QVÆSTIO XLVIII.

An iuramentum, seu votum contra leges canonicas, seu Ecclesiasticas factum, semper sit inualidum?

REspondeo vt certum. Semper esse inualidum, & non obligare. Ratio est. Quia leges canonicæ, Ecclesiasticæ, vel semper inducunt in conscientia obligationem, saltem sub veniali; vel, ita pertinent ad bonum commune, animæve bonum, vt

contra

contra illas iuramentum aut votum, non valeat: ergo. Sic Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 20. num. 3.* dicens, id esse apud omnes commune. Tamburinus ex illo *lib. 3. cap. 3. §. 5. n. 39.* dicens, id esse certum. Vnde si quis (ait) iuraret, se matrimonium inituru, sine cærimoniis, etiam accidentalibus, Ecclesiæ, inualidum esset iuramentum, nec ad aliquid obligaret.

QVÆSTIO XLIX.

An iuramentum seu votum præstitum, contra aliquas constitutiones Religionum non obligantes ad culpam, sit etiam nullum, & inualidum?

REspondeo vt certum: Esset nullum, & inualidum: Quia est præstitum, contra leges pertinentes, ad bonum animæ, immo & commune, vt diximus. Sic Tamburin. *loc. cit.* & Suarez his verbis. Addo verò, quod licèt aliquæ regulæ Ecclesiasticæ, non sint rigorosè leges obligantes sub reatu culpæ, vt de regulis multorum Religiosorum constat, & de aliquibus aliis est probabile; nihilominus, etiam in illis procedit conclusio, quia actus talium Statutorum, Regularum, aut Rubricarum, saltem sunt meliores, & in consilio, & ideo iuramentum talibus regulis contrarium, planè non obligat, sicut de iuramentis contra consilium dictum est. Sic Suarez. Legatur Palaus *disp. 2. punct. 8. n. 2.* Lege dicta suprà *q. 43.* & dicenda infrà *tract. 2. de voto, disp. 5. quæst. 6.*

QVÆSTIO L.

An iuramentum, seu votum, quod mulier præstitit alienandi fundum dotalem, sine debita solemnitate; sit inualidum, & non obligatorium?

REspondeo dicendum, iuxta doctrinam traditam *q. 47.* esse omnino inualidum, & non obligatorium: quia tale iuramentum est contra legem ciuilem omnino prohibentem, ne sine debita solemnitate fundus dotalis à muliere aliqua alienetur: ergo est validum, & non obligatorium. Secus dicendum si qua mulier de facto fundum alienauit, & iurauit se non repetituram illum; tunc validum erit iuramentum, & propter illud teneretur talem fundum repetere; quia non repetendo contra nullam legem operatur; cum eadem lex permittat, vt si quæ mulier de facto fundum dotalem alienauit, non obligetur illum repetere, nec alienationem rescindere. Sic Tamburinus *num. 42. cit.* & Palaus *punct. 8. cit. num. 7.* per totum. Qui addunt idem, propter dicta, dicendum, de casibus, quibus Minor iuret aliquem contractum, sine authoritate prætoris: ludens, se daturum id quod amittit pecunia credita (vbi lex est, ne sic ludatur) moriens, se conditurum testamentum sine solemnitate; hi namque non obligantur ad ciusmodi iuramenta custodienda; quia sunt contra leges disponentes, & prohibentes (licèt non sub aliqua culpa, sed sola politica gubernatione ad bonum publicum) ne talia fiant. Sed si iam de facto Minor contractum dictum, authoritate Prætoris, instituit: si ludens pecuniam iam soluit; & moriens testamentum sine solemnitate condidit; & deinde iidem iurent, hæc se non esse rescissuros, obligabuntur iuramenta seruare. Ratio vtriusque est iam dicta: quia ibi est resistentia iuris; hic adest permissio. Idem enim ius, quod ibi probibet, ne à te illi actus celebrentur; permittit, celebratos non rescindi, si ita tibi libuerit. Hæc Tamburinus *loco cit. num. 43.* ex doctrina Palai *loco citato.*

DISPVTATIO X.

De iuramento metu, iniuria, & vi extorto.

QVÆSTIO PRIMA.

An iuramentum metu leui extortum; sit validum, & obligatorium?

REspondeo vt certum: quod sic. Quia metus leuis facilè superari potest: nec potest tollere voluntarium. Sic omnes DD. Legantur Palaus *disp. 2. de iuram. punct. 4. num. 1.* Marcus Vidal. *in opere mor. tract. de voto, inquisitione 1.* vbi *num. 9.* definiens metum, ait: *esse instantis periculi, vel futuri, perturbationem mentis:*

QVÆSTIO II.

An, iuramentum metu graui, extortum; sit etiam validum, & obligatorium?

NEgant plures Doctores. *Primò*: quia votum metu graui extortum non est validum, neque obligatorium, vt constat ex *cap. 1. de his, quæ vi.* ergo nec iuramentum. *Secundò.* Quia *in cap. peruenit. de iurei.* deciditur, Episcopum rebus suis expoliatum, & iurare compulsum, quod non repeteret sic ablata; nullius iuramenti vinculis super hoc posse constringi: ergo iuramentum metu graui, aut vi extortum, non valet. Ita sentiunt vincentius, Abbas, Alciatus, Franc. Felin. Grammaticus, D. Anton. Hippolit. de Marsiliis, Angel. Greg. Lopez, Sarmiento, Roland. Petr. Gregorius, Flammin. & alij, quos citat Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 20. n. 3.* dicens, hanc sententiam esse probabilem, & in praxi apud iudices sæculares, receptam: & iterum de hac re agit *lib. 3. de Decal. cap. 11. à num. 13.* licèt hic iam dicat, oppositum tanquam certissimum esse tenendum.

Alij contrà dicunt, tale iuramentum valere, & obligare, ac relaxatione indigere. Quia sic colligitur *ex cap. Si verò, de iureiurando.* Vbi coactum, grauissimo metu, iurare iuris sui renunciationem, inquit Pontifex, non esse tutum contra iuramentum suum venire; nisi tale sit, quod seruatum, vergat in interitum salutis æternæ. Idem habetur *in cap. verum. eod. tit.* & *cap. Ad audientiam de iis, quæ vi.* ergo seruanda sunt talia iuramenta, aut petenda de illis relaxatio. Ita communiter DD. S. Thom. 2. 2. *q. 89.*

q. 89. *art.* 7. *ad* 3. *&* *q.* 89. *art.* 3. & Caiet. ibi Nauarr. *cap.* 12. *num.*14. Couarru. *de sponsal.* 2.*p.* *cap.* 3. §. 5. *num.* 5. & *de pactis* 3. *p.* §. 4. *n.* 2. *&* *lib.*1. *variar. cap.* 4. *n.*7. vterque Molina, Theologus *tom.*1. *tract.*2. *disp.*149. *vers. Quartò.* Canonista, *de Hispanorum promogeniis lib.* 2. *cap.* 3. *n.*12. *&*.13. Sanchez *lib.*4. *de matrim. disp.*20. *n.*4. *&* *lib.*3. *in Decal. cap.*11. *num.*14. *&* 15. Suarez *lib.*3. *cap.*16. *n.*18. Lessius *lib.*2. *cap.*42. *dubit.*6. Bonac. *disp.*4. *q.*1. *punct.*9. Gutierrez *de iuram.*1 *p. cap.*57. *n.*18. quos omnes sic refert Palaus pro hac parte, vbi infrà. Quibus addo Dianam *p.* 8. *tract.* 7. *Resol.*57. Marcum Vidal. *inquisit.* 1. *de voto*, *n.*40.

Alij media via incedendo, dicunt, quod iuramentum metu graui extortum, benè valeat in foro conscientiæ, & obligare sub mortali: secus verò in foro externo, & iudiciali. Sic Valentia *disp.*6. *q.*7. *punct.*4. §.3. & Fachinæus *lib.*8. *controuers. cap.*102. Quorum sententiam refert, & refutat, Diana, vbi suprà.

Sed ego Respondeo *primò sic.* Probabilius est, quod spectato ciuili iure, iuramentum graui metu extortum, sit inualidum, & nullam inducat obligationem. Probatur, quia Princeps sæcularis, seu Magistratus veram habent potestatem infirmandi obligationem iuramenti antequam fiat, ita vt factum nullam inducat obligationem; quod potest quidem fore, vel remittendo obligationem, vel reddendo materiam ineptam iuramento; vel constituendo iurantem incapacem, vt docent Couarruuias, Gutierrez, Molina, Sanchez, Basilius, & alij, quos citat, & sequitur noster Ludouicus *casu* 39. *cit. concl.* 1. *n.*31 & Palaus infrà citandus. At sic est, quod ius ciuile, clarè indicat hanc potestatẽ, Magistratũ ciuilem exercuisse: decretando quod iuramentum per metum grauem factum nullius sit momenti, sed potius cassum, & inutile, quoties contractibus à legè reprobatis adiicitur, vt constat ex Authent. *Sacramenta puberum.* & ex *l. non dubium, C. de legibus:* ergo. Sic Palaus *disp.*2. *de iuram. punct.*4. *n.*5. ex Sanchez *lib.*4. *de matrim. disp.* 20. *num.*5. *in solut. ad* 2. vbi ait hanc esse communem sententiam. Legatur noster Ludouicus loco citato.

Resp. *secundò*, spectato iure Pontificio, & canonico, (cui in materia iuramenti, vt potè spirituali, standum est) iuramenta quæcumque metu graui extorta sunt valida, & firma, & obligatoria, modo sint de materia, quæ seruari, absque dispendio salutis æternæ, possit. Sic tenent omnes DD. pro secunda sententia relati, qui id benè probant. Legatur Sanchez loco cit. vbi dicit, quod Authentica citata, *Sacramenta puberum*, correcta sit per ius canonicum. *cap. si verum, de iureiurando.* Hæc in communi, descendamus ad casus particulares, qui ex hac doctrina inferuntur, quibus respondebimus rationibus primæ sententiæ.

QVÆSTIO III.

An, matrimonium, & votum metu graui extorta, sint etiam valida, sicuti est iuramentum extortum metu?

RESP. dicendum, quod non sint valida, sicuti est iuramentum. Quia illa priora sunt irrita iure Ecclesiastico, vt constat matrimonium, *in capite significauit. De eo, qui duxit in matrim. cap. requisiuit.* & *cap. Gemma. de sponsalib.* Sicuti annullatum aliàs fuit matrimonium clandestinum à Concilio Trident. *sess.*24. *cap.*1. *de reform. matrim.* Votum verò, *in cap.*1. *de his, quæ vi.* iuramentum verò minimè, tùm potiùs, illud obseruandum præceperit ob diuini nominis reuerentiam. Sic Sanchez *lib.*3. *Decal. cap.*11. *n.*15. Tamburin. *lib.*1. *in Decal. cap.*2. §.5. *n.*22. *&* *lib.*3. *cap.*3. §.5. *num.*12. Palaus *disp.*2. *punct.*4. *in n.*11. Adde, quod matrimonium metu iniusto & graui extortum, non solum iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturæ est irritum, vt cum probabiliori sententia diximus *p.*2. *tract.*9. *disp.*16. *q.*20. & tenet etiam Tamburin. *loc. cit.* Marc. Vidal. *loc. cit. n.*38.

QVÆSTIO IV.

An, matrimonium, seu sponsalia, ex metu graui contracta, sint saltem valida, si eis addatur iuramentum.

AFfirmarunt aliqui, quos citauimus 2.*p. disp.*16. *cit. q.*26.

Sed iterum, vt quid certissimum Respondeo minimè esse valida. Ratio est. Quia iuramentum minimè confirmat contractum, qui aliàs secluso iuramento, erat inualidus, præcipuè naturali iure: sed matrimonium metu graui contractum, est tam iure naturali, quàm Ecclesiastico, nullum: ergo. Sic Sanchez, Ledesma, Sà, Reginald. Ægid. Rebell. Hurtad. & alij, quos *dicta q.*26. adduximus. Quibus nunc addo Tamburinum *num.*12. *cit.* vbi huic inquirenti, casu, nempe, Antonius metu graui coactus duxit, vel promisit ducere Bertam, addítque iuramentum; quæritur an sicut matrimonium fuisset irritum, si iuramento caruisset, sic etiam, & illo addito? Respondet, irritum esse, tum matrimonium, tum, iuramentum, tum vtrumque vnitum. Ratio est: quia matrimonio huic deest perfectus consensus. Adde, & ius Ecclesiasticum illud irritans, vt alibi diximus, cum ergo iuramentum superueniens non inueniat perfectum consensum, matrimonium semper remanebit in sua nullitate. Sic ille. Legantur à nobis *quæst.* 16. *cit.* & quæstionibus 17. *&* 18. sequentibus. Vbi diximus, tale iuramentum nec obligare, nec indigere relaxatione: quia certè vbi nullum est vinculum, nulla est necessaria relaxatio. Legatur etiam Marcus Vidal. *inquisit.* 1. *de voto, num.* 69. dicens id esse commune Doctorum placitum.

QVÆSTIO V.

An, si quis, graui metu perculsus, iureiurando promittat latroni, vel raptori, centum aureos, seruandæ vitæ causa; obligetur stare promissis, & obseruare iuramentum?

NEgant teneri stare promissis, & obseruare iuramentum, omnes Doctores, qui negant esse validum iuramentum metu graui extortum: sunt autem Vincent. Abbas, Alciatus, & alij citati suprà *quæst.* 2. pro prima sententia. Quibus addo nunc, Donellum *lib.* 21. *Commentar. de iure ciuili, cap.* 13. Hunnium *lib.* 1. *variar. resol. iuris ciuil. tract.* 1. *quæst.*5. Setserum *lib.*1. *de iuram. cap.* 20. Bodinum *lib.* 1. *de Repub. cap.* 1. & Animæum *disp.* 2. *Collegij criminalis, assert.*6. *in fine*, quos omnes pro hac parte refert Diana *par.* 8. *tract.* 7. *resol.*57. Quibus adhuc ego addo nostrum

Ludouicum 1. *p. exam. verit. tract. 2. de restit. casu* 39. vbi in vno multos congerit casus, quos omnes doctè resoluit.

Sed nihilominus multò probabiliùs Respondeo dicendum, quod ille, qui metu graui perculsus, ex animo iurauit dare centum aureos v. g. latroni, aut raptori, causa seruandæ vitæ; verè teneatur, & obligetur stare promissis, & obseruare iuramentum. Quia multò probabilius est, quod tale iuramentum latroni, vel raptori præstitum, sit validum, & obligatorium, iure saltem canonico; vt manet probatum suprà *q.* 2. sic tenent omnes Doctores pro secunda sententia relati. Legantur pro hoc in particulari casu, vterque Molina, ibi citati, Suarez, Gutierrez, & Lessius, Bonac. etiam, & Tambur. *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. §. 5. *num.* 6. Layman, *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 7. *num.* 8. Diana *Resol.* 57. *citata.* Magister Prado *tom.* 2. *oper. moral. cap.* 32. *de iuram. q.* 3. §. 3. *num.* 18. & 19. & apud ipsum, Raphaël de la Torre *art.* 7. *disp.* 9. *ad* 2. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 13. *n.* 3. & 8. dicens hanc sententiam esse penè certam. Marcus Vidal. *inquisit.* 1. *de voto, n.* 22.

QVÆSTIO VI.

An, si quis à latrone captus, metu graui propulsus, iuret, se non denunciaturum illum iudici, vel Ecclesiæ; teneatur adimplere tale iuramentum?

NEgant aliqui, existimantes, tale iuramentum non esse validum, nec obligatorium: Quia est contra bonos mores, & contra bonum publicum, ab hac denunciatione abstinere. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. (& ibi Caiet. *dub. vltimo*) & *in* 3. *dist.* 39. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *in corp.* & 4. *dist.* 29. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 4. Abulens. *cap.* 5. *Matth. q.* 306. Sà *verb. vsura, in fine.* Petr. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 3. *dub.* 4. *fine.* Angel. Syluest. Tabiena, Armilla, & Barbosa, quos refert Sanchez *lib.* 3. *Decalog. cap.* 21. *n.* 12.

Sed meliùs cum ipso Sanchez, sub distinctione Resp. dicendum sic. Si casus occurreret sub præcepto obligans iurantem ad denunciandum: quia v. g. latro ille, tam nefarius est, vt id ad bonum commune expediat; tale iuramentum non obligat, quòd esset contra publicum bonum. Similiter non obligat, si ille interrogaretur iuridicè. Et in his duobus casibus, tenet verum prima sententia. Si autem sit casus, in quo non tenetur denunciare; & iurauit se non denunciaturum, quantum in se est, & sua sponte, iuramentum obligat, dum non fuerit iuridicè rogatus. Quia fuit iuramentum homini præstitum, potestque absque peccato impleri. Sic ille, *num.* 12. citato, ex Soto *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 7. *ad* 3. *memb.* Aragon. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. & Rodrig. 1. *tom. sum. in* 2. *edit. cap.* 192. *num.* 2. Quos sequitur Diana *par.* 8. *tract.* 7. *resol.* 57. *vers. sed ex his*; ominò ex Lugo *tom.* 2. *de iust. disp.* 22. *sect.* 8. *num.* 235. & Bassæus *tom.* 2. *v. iuramentum, num.* 15.

QVÆSTIO VII.

An, si captus ille à latronibus, compelleretur, metu mortis, iurare, se illos non denunciaturum iudici, etiamsi iuridicè rogetur; tale iuramentum esset licitum, & obligatorium?

AFfirmat Sanchez *loco cit. n.* 13. Quia (inquit) cum vitæ periculo, nemo tenetur iudici iuridicè, aliàs roganti respondere: ergo tale iuramentum esset licitum, & obligaret iurantem ad obseruandum illud.

Sed probabiliùs Resp. tale iuramentum non esse validum, neque obligatorium; immò, nec debere, aut posse, iurantem illud adimplere postea, etiamsi licitè, vel illicitè ex animo iurasset. Ratio est (inquit Lugo) quia in hoc casu promittitur cum iuramento aliquid, quod sine peccato fieri potest. Quamuis enim metus, & periculum mortis excusat regulariter à respondendo iudici; in hoc tamen casu, quando Iudex postea interrogat, nullum mortis periculum est; cum iam sit in tuto qui interrogatur: ergo secluso iuramento, tenebatur hic, & nunc respondere: metus autem mortis præcedens non excusat à respondendo postea, cum iam omninò cessaret illud periculum, quod excusare poterat. Sicut si ob metum mortis iurasses alicui comedere carnes toto hoc anno, diebus prohibitis; certum est, quod postea, cessante, metu, non deberes, nec posses illud iuramentum seruare: quia licèt, durante metu, posses id facere, si non inferretur metus, & exigeretur in odium, & contemptum religionis; cessante tamen metu, eo ipso cessabat ratio excusans ab obseruatione præcepti Ecclesiastici: quare promissio talis esus ponendi, post oblatum metum esset promissio rei illicitæ. Sic Lugo, ex Soto, Rodrig. & Aragon *locis citatis*, quos sequitur Diana vbi suprà, & Bassæus *lo. cit.* Addit benè Lugo, quod posset captus ille, & coactus iurare, id facere cum æquiuocatione ad decipiendos eos, non tamen posset promittere in sensu latronum, & multò minus posset adimplere iuramentum.

QVÆSTIO VIII.

An, iuramentum factum de soluendo vsuras, sit validum, & obligatorium?

NEgant, ex parte, aliqui canonistæ, explicando *cap. debitores, de iureiurando*, quatenus docent, quod vsurarius non est paratus ad mutuandum sub vsuris, tunc qui iurat soluere illas, peccat, & est inualidum iuramentum, & non obligatorium. Ita tenet Bellamera apud nostrum Ludouicum, infrà.

Negant & alij, dicentes, nec tale iuramentum esse obligatorium, casu, quo nulla necessitas excusset; aut nulla sit vtilitas; sed solùm ad expendendum prodigè cum meretricibus, aut in ludis illicitis, mutuum petat ab vsurario promittendo vsuras. Quia tunc promittere, & soluere vsuras est illicitum; vt potè, quæ omni causa legitimè excusanti sunt destituta, & censentur cooperatio quædam peccato recipientis. Ita tenet Caiet. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 3. *dubio* 1.

dubio 1. & Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 21. *punct.* 4. *col.* 5. vers. *Iam de secundo*, & apud Felinum, Glossa final. *in cap. debitores*, & apud Suarez Bellamera. Quos minimè id sentire, ait Sanchez, vbi infrà.

Alij tandem absolutè dicunt, dictum iuramentum nequaquam esse validum in foro conscientiæ, aut interno; sed solùm in foro externo. Et ideò solùm hoc sensu, esse verum quod ait caput *debitores*, cit. Ita tenet noster Ludouic. *tract.* 2. *de restit. casu* 39. *concl.* 2. *n.* 89. vbi variis exemplis id confirmare contendit.

Sed vt mihi certum Respondeo quod iuramentum factum de soluendo vsuras, absolutè sit validum, & obligatorium; non solum pro foro externo; sed etiam pro foro interno, & conscientiæ. Probatur clarè ex cap. *debitores*, *de iureiurando*, vbi expressè his verbis deciditur. *Debitores ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerunt, cogi non debent: si verò ipsarum solutione iurauerint, cogendi sunt Domino reddere iuramentum.* Ratio autem huius decisionis est: quia (vt ait D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. ab omnibus receptus) ex iuramento facto homini, duplex obligandi ratio potest consurgere; altera homini, ratione promissionis ipsi factæ; & ex hac parte, iuramentum per iniuriam extortum non obligat; homo enim per iniuriam nullum ius acquirit, ideóque meritò talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt rei promissum non seruetur. Altera est, qua quis Deo obligatur, vt impleat quod per nomen eius promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm iuramentum violare. Sic D. Thom. *loco cit.*

Et confirmatur ex dictis suprà, quia huiusmodi iuramentum potest sine peccato adimplere: ergo obligat ad eius impletionem, antecedens probatur: quia supposito iuramento, nullum inuenitur peccatum in solutione vsurarum, patet; quia licèt vsurarius peccet recipiendo, non tamen iurans, soluendo. Nam, supposita promissione, solutio est actus virtutis magnæ veracitatis, & fidelitatis, (etiam quando promissio ex se non obligaret.) Præterea solutio illa, est valde vtilis, vt petentibus mutuum, quo indigent, fides adhibeatur, si vsuras à se petitas promittant iuramento, & sic mutuum illud inueniant. Quæ causæ satis sunt ad eam solutionem cohonestandam; licèt non sufficiant, vt eâ non iuratâ obliget. Sic Bassæus *tom.* 2. *v. iuramentum, n.* 27. ex Sanchez *n.* 3. *in fine.*

Quod verò tale iuramentum obliget in foro conscientiæ, & non solum in foro externo, mihi est certum omnino. Quia ratio decidendi, ob quam hæc iuramenta obligant, nempe; *obseruari posse absque dispendio salutis æternæ*, æquè in vtroque foro procedit, vt, ex Basilio *lib.* 12. *de Sponsal. cap.* 8. *num.* 73. notat Palaus, *disp.* 2. *punct.* 4. *n.* 1. Vnde nostram sententiam vt certissimam docet Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 11. *num.* 3. *& sequent.* Suarez *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 5. Palaus *disp.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. dicens, esse sententiam omnium. Tamburin. *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. §. 5. *num.* 6. Lugo *tom.* 2. *de iust. disp.* 23. *sect.* 3. *num.* 51. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 12. *num.* 5. dicens, id esse certissimum, & indubitatum.

QVÆSTIO IX.

An, vsurarius, ex iuramento de soluendi vsuris sibi præstito, acquirat ius, & actionem, ad compellendum in foro externo iurantem, vt sibi vsuras promissas soluat.

AFfirmant aliqui Authores ducti *ex cap. debitores, de iureiur.* vbi, hæc verba habentur: Si *verò de ipsarum solutione iurauerint, cogendi sunt Domino reddere iuramentum*: ergo pars, cui iuratum est, acquirit ius, & secundariam obligationē, vt possit iure actionis cogere iurantē. Ita apud Sanchez, & Fagundez, tenent Abbas *cap.* 1 *num.* 1. & *cap. debitores num.* 4. *de iureiur.* ex Glossa *eo cap. debitores*, *verbo cogendi.* Cardin. *eod. cap. num.* 1. & *cap. cùm venissent*, *n.* 9. *de institut.* Felin. *eod. cap.* 1. *num.* 1. & *cap. debitores*, *num.* 2. Alexan. de Neuo, *num.* 2. Aragon 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. circa *solutionem ad* 3. *in* 5. *concl.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 4. *col.* 7. *vers.* Quod autem, & Sayrus *in claui Reg. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 16.

Sed probabiliùs longè Respondeo, nec ius, nec actionem, nec obligationem, etiam secundariam, acquiri vsurario ad compellendum in foro externo iurantem: sed totam illius iuramenti obligationem acquiri Deo. Probatur ex *eod. cap. debitores, cit.* vbi dicitur, *quod cogatur vsurarius reddere Domino Deo iuramentum.* Vbi cautè solius Dei meminit textus; quasi ipsi soli sit acquisita obligatio. Deinde, quia sicut ius non fouet obligationem illius promissionis, eo quod turpis sit ex parte recipientis; ita non fouet obligationem iuramenti, vt ex ea acquiratur ius aliquod recipienti, sed soli Deo, vt diximus. Sic Sanchez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. Qui *ad cap. debitores*, prò contraria parte adductum, optimè, respondet, potius esse pro hac parte, vt nuper diximus. Vnde coactio, de qua in d. cap. fit mentio, facienda est ex iudicis officio, vt iurans exequatur obligationem Deo acquisitam; non autem ad instantiam partis ius actionis intentantis. Sic etiam apud ipsum Sanchez, & Fagundez. Antonius *cap. debitores*, *num.* 7. Fortunius Garcia, *de vltimo fine*, *illat.* 22. *principali*, *num.* 465. Couarru. *de pactis*, 2. *p.* §. 3. *num.* 2. *vers. Primum ex hoc intellectu.* Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 150. *col.* 2. *& 3. & tom.* 2. *disp.* 515. *col.* 4. *vers. vtrum autem*, Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de iuram. lib.* 2. *cap.* 27. *fine*, & Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 17. *dubit.* 6. *num.* 51. quos omnes sic citatos, sequuntur Sanchez *lib.* 3. *Decalogi*, *cap.* 11. *num.* 8. & Fagundez *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. His addo Card. de Lugo *tom.* 2. *de iust. disp.* 23. *sect.* 3. *num.* 91. Palaum *punct.* 3. *num.* 7. Nec oppositum, docent, Aragon, Valentia, & Sayrus, vt existimant Sanchez, & Fagundez. Nam dicti tres Authores, solùm (vno ore) dicunt, quod iurans cogetur in foro contentioso, stare promissis. Nam certè intelligendi sunt; quod debeat cogi, non ad instantiam partis, sed ex iudicis officio, vt nos suprà diximus.

QVÆSTIO X.

An, qui iurauit ſoluere vſuras, ſatisfaciat iuramento, qui illas de facto ſoluit, cum intentione tamen ſtatim repetendi?

NEgandum videtur, ex *lege* 55. *ff. de ſolutionib.* vbi dicitur; quod, qui ſic ſoluit, vt recuperet, non liberatur: quemadmodum non alienantur nummi, qui ſic dantur, vt recipiantur; ergo in noſtro caſu ſimiliter dicendum.

Sed vt verum Reſp. ſatisfacere iuramento præſtito de ſoluendis vſuris, qui illas de facto ſoluit; quamuis ſtatim, abſque aliqua iuramenti relaxatione, eas repetat, etiam (ſi opus fuerit) officio iudicis implorato. Ratio eſt. Quia iuramentum tantùm fuit de ſoluendis vſuris, non de illis non repetendis: ergo iis ſolutis, verè eſt iuramento ſatisfactum. Sic conſtat, ex cap. *Ad audientiam de his, quæ vi*, ibi: *Non obſtante iuramento prædicto, quo non ad non repetendum, ſed ad reſignandum, ſolummodo tenebatur.* Et ex *cap. debitores, de iureiur.* ibi. *Cum vſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas ſunt Eccleſiaſtica ſeueritate (ſi neceſſe fuerit) compellendi.* Vnde ſit tenent Couarru. *de pactis 2. p. §. 3. num. 2. in principio.* Gutierrez *de iuram. confirmat. 1. p. cap. 53. num. 8.* Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 9. num. 16.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 17. dub. 7. n. 51. & cap. 42. dubit. 6. num. 27.* Abbas, Hoſtienſ. Anchar. Ioan. Andr. & Antonius, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 11. num. 9.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. num. 6. & §. 6. num. 2.* Fagundez *lib. 2. cap. 12. num. 12.* Palaus *diſp. 2. de iuram. punct. 3. n. 6.* Qui numero ſequenti, optimè reſpondet ad rationem dubitandi, dicendo, quod dicta lex vel intelligi debet; quando ſoluitur aliquid eo pacto, & conditione inter partes conſtituta, vt ſtatim ſolutum repetatur; tunc enim eſt, ac ſi ſolum non fuiſſet. Vel intelligi debet, de ſolutione pecuniæ, quam poteſt retinere is, cui fit ſolutio, abſque onere reſtituendi; quod in ſolutione vſurarum non procedit. Vel tertiò, intelligi debeat, de pecunia debita ei, cui fit ſolutio; non de pecunia, cuius ſolutio ſolùm eſt debita Deo, qualis eſt pecunia vſurario, ob mutuum promiſſa; huius namque ſolutio non vſurario, ſed Deo tantùm eſt debita, &c. ſic ille.

QVÆSTIO XI.

An, qui iurauit ſoluere vſuras, & non repetere, tunc adhuc eſſet licitum iuranti, illas repetere?

REſpond. vt certum: Tunc non eſſe illi licitum repetere, quod ſoluit, niſi poſt impetratam iuramenti relaxationem. Quod certè facilè colligitur à contrario ſenſu, ex verbis ex *cap. ad audientiam*, nuper relatis. Et ratio inſuper eſt; quia iuramentum non repetendi vſuras, eſt de re licita, & poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ obſeruari: ergo debet. Sic Anton. Anchar. Abbas, Couarru. Gutierrex, Suarez, & Bartol. quos ſequitur Sanchez citatus, *n. 9.* Paulaus, *n. 8.* Fagundez *n. 13.*

QVÆSTIO XII.

An, licitum ſit, iurare, ſoluere vſuras, & non repetere illas; cum animo petendæ relaxationis, & ea obtenta, non implendi iuramentum?

REſpond. eſſe licitum. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 11. num. 17.* his verbis: Nec credo peccaturum, ſic iurantem, ſi habeat non implendi iuramenti, obtenta tamen prius illius relaxatione: ſecus ſi abſolutum non implendi animum haberet. Quia in priori euentu, nulla irrogatur iniuria extorquenti iniquè promiſſionem; nec eſt mendacium, quod iurans habeat firmum implendi animum, niſi relaxationem obtineat: & quamuis habeat animum petendæ prius relaxationis, & ea obtenta, non implendi, animus hic eſt conformis conditioni imbibitæ in eo iuramento, quæ eſt; niſi eius relaxatio prius obtineatur: & ideo, nec mendacium, nec culpam aliam continet. Sicut iurans fœminæ matrimonium, cum intentione implendi, niſi illa fornicata fuerit, verum iurat, nec peccat: quod ea conditio includatur tacitè in ea promiſſione. Atque hoc apertè colligitur ex Suario *tom. 2. de Relig. tract. de iuram. lib. 2. cap. 7. num. 20. fine*, vbi hæc ait: *Aliquis timoratus poteſt velle iurare, & ſe obligare, & ſperare licitè non implere, obtenta iuſtâ diſpenſatione.* Huc vſque Sanchez, loquendo de illo, qui metu graui compulſus, iurauit dare aliquid compellanti. Quod idem dicit in noſtro caſu, vt conſtat ex dictis ab ipſo *n. 16.* antecedenti. Sic etiam Palaus loquendo de noſtro caſu, *loco cit. n. 9.*

QVÆSTIO XIII.

An; iurans, ſoluere debitum (vel aliquid dare) ſatisfaciat iuramento, ſi compenſatione vtatur, eo quod creditor ille tantundem ſibi debeat?

NEgant quidam Doctores: eo quod compenſatio, non eſt vera, ſed ficta ſolutio, *l. ſi cum filio, ff. de compenſat.* Item, quia in cap. *ad noſtram. de iureiur.* deciditur, iurantem reſtituere mutuum acceptum, ſub pignoribus; non poſſe obiicere fructuum à mutuante perceptorum, ex pignore compenſationem. Ita Innoc. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Imola, Anton. Matheſil. Collectat. Aretin. Zaſius, Corſetus, Felin. quos refert, & ſequitur Gutierrez *de iuram. 3. p. cap. 6. num. 7.* Molina *C. de reſtitut. q. 3. cauſa 12.* & Angles *2. p. tract. de reſtitut. q. Quis teneatur reſtituere, art. 2. dub. 13. diff. 20. concl. 3.* apud Sanchez; ſed apud me, *art. 2. dub. 12. diff. 17. concl. 3.* ita dicens: Si volens compenſare debitum, iurauit abſolutè, ſine vlla conditione, creditori ſuo debitum ſoluere; ſolutionem ratione compenſationis differre non poterit. Conſtat ex *cap. ad noſtram*, & *cap. debitores, de iureiurando.* Et ratio eſt: quoniam qui ſub iuramento aliquid promiſit, non ſolùm homini, cui promiſſio facta eſt, verùm etiam Deo, quem propoſuit ſui promiſſi fideiuſſorem, tenetur, quamuis creditor non lædatur. Ita habetur in cap. *debitores*, de illis

illis, qui promiserunt soluere vsuras. Hæc omnia Angles. Et quidem probabiliter.

Sed multò probabiliùs Resp. satisfacere iuramento, si compesatione vtatur. Itaque, si quis iuret se alteri daturũ decem, aut soluturum illi decem aureos, quos debet; integrum illi erit, & licitum, non soluere illos, casu, quo ille alter, tantumdem debeat. Ratio est (ait Sanchez) quia ea compensatio, censetur quædam solutio, *l.4.§. soluisse, ff. de re iudicata.* Et quamuis sit quædam ficta solutio, liberat reuera ære alieno soluendo, estque vera satisfactio. Nec obstat dictum *cap. ad nostram (quod pro se adducit Angles)* quia, vel (vt ait Couarru.) non erat liquidum fructuum debitum, cum quo volebat debitor liquidum debitum compensare: vel (vt aiunt Sylvest. & Azor) iurarat ille se soluturum, obligando se expresse ad non vtendum compensatione. Sic Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 17. n. 15.* Bartol. Baldus, Cumanus, Faber, Angelus, Abbas, Alexan. Platea, quos refert, & sequitur Couarru. *de pactis 1. p. §. 4. n. 9. & 10.* Angel. *v. iuramentum 4. n. 4.* Syuest. *iuramentum 3. q. 6. & iuram. 4. q. 27.* Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 1. par. 4. dub. 9. n. 341.* Sà *v. iuramentum, n. 20.* Azor *lib. 11. cap. 8. q. 10.* Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 192. n. 4.* Legatur Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 37.*

QVÆSTIO XIV.

An qui iurauit soluere vsuras, possit facere compensationem cum ipso vsurarum debito, retinendo eas, via cuiusdam anticipatæ recompensationis?

AFfirmandum videtur. Quia vsuris à iurante solutis, vsurarius easdem debet Iuranti, ratione retentionis, & acceptionis iniustæ: ergo hic optime, via compensationis, poterit eas retinere, & non soluere; sicuti aliud debitum posset quispiam via compensationis retinere; quando certus est, statim eo soluto esse tantumdem sibi debendum.

Sed vt certum Respondeo, Non posse. Quia minime satisfaceret iuramento præstito vsurario, vtendo hac compensatione. Patet, quia non obstante illa aperta, & præsenti exactionis vsurarum iniustitia, præstitit iuramentum de earum solutione: ergo vt satis faciat iuramento, necesse vt solutionem ipsarum faciat. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 11. num. 10.* & Fagundez ex illo *lib. 2. cap. 12. num. 14.* & quamuis bene sed adhuc clarius probat Suarez nostram responsionem, sic. Quia in promissione soluendi vsuras non est locus compensationis ex vi iniustitiæ, quæ in tali exactione ab vsurario committitur: quia cum ante promissionem, nullum supponatur debitum, nec ex vi promissionis contrahitur, donec realis fiat solutio, non habet locum compensatio ante solutionem; quia si non est debitum, non est compensatio. Facere autem compensationem quasi antecedenter, apertè est contra formam, & intentionem talis iuramenti; quia non obstante iniustitia exigitur, & iuratur solutio: ergo excluditur compensatio cum eadem iniustitia. Sic ille, *lib. 2. de iuram. cap. 37. num. 21.* Citant etiam Sanchez, & Fagundez pro hac parte Sotum *lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. circa solut. ad 3. versu. Fortasse hic*, Sayrum in clavi Reg. *lib. 5. cap. 6. num. 15.* fine, & Molinam *tom. 2. de iust. disp 560. col 12.* vers. *Ad confirmationem.* Sed certè Sotus, & Sayrus, non loquuntur in terminis de nostro casu, licèt sit de simili (vt mox videbis:) benè tamen Molina loco citato, *col. mihi 9.*

QVÆSTIO XV.

An, qui inuitus per metum, aut vim, latroni, aut vsurario, iurauit dare decem; satisfaciat iuramento, dando quinque, retinendo alia quinque via cõpensationis?

AFfirmandum videtur. Quia in hoc casu, iam supponitur debitum iuranti, cum reuera quinque latroni, aut vsurario soluerit: ergo.

Sed adhuc vt certum Resp. non satisfacere iuramento. Quia huiusmodi iuramentum excludit quamcumque compensationem, cum ea iniustitia faciendam. Sic Sotus, *loco citato*, vbi sic ait: Fortasse hic tamen sophista, contra hæc asserta argumentetur: cum qui inuitus iurauit, non teneri promissum in totum soluere: Fac v.g. promiserit centum, tunc arguitur: si soluerit quinquaginta, non amplius debet; nam iam alter debet illi illa quinquaginta, ac proinde poterit fieri compensatio. Et eadem ratione, si promisit quinquaginta, soluendo vigintiquinque, plenè soluit. Respondetur tamen, secundum id, quod suprà adnotauimus, quod non promisit pecuniam transferre in dominium alterius; sed verè tradere, siue alter ei tantumdem debeat, siue secus. Quapropter licèt prædo viatori centum aliàs deberet, & viator nihilominus iurauit dare centum; tenetur tradere. Huc vsque Sotus. Quem citat (hîc benè) & sequitur Sanchez *num. 10. citato*, & Fagundez *num. 15.* addens, quod ex beneplacito vsurarij, loco decem, potest soluere quinque. Nam cum iuramentum illud factum fuerit in vtilitatem illius, sicut potest remittere totam hanc vtilitatem, ita consequenter obligationem iuramenti in totum, vel in partem.

QVÆSTIO XVI.

An saltem, si alia via tantumdem debeat vsurarius (aut latro) iuranti dare illi decem, v.g. tunc possit hic facere compensationem cum alio debito, & illo modo implere promissionem vsurarum?

NEgant, in primis, omnes DD. citati pro prima sententia *q. 13.* nec non Sotus, & Sayrus nuper adducti. In quorum sententiam inclinat Suarez *num. 21. citato.* Et probat, quia in hoc casu, qui iurauit soluere vsuras (aut dare latroni) nihil de nouo vsurario (aut latroni) tradit, nec materialiter illi aliquid donat, quod ad implendum iuramentum, necessarium videtur.

Sed probabiliùs Resp. implere promissionem vsurarum, & satisfacere iuramento præstito, vtendo hac compensatione. Probatur, quia si debitum esset absque iniuria contractum, satisfieret iuramento præstito, hac compensatione, vt constat ex dictis, *q. 13.* ergo à fortiori ei satisfiet, quando est per iniuriam contractum, nec enim hoc maiori priuilegio gaudere debet.

Deinde: quia, qui remittit alicui aliquid sibi debitum, in communi loquendi modo, dicitur dare

moraliter ſummam talis debiti: ergo, qui vſurario (aut latroni) remittit tantundem debiti, quanta erat ſumma vſurarum (aut quantitatis promiſſæ) dicitur dare illi ſummam vſurarum (aut quantitatis) quam iuramento vſurario (aut latroni) promiſerat. Sic Molina *tom. 2. diſp. 560. cit.* Sanchez *n. 11.* & Fagundez *num. 16.*

QVÆSTIO XVII.

An, qui iuramentum metu graui extortum non obſeruat, peccet mortaliter?

NEgant aliqui, exiſtimantes ſolùm peccare venialiter. Probant ex *cap. verum, de iureiur.* vbi diciditur, non damnandos tanquam culpæ mortaliter reos, illos qui iuramentum metu extortum non ſeruant. Ita tenent Gloſſa finalis, ibi, & Angel. *iuramentum 5. num. 10.* apud Sanchez & Palaum, apud me, 11. & *v. periurium, n. 7.* vbi citat pro ſe Panormit. Aureol. Cardin. Ioan. Andr. dicítque ita ſentire multos alios.

Sed vt certum mihi Reſpondeo, peccare mortaliter, ſi iurata materia ſit grauis. Ratio eſt, quia tunc in materia graui, ſe oſtendit infidelem: at hæc eſt grauis irreuerentia: ergo. Nec certè ab hac grauitate poteſt excuſare metus iniuſtus, cùm Deus, cui fit iniuria, illum non intulerit.

Nec textus in *cap. verum.* probat oppoſitum. Quia ibi Celeſtinus III. tantùm vult dicere, in foro Eccleſiaſtico externo, non eſſe puniendos pœna canonibus in periuros conſtituta; ſed mitius agendum; quia metus culpam attenuat, & veniâ ex parte dignos reddit. Sic Caiet. Sotus, Nauarr. & Sylueſt. quos citat, & ſequitur Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 42. dubit. 6. num. 30.* D. Thom. *2. 2. q. 89. art. 3. ad 1.* Couarru. *4. Decret. 2. p. cap. 3. §. 5. num. 4.* Aragon. *2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.* Suarez *lib. 3 de iuram. cap. 16. num. 18.* Sayrus *lib. 5. cap. 6. num. 16.* Valentia *diſp. 6. q. 7. punct. 4. col. 6.* Abbas, Imola, Felin. Ricard. D. Anton. & alij plures, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 11. n. 18.* Palaus *diſp. 2 de iuram. punct. 4. num. 12.* Fagundez *lib. 2. cap. 13. num. 11.*

QVÆSTIO XVIII.

An, qui metu graui impellitur à latrone, vt ſibi centum v. g. aureos iuramento promittat; poſſit licitè vti amphibologia ad illudendum latronem iuramentum extorquentem?

RESpond. vt certum: Poſſe in hoc caſu, vti amphibologia ſine animo ſe obligandi; & tunc non obligabit iuramentum latroni præſtitum. Ratio eſt: Quia, vt omnes fatentur, minimè obligat iuramentum quodlibet, in quo, ob cauſam rationabilem, iurans, non habens animum ſe obligandi, vtitur amphibologia, aut reſtrictione aliqua, mente retentâ: atqui in præſenti caſu, datur cauſa rationabilis, ad hoc vt iurans latroni, vtatur amphibologia, aut reſtrictione aliqua mente retentâ, veluti; *ſoluam ſi debeo; ſi voluero, ſi mihi placuerit*, &c. ergo tunc nec iuramentum, nec promiſſio obligat. Sic Couarru. *de pactis 1. p. §. 5. in principio.* Caiet. & Aragon *2. 2. q. 89. art. 7.* Sotus *lib. 8. de iuſt. quæſt. 1. art. 7. circa 4. argum.* Leſſius *dubit. 6. cit. num. 26. verſ. Dixi modò factum ſit.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 13. num. 7.*

QVÆSTIO XIX.

An, qui iurauit redire in carcerem; teneatur redire, adminus in caſu, quo carcer, & pœna inferenda, etiam mortis, ſint iuſta?

REſpondeo vt certum: Teneri redire ad carcerem. Qui talis reditus & honeſtus eſt, & fidelitati, Religioni, & iuſtitiæ debitus: ergo iuramentum de tali reditu præſtitum verè obligabit. Sic Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. num. 29.* His verbis: iurat quis, ſe rediturum in carcerem, an teneatur redire? communis & vera Doctorum reſponſio eſt, obligari, etiam cum vitæ, vel grauiſſimo periculo, ſi reditus ex aliquo capite habeat rationem virtutis; vt ſi carcer ſit iuſtus, & mors iuſtè inferenda, ſi eo non redeunte, iniuſtè vexandus ſit cuſtos, ſi redire faciat ad bonum publicum; vel ad auertendum ſcandalum, contra Religionem Chriſtianam. Ratio eſt, quia tunc iuramentum eſt de re virtuoſa, atque adeò ſeruandum. Sic ille. Et antea Sanchez *lib. 3. cap. 11. n. 25.* Saytus *in claui Reg. lib. 12. cap. 18. n. 26.* verſ. *Primum eſt*, dicens, in hac re non poſſe eſſe controuerſiam. Nauarr. Sylueſt. Tabiena, Couarru. Sà, & alij, apud ipſum. Palaus *diſp. 2. de iuram. punct. 4. num. 13.* vbi ait, id nemini poſſe eſſe dubium.

QVÆSTIO XX.

An, item teneatur redire ad carcerem, qui iurauit redire; caſu quo iurans ſit innocens, ſecundum rei veritatem; tamen ſecundum allegata, & probata, eſt nocens, & ideò carcer, & mors inferenda iuſta?

AFfirmat, adhuc teneri in hoc caſu redire ad carcerem, Sayrus *loco citato*, verſ. *ſecundum eſt.* Quia, inquit, hæc ſententia eſt iuridica, & ſecundum ordinem iuris lata: ergo licitum eſt inſonti ſic conuicto pati mortem; cum mors imperetur à iudice, legitimè ſecundum ordinem iuris, & cum fidem dederit, eam ſeruare. Ita Sayrus, dicens ſic ſentire multos Authores.

Sed certè melius Reſpondeo cum Sanchez, *loco citato*, id aſſertum, non eſſe certum, ſed eiſdem ſubdi opinionibus, quibus ſubditur, quando carcer, & mors ſunt iniuſta. Quia à parte rei talia ſunt in hoc caſu: nec falſitas probationum aufert ius protegendi ſe, & ſuæ iniuriæ, re ipſa, illatæ, repellendæ. Sic Sanchez *n. 25.* citato. Punctus ergo difficultatis eſt, quando carcer, aut pœnas, quæ timentur ſunt iniuſta. Pro illa igitur diſſoluenda ſit.

QVÆSTIO XXI.

An, qui iurauit redire ad carcerem; teneatur redire, quando carcer est iniustus, aut pœna, quæ timetur, mortis iniustæ est?

AFfirmant multi teneri redire ad carcerem, vi iuramenti præstiti. Quia estò se offerre morti, sine causa, sit temerarium: at se offerre morti post iuramentum, est cum maxima causa (& ideo non temerarium) nempe, vt fidelitas, & veracitas iuramenti seruetur: ergo. Ita Roman. *l. stipulationes non diuiduntur, n.* 78. *ff. de verb. obligat.* Caiet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. Angel. *v. iuramentum* 5. *n.* 37. Siluester *iuramentum* 4. *q.* 26. Tabiena *v. iurare q.* 10. *n.* 11. Armilla *verb. iuramentum n.* 13. Toledo *lib.* 4. *sum. cap.* 22. *n.* 2. Vers. *Alterum est.* Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 10. *num.* 14. & 15. & Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 42. *dubit.* 6. *n.* 28. Quos omnes sic citatos, sequitur Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 11. *n.* 32. His addo Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 9. *n.* 2. Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 6. *n.* 162. Layman. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. Palaum *disp.* 2. *pun.* 4. *num.* 14. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 12. *n.* 3. Pradum *tom.* 2. *cap.* 32. *q.* 3. §. 3 *n.* 20.

Alij contra dicunt; minimè teneri, aut obligari, vi iuramenti præstiti, redire in carcerem, quando probabiliter, saltem, mortis iniustæ pœna timetur. *Primò.* Quia de iure naturæ tenetur quis conseruare suam naturam. *Secundò.* Quia opus est temeritatis, sine necessitate, se morti offerre: ergo iuramentum de ea re temerarium erit, & sic non obligabit. Ita, apud Sanchez, *loco cit. numero* 26. tenent Abbas *cap. si vero, num.* 4. *de iureiur.* Ripa *l. admonendi num.* 171. *ff. de iureiur.* Sylua Nuptialis *lib.* 3 *n.* 44. Angel. *v. carcer. num.* 4. Sylvest. *v. accusatio q. vlt.* Vbi Tabiena *q.* 10. *num.* 14. & *verb. Carcer. q.* 1. *num.* 2. Gutierrez *de iuram* 1. *p. cap.* 57. *à num.* 24. *vsque ad* 26. Sà, *v. iuramentum num.* 11. Vasquez 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 174. *cap.* 5. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 18. Couarruu. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *numer.* 7. Glossa in Clement. Pastoralis. *vers. per violentiam de sent. & re iudic.* Cardin. Præpositus, Iason, Hyppolitus, Curtius, Iulius Clar. Farinac. & alij plures. Quibus ego addo Basilium Legion. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 8. *num.* 20. Reginald. *lib.* 18. *num.* 62. Tamburin. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. §. 5. *num.* 31. *fine.* Dianam *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 57. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 13. *numer.* 10. & *lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 6.

Sed ego clariùs Respondeo *Primò*, vt quid certum, apud Authores vtriusque sententiæ. Si iurans redire ad carcerem; iuramentum præstitit, cum limitatione, mente concepta, veluti, *si teneor, si mihi placuerit*, &c. tunc non tenebit redire; quia non obligat iuramentum, iuxta dicta supra *q.* 18. Idem dico, casu, quo iuramenti relaxationem obtineat; aut casu, etiam, quo, non præuiderit mortem, quando iurauit; & eam præuidet in reditu: quia nec tunc tenet iuramentum. Ratio est, quia iam mutatæ sunt circunstantiæ pro reditu. Sic Sanchez *num.* 34. ex Suario *cap.* 10. *num.* 16. Bonac. *loco cit.* Tamburin. *num.* 33. Vbi addit, iuxta placitum aliorum, quod etiamsi iurans præuidisset mortem, tempore, quo iurauit; adhuc posset non redire ad carcerem; ex eo capite, quia vix potest accidere, vt qui iurat redire, concipiat periculum mortis, eo horrore, quo concipit, quando redit; quare iam ratione ipsius mutantur notabiliter circunstantiæ. Sic ille.

Respondeo *Secundò* licèt, ex duabus sententiis relatis, prima, non solum authoritate extrinseca, vt innuit Tamburinus, sed etiam intrinseca, sit satis probabilis; nihilominus, secunda est mihi probabilior: nisi aliàs ex eius tentione, in praxi sequatur scandalum, aut irrogetur iniuria aliqua Religioni Christianæ; quia ob id tunc, prima est sequenda, vt mox dicemus.

QVÆSTIO XXII.

An, si quis dum tenetur apud Turcas captiuus, iurat, se illuc rediturum; teneatur redire cum suæ mortis periculo?

NEgandum probabiliter videtur, iuxta probabiliorem sententiam nuper à nobis relatam, de eo qui iurauit redire ad carcerem. Et ideo ita sentit Fagundez *lib.* 8. *in Decal. cap.* 37. *fine.* atque non teneri regulariter loquendo ex vi iuramenti redire; bene verò aliàs in conscientia; citatque pro se Sotum vbi infra, & Vegam *in summa. lib.* 4. *cap.* 35.

Sed nihilominus, Respondeo dicendum, teneri redire ad Turcas etiam ex vi iuramenti tum ob vitandum scandalum; tum ne nomen Dei nostri, apud illos, blasphemetur, tum denique ne, cum maxima iniuria Religionis Christianæ, arbitrentur illi, apud nos nihil valere Religionem iusiurandi. Sic tenet Diana *par.* 11. *tract.* 2. *resol.* 35. adducens pro se Sotum *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 7. *ad* 3. Valentiam 2. 2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 4. Sed certè ex his solùm bene Sotum: loco enim citato col. mihi 19. *vers. in quarto membro*, hæc verba habet. Est tamen, vt hîc benè admonet Caiet. in eiusmodi relaxationibus (*iuramentorum, videlicet*) cauendum, ne in blasphemiam cedant, aut in Ecclesiæ contemptum. Si enim captiuus apud infideles, sub iuramento per verum Deum, se obstringeret creditum sibi pretium redemptionis suæ persoluere, scandalum esset, iuramentum postmodum illi relaxare, ne solueret. Non enim solùm Christiana familia, sed & Deus noster contèptui apud illos tum maxime haberetur. Imò verò si quis iurasset illuc redire, quamuis esset iniustè captiuus, nec redire, sine periculo mortis posset, redeundum illi esset, antequam cum ingenti scandalo, periculoquè contemptus Religionis nostræ iuramentum illi esset relaxandum. Etenim si gentilitas Romanum illum Regulum, tam egregio præconio commendauit, qui cum fidem Carthaginensibus, per falsos deos iurando, impignoratam, dimissus esset, Roma illuc rursus, vt cum capitis periculo suam fidem apud hostes liberaret, reuersus est: quanto maiori fide, & religione, tenetur Christianus promissis stare per verum Deum iuratis? Hæc omnia Sotus. Et bene. (Quod notandum volo à nostris captiuorum Redemptoribus pro casibus forsan occurrentibus.) Valentia autem solum agit de dispensatione, aut relaxatione dicti iuramenti à captiuo præstiti. Et dicit cum Caietano, quod ipse Sotus dicit. Legatur pro nobis Tamburinus *q.* 69. à nobis citatus.

QVÆSTIO XXIII.

An, captiuus, qui detentus à Turcis, iurauit dare pro ſua redemptione centum aureos; teneatur poſtea, dum liber remeauit in patriam, illos ſoluere?

NEgandum videtur. Quia, cum iam violentia, & detentio in captiuitate ceſſauerit, ſolutio illa centum aureorum, non habebit redemptionis formam.

Sed vt certum Reſpondeo teneri illos centum aureos ſoluere, virtute iuramenti præſtiti. Quia ad hanc obligationem contrahendam, ſufficit, quod dum iuramentum fuit præſtitum, ſponſio fuerit facta ſub forma redemptionis: nam virtute eiuſdem iuramenti, poſtea ſolutio eadem retinet redemptionis formam. Sic Sotus *loco citato, col. mihi* 14. *verſ. Hæc omnia, in fine.* Idem, in ſimili omnino caſu, docet Valentia *punct.* 4. *citato* § 3. his verbis: Sed dicet aliquis: Quando talis dat latroni centum, iam non vexatur. Pono enim illum eſſe in loco ſecuro: ergo dici non poteſt, quod talis donatio ſit redemptio vexationis, atque adeo actus virtutis. Reſpondeo, hoc ſolum probat, quod non redimat talis præſentem, & nouam vexationem, cæterum redimit præteritam. Nam completa redemptio præteritæ vexationis pendebat vſque ad tempus donationis, quæ idcirco præſtari debet, propter reuerentiam teſtimonij inuocati. Sic Valentia. Ex quibus iam patet ad rationem dubitandi.

QVÆSTIO XXIV.

An, licèt, in noſtra ſententia, non teneatur iurans redire ad carcerem, morte iniuſtâ damnandus; poſſit ſaltem, ſi velit, licitè ad illam redire?

AFfirmat licitè poſſe redire Sayrus *cap.* 18. *n.* 27. *libri* 12. ita dicens: Quamuis Nauarri, & aliorum opinio ſit probabilis, ob multitudinem Authorum, qui eam ſequuntur, non teneri ſcilicet, ſic iurantem redire; nihilominus tamen, meo iudicio, non minus probabilis eſt Caietani ſententia, de eo, qui iurauit redire ad carcerem iniurioſum: aut ſaltem contra Couarruuiam, omnino verum eſſe cenſeo, poſſe ſic iurantem, quamuis non teneatur, abſque peccato redire, etiamſi timeat veriſimili coniectura iniquæ mortis pœnam. Ita ille. Qui & probat. Nam ad hoc, vt ſine peccato redire poſſit ſufficit, maxima iuramenti religio, eiuſque obſeruantia. Sicut enim (ait) iniquè damnatus ad mortem licitè omittere poteſt allegationem, & appellationem in ſui defenſionem, quamuis inde mortis periculum incurrat. *argum. l. ad finem, ff. de q. & l. Diui. ff. de pœnis*, &c. ſic ille, citans pro ſe Roman. *in l. ſtipulationes, n.* 78. *ff. de verb. obligat.* cuius ſententiam tenet Gomez de Almeſcua *tract. de poteſtate in ſe ipſum, lib.* 2. *cap.* 10. *à num.* 2. vbi latè id probat.

Sed probabiliùs Reſpondeo, non poſſe ad Carcerem licitè redire, ob rationem *q.* 21. adductam pro ſecunda ſententia. Sic Couarruu. Plaça, Seraphinus, Gutierrez, & Vaſquez ibi citati. Tancredo *tom.* 1 *de Relig. lib.* 2. *de iuram. quares* 2. *num.* 21. Quem citat, & non contradicit, Tamburim. *lib.* 3. *in Decal cap.* 3. §. 5. *num.* 30.

QVÆSTIO XXV.

An, obliget iuramentum redeundi ad carcerem, quando iurans timet iniuſtam ſententiam, in detrimentum ſuæ famæ, aut rei familiaris magni momenti?

AFfirmant, & à fortiori Doctores omnes citati pro prima ſententia relata *q.* 21.

Sed probabilius adhuc Reſpondeo non obligare; nec ſine iuſta cauſa poſſe licitè redire. Quia licèt quiſque ſit dominus rei ſuæ familiaris, & famæ; non tamen licet ei ſine cauſa iuſta ea prodigare. Quapropter conſiderari ſemper debet, an ſit, vel non ſit aliqua cauſa licita, & honeſta, ob quam homo ſe poſſit licitè exponere huic periculo. Sic Vaſquez, 1. 2. *diſp.* 174. *cap.* 5. Quem citat & ſequitur Fagundez *lib.* 8. *in decal. cap.* 37. *n.* 12.

QVÆSTIO XXVI.

An, ſaltem, obliget iuramentum redeundi ad carcerem in caſibus prædictis, ſi factum ſit cuſtodi carceris?

AFfirmant, & à fortiori, Doctores primæ ſententiæ *q.* 21. Diſtinguit tamen Vaſquez. *loco cit. n.* 38. dicens, quod ſi cuſtos carceris eſt particeps iniquitatis iudicij iniuſti; quia etiam ipſe cuſtos iniuſtus eſt; aut ſciens, & cognoſcens iniuſtitiam iudicis, nihilominus vult eſſe cuſtos; tunc non tenebitur iurans ad redeundum ad carcerem; quia de illo idem eſt dicendum, atque de iudice iniuſto. Si verò cuſtos bona fide ductus, & ignorans peccatum iudicis, & iniuſtam illius ſententiam, facultatem reo conceſſit præſtito iuramento redeundi, tunc iurans tenetur redire, ſiue damnum, quod imminet cuſtodi innocenti ſit in corpore, ſiue in bonis: quia tunc iam non ſine cauſa, nec temerè ſe offerret morti, ſed cum cauſa, nempe, pro liberando cuſtode carceris, ac proinde iuramentum præſtitum prædicto cuſtodi locum haberet obligandi; quia promiſſio eſſet in meteria virtutis. Ita Vaſquez, cuius ſententiam videtur ſequi Tamburin. *citata q.* 19.

Sed certè probabiliter, abſque vlla diſtinctione, Reſpondeo cum Fagundez *lib.* 8. *in decal. cap.* 37. *n.* 14. non teneri redire ad carcerem. Quia omnis cuſtos (ait ille) cum carcerem in cuſtodiam accipit, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum, cum ea tacita conditione accipit; vt ſi vinctus poſſit euadere, id poſſit licitè efficere, quando timet aliquod graue damnum iniuſtum. Vnde ſiue cuſtos particeps iniuſtitiæ Iudicis ſit, ſiue non ſit, ſemper reus huiuſmodi damna timens, licitè poterit effugere, quouis etiam iuramento cuſtodi præſtito de redeundo. Sic ille. Qui optimo exemplo id probat. Concluditque dicens, quod in dicto caſu poſſit iurans vti amphibologia in tali iuramento, quando cuſtodi reditum iurat, ſic intelligens: *Reditionem ad carcerem iuro, ſi ad illam teneor.* Et ſemper eſt tale iuramentum, ex natura ſua, tali conditione affectum: non enim per illud intendit iurans ſe ſuo iure priuare, quando timet graue damnum iniuſtum. Imo ſi præuidens huiuſmodi

modi damnum, nihilominus reditum iuraret, tale iuramentum non obligaret: quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Nec bona fides, qua custos carceris processit, ad aliquid obligat iurantem. Vnde sibi ipsis commentariensis cauti sint, & sciant, se habere pessimum, & periculosissimum officium, &c. Sic Fagundez, & certè satis probabiliter.

QVÆSTIO XXVII.

An, in sententia asserentium, iuramentum præstitum redeundi ad carcerem iniustum, esse validum; possit ab Episcopo relaxari?

AFfirmant communiter Doctores. Quia inquiunt, ipsum ius vitæ dat causam relaxandi. Sic latè Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 10. n. 16.* Rodriguez *tom. 1. sum. cap. 40. n. 3.* Sà *v. iuramentum, num. 11.* Sanchez *lib. 3. cap. 11. n. 39.* Abbas, Tabiena, & Armilla apud ipsum. Et bene certè. In nostra autem sententia non indiget relaxatione, quia tale iuramentum non obligat.

QVÆSTIO XXVIII.

An etiam, in nostra sententia, possit relaxari ab Episcopo, iuramentum factum à captiuo Christiano, de redeundo ad Turcas; aut de remittendo redemptionis pretio?

REspondeo, vt quid certum: Non posse relaxari. Quia cederet in magnum Religionis Christianæ detrimentum. Sic Caiet. Sotus, Valentia, Diana, & Tamburinus citati supra *q. 22.* Adde nunc Suarium loco cit. Sanchez *num. 35.* Fagundez *lib. 8. Decal. cap. 37. num. 15.* Palaus *disp. 2. de iuram. punct. 4.* in fine, vbi sic ait: Aduertit tamen Sanchez, & Suarez, & benè, hanc doctrinam intelligendam esse, casu, quo ex relaxatione huiusmodi sequatur scandalum, & nostræ Religionis irrisio. Si enim captiuo inter infideles, libertas concessa esset, sub præstito iuramento redeundi ad captiuitatem; vel mittendi pretium suæ redemptionis, absque dubio, tale iuramentum obseruandum est, nec relaxari potest. Quia estò captiuitas iniusta sit, & iniustè extorqueatur iuramentum; at eius obseruatio in bonum commune fidei, & Religionis cedit. Sic ille, & Prado *cap. 32. de iuram. q. 3. fine.* licèt, haud obscurè innuat, posse tale iuramentum absolutè relaxari; cum scandalo tamen & contemptu Religionis Christianæ. Vnde cautè lege.

DISPVTATIO XI.

De iuramento, & voto, dolo, errore, aut ignorantia, præstito.

§. I.

De errore, & dolo, in substantia, & qualitate iuramenti, & voti.

QVÆSTIO PRIMA.

An multiplex detur dolus, error, & ignorantia?

RESPONDEO dicendum quod sic. Nam in primis dolus, aut error (& idem dico de ignorantia) est duplex; Alter est antecedens; & alter concomitans, seu incidens. Antecedens vocatur ille dolus, aut error, qui antecedit aliquem contractum, & inducit ad illum faciendum, & ipsi causam præbet; ita vt ipso non existente, contractus nequaquam fieret; ex quo fit vt talis contractus sit inuoluntarius, cum non sit prægnitus. Concomitans verò vocatur error ille (seu dolus) qui concomitat ipsum contractum, qui fit; & hic non inducit ad faciendum contractum ipsum; sed ita concomitatur ipsum, vt adhuc eo non existente fieret: ideóque hic error non efficit inuoluntarium, cum non sit causa alicuius rei repugnantis voluntati: efficit tamen non voluntarium, eo quod actu velle nequeamus id, quod ita ignoramus. Sic ex communi Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 13. n. 23.* Sanchez *lib. 3. cap. 11. num. 38.* Palaus *Disp. 2. de iuram. pun. 5. num. 3.* Trullench. *lib. 2 cap. 1. dub. 11. numer. 1.* & ego etiam *2. p.* loco mox citando.

Rursus, error, aut dolus adhuc inuenitur duplex, alter, qui versatur circa substantiam contractus; alter vero, circa illius accidentia. Substantia contractus dicitur, & est illa, sine qua ille subsistere non potest: accidentia vero secus. Sic citati Doctores cum communi omnium.

QVÆSTIO II.

An si error, seu dolus, antecedens, versetur circa substantiam contractus; hic sit nullus?

RESpondeo vt quid certum; Contractum talem esse nullum. Ratio est. Quia valor contractus pendet ex consensu voluntatis: atqui hic consensus nequit esse, existente tali errore, vt nuper est habitum: ergo neque contractus, neque eius obligatio. Hæc responsio est omnium Doctorum. Legantur Sanchez *lib. 3. cap. 11. n. 41.* & *lib. 4 cap. 2. n. 11.* Marcus Vital. *de voto, inquisit. 2. n. 8. & 14.* Na-

uarrus

uarrus *cap.12.n.13.* Couarru. *lib. 1. variar. cap. 4. n. 6. & de pactis 3.p. §. 4. n.2.* Suarez *lib.2. de iuram. cap. 11.* Bonac. *tom. 2. disp. 4.q.1.pun.8.n. 3.* Fagundez, Trullench, & Palaus *locis cit.* & ego etiam *2.p. tract.9. de matrim. disp.10.q.1.*

QVÆSTIO III.

An, iuramentum firmans talem infirmum contractum; sit validum, & obliget?

REspondeo vt quid certum; Nec esse validum, neque obligare; & ideo neque relaxatione indigere. Ratio est: quia mens iurantis non fuit iurare super illa re, sed super alia: ergo non fuit validum, nec obligatorium. Antecedens probatur à Palao: quia tale iuramentum præstitit ad firmandum contractum, quem habebat in mente, non qui de facto celebratus est: sed iuramentum non extenditur vltra id, quod cogitatum est, & in mentem venit: ergo non potest extendi ad firmandum contractum ex errore substantiali celebratum. Sic tenet communis omnium sententia. Legantur Sanchez *lib.7. de matrim. disp. 18. n. 6. & lib. 3. in Decal. cap. 11. n. 42.* Suarez *lib.2. de iuram. cap. 11. n. 7.* Vasquez *1. 2. disp. 30. cap. 4.* Fagundez, & Trullench, & Bonac. *loc. citatis*, & alij quam plures apud ipsos.

QVÆSTIO IV.

An deinde, sit inualidus, & non obligatorius, contractus celebratus cum errore, seu dolo concomitante, circa substantiam ipsiusmet contractus?

NEgant aliqui apud Sanchez *loco cit. cap. 11. n. 41.* & expresse id negat Trullench. *lib.2. in Decal.dub. 11. n.2.*

Sed probabiliùs longè, imo fere certissimò, vt aliàs dixi, Respondeo talem contractum etiam esse inualidum & nullum. Quia (vt q. 3. diximus) valor contractus, & eius obligatio pendet ex voluntatis consensu: at hic consensus non est, cum adest error concomitans: ergo. Nec obstat, quod cessante illo errore, de facto contraheres. Quia, vt benè Palao, id non probat contractum de facto celebratum voluntarium esse, sed futurum voluntarium, illo errore cessante. Exemplo matrimonij id illustrat. Si enim quis contraheret cum Maria, putans esse Catharinam, etiamsi detecto errore, cum Maria contraheret, matrimonium non tenet. Quia licet non fuerit matrimonium cum Maria inuoluntarium positiuè, hoc est, contra voluntatem propriam repugnantem: fuit tamen inuoluntarium negatiuè, hoc est, non fuit positiuè voluntarium: cum nunquam in Mariam consenserit: obstat ergo valori contractus error concomitans, seu contingens circa eius substantiam. Sic ille. Sanchez etiam, Suarius, Bonac. *loc cit.* Basilius, Vasquez, Ægidius, Hurtad. Candid. & alij plures citati à nobis *2. part. tract.9. de matrim. disp.10.q.2.* Quod id etiam docent Trullench. ibidem citatus, loquendo de contractu matrimonij. Legatur etiam Fagundez *lib.2. Decal. cap. 13. à numer. 26.* præcipuè *numer. 28.* Marcus Vidal. *inquisit. 2. de voto, numer. 67.*

QVÆSTIO V.

An saltem iuramentum firmans huiusmodi contractum cum dolo comitante celebratum, circa substantiam rei; sit validum, & obligatorium?

AFfirmant Authores defendentes talem contractum esse validum, inter quos est Trullench, qui *loco cit.* ita ait: Existimo, errorem, seu dolum concomitantem non tollere obligationem iuramenti; nam ad obligationem iuramenti sufficit, quod res licita sit, & adsit animus obligandi, quæ omnia reperiuntur in iuramento facto cum tali errore, seu dolo. Nec obstat simile de Matrim. Tum, quia non in eo omnes conueniunt. Tum etiam, quia ad Matrimonium requiritur positiuus, & determinatus consensus per verba de præsenti in certam personam. Hæc Trullench.

Sed longè multò probabilius, imo mihi vt certum ferè, Respondeo, non esse validum, nec obligatorum tale iuramentum, sicut nec est Matrimonium cum tali errore, seu dolo concomitante contractum. Quia vt supra *q. 3.* est habitum, mens iurantis non fuit iurare super illa re, sed super alia, quod quidem ad valorem iuramenti requiritur: sicut ad valorem matrimonij consensus positiuus in determinatam personam. Sic Sanchez, Suarez, Palaus, Fagundez & alij supra citati.

QVÆSTIO VI.

An, error antecedens, circa accidentia, seu qualitates contractus; annullet eius valorem, etiam si iuramento firmetur?

AFfirmant, loquendo de contractu Matrimonij, Præpositus, & Ioan. de Medina, & ex parte Basilius Legion. citati à nobis *p.2. tract.9. de matrim. disp 10.q.4.*

Sed probabiliùs, ex ibidem dictis, iterum Respondeo dicendum *Primò*, quod talis error minimè annullet valorem contractus: dummodo fiat absolutè, & absque vlla conditione: sic communiter DD. Sanchez, Ægid. Rebell. Valentia, Molina, Hurtad. Moure, Filliuc. Ochagau. Cornejo & alij plures, quos adduximus *loc. cit.* Legantur præterea Palaus hic *disp. 2. de iuram. pun. 5. à num.9.* Marcus Vidal. *inquisit. 2. de voto concl. 2.n.20.*

Respondeo *Secundò.* Iuramentum dicto contractui oppositum, est validum, & ideo verè firmat illum. Quia, iuramentum contractibus appositum, est validum, & obligationem inducit, quando ipse contractus est validus, & obligationem inducit: atqui hic contractus est, validus, & obligatorius: ergo. Minor patet: quia iuramentum verè assumitur ad firmitatem contractus: ergo si hic est firmus, & iuramentum erit. Sic Palaus *loco cit.n.12. fine.* Tamburin. *lib. 3. cap.3.§.7.n. 22.* ibi: si dolus, vel error versetur circa accidentia, licet deceptus semper habeat

habeat ius ad sui damni, si quod patitur, compensationem; tamen non infirmatur iuramenti obligatio, sed relaxatione opus est; quia tunc iam adest consensus, quoad rem substantialem. Sic ille.

QVÆSTIO VII.

An, dentur casus, in quibus error, seu dolus, circa accidentia contractus; annullet illum?

REspondeo dicendum, ex dictis *disp. 10. cit. de matrim. q. 4.* verè annullare in aliquibus. Nam in primis, annullat contractum, quando error, vel dolus, ita est in accidentibus, vt ex se redundet in ipsam substantiam contractus. *Secundò*, quando similis error, vel dolus in accidentibus dat totam causam contractui; vt contingit, quando contrahens expresse ideo contrahit, quia illam qualitatem vult. Ratio est (ait Tamburinus) quia tunc qualitas illa est tota ratio consensus: ergo si illa non adest, nec consensus aderit, atque adeo, nec contractus, nec obligatio. Vt quis volens vinum vetus expresse emere, tu porrigas nouum, nulla erit emptio; siquidem tunc voluntas ementis est, veluti sub conditione hoc modo: *Volo (nec solum vellem) emere vinum, si talem qualitatem habet, secus absolutè nolo emere.* Id quod puto habere locum, tum in errore, seu dolo antecedente, vt loquuntur, ideſt, sine quo contractus non fieret: sed etiam in comitanti, ideſt, quo errore, vel dolo posito, fieret, sed tamen non fit contractus: Iam enim vtrobique non adest consensus contractui essentialis. Sic ille, *loco cit. n. 23.* Quod esse verum constat ex dictis à nobis supra *q. 4. & tract. de matrim. loc. cit.*

QVÆSTIO VIII.

An, qui iuramento promisit puellæ, secum fornicanti nuptias, putans esse virginem, si postea talem non inueniat; teneatur iuramento?

AFfirmandum videtur ex nuper dictis: Quia in hoc casu error, non est circa substantiam nec circa ipsam personam; sed circa qualitatem eius: ergo.

Sed vt certum Respondeo non teneri ad standum contractui, & consequenter nec iuramento. Quia ex defectu consensus, nec contractus, nec iuramentum subsistunt: eo quod ex modo, quo fieri solet dicta promissio, seu contractus, verè non consensit iurans. Sic cum communi Fagundez (licèt id teneat ex alio principio quod nos non admittimus) *lib. 2. Decal. cap. 13. n. 31.* Lessius *lib. 2. cap. 42. n. 35.* Tamburinus *lib. 3. Decal. cap. 3. §. 5. n. 24.* Qui idem dicunt, de illo, qui iurauit emere, seu locare domum, quam putabat bonam, & firmam; & postea inuenit, vel vitium in fundamentis, vel vexatam à dæmonibus. Et de illo, qui iurauit vendere domum tali pretio, & stare contractui; & postea reperit se grauiter læsum. Et etiam de illa puella, quæ dolo inducta à fratribus renunciauit hæreditati paternæ cum iuramento pro certa dote, quam postea multo minorem inuenit, quàm erat hæreditas. In his namque casibus, nemo tenetur stare contractui, aut iuramento, quia, vt dixi, in his omnibus casibus, vel ratione doli, vel ratione erroris, ex modo, quo fieri solent communiter similes promissiones, seu contractus, verè non præstitit consensum, quo deficiente, omnes corruunt.

QVÆSTIO IX.

An, etiam nulliter contrahat matrimonium, qui accipit coniugem, quam credit nobilem, diuitem, virginem; & talem deinde non inuenit?

AFfirmandum videtur ex nuper dictis; cum in hoc casu etiam deficiat consensus, sicuti in aliis supra enarratis: ergo.

Sed vt quid certum Respondeo non nulliter, sed validè contrahere in dicto casu; nisi aliàs expresè cum prædicta conditione contrahat: quia tunc nulliter contrahit, deficiente conditione; vt si sic dicat: *Ego consentio in Bertam, si est nobilis, diues, aut virgo*; & postea nec nobilem, nec diuitem, aut virginem inuenit: tunc nulliter contrahit: quia verè deest consensus, qui est de essentia Matrimonij. Secus verò si non expresè apponat talem conditionem: quia tunc, cum non sit error in persona, sed solum in qualitate, non inualidat Matrimonium. Sic cum communi omnium tenet Tamburinus *loco cit. num. 25.* Vbi *num. 26.* rationem huius rei reddit sic dicens: Dixi, *expresè*, nam tum in quocumque contractu, voto, iuramento; tum multo magis in Matrimonio, propter eius indissolubilitatem, rigoremque, & in Professione Religiosa, quæ Matrimonio, propter perpetuitatem æquiparatur, nisi expresse sub conditione circa qualitatem contrahas, semper valide contrahes: quia ex modo, quo consensus dari solet, & ex communiter contingentibus præsumitur, quod nisi conditionem de qualitatibus accidentariis, expresso animo ponas, absolutè consentias, atque adeo valide. Nam licèt fortasse si scires illam qualitatem non contraheres; nihilominus, quia actu contrahis, habet is contractus in substantia, omnia requisita ad validitatem, ac propterea non poterit dici inualidus esse ob ignorantiam qualitatis. Sic ille. Legantur dicta à nobis supra *q. 6. & 7.* Bonac. *in 2. prac. Decal. disp. 4. q. 2. pun. 3. §. 2. n. 6.* & alij.

QVÆSTIO X.

An, si quis errore, vel dolo deceptus, iuret, aut voueat, ingredi certum Monasterium, quem putabat esse Sanctissimæ Trinitatis, & inueniat esse S. Augustini; adstringatur tunc tali iuramento, aut voto?

REspondeo vt certum: Quod non. Quia tunc verè deest consensus iurantis, aut vouentis, circa substantiam rei iuratæ, aut promissæ: & ideo est nullum omnino. Sic Fagundez *lib. 2. cap. 13. n. 33.* Qui idem dicit de illo, qui vouit certum numum, quem

quem putabat argenteum, & inuenit aureum. Tamburinus *lib. 3. Decal. cap. 3. §. 5. n. 27.* Idem dicendum est de illo, qui vouit ingredi aliquam Religionem determinatam, quæ in re non extat. Legatur Marcus Vidal. *Inquisit. 2. de voto, n. 8.*

QVÆSTIO XI.

An, qui iurauit, aut vouit ingredi certum Monasterium, in quo putabat disciplinam Religiosam esse integram; teneatur tali iuramento, aut voto, si postea inueniat non seruari circa essentialia, aut alia principalia?

REspondeo vt certum: Non teneri, si non seruaretur disciplina circa essentialia, aut principalia: secus si non seruaretur circa aliqua minutiora: quia tunc teneretur iuramento, & voto. Ratio est, quia in primo casu, error versatur circa materiam, aut substantiam iuramenti: secus in secundo. Sic Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dubit. 2. n. 11.* Quem citat, & sequitur Fagundez loco *cit. n. 33.* & vterque citat Sotum *lib. 7. de iust. q. 1. art. 2. ad 1. argum.* Sed certè hic Author non agit ibi de hoc casu; sed de alio quasi contrario. Ait enim sic: Scisciatis autem, quid si te aliquis deciperet, affirmans in tali Religione, non seruari ciborum delectum, nec ieiunia, aut quippiam aliud difficile, quod si prænosses, nunquam voueres, vtrum cum ita seductus voues, iugo subiicias? Respondetur, quod si deceptio est circa illa, que tu ferre non posses, votum non obligat; quia est grauis iniuria. Cuius signum est probationis annus, in quo ius vult, vt rei grauitatem perpendas. Sed tamen si deceptio est circa alia minutiora, nihilominus obligaris. Sic Sotus. Non igitur agit de nostro casu, licet ex alio, de quo agit, hic noster rectè colligatur. Nec ob hoc approbo omnino rationem, quam pro suo casu probando, tradit Sotus, vt statim cum Sanchez dicam.

QVÆSTIO XII.

An, si quis aliquem rusticum falleret; dicens illi; Hierosolymam citra nauigationem adire posse; aut Romam non longè distare, cum longè distet, & ob hanc causam peregrinationem voueret; tunc votum teneat?

REspondeo vt certum: tunc non tenere votum. Quia in hoc casu, error est, vel circa substantiam voti; aut redundat in illam, modo aliquo; aut, vt nuper dixit Sotus, est hîc deceptio circa illud, quod, qui vouit ferre non potest. Sic Sotus ibidem. Qui secus dicit, dicendum; si rustico diceret maiorem esse amœnitatem itenerum, quam re vera est: quia tunc votum teneret. Sic etiam Lessius, & Fagundez *locis citatis.* Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 13. n. 2.* Quia in hoc (inquit) casu datur error in materia, quam vouet. Sic antea Aragon. *2. 2. q. 88. art. 1. col. 2. vers. infero tertiò.* & Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 2. n. 12.* Addens, & benè, quod quamuis Sotus, & Aragon non loqui videantur de errore positiuo, quo quis à se ipso decipitur, sed quando ab alio decipitur, & reddunt rationem, ob iniuriam vouenti irrogatam. At ratio potissima non est iniuria; quia Deus, cui vouetur, nullam intulit; & sæpè, nec homo decipiens, quia ita esse existimabat. Sed ratio est, quam supra tradidi, nimirum, defectus voluntatis, vbi est error circa notabiles circunstantias; non autem vbi est, circa minutiores. Quare cum idem voluntatis defectus reperiatur in eodem errore vndecunque prouenienti, nil refert, vnde ille proficiscatur, & siue sit cum iniuria, siue absque illa. Hæc Sanchez. Legantur etiam Palaus *disp. 1. de voto punct. 6. n. 3.* Suarez *lib. 1. de voto cap. 11. n. 9.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 3. §. 2. n. 3.* Vidal. *num. 8. cit.*

QVÆSTIO XIII.

An, qui voueret Religionem Carthusianorum, aut Minimorum, ignorans eos, se continere à comedendis carnibus: vel Religionem Capucinorum, nesciens, ab eis nudum corpus rudi lana contegi; validè voueret?

REspondeo dicendum ex dictis; Quod non voueret valide; sed nulliter; & ideo nec dictas Religiones, nec alias ingredi teneretur. Ratio est (ait Tamburin.) quia ex vna parte, tu illam Religionem vouisti, non aliam: & ex alia parte, eæ qualitates tantæ sunt grauitatis, vt prorsus immutent obiectum tui voti, ita vt iis qualitatibus non cognitis, nec promissis, Religio incognita censeatur, & non promissa. Sic ille *lib. 3. in Decal. cap. 13. n. 5.* & antea Suarez *lib. 1. de voto cap. 11. n. 12.* Palaus *disp. 1. de voto punct. 6. n. 3.* Quorum resolutio fundatur in doctrina quam tradit Sanchez, ex Soto, Aragonio, Lopezio, & Rodriguez, *lib. 4. Decal. cap. 2. n. 11.* Vbi ait, quod quando error positiuus est circa rei promissæ substantiam, idest, circa difficultates magni momenti, notabiliterquè existimationem vouentis superantes, quibus cognitis non vouisset, votum est inuoluntarium, & irritum. Secus si sit, circa accidentarias circunstantias, idest, quæ non sunt magnæ considerationis, nec excedunt notabiliter vouentis existimationem. Ita Sanchez, cuius doctrinæ pars altera, sequenti difficultate enodabitur. Sit ergo.

QVÆSTIO XIV.

An, si quis voueat dare eleemosynam huic pauperi, credens eum esse (v. g.) Sacerdotem, teneatur voto, si inueniat illum Sacerdotem non esse?

REspondeo vt certum; teneri. Quia hic error in illa circunstantia, non est tantus, vt votum factum immutare queat. Quia licèt vouens non vouisset eleemosynam dare, si illum Sacerdotem non putasset; vouit tamen de facto consentiendo substantiæ eleemosynæ, ex vi pietatis in pauperem, quæ illum ad vouendum principaliter mouebat. Sic Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 13. n. 6.*

QVÆSTIO XV.

An, si quis voueat dare eleemosynam huic pauperi, ignorans suum esse inimicum, teneatur ad illam elargiendam, si postea cognoscat esse suum inimicum?

NEgandum videtur. Quia re vera non emitteret tale votum, si circunstantia inimicitiæ agnita illi esset: ergo.

Sed vt certum, Respondeo teneri ad eleemosynam suo inimico elargiendam. Quia illa habitualis dispositio, non vouendi illam, si cognouisset esse suum inimicum, non impedit, quo minus obiectum voti absolutè amplectatur. Patet, nam voluntas conditionalis, non posita conditione, nihil ponit in esse: sed talis est supradictus affectus, *Nollem dare eleemosynam huic pauperi, si scirem esse inimicum.* Dum enim non cognoscis, esse inimicum, absolutam voluntatem non habes, non dandi eleemosynam: potiùs namque habes voluntatem illi donandi. Secus vero si diceres: *Nolo dare, si de facto sit inimicus*, quia cum eo tempore, conditio vera sit, voluntas donandi omnino cessat. Sic Palaus *disp.1.de voto, pun.6.n.4.* ex Caiet. 2.2.*q.* 88. *art.*3. Soto *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Molina *tom.*2.*disp.*272. *vers. Quartum valdè.* Lessio *lib.*2.*cap.*40. *dubit.* 2. *num.* 10.& 11. Sanchez *lib.*4. *sum. cap.*2.*n.*6.8. & 10. Valentia 2. 2. *disp.* 6.*q.*6. *punct.*4. *fine*, & Suario *lib.*1.*de voto, cap.*12.*n.*9.& 10. Addo Vasquez 1.2.*disp.* 30. *cap.* 4. *n.* 25. & 26. Marcum Vidal. *inquisit.*2. *de voto, num.* 47.

---

§. II.

De errore, in fine iuramenti, & voti.

QVÆSTIO XVI.

An, quando adest error, circa finem principalem, & directè intentum, iuramenti, & voti; tunc validum, & obligatorium sit iuramentum, & votum?

REspondeo tanquam certum: Quod non sit validum, nec obligatorium. Ratio est, quia finis principalis, & directè intentus, iuramenti, & voti, est formalissimum horum obiectum: ergo si in isto, error ad sit, obiectum iuramenti, & voti, nequit esse voluntarium, ac proinde nec iuramentum, nec votum tenebit. Sic communis Doctorum tenet sententia. Legantur præcipuè Suarez *tom.*2.*de Relig.lib.* 1. *de voto, cap.*11.*n.*14. Lessius *lib.*2.*de iust.dubit.* 2.*n.* 14. Lessius *lib.*2.*de iust.dubit.*2.*n.*11. Sanchez *lib.* 4.*in Decal.cap.*2. *n.*45. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.*2. *punct.*3.§.2.& 3. Palaus *disp.*1.*de voto*, *punct.*6.*n.* 5. Tamburin.*lib.*3.*in Decal.cap.*13.*num.*10. Fagundez *lib.*2.*Decal.cap.*13.*n.*34. Trullench. *lib.*2. *Decal.cap.*2.*dub.*4.*n.*13. Sylvest. Azor, & Rodrig. apud ipsum, Marcus Vitalis *inquisit.*2.*de voto, concl.* 3. *n.* 29.& 35.

QVÆSTIO XVII.

An, si quis iuret, aut voueat, dare Petro eleemosynam, credens illâ indigere; teneat iuramentum, aut votum, si verè illâ non indigeat, eo quod diues sit?

REspondeo vt certum: Non teneri. Quia vetè cessat finis principalis, & intrinsecus, ac formale obiectum eleemosynæ, quod est, miseriæ alienæ subleuatio: ergo hac cessante, cessabit consequenter eleemosyna, ac proinde iuramentum & votum de illa Petro elargienda. Sic Lessius *lib.*2. *cap.* 40.*dubit.* 2. *num.*11. *vers. Quartò.* Fagundez *lib.* 2. *cap.* 13. *n.*34. *vers. Quarto.* Palaus *pun.*5. *cit. num.*5. *vers. Exemplo declaro.*

QVÆSTIO XVIII.

An etiam, error, circa finem impulsiuum, & mouentem, seu excitantem ad iuramentum seu votum; inualidet, & annullet illa; sicuti annullat error, circa finem principalem?

REspondeo vt certum: Quod non. Ratio sit desumpta ex diuersitate ipsorum finium, circa quos error versatur. Quia finis principalis, & directè intentus (de quo egimus *q.* 10.) pertinet ad essentiam promissionis: ex fine enim promissio, (æquè ac cæteræ humanæ actiones) speciem suam, ac essentiam trahit. Contra verò ad essentiam promissionis, non pertinet causa solùm motiua, seu impulsiua, ex quo sequitur planè, quod error circa finem principalem & directè intentum inualidat iuramentum, & votum: minimè verò error, circa finem impulsiuum, aut excitantem, & mouentem. Sic communiter DD. Legantur Suarez, Sanchez, Lessius, Bonac. Palaus, Tamburin. Fagundez, & alij citati supra *q.*16. Quorum doctrina sequentibus quæstionibus, exemplis illustrabitur. Sit ergo.

QVÆSTIO XIX.

An, Qui vouit, & iurauit, visitare virginem Lauretanam; occasione, quod Laureti erat amicus; adstrictus maneat voto, & iuramento, casu, quo ibi non sit amicus?

REspondeo vt quid certum: Manere voto, vel iuramento adstrictum. Quia amici visitatio, solùm fuit causa motiua, aut impulsiua voti, & iuramenti: atqui error circa hanc causam, aut finem, non irritat, aut inualidat votum, aut iuramẽtum: ergo. Sic sentiũt communiter DD. præcipuè adducti supra. Qui, secus dicunt, casu, quo dictus vouens promisisset dictam peregrinationem ad inuisendum amicũ, credens, quod Laureti adesset, cũ tamen non adfuerit: Quia tunc, error esset circa finẽ principalẽ (cũ illam peregrinationẽ non absolutè promiserit, tanquam mediũ ad viden-

dum amicum) & ideo promissio non teneret. Sic Marcus Vitalis *inquisit. 2. de voto, num. 47.*

QVÆSTIO XX.

An, si quis voueat, aut iuret, ire Romam, eo quod credat, ibi esse S. Nicolai corpus; teneatur ire, si cognoscat ibi non esse?

REspondeo Non teneri. Quia error est in causa finali: & ideo annullat iuramentum, & votum. Sic omnes DD. Præcipuè supra citati. Inter quos Tamburin. *loco cit. n. 11.* inquirit, quid dicendum, si corpus dictum Sancti Nicolai, alibi inueniretur? & respondet; quod tunc, si multum, seu notabiliter *in loco distanti* à Ciuitate Romana inueniretur, sanè dissolueretur votum; si vero parum, non, sed obligabit. Sic ille. Et bene, vt ex dictis supra facilè colliges.

QVÆSTIO XXI.

An, si quis voueat, aut iuret Peregrinationem ad S. Domum Lauretanam, pro recuperanda suo filio salute, teneatur exequi illam; si tempore quo vouit, aut iurauit non fuerit infirmus, vel iam fuerit mortuus?

REspondeo non teneri. Quia in hoc casu, non iuratur, aut vouetur peregrinatio absolutè, sed promittitur tanquam medium ad recuperandam filio sanitatem: atqui hic, & nunc, non est medium ad talem finem, cum hic sit impossibilis; non enim depelli potest morbus, qui non existit: ergo votum non tenet, eo quod sit deceptio circa substantiam eius rei, quæ formaliter vouetur. Sic Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dubit. 2. n. 11.* Fagundez, Marcus Vital. *inquis. 2. de voto num. 36.* Palaus *disp. 1. de voto pun. 6. num. 5.* Qui idem dicit, de illo, qui credens beneficium vacare, gratia illud obtinendi eleemosynam promisit, quod scilicet, non teneat promissio, si beneficium non fuit vacans.

QVÆSTIO XXII.

An sit regula aliqua ad cognoscendum; quænam sit causa finalis voti, aut iuramenti; quæve illorum motiua?

REspondeo dicendum ex dictis, quod illa est finalis causa voti, aut iuramenti, quam per hæc, obtinere intendit vouens, aut iurans: illa verò motiua, quæ tempore voti, aut iuramenti existit, vel præsumitur existere, & ad vouendum, aut ad iurandum mouet, & excitat. Hoc adhuc supposito, difficile est cognoscere in occurrentibus casibus, qualis fuerit finis principalis vouentis, qualisvè causa, qua ad vouendum fuit motus. Igitur dicendum est, nullam dari aliam regulam ad id agnoscendum, nisi prudens hominis iudicium, quo ex circunstantiis, mente, fineque, quem de facto habuit vouens, tota res morali diligentia examinetur. Nam interdum vouens, aut iurans, ita affectus est ad vnum finem, qui videtur minus principalis, vt ipsi sit maximè præcipuus. Sic Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 13. num. 8. & 14.* Vnde optimè Bonac. dixit, quod ex affectu, quo vouens mouetur ad vouendum animo consequendi rem, quæ ipsum mouet ad votum emittendum; & ex affectu ad rem voto promissam, præcisa causa mouente, vel impellente ad vouendum, possumus cognoscere causam finalem, vel impulsiuam. Sic ille *disp. 4. q. 2. pun. 3. §. 2. fine.* & antea, Sanchez *lib. 4. cap. 2. n. 52.*

QVÆSTIO XXIII.

An, si dubitetur; an causa fuerit finalis, an-vè solum impulsiua; censenda sit impulsiua; & ideo teneat votum, aut iuramentum?

NEgant, qui existimant in hoc dubio, votum emissum, aut iuramentum præstitum non obligare. Tum quia in dubio melior est conditio voluntatis libertatem possidentis. Tum, quia cùm voti causam subsistere desideretur ad voti valorem, perinde est dubitare, an causa finalis voti subsistat; ac dubitare, an votum emissum sit; in quo casu non obligare dicunt multi cum Sanchez *lib. 4. cap. 2. n. 16.* ergo. Ita tenent aliqui, quos, suppressis nominibus, citant Sanchez, & Bonac.

Alij probabiliùs respondent, in dicto dubio, præsumi causam impulsiuam, & ideo tenere votum, aut iuramentum. Probant, tum, quia in dubiis ius præsumit pro valore actus *l. quoties, ff. de rebus dubiis.* Tum, quia possessio stat pro voto, aut iuramento, quod cõstat emissum fuisse. Sic Angel. Siluest. Azor, quos sequitur Sanchez. *lib. 4. cap. 2. n. 52.* & Bonac. *loco cit. n. vltimo.* Qui ad primum in contrarium optimè, negat meliorem esse conditionem voluntatis; cum in tali dubio non illa, sed votum possideat. Ad secundum respondet Sanchez non obstare simile; quando, scilicet, prorsus dubitatur, an votum emissum sit: quippe tunc nulla est pro voto possessio, sed tota pro voluntatis libertate. Addunt tamen hi Doctores, quod si in dicto dubio, rationes vtriusque partis sint probabiles, liberum erit vouenti, adhærere alterutri parti, etsi minus probabili.

DISPVTATIO XII.

De cessatione voti vel iuramenti, ob cessationem causæ, quâ emissum est.

QVÆSTIO PRIMA.

An obligatio voti, aut iuramenti, cesset, cessante causa finali, ob quam factum est?

NEgat Ancharanus cap. *Magne, num. 13. notab. 15. de voto*, docens quod in casu quo causa finalis voti (aut iuramenti, eadem enim est vtriusque ratio) fuerit, tempore promissionis, vera, tunc etiamsi hæc deficiat, teneat votum. Quia tunc promissio

promissio semel fuit efficax: ergo defectus causæ superueniens, eam irritare minimè debet. Quippe facilius impeditur rem validè fieri, quam semel validè facta valore suo destituatur. Ita ille. Qui secus dicit, in casu, in quo, causa voti tempore promissionis fuerit falsa, & putata à vouente vera: quia tunc non obligat votum. Pro cuius sententia sunt, apud Suarium, Glossa *in cap. Magna. cit.* & Hostiens. ibidem.

Sed vt quid certum Respondeo dicendum, quod verè cesset obligatio voti aut iuramenti, cessante causa finali ob quam factum est: etiam in euentu, quo causa extiterit vera. Sic colligitur *ex cap. cum cessante. de appellat.* Vbi deciditur, quod cessante causa, cessat effectus. Cuius ratio est: Quia obligatio iuramenti, aut voti, in hoc euentu, extinguitur ex tacita vouentis, aut iurantis, voluntate, qui non intendit in eo se obligare. Sic Anton. *capite ex parte, el. 2. n. 14. de conuerſ. coniugat.* Abbas, *cap. Magna, de voto, n. 14.* Tiraquell. *tract. ceſſante cauſa, in fine principij*, Angel. *v. votum 3. n. 5.* Siluest. *votum, 2. q. 8.* Azor. *lib. 11. inſtit. moral. cap. 15. q. 13.* Rodriguez *2. tom. ſum. cap. 89. n. 2.* Quos omnes sic citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. ſum. cap. 2.* dicens, idem esse dicendum de iuramento, siue Deo, siue homini facto, ob eamdem rationem, nempe, ob defectum voluntatis se obligandi in illo euentu. Suarez *lib. 4. de voto, cap. 18. numer. 3.* Palaus *diſp. 1. de voto, punct. 20. num. 1.* Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 13. n. 12.* ibi: Si totus finis vouendi peregrinationem Lauretanam fuit, vt virginem salutares; si casu Laureti deficeret Sancta Virginis Domus, deficeret & votum. Bonac. *diſp. 4. q. 2. pun. 3. §. 2. n. 10.* Trullench. *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 4. numer. 13.* Raphaël de la Torre *2. 2. q. 88. ar. 3. diſp. 12.* Prado *tom. 2. cap. 31. q. 13. §. 1. num. 4.* Marcus Vitalis *inquiſit. 2. de voto, num. 34.*

QVÆSTIO II.

An etiam, ceſſante cauſa impulſiua, aut motiua voti, aut iuramenti; ceſſet horum obligatio?

REspondeo etiam vt certum: tunc non cessare. Quia, cessante causa hac impulsiua, adhuc durat votum, & iuramentum; cum duret, & permaneat causa finalis principalis, ob quam votum, & iuramentum factum est. Sic omnes DD. præcipuè nuper citati. Quorum doctrinam, sequentibus quæstionibus, illustrabimus. Sit ergo.

QVÆSTIO III.

An, ſi quis voueat, aut iuret, dare Petro eleemoſynam quotidianam; ceſſet huius voti, aut iuramenti obligatio, ſi ipſe diues fiat?

REspondeo vt certum: cessare. Quia cessante fine principali, & obiectiuo, quod est paupertas, necessariò debet cessare eleemosyna, quæ est res, ob talem finem promissa. Sic Palaus *punct. 20. cit. numer. 1.* Qui idem ait dicendum de illo, qui vouit, aut iuramentum fecit, eundi ad S. Petrum v. g. ad impetrandam amici sanitatem, & mortuus est, ante inceptam peregrinationem: quia tunc non tenetur peregrinari, eo quod cessauerit finis principalis, ob quem factum fuit votum, aut iuramentum. Legatur pro hoc casu *quæſt. 21. diſp. præcedentis.* Idem dic de illo, qui promisit eleemosynam in redemptionem Petri captiui; non enim tenebitur ad implendam promissionem, si ante datam eleemosynam Petrus fugit, vel mortuus est: quia non subsistit eleemosyna qualiter fuit promissa. Sic ille loco citato, ex Suario *lib. 4. de voto, cap. 18. numer. 5.* Prado *tom. 2. de iuſt. cap. 31. q. 13. §. 1. numer. 5.*

QVÆSTIO IV.

An, qui promittit alicui eleemoſynam, non ex motiuo paupertatis; ſed probitatis; quia, videlicet, exiſtimat, illum eſſe virum probum; teneatur adimplere promiſſum, ſi poſtea comperiat virum eſſe improbum?

REspondeo vt certum: Non teneri adimplere promissum, non subsistente probitate: Quia hæc, in hoc casu, est causa finalis, qua non subsistente, corruit promissio. Sic DD. citati, Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 4. n. 28.*

Et facit, quod docent D. Thom. *2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.* & Medina *C. de Reſtit. q. 24. §. corollariè.* (Quibus adhæret Suarez *loco cit. n. 7.*) nimirum, quod ille, qui simulando sanctitatem legatum obtinuit, teneatur ad restituendum, quando principalis, & finalis causa donationis est Sanctitas. Et rursus, quod ille, qui titulo paupertatis, quam non habet, aliquid accepit; teneatur restituere: eo quod paupertas fuerit proxima causa & per se donationis, qua cessante, non tenet donatio. Ita igitur (ait Suarez) in votis, & promissionibus iudicandum est. Sic etiam Prado *loco cit. n. 5.* his verbis: intelligitur ergo finis proximus videlicet, proprium motiuum dans speciem actui promisso, quo cessante cessat votum. Sicut qui fingit paupertatem, quidquid illo titulo accipit, restituere tenetur, quia illa fuit per se causa donationis. Sic ille.

QVÆSTIO V.

An, qui vouit, aut iurauit, nunquam ingredi talem domum eo quod ibi erat mulier, ſibi occaſio peccandi, teneatur ad votum, vel iuramentum implendum, tali muliere mortua, vel aliò migrata?

REspondeo non teneri; sed licitè posse ingredi talem domum, mortua illa muliere, aut aliò migrata: Quia cessat causa finalis voti, aut iuramenti. Verū est, quod si mulier illa, quæ aliò migrauit, iterū incipiat ibi habitare; tunc reuiuiscat votū, aut iuramētum; eo quod obligatio horū non cessauit in totum, nec fuit omnino extincta; cū causa finalis simpliciter non cessauerit, sed obligatio suspensa, & cōsopita fuit,

pro eo tempore, quo causa finalis cessauit. Sic Nauarr. *cap. 12. n. vltimo.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 2. n. 45. & 50.* & ex illis Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 4. n. 14.* Addentes, idem esse dicendum de illo, qui metu peccandi cum quadam fœmina, vouit, aut iurauit, non adire talem domum, in qua illam fœmina habitare falsò arbitrabatur: tenetur enim talem domum non adire, si processu temporis fœmina illa talem domum inhabitet. Quia hoc votum habet tractum successiuum, & causa verificatur pro tempore, quo votum, aut iuramentum est exequendum. Sic Palaus *disp. 1. de voto, pun. 8. §. 2. in fine.*

QVÆSTIO VI.

An cesset obligatio voti aut iuramenti, facti homini, & ab eo acceptati; si culpâ vouentis, aut iurantis, causa finalis voti, aut iuramenti cesset?

AFfirmant aliqui apud Marcum Vital. *inquisit. 2. de voto, n. 42.*

Sed vt fere certum Respondeo: Non cessare. Itaque, si quis faciat votum, aut iuramentum, in fauorem alicuius hominis, & ab eo acceptetur, si postea sit in mora adimplendi votum, verè tenetur adimplere illud, etiamsi causa finalis cessauerit, postquam vouens fuit in mora culpabili, illius adimpletionis. Ratio est: quia non debet reportare commodum de suo delicto. Nec mora debet ei suffragari. Sic communis. Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 2. n. 28. & 44. fine.* & *de matrim. lib. 1. disp. 5. n. 20.* Medina, Lopez, & Molina apud ipsum. Bonac. *tom. 2. disp. 4. q. 2. punct. 3. §. 1.* Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 4. num. 16.* & alij. Qui idem dicunt de illo, qui præstitit iuramentum alicui; quia etiam tenetur illud implere, eo quod tunc non excuset mora.

QVÆSTIO VII.

An saltem cesset obligatio voti, aut iuramenti, facti Deo; si culpa vouentis, aut iurantis, causa finalis voti, aut iuramenti cesset?

AFfirmant aliqui Doctores existimantes in hoc casu cessare obligationem adimplendi voti, aut iuramenti; Quia (inquiunt) quando quis se obligat ad votum, vel iuramentum ductus aliquo fine, non se obligat ad procurandum, ne finis ille sua culpâ desit: & ideo, cum fuisse in mora, solum obligat ad habendum de præterita negligentia dolorem. Ita Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 2. numer. 44. & 27.* Vbi adducit pro se D. Thomam *2. 2. q. 88. ar. 3. ad 1. & 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1.* Turrecrem. *disp. 17. q. 1. in sum. art. 4. ad 3.* Sylvest. *votum 2. q. 6. & 10.* Nauarrum *cap. 12. num. 55.* Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 99. num. 10.* Valentiam *2. 2. disp. 6. q. 6. pun. 4. col. 8. vers. verum circa huiusmodi:* & Abulens. *cap. 30. Num. q. 48. fine.* Marcus Vitalis *loco citato n. 43.*

Sed æquè probabiliter Respondeo Adhuc in hoc casu non cessare obligationem voti, aut iuramenti. Probatur ex nuper dictis. Quia, si iuramentum præstitum, & votum factum in fauorem alterius, & ab eo acceptatum, obligat, in casu, quo causa finalis cesset ob culpabilem moram iurantis, aut vouentis; etiam iuramentum, aut votum factum soli Deo, qui ipsa, vtpotè facta in ipsius honorem acceptauit, obligabit, si causa finalis cesset culpâ ipsius iurantis, & vouentis. Sic apud Sanchez *numer. 27. citato*, Abbas, D. Anton. Angelus, Ricard. & Carthusian. Quibus addo Bonacinam *tom. 2. disp. 4. q. 2. punct. 3. §. 2.* non *punct. 4. §. 1.* vt citat Trullench.) *numer. 11. vers. Hoc tamen limitari posse.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 4. numer. 16.*

DISPVTATIO XIII.

De cessatione voti, vel iuramenti, ob notabilem rei promissæ mutationem.

QVÆSTIO PRIMA.

An, si res, iuramento, vel voto promissa, notabiliter mutetur; cesset, ex natura sua, iuramenti, vel voti obligatio?

RESPONDEO tanquam certum: cessare obligationem iuramenti, vel voti, aut cuiusuis simplicis promissionis. Ratio est: quia res promissa, per notabilem mutationem, iam non manet eadem, sed fit diuersa: at vouens, aut iurans illam verè promisit, non diuersam: ergo, sic ex Seneca docet D. Thom. *2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.* docens, ad hoc, quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur, quod omnia immutata permaneant. Et constat ex *cap. ne quis 22. q. 2.* & cap. *Quemadmodum de iureiur.* & ex aliis textibus, & Doctoribus quos refert, & sequitur Gutierrez *de iuram. 1. p. cap. 29. n. 6. & cap. 71. n. 6.* Nauarr. *cap. 18. n. 7.* Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 2. num. 20.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 4. vers. ex eo igitur modo.* Suarez *lib. 4. de voto cap. 19. n. 4. & sequent.* Bonac. *disput. 4. q. 2. pun. 7. §. 1. num. 2.* Sayrus *in Clavi Reg. lib. 6. cap. 7. n. 1.* Reginald. *lib. 18. num. 277.* Molina *tom. 2. disp. 272.* Henriquez *lib. 11. cap. 14. num. 1.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 1.* Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 8.* Prado *tom. 2. de iustitia cap. 31. q. 13. §. 1. n. 6.* Palaus *disp. 1. de voto pun. 20. num. 3.* Vbi ita ait: secunda regula æquè à Doctoribus recepta est: ea mutatio, quæ materiam promissam diuersam in re, vel in prudentum hominum æstimatione constituit, voti obligationem cessare facit. Ratio est: quia constituta materia promissa diuersa in re, vel in prudentum hominum æstimatione, prudenter censeri non potest impleri posse, quod promissum est: ergo cessat illius implendi obligatio. Sic ille.

QVÆSTIO II.

An, non solùm notabilis, sed quæcumque rei promissæ mutatio, satis sit, vt iuramentum, vel votum, vel promissio, deobligent?

REspondeo tanquam certum: Non satis esse quamcumque mutationem, sed requisitam esse notabilem. Quia aliàs, passim dissoluerentur omnes promissiones, omniaque vota, & iuramenta cessarent; cum in omnibus humanis rebus frequentissima sit mutatio aliqua. Illa igitur mutatio debet esse talis, vt quasi in alio statu rem promissam constituat, vt voti, vel iuramenti, aut promissionis obligationem cessare faciat: sic omnes. Legantur Sanchez *num.* 21, Bonac. *n.* 2. *& sequent.* & alij citati.

QVÆSTIO III.

An, ea mutatio satis sit, ad hoc vt obligatio voti, aut iuramenti cesset; ad quam vouens, vel iurans de hoc interrogati, dicunt, fore, vt non se obligassent ad eam, si prænossent?

AFfirmant aliqui DD. Quia existimant eo in casu, promissum diuersum esse, eo quod si illa diuersitas tempore voti, aut iuramenti contingeret, vel cognosceretur, non emitteret votum aut iuramentum. Ita Nauar. *cap.* 18. *n.* 7. Molina *tom.* 2. *disp.* 272. *col.* 2. Abbas Hostiens. Anton. Angel. Sylvest. Tabiena, & Armilla, & alij apud Sanchez *loco cit. n.* 18. & 23. Lege pro hac parte Caramuel. *in sua Theolog. fundam. fundament.* 51. §. 4. *numer.* 1399. *per totum.*

Sed oppositum omnino Respondeo dicendum quod non omnino sit satis. Tum etiam: quia multæ sunt circunstantiæ extrinsecæ, quibus tempore voti, aut iuramenti cognitis, votum, aut iuramentum non fieret, & non ob inde cessat voti, aut iuramenti obligatio: ergo. Antecedens constat. Nam certè non promitteret quis eleemosynam Petro pauperi, si moribus perditum, aut inimicum esse cognosceret: sed sic est, quod per illam superuenientem cognitionem non infirmatur promissio; patet, quia obligatio, vel deobligatio promissionis, non est desumenda, ex promissione vel non promissione, quæ futura foret, sed ex ea, quæ facta est: aliàs nihil firmum subsisteret. Igitur vt doctrina contrariorum sit vera, limitanda est, vt intelligatur, quando mutatio rei promissæ est ita notabilis, vt quasi in alio statu eam constituat, & videatur diuersa res ob ea, quæ promissa est, & ad quam ille intendit se obligare. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 2. *à num.* 20. & penes ipsum Caiet. Armilla, Soto, nec non & Nauar. *cap.* 12. *n.* 39. Valentia Lopez, & alij. Sic etiam Palaus *disp.* 1. *de voto punct.* 20. *numer.* 4. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 31. *numer.* 2. Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 19. *à numer.* 8. Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 5. §. 2. *numer.* 17. *& q.* 13. §. 1. *à numer.* 8. Legantur dicta à nobis supra *disp.* 11. *de iuram. & voto facto per errorem, aut dolum.*

QVÆSTIO IV.

An, obligatio voti, vel iuramenti cesset, quando horum materia facta est impossibilis?

REspondeo tanquam certum: Quod sic. Sit exemplum; iurat, aut vouet quis in iuuentute sua ingredi Religionem; si ad senectutem perueniat, quando iam voto exequendo aptus non est, ob virium defectum, cessat eius obligatio, vt ex Victoria notauit Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 19. *n.* 15. *fine.* his verbis: sic etiam (vt referunt) aiebat Victoria, qui in iuuentute promisit ingressum Religionis, & distulit vsque ad senectutem, licet antea peccauerit, ex tunc posse excusari à peccato, non solùm, quando iam est omnino ineptus, vel quando constat nullibi esse recipiendum; sed etiam quando Religio facta esset notabiliter grauior, & præter communem vsum hominum est ad illam obligari pro illa ætate. Sic ille. Sanchez etiam *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 30. ex Ludou. Lopez 1. *p. cap.* 44. *col.* 1. Palaus *loco citato. num.* 4. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 8. *n.* 4. Qui idem dicit, de illo, qui in quacumque ætate, dum præditus erat viribus ad onera Religionis subleuanda, vouit Religionem, si postea propter superuenientes infirmitates, iis viribus destituatur: quia accidit notabilis rei mutatio.

QVÆSTIO V.

An saltem teneatur huiusmodi iurans, aut vouens, factus senior ingredi Religionem; casu, quo Religiosi eum, in tali ætate recipere velint?

REspondeo vt certum: Non teneri adhuc. Quia huiusmodi iurans, aut vouens, verè est liber à iuramenti, aut voti obligatione, eo quod ob suam senectutem, viribus ad onera Religionis subeunda, destitutus sit: ergo minimè ad illam ingrediendam tenebitur etiamsi Religiosi eum admittere velint. Et ob eandem rationem non tenebitur illud commutare; vt benè hæc omnia docet Sanchez *loc. cit.* & ex illo Trullench. *n.* 4. *citato.*

QVÆSTIO VI.

An, iuramentum, aut votum castitatis, aut non nubendi, factum ab eo, qui sæpius cadit, & propterea tale vinculum nihil sibi prodest, sed potius obest, sit validum, & obliget?

NEgatiuam sententiam esse probabilem, expresse affirmat Homobonus de Bonis *in consult. moral. volum.* 2. *par.* 2. *resp.* 28. eo quod tale votum, aut iuramentum, sit factum ab eo, cui, ob incontinentiam (sic lege, non, *ob inconuenientiam*, vt leges apud Caram.) & in carnis peccatum lapsum, matrimonium salubrius sit. Ita referunt Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 102. & Caram. *fundam.* 51. *cit.* §. 4. *numer.* 1401.

& licet Diana dicat, debere huiusmodi vouentem petere dispensationem ab Episcopo, quam concedere potest; quia hoc votum est alternatiuum, nempe, vel Castitatis seruandæ, vel non nubendi, super quod Episcopus potest dispensare. Caramuel vero hanc sequitur sententiam ibi *num.* 1403.

Sed, vt mihi certum Respondeo dicendum, tale iuramentum, aut votum, esse validum, & obligare. Quia difficultas obseruationis eius, non nascitur ex parte rei promissæ, sed ex libera iurantis, aut vouentis voluntate, & praua illius inclinatione, & ideo non liberat à voti, aut iuramenti obligatione; licèt dispensandi occasionem præbeat. Sic Suarez *lib. 4. de voto cap. 19. num. 9.* per hæc verba: Denique hinc etiam fit, vt licèt aliquis post votum castitatis se fragilem experiatur, & sæpius cadat, ac sentiat vinculum illud sibi non prodesse, nihilominus voto obligatur; nec per se cessat, donec per dispensationem auferatur, vt est communis doctrina. Ratio autem est, quia tota difficultas prouenit ex sola dispositione subiecti, cooperante libera voluntate eius. Accedit, quod si in his casibus daretur licentia non seruandi votum tanquam non obligans, infinita mala, & scandala prouenirent. Sic perdoctus Caiet. *in summa. votorum impedimenta, §. Caue autem*, vbi ita ait: Caue autem ne fallaris, putans in variis casibus & euentibus occurrentibus votum non ligare, quia persona quando vouit, si hæc præuidisset, non fecisset votum. Falsa est hæc imaginatio & destructiua omnium humanorum contractum. Multi namque coniugati non obligarentur ad coniugium: quia si præuidissent qnæ venerunt, non contraxissent tale matrimonium. Et similiter multi Professi, non tenerentur ad Religionem: quia si tunc, quæ postea occurrerunt, cogitassent, non fecissent professionis votum, & sic de aliis. Caue ergo ne fallaris, sed de efficacia intentionis vouentis senti, vt ante dictum est. Hæc Caietanus. Et Sotus, hæc: Attamen licet emisso voto, aliquid difficultatis experiaris, quam si prænosses, non vouisses, non ideo voti obligatio cessat: alias omnia dirimerentur matrimonia, omniaque expoliarentur Religiosorum Claustra. Hæc ille, *lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. ad tertium, §. ex his, in fine.* Sic ex his Prado *tom. 2. cap. 31. de voto, q. 5. §. 2. num. 17. & in append. cap. 33. §. 6.* Diana *loco cit.* & Palaus *disp. 1. de voto, pun. 20. num. 4.*

QVÆSTIO VII.

An, Religiosus, qui post solemnem professionem acquisiuit ius ad Regiam, vel Ducalem coronam, qui tamen si ante professionem præuidisset, non emitteret illam, teneatur voto?

NEgatiuam sententiam tenere aut sub dubio relinquere Ioan. Caramuelem in *sua Theolog. fundam 51. §. 3.* (lege tu, 4.) *num.* 1401. ait Martinez, vbi infra, sed certè Caramuel, saltem in vltima impressione, oppositum clare sentit loco cit. Vbi *num.* 1403. ita ait: In 2. p. Theologiæ fundamentalis num. 89. his verbis hanc quæstionem decido. Quæris, An qui reperit nouam aliquam summè grauem difficultatem post emissionem voti, illo teneatur? Respondeo me apud Authores legere benignas opiniones circa votum simplex; quia videntur sic vouentes retinere aliquod ius, vt resiliant, si ad impletionem incognitæ obligationis cogantur. At qui solemnia vota emittit, vno anno singula expertus prudenter putare potest, se omnia consideratione digna præuidisse: & quia actus solemnis omnem conditionem excludit iuxta iuris regul. 1. nimirum, *Actus legitimi* (solemnes) *conditionem non recipiunt, neque diem*; cedit suo iure, si quod habere posset ponendi aliquam limitationem, aut conditionem. Nec refert, votum solemne, & simplex non distingui specie; sufficit enim ea distingui, vt iubeamur in vno modo procedere, & alio in alio. Hæc Caramuel. Et statim hæc. Respondeo ad 4. sicut de professione solemni, ita etiam de matrimonio & quocumque solemni alio contractu philosophandum esse. In omnibus enim standum pro valore est; quoniam solemnitatis vi cedunt suo iure contrahentes, nec possunt recurrere ad circunstantias non præuisas. Hæc omnia Caramuel. Et licèt non consequenter, vt constat ex doctrina Suarij, Caietani, & Soti, nuper tradita; tamen verè non sentit, quod illi imponit Prado, dicens, sentire Caram. quod ille Religiosus, qui post professionem acquirit ius ad Ducalem Coronam; nec non & illi qui vident difficultates votorum, quas non præuiderant, possint licitè nubere. Constat enim oppositum tenere vt vides.

Igitur cum communi opinione Resp. omnino affirmatiuè, & dico teneri tali voto. Quia re vera ex parte rei promissæ non est, nec datur notabilis mutatio. Sic omnes DD. Legatur Prado loco cit.

QVÆSTIO VIII.

An, ob periculum vitæ, honoris, & alterius cuiusuis nocumenti grauis non præuisi, cesset obligatio iuramenti & voti?

REspondeo vt certum: Cessare. Tum quia tam in iuramento quam in voto includitur illa conditio, *si potuero*; Tum etiam quia alias iuramentum, aut votum esset temerarium, & imprudens, neque Deo esset acceptum pro tali euentu: ergo in illo vtriusque obligatio cessat. Sic Suarez *lib. 4. de voto, cap. 20. num. 1.* & penes ipsum Selua, Glossa Panormit. Anton. Turrecrem. & Gerson, Tamburin. *lib. 3. Decalogi cap. 16. §. 1. num. 1.* Palaus *punct. 20. cit. n. 5.* Prado *cap. 31. §. 1. num. 9.* Fagundez *lib. 2. cap. 31. à num. 4.*

Secus autem dicendum, si præuiso illo graui periculo, iurasset, aut vouisset quis; quia tunc non cessaret voti, & iuramenti obligatio, si consonum est tali periculo offerri. Quia in priori casu, res promissa iuramento aut voto, notabiliter mutatur: secus in hoc secundo. Quapropter votum, aut iuramentum seruiendi perpetuo in hospitali, etiam tempore pestis, licitum & sanctum est, & ideò obligat. Sic Suarez *loco cit.* Sanchez *lib. 4. cap. 2. n. 33.* Bonacina *disp. 4. pun. 7. §. 1. n. 3. & 7.* Molina, Ægidius, & Gutierrez apud ipsum. Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 8. n. 4. & 5. & dub. 28. n. 3.* Palaus & Prado *locis citatis.*

QVÆSTIO IX.

An, quando est dubium, an res promissa, voto, vel iuramento, ita mutata sit, vt moraliter diuersa censeri debeat; sit in fauorem voti & iuramenti iudicandum?

REspondeo quod sic. Quia dubia excusatio certam obligationem tollere non potest: atqui hic constat de iuramenti, aut voti valore, & solum dubitatur, an ita materia promissa sit mutata, vt maneat apta iuramenti, vel voti materia: ergo. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 34. *&* 52. Palaus *num.* 4. *vers. si verò dubium sit.* Trullench. *dub.* 8. *cit. num.* 5. Qui tamen limitant, nisi mutatio materiæ promissæ accidat, vt dubium sit, vt in eo euentu, sit bona, an potius mala, vel notabiliter corporali saluti promittentis nocens; quia in hoc dubio, verè cessat promissionis etiam iuratæ obligatio: quia non potest esse gratum Deo, exequi rem de qua dubitatur, an illi offensa sit.

QVÆSTIO X.

An semper, & pro semper, deobliget ab impletione iuramenti, & voti; impossibilitas, aut impedimentum implendi illa?

REspondeo dicendum quod non semper, & pro semper. Nam si impossibilitas, aut impedimentum non est perpetuum, sed pro aliquo tempore determinato, tunc non cessat omninò votum, sed suspenditur, ita vt postea, sublato impedimento, impleri debeat: secus verò si impedimentum non est ad tempus sed perpetuum; quia tunc omnino cessat voti, aut iuramenti obligatio. Sit exemplum primi. Si quis dum esset dives promisit eleemosynam, & in eam egestatem deuenit, vt implere nequeat, excusatur pro tunc: at si postea pinguiorem fortunnam adipiscatur, tenebitur implere. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 24. Palud. D. Anton. & Molina apud ipsum. Palaus *punct.* 20. *cit. num.* 6. Suarez, Nauarr. Valentia, & Bonacina penes illum.

DISPVTATIO XIV.

De tempore quo iuramentum, vel votum, est persoluendum: & de cessatione eorundem non adimpletione, tempore designato.

§. I.

De tempore, quo iuramentum, vel votum, est persoluendum.

QVÆSTIO PRIMA.

An, qui iurat, aut vouet ingredi Religionem, signando tempus ad sui executionem, v. g. intra annum; teneatur ingredi, quousque tempus signatum adueniat?

RESPONDEO tanquam certum: Quod non. Quia iurans, aut vouens, non habet intentionem (cui standum est) se obligandi, ante illud tempus, quod assignat: ergo. Sic omnes, vt ait Sanchez *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 1. Palao *disp.* 1. *de voto, punct.* 13. *numero* 1. & omnes, qui ob eamdem rationem dicunt, debere iurantem, aut vouentem talem, ingredi Religionem intra annum, qui est tempus præscriptum, nisi iusta causa adsit differendi. Legantur Doctores citati & Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 13. *n.* 12. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *num.* 4.

QVÆSTIO II.

An, qui non potest iuramentum vel votum in assignato, & præfinito tempore totius anni implere; teneatur tempus præuenire, & implere promissum?

REspondeo teneri. Quia, quando tempus executioni iuramenti, aut voti signatum habet latitudinem, qualem habet votum, aut iuramentum ingrediendi Religionem intra annum à die promissionis, si in termino huius latitudinis cognoscat promittens, se habiturum impedimentum, tunc tenetur terminum illum præuenire. Quia tunc reuera non præuenit tempus obligationi signatum, cum totus annus obligationi exequendæ signatus sit; sed præuenit tempus ineptum executioni obligationis. *Confirmatur* hæc responsio exemplo præceptorum Ecclesiasticorum. Nam obligatus intra annum confiteri, si præuidet vltimo mense impediendum esse; tenetur confessionem antea facere; eo quod præceptum obliget in qualibet parte anni, & possit in qualibet adimpleri; vt cum communi diximus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 3. *q.* 47. Deinde, obligatus die festo

audire Missam, sciens post horam octauam esse impediendum, obligatur antea audire, vt constat ex dictis *part.2. tract.9. disp.7. q.12. & par.3.tract.1. disp. 3. q.9.* ergo. Sic similiter dicendum est in adimpletione iuramenti, aut voti. Sic Palaus *disp.1. de voto punct.13. n.3.* Suarez *lib.4. de voto cap.14.* (non 12.vt legi apud Palaum) *num 7.*vbi dicit, hoc esse clarum, & communiter receptum. Sanchez *lib.4. Decal. cap.14. num.8. & 25.* Bonac. *disp.4. q.2. punct. 5. §. 1. num.13. vers. Addo,* D.Thom. Sylvest. & Reginald. apud ipsum. Trullench. *lib.2. Decal. cap.2.dub.13. num.25.*

QVÆSTIO III.

An etiam si quis iuret, aut voueat aliquid, assignans certum diem, vt terminum, v. g. ieiunium in feria sexta; teneatur tempus signatum præuenire, si præsumat tali die impedimentum esse?

REspondeo tunc non teneri præuenire. Ratio est: quia nemo obligatur ad id, quod iurando vel vouendo non intendit, cùm mensura obligationis iuramenti, aut voti, sit intentio iurantis, aut vouentis: atqui in hoc casu, hæc solum est pro tempore signato, & præfixo die: ergo solum pro eo est astruenda obligatio. *Confirmatur* etiam à simili ex præceptis Ecclesiasticis. Nam qui præuidet die Dominica impediendum esse aliqua febri, ab audienda Missa, non tenetur se præuenire, & die sabbathi illam audire; & qui præuidet impediendum à ieiunio alicuius vigiliæ; non tenetur præuenire ieiunium die antecedenti: quia præceptum solum est de Missa, & ieiunio illis diebus signatis, non de aliis: ergo idem est dicendum de iuramento, & voto. Nec sumi potest argumentum à resolutione antecedenti: quia aperta est differentia, & dissimilitudo. Sic Suarez *lib. 4. de voto cap. 14. num. 5.* dicens, id esse commune. Bonacina, *n.13. citato.* Palaus, *n.1.*

QVÆSTIO IV.

An, si quis iuret, aut voueat aliquid (v. g. intrare Religionem, aut dare eleemosynam) absolutè, & absque vlla temporis designatione; obligetur ad id faciendum, quàm primum commodè possit?

NEgant aliqui Authores, existimantes, non teneri, aut obligari absolutè ad adimplendum promissum statim, ac commodè possit; sed quando conscientia ipsius, qui iurauit, aut vouit, remordet, & dictat esse implendum, non antea. Ita Caiet. *2.2. q.88. art. 3. fine.* Nauarrus *cap. 12. num. 41.* (non 42.vt leges apud Palaum) his verbis: Quod si certo nouit (*vouens*) se non vouisse animo statim adimplendi, neque tempori terminum præfinisse tacitè, vel expressè, iuxta quod votum adimplere tenetur, non peccat mortaliter non adimplendo, quamdiù conscientia non remordet, se esse in mora circa eius implementum. Hoc enim est signum, quod non est transactum tempus, intra quod non teneatur implere illud, iuxta mentem prædicti Cardin. Ita Nauarr. Quem etiam sequuntur Ludou. Lopez *1.p. instructorij cap.44. initio,* & Reginald. *lib.18. sum. num.286.*

Sed longè multò probabiliùs Respondeo obligari v.g. intrare Religionem, aut dare eleemosynam quam primum iudicio prudentum possit (ideſt, pro prima opportunitate congrua, & sine notabili suo incommodo) aliàs erit sui iuramenti, aut voti transgressor.

Probatur *primò* ex *cap.23. Deuteronom. Cum votum voueris Domino, Deo tuo non tardabis* (sic lege, non vt scribit Palaus, *non tardaueris*) *reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Secundò:* quia iuramentum, aut votum ex se est causa efficax obligationis: ergo si non impeditur, statim ac pro statim inducit illam: atqui, hic, & nunc per intentionem iurantis, aut vouentis non suspenditur, aut differtur obligatio: ergo. Sic Valentia *2.2. disp.6. q.6. punct.4. q.3. in tertia circonstantia.* Aragon *ibi q.88. art. 3.dub.vltimo.* Azor *tom.1. lib.11. cap.15.q.10.* Sà *verb. votum num. 28.* Nauarr. *lib.4. de restitut. cap.4. num.2.* Suarez *3.tom. in 3. par. q.71. art.4. disp.31. sect. 2. & lib.4. de voto cap. 12. num.6.* D. Thom. Turrecrem. Abbas, Anchar. Abulens. Palud. D. Anton. Sylvest. Armilla, Palacios, Angles Rodrig. & Petr. Ledesma, quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib.4. Decal. cap.14. n.5.* Bonac. *tom.2. disp.4. q.2. punct.5. §.1. in princip.* Layman *lib.4. tract.4. cap.3. num.5.* Palaus *disp.1. punct.13. num. 4.*

QVÆSTIO V.

An, licitè possit quis differre iuramentum, seu votum, absque certo tempore, à se præstitum; si speret, quod melius, & vtilius, seu commodius, aut deuotius, alio tempore possit implere illud?

REspondeo vt certum: Posse licitè. Quia iuramentum, seu votum, quo nullum tempus executioni assignatur, sic ex æquitate explicandum venit, vt credatur iurans, seu vouens voluisse se cum hoc tẽperamento, nempe, *cum primũ commodè possit,* obligare; iuxta *l. ratum. ff. de solut. & l. Quod dicimus, eod.* Sic communis. Legantur Suarez *cap.12. cit. num.12. & 13.* Sanchez *lib.4. cap.14. num.5. & sequent.* præcipuè 8. & apud ipsum, Angel. Sylvest. Tabiena, præcipuè Palac. & Aragon apud ipsum. Palaus *disp.1. de voto, punct.13. n.5.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.13.* Bonac. *punct.5. cit. num.2.* Layman *cap.3. cit. num. 5.* & alij communiter. Cum quibus descendendo ad praxim sit.

QVÆSTIO VI.

An, qui in ætate duodecim annorum iurauit, aut vouit ingredi Religionem, nullo præfinito tempore; possit expectare vsque ad eam ætatem, qua aptus sit ad perferendos labores Religionis electæ?

REspondeo vt certum: Posse, etiamsi nulla alia causa excusans concurrat: Quia id tempus ingressui illi commodius censetur. Sic communis. Præcipuè Sanchez *loco cit. n.9.* Layman & Bonac.

locis

locis cit. & Palaus his verbis: si ad Religionis labores perferendos, eiusque asperitates sustinendas, satis idoneus non sis, speras autem fieri, si differas, poteris differre. Sic ille

Quare Corduba (vt refert Sanchez) *in summa q.39. §. El vno es*, optimè dixit duodecim annos nactum, vouentem Religionem Minorum posse ingressum differre, vsque decimum septimum, vel decimum octauum annum. Immò, iuxta Rodriguez in summa, *tom. 2. cap. 95. num. 9.* vsque ad vigesimum quintum. Legatur Petr. Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 10. cap. 3. dub. penult. vers. Digo lo segundo.* Vbi ait: iuuenem quindecim, aut sex decim annorum, satisfacere voto Religionis, si intra triennium illud expleat: at fore transgressorem sui voti, differendo octo, vel nouem annis. Sed dictum huius Authoris, sicuti & dictum Rodriguez non placet Doctissimo Thomæ Sanchez. Legatur, etiam Trullench. *loco cit. num.* 4. Et nos infrà *q.15.* vbi de hac materia agemus.

QVÆSTIO VII.

An, qui iurauit, aut vouit ingredi Religionem, ob finem adipiscendi Sacerdotium in ea, possit differre ingressum donec grammaticam discat?

REspondeo vt certum: Posse. Quia in nulla Religione (ait Sanchez) est commoditas grammaticæ addiscendæ. Sic ille *num.* 10. qui *num.* 11. addit, quod adhuc possit differre votum ingrediendi Religionem, qui propensus est ad literas addiscendas, aptusque ad illas, nec in Religione electa esset commoditas vacandi studiis artium, & Theologiæ. Quia id videtur in honorem Dei cedere, vt dicit Palaus *disp. 1. de voto punct. 13. num. 5.* Sic etiam Maior. *in 4. dist. 38. q. 2.* Corduba *in sum. q. 38. §. El vno es.* Layman *num.* 5. fine ibi: Adolescens, qui Religionem vouit, interdum expectare poterit (præsertim Prælati Ordinis, vel confessarij accedente consensu) donec ætate, & viribus corporis prouectior ad ordinis asperitatem, vel labores perferendos, idoneus fiat, vel in studiis literarum excultior. Sic ille. Et Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 13. n. 4.*

QVÆSTIO VIII.

An etiam, qui iurauit, aut vouit Religionem, possit differre illius ingressum, donec minus molestè à Parentibus feratur?

REspondeo: Etiam posse. Quia pax parentum, eorúmque grauem molestiam vitare, iustam huic dilationi causam præbet. Sic ex Palacio, Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 14. num. 13.* Palaus *num. 5. cit.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. punct. 2. §. 1. n. 2.* Trullench. *num. 4. cit. in fine.*

QVÆSTIO IX.

An, qui iurauit, aut vouit Religionem, non præfixo tempore, possit differre ingressum, vsque ad tempus, quo credit, maiori cum deuotione, se ingressurum?

REspondeo: Posse. Quia id videtur cedere in maiorem gloriam Dei: ergo. Sic Sanchez *cap. 14. cit. num.* 8. Tabiena *v. votum, 3. q. 3.* Bonac. *loco cit. num. 3.* Qui & citat Aragon 2.2. *q. 88. art. 3.* Sed hic Author, solùm dicit, quod ille, qui procrastinat adimplere votum spe maioris commoditatis, vel quia sine magna negligentia est oblitus occupationis causa, vel ratione paruitatis materiæ, non erit censendus esse in mora adimplendi voti, saltem culpabiliter. Sic ille (ex Sylvest. *votum 2. q. 3. fine*, quem non citat.) *art. 3. citato in fine.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 13. num. 5.* addens, quod in hoc casu, debeat vouens consulere peritum, ne amore proprio, aut aliquo errore decipiatur.

QVÆSTIO X.

An in iuramentis vel votis ingrediendi Religionem, assumendi Ordinis sacri, & seruiendi in perpetuum xenodochio, minor mora sit mortalis, quàm in aliis iuramentis, vel votis, v.g. peregrinandi, dandi eleemosynam, &c.

NEgare videntur Angel. *v. votum. 2. num. 2.* & Sylvest. *votum 2. q. 3.* quatenus regulam generalem de omnibus adstruunt, vt notauit Sanchez, mox citandus.

Sed tanquam certum Resp. affirmatiuè. Sic Palaus *disp. 1. de voto, punct. 13. n. 6.* his verbis: Illud tamen præ oculis habendum est, votum ingrediendi Religionem, & seruiendi in xenodochio, minori tempore differendum esse, quàm votum peregrinandi, dandivè eleemosynam. Quia hoc votum peregrinationis, aut eleemosynæ (*sic lege*) dilatione non minuitur, sed integre impletur: at votum Religionis, vel perpetui in xenodochio seruitij, dilatione minuitur; ita vt quo magis differatur executio, eo minus de voto redditur: quia maiori tempore Deo obsequeris, cum obligatus sis perpetuò inseruire. Sic Palaus, ex Sanchez *lib. 4. cap. 14. num. 22.* Suario, *3. tomo in 3. p. disp. 31. sect. 2.* & Laymamo *lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 5. q. 4.* Sic etiam Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 13. n. 10. & 11.*

QVÆSTIO XI.

An, qui iuramento, aut voto promisit, se anno vigesimo quinto suæ ætatis ad Sacerdotium promouendum, teneatur ante dictum annum ordines inferiores suscipere?

AFfirmat Trullench. *num. 11. cit. fine*, docens, tenere huiusmodi promittentem, ante dictum annum,

annum, tempore habili, ſuſcipere ordinis inferiores. Nam etſi expreſsè id non vouerit, vouit tamen implicitè, eo quod neceſſariò requirantur, ad hoc vt ſacerdotium intra annum recipiatur. Hæc ille.

Sed probabiliùs Reſpondeo, non teneri ante vigeſimum quintum annum ordines inferiores ſuſcipere, ſed poſſe expectare tempus ætatis quinque viginti annorum, attento quod interſtitia temporum poteſt Epiſcopus tollere, & quod ipſe ordinandus non ponit impedimentum, & quod non tenetur eſſe Præſbyter ante vigeſimum quintum annum, & intra illum poteſt fieri volente Epiſcopo, & ſi noluerit Epiſcopus, excuſabitur impedimento iuris ab aſſumendo præsbyterio intra illum fide bona, debitam adhibendo diligentiam. Hæc meus Nauarr. *lib. 3. conſil. tit. de voto, conſil. 19. in 2. edit. num. 3.* Et ex illo Sanchez *lib. 4. cap. 14. num. 23.* vbi addit, quod ſi dubius omnino ſit vouens, an intellexerit de anno illo completo, an ſolo incepto, intelligendum ſit de completo, vt minus grauetur vouens.

QVÆSTIO XII.

An, quæuis mora adimplendi iuramenti, aut voti, data opportunitate, ſit mortalis?

REſpondeo vt certum: Quod non. Nam quamuis ex eo tempore iuramentum, aut votum obligent ad mortale: at poteſt eſſe materiæ paruitas in mora illa, ſicut in aliis rebus, quæ verè ab illo excuſat. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 14. num. 16.* & ex illo Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 13. num. 8.* & Palaus *diſp. 1. de voto punct. 13. n. 7.*

QVÆSTIO XIII.

An ſaltem ſit mortalis quæuis mora, ſeu dilatio, iuramenti, aut voti, ſi eâ poſitâ, timeatur prudenter perpetuum impedimentum adimplendi illa?

REſpondeo vt certum: Tunc eſſe mortalem, ſi ex negligentia (non ex neceſſitate,) differentis adimpletionem iuramenti, aut voti, proueniat. Quia tunc differens exponitur tranſgrediendi periculo. Sic Angel. *v. votum. 3. num. 21.* ibi: Aut differt ſolùm ex negligentia: & ſi eſt probabile periculum imminens probabilitatis in implendo, ſi tardatur: vtputà, quia vouit Religionem: niſi hoc anno ingrediatur, poſtea non erit, vel non poterit; ſic peccat mortaliter differendo, ſi hoc aduertit. Sic ille. D. etiam Thom. *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad vltim.* & ibi Carthuſ. *q. 2.* Abulenſ. D. Anton. Sylueſt. Armilla, Tabiena, & Palac. quos citat, & ſequitur Sanchez, ſuprà *num. 17.* Trullench. *n. 8. verſ. Tertia regula.*

QVÆSTIO XIV.

An, bona fides differentis adimpletionem iuramenti, aut voti, excuſet à mortali?

REſpondeo verè excuſare. Quia bona fides, ſicut in in præceptis Eccleſiaſticis, excuſat; ita & in his. Sic Sanchez *n. 15.* his verbis: Quoties quis bona fide exiſtimat licitè ſe differre votum, quamuis ignorantia illa ſit ex ſe mortaliter vincibilis, modo non ſit craſſa, nec ſupina, excuſatur à mortali. Ratio eſt; quia hæc vota, non aliter, nec rigidiùs obligant, quàm præcepta Eccleſiaſtica: at ignorantia ex ſe vincibilis mortaliter, dummodo non ſit craſſa, nec ſupina, excuſat à mortali tranſgreſſione in his præceptis: ergo. Sic ille. Et ex illo Trullench., qui addunt, id innuere Sylueſtr. *votum 2. q. 4.* dum dicit, non eſſe mortale, ſi abſque magna negligentia vouens fuerit oblitus. Sic certè Sylueſt. non *quæſt. 4.* vt illi citant: ſed *q. 3.* in fine.

QVÆSTIO XV.

An, qui, poſt habitam commoditatem, differret ex omnimoda neglegentia, adimplere vota aut iuramenta perpetua per dimidium annum; peccaret mortaliter?

NEgant aliqui Doctores, dum ſentiunt moram, ſeu dilationem duorum, vel trium annorum in voto Religionis, abſque periculo obliuionis, vel impedimenti, vel alterius dilationis, non eſſe mortalem. Ita Armilla *v. votum, num. 16.* his verbis: Si quis vouit aliquid abſolutè, & ſine conditione temporis, tenetur ſtatim cum poteſt, adimplere commodè; quia ſcriptum eſt: *ſi quod vouiſti Deo, non moreris reddere.* Vt ſi vouit intrare Religionem, non poteſt expectare tres, vel quatuor annos. Ita ille. Et Petr. Ledeſma citatus, *ſuprà quæſt. 6.* & Rodriguez *2. tom. ſum. cap. 95. n. 9.*

Sed probabiliùs Reſpondeo dicendum, quod verè peccaret mortaliter. Quia probabilius eſt, quod mora, ſeu dilatio ſex menſium in votis perpetuis, vt in voto Religionis, vel aſſumendi Ordinis ſacri, vel ſeruiendi perpetuò in xenodochio, poſt nactam opportunitatem illa exequendi, ſit notabilis: quia cedit in diminutionem grauem diuini cultus, & propriæ vtilitatis. Minor autem mora, aut dilatio, non videtur cenſenda, notabilis, ob difficultatem tanti operis, & perpetui ſacrificij exequendi. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 14. num. 22, fine.* Palaus *diſp. 1. de voto, punct. 13. num. 7.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 13. ſub num. 11.*

QVÆSTIO XVI.

An, qui vltrò differret per quæcunque longa, tempora, iuramenta, aut vota alia, quæ integrè poſtea redduntur; immunis adhuc eſſet à mortali?

AFfirmatiuam ſententiam tenuiſſe aut indicaſſe, Sanchez ex D. Thom. *2. p. tit. 11, cap. 1. §. 1.* ait Palaus, *num. 7. cit.* per hæc verba: In votis verò in quibus nihil ex dilatione omittitur implendum, cenſent tunc eſſe mortalem, quando adeſſet ex dilatione periculum nunquam ea exequendi: parum enim videtur intereſſe, quod hoc, vel illo tempore votum reddatur, ſi tota res promiſſa redditur, & tempus deſignatum non ſit. Sic Anton. (loco cit.) & indicat Sanchez *lib. 4. cap. 14. n. 31.* Huc vſq; Palaus.

Sed

Sed certè Sanchez nec hanc sententiam tenet, nec indicat, cum expresè dicat, moram notabilem in hac materia mortalem esse. Accipe eius verba: In votis, quæ integrè postea redduntur; vt recitandi toties calculos virgineos; peregrinandi; eleemosynæ erogandæ, nec terminus præfixus est, vbi non est timor impedimenti perpetui, vel valde diuturni, nec vrget grauis pauperum necessitas, quibus illa eleemosynâ subuenietur, solum erit mortalis dilatio quando est notabilis negligentia post opportunitatem implendi habitam: vt ait Sylvest. *v. votum. 2. q. 3.* vel melius vt aiunt Angelus, & Tabiena allegati *n. 17.* quando est notabilis, & valde longa dilatio. Et adhuc latius loquitur D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 1. §. 1.* tunc enim dicit peccari mortaliter in dilatione aliorum votorum præter Religionis, quando differuntur habita commoda opportunitate per longa tempora, & ex ipsa nimia dilatione est periculum obliuionis, vel impotentiæ implendi. Ratio est, quia cum integrè res postea danda sit Deo, soláque sit malitia moræ, nec tempus voto implendo præscriptum sit, non videtur ea mora tam grauis malitiæ, vt censeatur mortalis, vbi mora non est valde notabilis. Hæc Sanchez. In cuius verbis vides sententiam Angeli, & Tabienæ amplexum esse: Antonini verò solum retulisse, & transiisse. Sed quia non decernit, quæ dilatio reputanda sit notabilis & consequenter mortalis, ideo.

Ego cum Palao Respondeo dicendum in huiusmodi votis, aut iuramentis, dilationem trium annorum plus minusve esse notabilem. Nam licèt res promissa integrè exequenda sit, eius tamen executionem tanto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, grauem deordinationem continet. Quod probari potest ex dilatione debiti hominibus promissi, quod nullus negabit grauem culpam constituere. Sic ille *num. 7. citato.*

§. II.

De cessatione iuramenti, & voti, ex eo quod non sunt impleta tempore designato.

QVÆSTIO XVII.

An, iurans, seu vouens aliquid determinatâ die faciendum, nec eâ implens; teneatur adimplere eâ transactâ?

AFfirmant aliqui Doctores: eo quod sic videatur colligi *ex cap. cum dilecti. vers. Præterea, de dolo, & contum.* vbi deciditur, iussum soluere certa die, teneri ea elapsa. Et ex *l. Celsus. §. 1. ff. de recipiendis arbitris*, vbi dicitur: iussum dare decem, certo tempore, duo præcepta habere, alterum dandi, alterum eo tempore, ac proinde transgressorem huius posterioris præcepti, adhuc teneri ad prius. Ita Anton. *cap. penult. de voto, num. 4.* & ibi. Abbas *num. 2. Huc* accedunt Angelus *verbo votum. 3. n. 3.* Sylvest. *votum. 2. q. 4.* & Tabiena *votum 3. q. 7. n. 8.* qui idem docent, cum limitatione tamen, nisi aliàs iurans, seu vouens, non haberet animum obligandi se, nisi ad illum diem; quia sic non tenetur alio die facere promissum, sed pœnitere de iuramento, aut voto fracto.

Sed cum communi sententia, sub distinctione sic Resp. aut iuramentum, seu votum facit quis in honorem, & deuotionem alicuius temporis, seu diei; aut absolutè, & simpliciter sine intuitu temporis, aut diei. Si primo modo id facit, tunc promittens non tenetur elapso tempore, aut die, promissum adimplere; quia eo transacto, extinguitur prorsus obligatio iuramenti, aut voti: quia sic est promittentis voluntas, iuxta quam obligatio, vel deobligatio promissionis metienda est. Si secundo modo promisit, tunc, etiam transacto tempore promissionis, manet obligatus adimplere: Quia tunc circunstantia temporis non vouetur per modũ vnius cum re promissa, sed virtute sunt duæ promissiones, seu duo iuramenta, aut vota, & hoc probant rationes primæ sententiæ. Sic Caiet. *2. 2. q. 88. art. 12. dub. vltimo, & in sum. v. votum, cap. vltimo.* Aragon ibi *art. 3. dub. vltimo.* Valentia *disp. 6. q. 6. punct. 4.* Vasquez *1. 2. disp. 146. cap. 2.* Suarez *lib. 4. de voto, cap. 13.* Azor. *lib. 11. cap. 15. q. 11.* Nauarr. *cap. 12. num. 54.* Suarez *lib. 4. cap. 14. n. 25.* Bonac. *disp. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 1. n. 6.* Palaus *disp. 1. de voto. punct. 14. num. 1.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 13. num. 13.* Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 2.* & omnes communiter, quorum doctrina, ad casus particulares descendendo, plana fiet. Sit ergo.

QVÆSTIO XVIII.

An, qui iurauit, aut vouit, ieiunare vigilia alicuius Sancti, ob eius deuotionem; si de facto non ieiunet, teneatur altero die ieiunare?

AFfirmare posset quis ex doctrina Paludani *in 4. dist. 15. q. 4. §. Quantum ad 5. vers. tamen sequendo*, quam retulimus *3. p. tract. 5. de obseruat. ieiuniorum. disp. 1. q. 14.* quatenus ait, quod ille, qui vno die præcepti non vult ieiunare, teneatur alio. Sed sic est, quod de votis, aut iuramentis est philosophandum, sicut de præceptis Ecclesiæ: ergo. Ita etiam sentiunt Abbas. Angel. Sylvest. & Tabiena citati à nobis *1. par. tract. 5. disp. 9. q. 77.*

Sed vt longè probabilius, & mihi verissimum Resp. Non teneri altero die ieiunare. Quia verissimum mihi est, quod ille, qui vno die quadragesimæ, aut vigiliæ alicuius Sancti, non vult ieiunare, non teneatur alio, vt cum communi omnium Doctorum diximus *loc. cit.* ergo neque ille, qui iurauit, aut vouit ieiunare vigilia alicuius Sancti ob eius deuotionem, si de facto non voluit ieiunare, tenebitur alio die. Sic Palaus *loco cit. n. 2.* ita scribens. Quia circunstantia temporis specialem deuotionem communiter continet, & in illius memoriam votum emittis principaliter; si eo tempore votum non impleas extinguitur obligatio: quia impleri non potest. v.g. promisisti ieiunare vigilia alicuius Sancti, ob eius deuotionẽ, & honorẽ; feria sexta, ob memoriã Passionis Christi; Sabbatho ob Beatissimã Virginem; si de facto nõ ieiunasti, cessat tibi obligatio altero die ieiunandi: quia licèt ieiunium implere possis, non quale promisisti. Sic ille, ex Sanchez *n. 25.* (non 28. vt leges apud Palaum) Suarez, *num. 5.* Bonac. *n. 7.* & aliis, suptà citatis. Lege me ipsum. *1. p. loco citato.*

QVÆSTIO XIX.

An qui iurauit, aut vouit ieiunare Aduentu huius anni, vel feriis sextis, seu Sabbathis huius mensis, si culpabiliter omittat, teneatur aliis diebus ieiunare?

REspondeo quod non. Quia erga ea tempora fuit specialis deuotio, cùm communiter dicta ieiunia in honorem Natiuitatis, vel Passionis Christi, vel B. Virginis promittantur, ac consequenter sunt tempori alligata: ergo eo elapso obligatio promissionis cessat. Sic Sanchez *num.* 32. Palaus *n.* 3.

QVÆSTIO XX.

An qui culpabiliter omisit dicta ieiunia, teneatur ieiunare alio Aduentu, aut feriis sextis, Sabbathis alterius mensis?

AFfirmandum videtur. Quia honor Christi Domini, & Mariæ matris eius, idem est, siue vno Aduentu vel mense, siue alio, ieiunium præstetur.

Sed probabiliùs verè Respondeo non teneri alio aduentu, aut feriis sextis, aut Sabbathis alterius anni, vel mensis ieiunare. Probat Palaus. Quia esto cultus Christi, & Beatæ Virginis idem in specie sequatur: at non est idem numero, & indiuiduo cum eo, qui promissus est, sed omnino distinctus, ea de causa cessat obligatio. Quando enim promittis in honorem Beatæ Virginis omnibus sabbathis huius mensis ieiunare, ieiunium horum sabbathorum, non aliorum promittis: ergo his sabbathis, absque ieiunio transactis, impossibile est, quod promissum impleas. Sic ille *disp.* 1. *de voto punct.* 14. *num.* 3. & antea Sanchez *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 32. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *num.* 9. his verbis: Tertiò infertur, eum, qui vouit ieiunare in vigilia proxima S. Martini, non teneri alio anno in vigilia eiusdem sancti ieiunare, si hoc anno ieiunauit. Sic ille. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 13. *num.* 15. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 2. *num.* 7.

QVÆSTIO XXI.

An qui iurauit, aut vouit ieiunare vigilia alicuius Sancti, non designando vigiliam, huius, vel alterius anni: teneatur ieiunare in proxima vigilia Sancti?

REspondeo teneri. Sic Sanchez loco cit. *n.* 40. his verbis; secunda difficultas est, quando promissio fit ad tempus certum, & sunt multa eiusmodi tempora, nec exprimit vouens quod; nec eius intentio sciri potest, sed est dubia, de quo intelligatur? Respondeo intelligi de proximè futuro. Vt si quis promisit Aduentu ieiunare, vel vigilia talis Sancti, intelligitur de proximè futuris. Ita in promissione humana decernitur, *l. eum qui kalendis, in princip. ff. de verb. obligat.* & *l. regia* 15. *tit.* 11. *par.* 5. Quare si votum fuit intuitu temporis, non obligabit eo proximo tempore transacto. Sic ille. Et ex illo Bonac. *num.* 5. Tamburin. *num.* 12. Trullench. *dub.* 13. *cit. num.* 19.

QVÆSTIO XXII.

An, qui iurauit aut vouit ieiunare semel aut ter singulis hebdomadis; teneatur supplere ieiunia culpabiliter omissa?

REspondeo non teneri supplere. Quia vouens non præsumitur voluisse, tam graue onus sibi imponere. Sic Sanchez *lib.* 4. *de voto, cap.* 13. *n.* 6. his verbis: Aliquando enim potest ex voluntate vouentis præfigi terminus ad finiendum obligationem, propter alias rationes suæ commoditatis: vt v.g. si quis voueat ter in hebdomada ieiunare, ita tamen vt in qualibet hebdomada, sua obligatio finiatur, ne si in illa impleta non fuerit, oporteat in alia hebdomada ieiunare: nam ad hoc non vult obligari, non ob deuotionem, sed ne nimium grauetur. Sic ille. Et Sanchez *n.* 34. (non 4. vt inueni apud Bonacin. & Trullench.) Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *n.* 10. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 2. *n.* 8. Trullench. *lib.* 2. *dub.* 13. *n.* 17. & 22.

An idem sit dicendum de iuramento, aut voto dandi aliquam eleemosynam, singulis diebus, vel singulis hebdomadis, constat ex dictis suprà. *disp.* 7. §. 4. *q.* 35. Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO XXIII.

An, qui iurauit, aut vouit, se ingressurum Religionem, die (v.g.) Assumptionis B. Mariæ Virginis, ob eius specialem honorem; cesset illi obligatio, si tali die non ingrediatur?

REspondeo vt certum: quod non cesset illi obligatio, sed teneatur postea ingredi. Quia ex mente promittentis clarè apparet, principaliter ob status perfectionem, diuinum obsequium, & propriam vtilitatem, iuramentum aut votum præstitisse; & secundariò, & minus principaliter, ob honorem B. Virginis. Sic expressè Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 13. *n.* 5. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 31. *fine.* Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *num.* 7. *vers. Si verò.* Palaus *disp.* 1. *de voto punct.* 14. *num.* 3. *fine.* Tamburin *lib.* 3. *cap.* 16. §. 2. *num.* 9. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 13. *n.* 20.

QVÆSTIO XXIV.

An, qui iurauit aut vouit, se integro anno ieiunaturum; si interrumpat inceptum ieiunium, teneatur denuò incipere ieiunium totius anni continui?

REsp. sub distinctione dicendum, quod si iurauit, aut vouit ieiunare vno integro anno, principaliter intuitu, & deuotione talis temporis, tunc non teneatur iterum inchoare, imo nec supplere omissa ieiunia, vt constat ex sæpè dictis. Si verò non iurauit, nec vouit ob deuotionem temporis, tunc non teneatur, sed satisfaciet ieiunando diebus prætermissis. Quia verè dicitur, integro anno, ieiunare, qui tot diebus, quot annus continet, ieiunat, etsi non

non continuè ieiunet. Quod intellige, nisi aliàs expressè ieiunium illud absque interpolatione implendum, iurauerit, aut vouerit. Sic Sanchez *num.* 39. & D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 1. §. 2. Bonac. *punct.* 5. *cit.* §. 1. *n.* 12. Trullench. *num.* 24. & Tamburinus *num.* 10. quatenus dicit, quod si quis expressè vouerit, se continuato anno, omnibus sabbathis, v. g. ieiunaturum, anno non designato propter deuotionem peculiarem illius, sed propter commoditatem, vel quid simile, alio anno continuato sibi esse ieiunandum.

QVÆSTIO XXV.

An, si quis iuret, aut voueat recitare Coronam coram particulari imagine Mariæ Sanctissimæ; teneatur alibi recitare, si coram illa non possit.

REspondeo, non teneri alio in loco recitare, si iuramentum, aut votum præstitit, propter peculiarem deuotionem ad talem, quam habebat, imaginem; quia tunc se pro tali die, seu loco, & non aliter, obligare voluit. Secus dico, si tale iuramentum, seu votum emisit principaliter ex amore ipsius Virginis, locum autem imaginis, solùm vt aptiorem ad coronam recitandam elegerit: quia tunc si ibi non posset, alibi recitare teneretur. Sic Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 2. *num.* 5. & 6.

QVÆSTIO XXVI.

An, qui impotens est ad iuramenti, seu voti executionem; teneatur aliquam commutationem facere in rem, quam adimplere queat?

AFfirmant quidam Doctores docentes ad id teneri, non absolutè, & in omni casu; sed solùm, quando, qui iurauit, aut vouit suâ culpâ non implepleuit promissum, vel factus est impotens ad illud adimplendum. Ita Panormit. D. Anton. Angelus, Sylvest. Palud. & Ricardus, apud Suarium, *lib.* 4. *de voto, cap.* 15. *n.* 3. & 4.

Sed probabiliùs longè, immò, vt mihi certum, Respondeo non teneri ad faciendam aliquam commutationem, siue culpâ suâ, siue sine illa iurans, aut vouens factus sit impotens ad promissi executionem. Ratio est. Quia nemo intelligitur habere intentionem se obligandi cum tanto rigore, & onere: at obligatio non excedit intentionē promittentis: ergo. Sic Suarez *loco citato à n.* 5. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 3. *fine*, qui & citat. Sylvestrum *verb. votum.* 2. *q.* 6. & Reginald. *lib.* 18. *num.* 281. Palaus *disp.* 1. *de voto, punct.* 14. *fine.* Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 2. *n.* 12. Denique, quando dicimus, extingui obligationem, vel te non obligari amplius ad votum, intelligimus, nec te obligari ad rem promissam, nec ad aliud opus eius loco: quia vouens illam rem promisit, non aliam in eius compensationem, vt supponimus; atque hæc, de qua loquimur, non est commutatio, sed obligationis cessatio.

QVÆSTIO XXVII.

An, qui iurauit, aut soli Deo vouit, dare Hospitali seruum, & postea illum occidit; teneatur ad aliquam compensationem Hospitali faciendam?

REspondeo, quod non. Quia vinculum iuramenti, aut voti Deo facti, præcisè spectatum, non obligat ad restitutionem aliquam Deo faciendam. Nec culpa, quæ contra votum commisit, est contra iustitiam, sed contra fidelitatem, seu Religionem; & ideo non mirum, si obligationem restitutionis nequaquam pariat. Sic Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 16. *num.* 9. Et ex illo, Tamburin. *loco cit. n.* 12. addens ex hac doctrina, se dubium sequens resoluisse. Antonia (inquit) vidua vouit, se daturam pauperibus totum suum dotarium, quod mox sperabat recuperaturam ab hæredibus sui viri defuncti. Recuperauit, non multò post, dimidiam eius partem; alteram hæredibus dimisit, bona fide, nil cogitans de voto. Et pone, etiam fuisse mala fide, adeóque cum peccato, ex eo quod aduertenter disposuerit de re iam Deo dicata. Quæritur nunc, an habeat obligationem restituendi pauperibus, alterum tantum eius, quod remisit? Respondeo non obligari: solum si mala fide remisit, cum potuisset non remittere, peccauit contra votum, peccato delendo per pœnitentiam. Sic ille, quod probat ex doctrina à Suario tradita.

QVÆSTIO XXVIII.

An, obligatio votorum, extinguatur morte vouentium?

NEgat Ioan. Andr. cum aliis *in cap. Fraternitatis, de frigid. & malef.*

Sed multò probabilius Respondeo, extingui. Quia omnia votorum vincula, sicut & Matrimonij, pro solo vitæ tempore obligant. Sic Abbas, Angel. Sylvest. & Nauarra, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 41.

DISPVTATIO XV.

De cessatione iuramenti promissorij, & voti, ob remissionem partis, cui præstitum est.

QVÆSTIO PRIMA.

An obligatio iuramenti promissorij cesset omnino, remissione partis, cui præstitum est?

NEGANT aliqui Doctores. Quia iuramento, quod Deo præstatur, soli ipsi Deo ius acquiritur, ergo huic alter ab ipso renunciare nequit. Ita loquendo de sponsalibus iuratis sentiunt Ioan. Andr. Anchar. Anton. Abbas, & alij, quos refert Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 52. *n.* 6. de quo & nos *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 2. *q.* 19. & 20.

Sed vt certum Resp.cessare omninò ex remissione illius in cuius fauorem, & gratiam, emissum fuit iuramentum (seu votum.) Quia vnusquisque iuri suo cedere, & rem sibi debitam condonare valet. Vnde quamuis Deus testis talis promissionis aduocetur, & iuramentum gratum & acceptum habeat; & cum acceptum habet in commodum, & fauorem alterius, toties Deus illius obligationem remittit, quoties remittit is, in cuius gratiam promissio fuit facta.

Vnde benè ad fundamentum contrariorum respondet Sanchez, *loco cit. num.9.* quod licèt Deo acquiratur ius, & huic directè non possit renunciare is, cui fit promissio: at potest indirectè, & consequutiuè, eo enim ipso quod cedit iuri suo, vt potest, consequenter cessat ius Dei, quod est annexum iuri hominis illius. Sic ille *loco cit.* & *lib. 3. in Decal. cap.20. num.4.* & penes ipsum, quam plures Authores, quos nos cum aliis, retulimus *2.p. loco cit.q.19.* Sic etiam Fagundez *lib.2. in Decal. cap. 32. num. 2.* Azor *tom.1. lib.11. cap.9. q.10.* Lessius *lib.2. de iust. cap. 42. dubit. 12. num.57.* Bonac. *disp.4. q.1. de iuram. punct.17. n.3.*

QVÆSTIO II.

An similiter cesset obligatio iuramenti, ex remissione partium, casu, quo plures vicissim sibi aliquid sub iuramento promittunt?

RESp. vt certum affirmatiuè cum Sanchez, & Fagundez *locis citatis.* Quia, eadem est ratio; cùm sicut alter solus, potest alteri condonare promissum, ita quando plures sunt, possunt mutuò consensu iuramenta sibi ipsis condonare. Citant ambo pro hac parte Azorium *tom.1. lib.11. cap.9.* fine. Et benè, non cum distinctione sic huic quæstioni respondent: Duodecimo quæritur, quid iudicandum sit, cum duo, videlicet, Titius, & Caius, sese iureiurando inuicem obstrinxerunt, quo vterque alteri promisit, se aliquid facturum; an vterque possit iusiurandum alteri remittere? Respondeo, si iusiurandum promissionem Deo factam confirmet, neuter potest alteri remittere. v.g. si pietatis causa, vnus iureiurando promisit, se ad Religionis statum transiturum, vel ieiunium ab Ecclesia inductum seruaturum, peregrinaturum, Diuinam rem conditurum, idem quoque alter iureiurando promisit. Si verò vtriusque promissio est gratia alterius facta, ob vtilitatem vtriusque, potest vterque alteri iusiurandum remittere; aut si vterque iuret, se alteri opem, & auxilium daturum. Hæc Azor. (De cuius prima responsionis parte dicemus infrà *quæst.7.*) sic etiam Bonac. *n.3. cit. vers. Hinc colligi potest.* Suarez *lib.2. de iuram. cap.39.* Fiulliuc. *tract. 25. cap.9. q.6. n.268.*

QVÆSTIO III.

An, huiusmodi remissio, aut condonatio iuramenti promissorij, sit idem, quod relaxatio, seu dispensatio, illius?

RESpond. tanquam certum: quod non sit idem, propriè loquendo. Quio relaxatio petit potestatem spiritualem in relaxante: irritatio dominatiuam: atqui neutram petit remissio iuramenti, cum pertineat ad quemcumque, cui iuramentum fit: ergo. Sic cum communi, Sanchez *lib.3. cap.19. n.1. & cap. 20. num. 4.* Bonac. *disp. 4. q. 1. de iuram. punct. 17. num. 3. vers. obiicies.* Sotus *lib. 8. de iust. q.1. art.9. initio.* Aragon *2.2. quæst.89. art.9.* Palaus *disp.3. de iuram. punct.2. num.2.* Fgundez. *lib.2. cap.32. num.4.*

QVÆSTIO IV.

An saltem dicta remissio iuramenti, sit idem quod irritatio?

REspondeo etiam vt certum: quod non sit propriè loquendo. Nam quamuis irritatio nullam causam requirat in irritante, & in hoc æquiparetur remissioni, quæ nullam causam requirit in remittente; tamen irritatio potestatem requirit dominatiuam in irritante, remissio verò minimè id requirit in remittente: satis est enim illi, quod ratione promissionis sibi factæ maneat Dominus rei promissæ, vt eam liberè, etiam sine causa, pro suo mero arbitratu licitè, & validè possit remittere. Sic Facundez, *num.4. cit.* ex Sanchez *lib.3. cap.19. num.1.* Palaus *n.2. cit.* & omnes. Qui tamen benè notant, quod aliquando hæc nomine irritationis, remissionis, & relaxationis, seu dispensationis, apud Authores passim confundantur, & vnum pro alio vsurpetur.

QVÆSTIO V.

An, homo in cuius fauorem est præstitum iuramentum; possit nutu suo, & absque causa legitima, condonationem, seu remissionem talis iuramenti facere?

NEgandum videtur. Quia Pontifex nequit huiusmodi iuramenta, absque causa legitima relaxare: ergo minus poterit, absque illa, homo, cui præstitum est iuramentum.

Sed vt certum Resp. Posse remissionem talis iuramenti, absque legitima causa facere, vt ex dictis constat. Nec obstat (inquit Sanchez) hinc subinferri maiorē esse Pontificiā potestatem: quia id non consurgit ex potestatis Pontificiæ defectu: sed ex eo quod Pontifex tantum relaxat iuramenta, vt vicarius, & œconomus Dei, & ita cùm non tanquam Dominus materiæ promissæ relaxet, indiget iusta causa, vt legitimè munus suum obiens relaxet. At homo, cui iuramentum in eius gratiam fit, remittit tanquam Dominus materiæ promissæ; & ideo nulla causa indiget. Sic omninò Sanchez *lib. 3. cap. 20. num.4.* Fagundez *num. 1. & 4.* & alij nuper citati.

QVÆSTIO VI.

An is, qui iurauit aliquid in sui commodum; possit sibi ipsi condonare, & remittere iuramentum?

AFfirmant multi Doctores: eo quod iuramentum non fit alteri homini, nec intuitu Dei, sed absolutè in proprium commodum, tunc ipse iuraus potest cedere suo iuri, seu commoditati: ergo, & sibi remittere obligationem iuramenti sicut potest per tertium remitti, quando in illius fauorem

factum

factum est. Ita sentiunt apud Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 13. n. 6.* Baldus, *cap. veniens, de iuier. n. 4.* Alex. *consil. 16. n. 6. lib. 3.* Bern. Diaz. *reg. 477.* Anton. Gomez *l. 52.* Tauri, *num. 58.* Gutierrez *de iuram. 1. p. cap. 1. num. 87.* Decius, Alciatus, Lupus, & Matienzo.

Sed longè multò probabiliùs, imò, vt mihi certum Resp. Non posse. Quia iuramentum promissorium absolutè factum in proprium commodum, vel est vanum, & de re inutili; vel est honestum, & obligat. In priori casu est nullum, & ita non habet locum condonatio, seu remissio. In posteriori, impossibile est, vt sola vi propriæ voluntatis remitti, aut (vt ita dicam) relaxari possit: tum quia futilis esset, & nullius momenti talis obligatio: Tum etiam; quia tunc obligat iuramentum ad adhibendum comitem, cum supponatur non defuisse iudicium, & iustitiam: ergo.

Nec par est ratio iuramenti facti in fauorem tertij, quia hoc includit conditionem, *si tertius voluerit*: at verò iuramentum, absolutè factum in proprium commodum non includit conditionem, *si ego voluero*, quia tale iuramentum non esset factum cum iudicio, & omnino tolleret vtilitatem eius; sed est omnino absolutum in ordine ad proprium consensum, qui iam tunc adhibetur cum promissione iurata, quæ virtute includit promissionem non mutandi illum. Sic omnino Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 39. num. 16.* Et ex illo Filliuc. *tract. 25. cap. 9. q. 7. num. 273.* Et ex vtroque, Bonacina *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 17. num. 3. vers. An verò, in 2. edit.* Sanchez *loco cit.*

QVÆSTIO VII.

An, iuramentum, quod ab aliquo homine alij præstatur, sed principaliter in honorem Dei, & in illius obsequium; & minus principaliter, propter hominem; possit tunc homo, cui iuratur, hoc iuramentum remittere?

REspondeo vt certum: Non posse. Quia ex principali intentione iurantis iudicandum est huiusmodi iuramentum non homini, sed ipsi Deo præstitum, & instar voti esse: ergo homo ille, propter quem minus principaliter fuit factum, condonare, aut remittere nequaquam potest. Sic sentiunt communiter Doctores. D. Thom. 2. 2. q. 89. *art. 9. ad 2.* D. Anton. 2. *p. tit. 10. cap. 6. §. 4.* Sotus *lib. 8. de iustitia, q. 1. art. 9. ad 2.* Azor 1. *p. lib. 11. cap. 9. q. 9.* cuius verba habes suprà *q. 2.* Sanchez *lib. 3. cap. 20. n. 5.* Fagundez *lib. 2. cap. 32. n. 9.* Filliuc. *tract. 25. cap. 9. q. 5.* Prado *tom. 2. cap. 32. de iuram. q. 7. n. 16.* & alij, hinc inferentes, quod si duo sibi inuicem iuramento ingressum Religionis promittant, vel alter tantum alteri; aut certam eleemosynam alicui pauperi propter Deum dandam, non possint hæc iuramenta sibi remittere; ob rationem datam: vnde horum relaxatio, aut dispensatio ad Ecclesiasticam potestatem solùm pertinet.

QVÆSTIO VIII.

An, quando duo inuicem sibi iuramento promittunt, se amplius non furaturos; se audituros sacrum festis, se non lusuros, &c. possint sibi adinuicem obligationem remittere?

NEgant communiter Doctores: eo quod horum iuramentorũ principalis scopus, & finis est honor Dei, & eius obsequium, & ideo censendum est, non homini, sed Deo esse præstita, & ideo ab homine non posse condonari. Sic Sanchez *loco cit. n. 5.* Azor, Tabiena, Angelus, Abulens. Driedo, & alij plures apud ipsum.

Sed clarius Respondet Fagundez loco citato, *n. 10.* dicendo, in his casibus interrogandos esse iurantes de sua intentione, an scilicet, hæc iuramenta fecerint ex præcipua intentione ob Dei honorem, an verò ad mutuã gratiam præstandam. Si respondeant primum; benè dicunt relati Doctores, non posse illos sibi inuicem hæc iuramenta remittere. Si secundum respondeant, tunc dicendum est, posse illos sibi talia iuramenta remittere. Sic ille, & benè. Sed non contra mentem Authorum primæ sententiæ, cum ipsi supponant dum affirmatiuè respondent, præcipuam intentionem iurantium fuisse habere pro scopo honorem Dei, & constat ex doctrina, quam ipsemet Sanchez docet, *n. 6.* quam non vidit Fagundez.

QVÆSTIO IX.

An deinde si duo sibi adinuicem iurent, se recitaturos duo Psalteria, aut Rosaria, alter pro altero, possint sibi adinuicem eam obligationem remittere.

NEgat Sylvest. *v. iuramentum 5. q. 9.* cum Ioan. Andrea *cap. 2. de sponsalib.* & Ioan. Ling. *in Clem. 1. de vsuris.* Negat deinde Angel. *iuramentum 6. n. 2.* existimantes, in hoc casu, non posse sibi inuicem remittere aut relaxare, vt loquitur Sylvest. iuramenta, eo quod concernant cultum Dei.

Affirmant è contrà alij, docentes, posse. Quia illa iuramenta facta sunt in vtilitatem mutuam. Ita Filliuc. *tract. 25. cap. 9. q. 6. n. 268. & n. 269.* vbi hæc dicit verba: Nec refert, quod vtilitas sit spiritualis; vt si duo iurent dicere Psalterium pro inuicem; quia huic etiam homo potest cedere; & opus promissum est homini, non Deo; quidquid contra Sylvestr. *iuram. 6. q. 9.* Filliucius ex Suario (quem non citat) *lib. 2. de iuram. cap. 39. num. 7.*

Sed ego clariùs sub distinctione cum Sanchez Resp. dicendum. Quod si intentio, & finis principalis iurantium fuit, recitare amplius quotidie, vel vna tantum vice, quamuis eæ orationes pro altero offerentur, non poterit alter obligationem illas recitandi remittere absolutè, sed tantum, ne pro se offerantur: quia prius honorem, & cultum Dei respexit, posterius autem vtilitatem huius. Si vero præcipua intentio, & finis fuit, id beneficium mutuò in se ipsos conferre; tunc poterit vterque mutuò sibi dictam obligationem remittere, aut alter solus alteri. In dubio autem intentionis, & finis, censendum est, hanc posteriorem esse, & ita locum esse partis remissioni.

Quia

Quia frequentissima sic promittentium intentio hæc est. Sic ille *lib.3. cap.20. num. 5. fine*, & ex illo Fagundez *lib.2. cap.33. num. 11.*

QVÆSTIO X.

An quando iuramentum principaliter in Dei honorem fit, sed tota res promissa cedit in fauorem partis; possit pars illa id iuramentum remittere?

NEgant plures Doctores. *Primò* ex doctrina D.Thomæ 2.2.*q.*89.*art.*9.*ad* 2.vbi asserit,eum, cui aliquid promittitur intuitu pietatis, id non posse remittere: eo quod hoc iuramentum voto æquiualeat.

Secundò, quia tale iuramentum soli Deo præstatur, cuius iuri alter renunciare nequit: ergo si quis (inquiunt) iuret ad Dei honorem huic pauperi dare eleemosynam;vel eius filiã dotare,aut eã ducere;nequaquã poterit ille pauper, vel illa fœmina obligationẽ talis iuramenti remittere. Ita sentire videntur Vincentius cum Ioan. Andrea *in cap.2. de sponsal. n.7.&* 8.& Anchar. ibid.*n.5.*& expresè id tenent Anton. ibi *n.9.* vbi Abbas in fine. Alex. de Neuo *n.*28. Card.*in cap. De illis,el.*1. *de desponsal. impuber.n.*2.Rossella *v.sponsalia,n.*8.vbi Angelus, *n.*20. Sylvest.*q.*10.*casu* 1.Alex.Carrerius *lib.*1.*de sponsal. cap.*5. Sotus *lib.*8.*de iust.q.*1. *art.*9.*ad* 2.*&* Azor. *tom.*1.*lib.*11.*cap.*9.*q.*11.Quos omnes pro hac parte citat Sanchez *libro* 1.*de matrim. disp.*52.*num.*7.& *lib.*3.*Decal. cap.*20.*n.*7.

Sed multò probabiliùs Resp. posse partem,iuramentum Deo præstitum remittere. Quia, quamuis sit Deo præstitum, ipse Deus illud recipit in partis vtilitatem: ergo pars, cui debetur, remittete potest, sicut alia debita condonare. Deinde huiusmodi iuramentum habet hanc tacitam conditionem,nempe, dummodo velit promissum acceptare is de cuius commodo agitur. Non enim intendit promittens inuitum ad acceptandum cogere, vel nolenti obtrudere: ergo si ille nolit, vel condonet, non manet obligatus;cessat enim conditio,sub qua obligatio inducta est.Sic Nauarr.*cap.*22.*n.*25.Henriquez *lib.*11. *cap.*14.*n.*6.Viuald.in suo *Candelab.*1.*p.de Sponsal. cap.*5. *n.*5. Ludou. Lopez 2.*p. instruct. de matrim. cap.* 38. & alij plures, quos refert, & sequitur Sanchez,vbi suprà.Quibus addi possunt Fagundez *lib.*2. *cap.*32.*num.*13. Candidus *disp.*3. *de iuram.punct.*2. *n.*3. dicens, id esse sibi certum. Pradus *tom.*2. *de iust.cap.*32. *de iuram. q.*7. §.3.*n.*18.

Qui omnes addunt, quod casu, quo iurans dare eleemosynam, non determinaret pauperem; tunc nullus esset, qui posset obligationem iuramenti remittere. Ratio est, quia illud iuramentum est Deo factum, & inducit rationem voti. Nec res promissa cedit in gratiam huius pauperis determinati, sed huius, vel illius: ergo nullus est in particulari, qui possit remittere. Legatur Sanchez *n.*8. & Palaus *loco cit.* & Fagundez *num.*15.

QVÆSTIO XI.

An,si quis Mariæ filiæ Petri centum aureos in dotem sub iuramento promittat; intuitu, & causa Petri sui patris; tunc possit vtérque, tam, videlicet, pater, quod filia remissionem iuramenti facere?

NEgandum esse ex doctrina Soti,& Azoris, his verbis docet Fagundez: Nam licèt ex doctrina Soti *lib.*8. *de iust.q.*1.*art.*9.*ad* 2.& Azoris *tom.*1. *institut.moral.lib.*11.*cap.*9.*q.*11. colligatur, ad patrem solum pertinere remissionem huius iuramenti, qui independenter à filia, & sine consensu illius, imò, & repugnante illa, solus potest obligationem huius voti (lege,*iuramenti*) remittere,quatenus asserunt, ad solum illum pertinere directè remissionem iuramenti promissorij ad quem, & propter quem, directè facta est promissio. Vnde cum hæc promissio directè facta sit patri, & propter patrem, & non filiæ, nec propter filiam, indè sequitur euidenter, quod solus pater independenter à filia possit obligationem illius remittere. Nec obstat,quod promissio illa in executione facta fuerit filiæ, & fortè insciente patre: sufficit enim, quod ex intentione promittentis promissio facta fuerit patri, vt simpliciter dicamus, directè factam fuisse patri.

Nihilominus, addit Fagundez, mihi videtur, posse etiam filiam illius obligationem remittere, & condonare sine consensu patris, imo repugnante patre, non quidem directè, sed indirectè, idest, dummodo id faciat sine præiudico patris, quod tunc continget, quando illa nubere noluerit, aut quando voluerit, sed cum ea conditione, vt nihil pater ei promittat in dotem, præter id, quod tantum, seclusa ea promissione, ex legitima habere poterat; aut quando inuenerit sponsum, qui eam indotatam in in vxorem accipiat: tunc enim indirectè,& per substractionem materiæ, illa poterit independenter à patre obligationem huius iuramenti remittere. Quod non negabunt Sotus, & Azor, cum illi solùm dicant, remissionem huius iuramenti ad eum solum directè pertinere ad quem, & propter quem directè facta est promissio. Huc vsque Fagundez.

Sed certè non benè pro parte negatiua citat hos Authores. Nam in primis Sotus, *loco citato*, non proponit quæstionem hanc, sicut nos cum Fagundez proposuimus:sed in hunc modum. Quia si contra arguas, sequeretur, quod si ego amico iurarem, (*non dicit, filiæ Petri*) pondus auri in dotem filiæ suæ elargiri,non posset ille mihiremittere, sicut si absolutè illud iurarem.Nam dotare virginem videtur opus eleemosynæ, ac subinde pietatis, atque adeo esse votum: hoc autem videtur durum. Respondetur quod huiusmodi promissiones sunt ancipites; & ideo videndum est, quo animo fiant. Etenim si promissio fiat homini in gratiam ipsius, humano more, iuramentum potest ab illo amico relaxari: sicut ipsa puella idem sibi præstitum iuramentum posset remittere. Si verò promissio fit intuitu pietatis, & religionis, naturam iam induit voti, quod ab homine relaxari non potest. Hæc Sotus. Qui, vt vides, solùm patri tribuit potestatem relaxandi iuramentum, sibi quia solum præstitum; non filiæ, nec directè, nec indirectè. Igitur non benè citatur à Fagundez.

Similiter nec Azorius. Quia licèt hic proponat quæstionem

quæstionem eodem modo, ac Fagundez; sed non resoluit, vt refert. Accipe Azorij verba: Vndecimò quæritur, quid sit dicendum, cum Titius iurauit, se certæ Caij filiæ dotem daturum, vt possit commodè nubere; an Caius, aut eius filia eiusmodi iusiurandum possit remittere? Sotus *lib.6.(lege tu.8.) de iust. q.1. art.9.* distinguit: Aut Titius iureiurando se deuinxit pietatis, ac religionis causa, eo quod filia Caij inopia premeretur; aut promisit gratia puellæ, vel patris. Si primo, inquit, modo iurauerit, non potest Caius, & filia iusiurandum dirimere: est enim votum Deo factum. Si secundo, potest Caius id iusiurandum dissoluere, quoniam sibi, aut filiæ est facta promissio. Hæc Azorius. Qui (si notes) solum patri tribuit facultatem tale iuramentum relaxandi; filiæ verò nec directè, nec indirectè, vt vult Fagundez.

Igitur clariùs ac distinctiùs Resp. *Primò.* In casu quæstionis propositæ optimè potest filia directè iuramentum relaxare. Quia directè illi promissio facta est. Sic sentiunt clare vt vidisti, Sotus, & Azorius. Similiter, & poterit pater si illi promissio facta fuerit. Constat vtique ex dictis.

Secundò Resp. si iuramentum dandi dotem factum fuerit Patri, & non filiæ; tunc per accidens, & indirectè poterit filia illud relaxare, nolendo nubere, aut non admittendo dotem, vt benè in hoc Fagundez, quamuis, vt propriùs loquamur iuxta dicta suprà *quæst.10.* tunc ex se cesset obligatio iuramenti, nec indigeat ab aliquo relaxari.

DISPVTATIO XVI.

De cessatione iuramenti promissorij, & voti, ob irritationem factam ab habente potestatem.

QVÆSTIO PRIMA.

An irritatio iuramenti promissorij, aut voti, sit annullatio omnimoda eorum?

RESPONDEO vt certum: quod sic. Nam irritate iuramentum, seu votum, nihil aliud est, quàm illud annullare, ita vt amplius non obliget. Sic colligitur ex S. Thoma 2.2. *q.88. art.8. & 9.* Sylvest. *votum 4. num.1.* sic dicens: irritatio est annullatio obligationis voti, ex beneplacito voluntatis: vt cùm vir dixerit vxori: Nolo quod obserues hoc, vel illud votum. Sic ille. Legantur Sanchez *lib. 3. Decal. cap.19. num.1.* Suarez *lib. 6. de voto, cap.1.* Caiet. 2.2. *q.88. art.8.* Raphaël de la Torre ibid. *art.9. disp.1.* Fagundez *lib.1. in Decal. cap.33.* Tamburin. *lib.3. cap.16. §.3.* Prado *cap.31. de voto q.13. §.2.* Palaus *disp.3. de iuram. in princip. & disp.2. de voto punct.1. n.1.* Vbi sic irritationem definit: *Est actus liber, quo is à quo votum pendet, tollit voti obligationem.*

QVÆSTIO II.

An irritatio iuramenti, aut voti, pertineat ad potestatem dominatiuam?

RESpondeo vt certum: quod sic. Vnde solus ille qui potestatem habet dominatiuam in personam promittentem, vel in materiam promissam, irritare potest iuramentum promissorium, aut votum. Ideóque hæc potestas pertinet ad patrem respectu filiorum, & deficiente patre, ad matrem, ad tutorem, & curatorem, & ad illos, qui loco parentum habentur: Item ad Dominos respectu seruorum; ad Prælatos respectu Religiosorum, & tandem ad omnes, qui aliquam potestatem super alios exercent. Sic omnes DD. Legantur citati.

QVÆSTIO III.

An duplex inueniatur irritatio, altera directa, & propria; altera impropria, & indirecta?

RESpondeo vt certum: quod sic. *Directa*, & propria dicitur, & est illa, quæ ex subiectione voluntatis, prouenit, estque actus dominatiuæ potestatis, quo irritum, & nullum redditur iuramentum, aut votum. *Indirecta* verò est illa, quæ materiam promissam respicit, impediendo illius executionem, quæ potius suspensio voti, aut iuramenti, quàm irritatio vocatur. Sic Suares *lib.6. de voto cap.1. n.4.* Sanchez *lib.4. cap.24. n.3.* Raphaël de la Torre *disp.1. cit. num.6.* Palaus *loco cit. n.2. & 3.* Prado *num.12.* Tamburin. *lib.3. cap.16. §.3. num.2.* his verbis. Ille dicitur votum irritare, qui tollit absolutè, & sine timore reuiuiscentiæ obligationem voti cuiuscumque siue futuri, siue præteriti, siue sola mente, siue etiam voce prolati: tollere autem eam solùm potest is, à quo vouens dependet. Quoniam ergo dependentia, vel est, quoad voluntatem, vt est filius, vel Religiosus, qui dependent à voluntate Patris, & Superioris; vel quoad rem promissam, vt est seruus, qui quoad bona temporalia, quando non habet, nec habiturus est peculium proprium, dependet à Domino; ideo duplex est irritatio, alia scilicet, directa, quæ est, quando à Superiore, vel Patre, tolluntur vota dependentia à sua voluntate; alia indirecta, quando tolluntur vota de rebus subiectis dominio alicuius. Sic ille, *num.1.* Et *num.2. sic:* Directa irritatio semper est actus dominatiuæ potestatis: indirecta potest esse etiam actus iurisdictionis: & ita quidem esset, si Pontifex prohiberet materiam ab aliquo promissam; prohiberet v. g. ieiunium in die Dominico, quod quis vouisset, &c. Sic ille ibi. Et hæc, vt diximus dicitur indirecta irritatio; seu potius suspensio voti, &c. sic etiam Villalob. *tom.2. tract.24. diff.17.* (non 15. vt leges apud Pradum) *num.4.* alij communiter.

QVÆSTIO IV.

An ſit neceſſarium, ad irritationem validam, vt ſuperior cognoſcat iuramentum, aut votum emiſſum, in ſpecie?

AFfirmant aliqui recentiores (vt ait Baſilius, infrà) quia neceſſarium eſt, quod is qui diſpenſat, vel commutat aliquod iuramentum ſeu votum, habeat cognitionem horum in ſpecie: ergo etiam erit neceſſum, quod talem cognitionem habeat, qui illa irritat. Ita tenet Raph. de la Torre 2.2. *q.*88. *art.*9. *diſp.*1. *n.*6.

Sed probabiliùs Reſpondeo non eſſe neceſſarium, ſuperiorem vota, aut iuramenta, quæ irritare velit, in ſpecie cognoſcere; ſed ſat eſſe, ſi dicat: *ego auferò à te quæcumque tua vota*, vel, *ego irrito quodcumque votum* (ſeu *iuramentum*) *à te emiſſum de materia mihi ſubiecta.* Sic Baſilius *lib.*10. *de matrim. cap.*17. §. 2. *num.* 22. & Tamburinus ex illo, *lib.*3. *Decal. cap.*16. §. 3. *num.*1. Qui ad argumentum contrarium, conceſſo antecedenti, negant conſequentiam. Diſparitatem aſſignant. Quia ideo diſpenſans, vel commutans debent ſpeciatim vota cognoſcere, vt cauſam diſpenſandi, vel æqualitatem commutandi perpendant; hæc autem non requiruntur in irritatione; quia ex parte irritantis non requiritur cauſa aliqua ad irritationem, vt dicemus ſtatim.

QVÆSTIO V.

An, irritatio petat ex natura ſua cauſam, vt ab omni prorſus culpa ſit libera?

AFfirmant multi Doctores, eſſe culpam venialem, irritare aliquod votum, ſeu iuramentum Deo præſtitum, abſque iuſta cauſa. Quia, qui ſine cauſa irritat aliquod votum, ſeu iuramentum Deo præſtitum abutitur poteſtate ſibi in bonum ſui ſubditi conceſſa: erga. Ita Sanchez *lib.*4. *Decal. cap.*24. *num.* 13. & penes ipſum, Sotus *lib.*7. *de iuſt. q.*3. *art.*1. *col.*4. *verſ. De vſu autem.* Medina *lib.*1. *ſum. cap.*14. §. 7. *paulò poſt initium.* Aragon 2.2. *q.*88. *art.*8. *col.*2. *verſ. ſed quoniam.* Sayrus *in Claui regia lib.* 6. *cap.*10. *num.*14. Leſſius *lib.*2. *de iuſt. cap.*40. *dubit.*10. *num.*70. Manuel *in Bulla Cruc.*§.9. *num.*104. Valentia 2.2. *diſp.*6. *q.*6. *punct.*16. *col.*1. & Conradus *in ſuis reſponſis* 1.*p.q.*298.

Sed probabiliùs Reſpondeo, non petere ex natura ſua cauſam, vt omni prorſus culpa vacet irritatio, ſed hanc, ſola ſuperioris voluntate validè, & licitè fieri poſſe. Quia ſuperior irritans vtitur iure ſuo, quod habet, ne inferiorum vota, ſeu iuramenta Deo præſtita, ſint abſque eius conſenſu firma; nec iure aliquo cogitur ea approbare; cùm nec ipſe vouerit, aut iurauerit, nec votis, aut iuramentis præſtandis conſenſum præbuerit. Sic apud Sanchez *loco cit. num.*11. tenent Nauarr. *cap.* 12. *num.*73. Suarez *tom.*5. *in* 3.*p. diſp.*4. *ſect.*2. *num.* 8. Caiet. *in ſum. verb. votum, cap. vltimo.* Rodriguez *tom.*1. *quæſt. regul. q.*25. *artic.*7. *fine.* Toledo *lib.*4. *ſum. cap.*18. *num.*9. Sà *v. votum, vbi de voti irritatione, num.* 1. Lodou. Lopez 1. *p. inſtructorij cap.* 48. *col. vltima*, Azor *tom.*1. *lib.*11. *cap.*17. *q.*1. Petr. Ledeſma *tom.*2. *ſum. tract.*10. *cap.*7. *dub.*2. Palud. Palac. Ouandus, D. Anton. Syluester, Angel. Alcozer, Angles, Viuald. Vega, Beia, Llamas, & alij. Imò & ipſe Sanchez idem tenuerat *lib.* 3. *cap.*19. *num.* 1. vt notat Fagundez, qui hanc etiam tenet ſententiam *lib.* 2. *Decal. cap.*33. *num.*1. Tamburinus *loco cit. num.*1. & 14. vbi ait; quoad praxim vtriuſque ſententiæ Doctores concordes eſſe, fatentur enim, & primi cauſam ad excuſandum à quacumque culpa eã vnã ſufficientem eſſe, quia ſcilicet grauatum ſe ſubditum voto, aut iuramento ſentiat. Cùm igitur tam modica cauſa ſit ſatis, moraliter loquendo culpa ſemper euitabitur. Sic ille; qui & citat Sanchez pro ſe *loco cit. num.*15. & 16. Et benè, & Baſilium *lib.*10. *de matrim. cap.*17. *n.*22.

QVÆSTIO VI.

An, qui gaudet poteſtate irritandi vota Deo facta; poſſit & iuramenta eidem Deo præſtita irritare?

NEgat Valentia 2.2. *diſp.*6. *q.*7. *punct.*4. *col.*5. verſ. *Quantum eſt.*

Sed probabiliùs longè Reſpondeo dicendum, quod omnes, qui gaudent poteſtate irritandi vota Deo facta, gaudeant etiam poteſtate iuramenta de eiſdem rebus Deo præſtita irritare. Ratio eſt, quia, vt ſuprà eſt habitum, huiuſmodi iuramenta induunt voti rationem: ergo qui gaudet poteſtate irritandi votum, gaudebit vtique irritandi, & iuramentum, Sic Sanchez *lib.*3. *cap.*19. *num.*2. & penes ipſum, D. Thom. 2.2. *q.*89. *art.*9. *ad* 3. & ibi Caiet. Sotus, & Aragon. Azor, Alcozer, Sà, Toledo, & alij Fagundez *loco cit. num.* 4. Palao *diſp.* 3. *de iuram. punct.* 1. *num.* 1. Leſſius *lib.*2. *cap.* 42. *dubit.* 12. *num.* 6. Prado *q.* 13. §. 2. *num.* 23. & alij, quos in ſimili citauimus 1.*p. tract.*5. *diſp.*14. *quæſt.*100. & *ſequent.*

QVÆSTIO VII.

An poteſtas irritandi vota, aut iuramenta Deo præſtita, ortum habeat ex iure poſitiuo, ſeu Pontificio?

AFfirmant plures Doctores: eo quod nullo pacto, ex natura rei poteſt hæc poteſtas probari, præcipuè loquendo reſpectu Religioſorum, quorum ſolemnia vota ex iure poſitiuo ſtatum religioſum conſtituunt, & ſolo iure Eccleſiaſtico irritum redditur, quod contra vota fit. Ita tenent loquendo de Religioſis, & filiisfamilias, Vaſquez 1.2. *q.*96. *art.* 4. *diſp.* 165. *cap.* 4. *num.* 29. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 10. *num.* 74. & Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.*24. *num.* 32. quos citat, & ſequitur Caſtro Palaus *diſp.*2. *de vtro, punct.*1. *num.*4. Quibus addi poſſunt Bart. à S. Fauſto *lib.*2. *q.*19. Bonacina *diſp.*4. *q.*2. *punct.*7. §.2. *n.*26. Lezana *tom.*4. *verb. votum pro regularib. n.*7.

Sed non minùs probabiliter, ſed potius magis, Reſpondeo hanc poteſtatem ortum habere à iure naturali & diuino. Quia filius naturaliter ſubditur patri, vxor viro, ſeruus Domino, & Religioſus Prælato: atqui hæc ſubiectio eſt radix huius poteſtatis: ergo à iure naturali prouenit hæc poteſtas. Sic Sotus *lib.*7. *de iuſt. q.*3. *art.*1. *col.*3. *verſ. Haud ergo*, & verſ. *Sciſcitaris autem.* Aragon 2.2. *q.*88. *art.*8. *col.*7. *verſ. Tertiò eſt aduertendum.* Ouandus *in* 4. *diſt.*38.

dist. 38. *disp. vnica, propos.* 22. Sayrus *in Claui Reg. lib.6. cap.* 10. *n.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 3. Petr. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 7. *dub.* 2. *in dicto* 3. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 6. *n.* 2. *&* 3. *&* *cap.* 7. *a num.* 3. Salas 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 25. *n.* 262. Vega *tom.* 2. *sum. cap.* 129. *casu* 88. Conradus *in responsis* 1. *p. q.* 297. *&* Rodrig. *tom.* 2. *sum. cap.* 89. *n.* 1. *&* *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 25. *art.* 5. & Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 3. *vers. Ad primum dicitur* : quos omnes pro hac parte adducit Sanchez *loco cit. n.* 29. Quibus addi possunt Raph. de la Torre *loco cit. disp.* 2. *n.* 4. *&* *disp.* 4. *num.* 5. Basil. de Leon. *lib.* 7. *de matrim. cap.* 5. *n.* 19. Geron. Garcia *tomo* 2. *tract.* 10. *diff.* 6. *dub.* 7. *pun.* 2. *n.* 15. (licèt dubitet *n.* 20.) Trullench. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 1. Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *de voto q.* 13. §. 2. *n.* 15. Pellizarius *tom.* 1. *Regul. tract.* 3. *cap.* 4. *q.* 21. *num.* 61. Peyrinus *tom.* 2. *vbi de Prælato quæst.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. Miranda *tom.* 2. *q.* 32. *art.* 4. *concl.* 6. Basseus *tom.* 2. *votum* 2. *n.* 1. Ascanius *tom.* 2. *disp.* 18. *quæst.* 4. *n.* 8.

---

§. II.

De potestate, quam habet Pontifex ad irritanda vota, & iuramenta Christianorum omnium.

QVÆSTIO VIII.

An summus Pontifex possit directè irritare vota omnium Christianorum?

AFfirmant aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 2. *n.* 2. Quorum fundamentum est: quia Pontifex habet supremam potestatem in terris, & illis sine limitatione dictum est in Petro *Matt.* 16. *Quodcumque ligaueris, & quodcumque solueris, &c.* Ergo etiam illi data est potestas irritandi omnia vota. Ita apud Suar. Glossa *in cap. Quemadmodum, de iureiurand. verb. conditio,* & apud Castro Palaum, Metina *de Sacror. hominum continentia, lib.* 5. *cap.* 54. *fine.* & Llamas *in methodo curationis cap.* 4. §. 41. (sic lege, non vt inueni apud ipsum Palaum, *Namas* 3. *p. cap.* 44.) in principio, vbi sic ait: Quoad primum sciendum est, summum Pontificem cum rationabili causa, omnia vota irritare, commutare, & in omnibus dispensare, &c. Sic ibi: & in fine, sic: Potest & summus Pontifex irritare quæcumque vota, quæ potest pater, & tutor, & Prælatus, & Dominus, cum sit omnium Pater, Prælatus, atque Dominus: & sic omnis vouens, si non actualiter, tamen omnis virtualiter reseruat sui Superioris, Prælati, Patris, vel Tutoris, vel Domini voluntatem in his, in quibus ille subiectus est, quando votum simplex emittit: nam quando solemne, cum debitis ab Ecclesia declaratis circunstantiis, & solemnitatibus, facit, solum omnipotentis Dei reseruat voluntatem. Hæc Hieronymus Llamas. Ita etiam tenet nouissimè Acacius March. *tom.* 2. *verb. voto, Resol.* 449. *num.* 1.

Sed vt quid certum Respondeo non posse Pontificem directè omnium Christianorum vota irritare. Quia certum est, talem potestatem dominationis non esse Pontifici à Christo Domino datam, sed tantum potestatem supremæ iurisdictionis ad gubernandam Ecclesiam: quia illa potestas nec necessaria, nec conueniens erat ad regimen Ecclesiæ, cum alia supremæ iurisdictionis ad id sufficiat; per hanc enim potest Pontifex, iusta interueniente causa, Christianos ab obligatione voti per dispensationem eximere, aut illorum executionem per potestatem præceptiuam impedire.

Nec est verum quod ait Hieronym. Llamas; nam vt benè Suarez, ex vi potestatis iurisdictionis Pontificiæ factum non est, vt omnes voluntates Christianorum, ita sint dependentes à voluntate Papæ, vt non possint obligari firmiter, & absolutè Deo, nisi dependenter à consensu Papæ; vnde enim fingi potest talis dependentia? Aliàs etiam homo homini obligari non posset, nisi sub conditione inclusa, *si Papæ placuerit*: & sic nec ipsum Matrimonium, nec Professio Religiosa firma esset, si Papa vellet illam irritare, quæ sunt absurda. Sic ille *lib.* 6. *de voto cap.* 2. *n.* 3. Et antea D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. & ibi Caiet. *dub.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 4. Nauar. *cap.* 12. *n.* 76. (non 79. vt legi apud Palaum) Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 13. *n.* 81. dicens, oppositum improbabile Sanchez *lib.* 4. *cap.* 24. *n.* 18. (Qui etiam citat Llamas in *cap.* 44. sed male) Palaus *disp.* 2. *pun.* 2. *n.* 2. & alij. Qui omnes conueniunt, ob rationem dictam, nullum votum sæcularium, seu laïcorum posse Pontificem directè irritare. Benè tamen indirectè, impediendo executionem votorum, per potestatem præceptiuam. Aduerte hic, quod Sanchez *loco cit. n.* 17. in fine, dicit, quod Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 86. affirmat, sententiam Hieronymi Llamas esse parum probabilem, & ita videatur censere non nihil probabilitatis habere. Sed certè *in* 2. *editione* loco à nobis citato, absolutè dicit, sententiam dictam non esse probabilem. Legatur.

QVÆSTIO IX.

An saltem possit Pontifex vota Clericorum (etiam Episcoporum) sæcularium, directè irritare?

AFfirmabunt à fortiori Authores primæ sententiæ relatæ quæst. antecedenti.

Sed etiam vt certum Respondeo nec posse regulariter loquendo. Quia neque in Clericos sæculares habet Pontifex potestatem dominatiuam: ergo directè non valebit eorum vota irritare. Benè tamen ex parte materiæ & indirectè. Sic Authores citati, præcipuè Suarez *num.* 4. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 76. Azor. *loco cit.* Sayrus *lib.* 6. *Clauis Reg. cap.* 10. *dub.* 8. *num.* 17. Sanchez *num.* 19. Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *de voto. q.* 13. §. 2. *numer.* 28. & alij, quos citat, & sequitur Ascanius Tamburin. de iure Abbatum, *tom.* 2. *disp.* 18. *q.* 4. *num.* 9.

QVÆSTIO X.

An ad minus, in casu, quo Clericus sæcularis voueat aliquid pertinens ad res Ecclesiasticas, tunc possit Pontifex tale votum directè irritare?

REspondeo tunc, posse. Quia tacita conditione videtur emissum tale votum, *si Romano Pontifici placuerit.* Sic Sayrus *loco cit.* his verbis: Dixi *regulariter*, quia si Clericus aliquid vouerit quod ad gubernationem Ecclesiarum, beneficiorum, & rerum Ecclesiasticarum pertineat, putà, de beneficio renunciando, alienando, aut augendo numero Canonicorum alicuius Ecclesiæ, aut alia vota similia de rebus Ecclesiasticis fecerit, poterit ea Summus Pontifex irritare, eo quod facta videntur, tacita conditione, *si summo Pontifici placuerint*, aut quia in rebus Ecclesiasticis, ex multorum sententia, Papa plenum dominium habet; & ideo tanquam potestati eius præiudicantia irritari ab eo possint. Sic ille. Suarez *num.* 7. Sanchez *num.* 19. Azor, & Lessius *loc. cit.* Palaus *punct.* 2. *cit. n.* 3. qui tamen hanc irritationem indirectam ratione materiæ appellat.

QVÆSTIO XI.

An Episcopi, & alij inferiores Prælati possint directè irritare vota, aut iuramenta suorum subditorum?

AFfirmat Acacius March. *tom.* 2. *verb. voto, resol.* 449. *num.* 1. Sed Respondeo vt certum: Non posse. Constat ex dictis. Quia Episcopi solam potestatem iurisdictionis spiritualis habent, erga suos subditos: ergo siue Clerici, siue laici sint, eorum vota solum commutare, vel dispensare, non autem irritare possunt, & minus multo poterunt Reges, & alij Principes temporales. Sic omnes. Sayrus *loco cit.* Suarez *num.* 5. Ascanius, *num.* 9. Palaus *num.* 2. his verbis: Hinc à fortiori constat, non posse alios inferiores Prælatos, & multò minus Reges, & Principes temporales, vota suorum subditorum directè irritare. Quia minore potestate in suos subditos gaudent, quam Pontifex. Sic ille & omnes, legatur Sanchez *num.* 21. vbi excipit vota Clericorum vergẽtium in Ecclesiæ detrimentum, vt si Parochus voueat longam peregrinatiorem, tunc enim benè poterit Episcopus tale votum irritare, aut suspendere.

QVÆSTIO XII.

An possit summus Pontifex omnia vota simplicia Religiosorum, & Monialium directè irritare?

REspondeo vt certum: Posse. Quia certum est, quod Religiosi subduntur Pontifici, non sola ratione, qua cæteri fideles; sed etiam ex vi voti obedientiæ; eo quod, cum sit supremus omnium Religionum Prælatus generalis, ipsi emittunt in professione votum obedientiæ; & ideo non solum spiritualem, sed etiam dominatiuam potestatem in illos habet, sicuti alij Prælati regulares, immo, & multò melius. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. & ibi Caiet. & *q.* 88. *art.* 12. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 1. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q* 6. *pun.* 6. Suarez *lib.* 6. *de voto*, *cap.* 7. *numer.* 18. Nauar. *cap.* 12. *num.* 66. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 24. *n.* 20. Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *de voto*, *q.* 13. §. 2. *num.* 29. Raph. de la Torre *q.* 88. *art.* 9. *disp.* 2. *num.* 1. & omnes, apud Basseum *tom.* 2. *votum* 2. *n.* 11. & apud Ascanium, *tom.* 2. *disp.* 18. *q.* 4. *num.* 10.

QVÆSTIO XIII.

An etiam Episcopi possint irritare directè vota Monialium sibi subditarum?

REspondeo vt certum etiam: Posse. Quia verè sunt sub eorum iurisdictione, & illis specialem obedientiam vouent. Idemque poterant olim, circa vota Religiosorum, qui immediatè erant illis subiecti, & in eorum manibus profitebantur. Sic omnes. Suarez *num.* 18. *cit.* Sanchez *numer.* 22. Prado *num.* 29.

QVÆSTIO XIV.

An, Superiores, qui possunt vota subditorum irritare; possint quoque sua; vel saltem aliis committere, vt illa irritent?

AFfirmandum videtur. Quia Superiores possunt secum dispensare in omnibus illis, in quibus possunt cum subditis; nec non committere alteri iurisdictionem, vt secum dispensent, vt diximus loquendo de dispensatione ieiunij *part.* 3. *tract.* 5. *disp.* 10. *quæst.* 34. *& sequent.* ergo & poterunt sua vota irritare, vel alteri irritanda committere.

Sed, vt certum Resp. Non posse. Ratio est: quia nemo potest votum emittere, sub conditione sui consensus, & beneplaciti; (cum hæc conditio destruat strictam voti obligationẽ) sed necessario debet emittere sub conditione beneplaciti alterius, sicuti subditi emittunt sub beneplacito suorum Superiorum, in qua conditione potestas irritandi innititur: ergo nemo potest sua vota irritare, aut aliis irritanda committere.

Nec est simile de potestate dispensandi, quia hæc non competit dispensanti, ratione alicuius conditionis inclusæ in votis, aut in aliis inferiorum actibus inclusæ, vt competit irritanti. Et quamuis dispensatio sit actus iurisdictionis, cum tamen non sit contentiosa sed voluntaria, potest in se ipsum exerceri. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 24. *n.* 60. Palaus *pun.* 2. *n.* 5. Candid. *art.* 13. *n.* 1. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 29. *n.* 4. Pradus, *num.* 30. Ascan. Tamburin. *tom.* 2. *disp.* 18. *quæst.* 1. *num.* 2. Barthol. à S. Fausto, *lib.* 2. *Thesauri Relig. q.* 26.

§. III.

De potestate quam habent Prælati Regulares ad irritanda vota, & iuramenta Deo præstita, horum subditorum?

QVÆSTIO XV.

An, non solum Prælati Superiores Regulares, vt Generales, & Prouinciales; verum etiam Conuentuales, vt Ministri, Priores, Guardiani, &c. possint irritare vota aut iuramenta suorum subditorum?

REspondeo vt certum: Omnes istos posse. Quia omnibus istis quilibet Religiosus, per votum obedientiæ, quod in Professione emittit, subiicitur. Sic omnes, vt fatetur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 33. *n.* 15. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 7. *num.* 17. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 3. *n.* 30. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 1. & alij, qui idem dicunt de visitatoribus; quia dum visitant sunt Prouincialibus superiores, & toti Prouinciæ præsunt; nisi aliàs habeant iurisdictionem ad aliquos actus limitatam. Legantur Peyrin. *tom.* 2. *tract. de Prælato, q.* 3. *cap.* 3. à S. Fausto *lib.* 2. *Thesaur. q.* 154. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. *q.* 3. Basseus *tom.* 2. *votum* 2. *num.* 11. Ascan. Tamburin. *tom.* 2. *disp.* 18. *q.* 4. *n.* 2.

QVÆSTIO XVI.

An Prælati secundarij Conuentuum, quos communiter, Superiores, Vicarios, & in Ordine Benedictino, Priores, & in Societate Iesu, Ministros, vocant; possint, in præsentia Superiorum, etiam irritare vota, aut iuramenta suorum subditorum?

AFfirmabit forsan Pasqualigus, qui *decis.* 103. concedit prædictis secundariis Prælatis iurisdictionem ordinariam, in foro pœnitentiæ, vt notauimus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 35.

Sed omninò Respondeo: Non posse irritare vota suorum Religiosorum, saltem in præsentia suorum Superiorum. Quia tunc non sunt simpliciter Prælati, sed Prælatorum adiutores ad res quasdam eis à Superioribus commissas, & ad causas determinatas, nec potestatem dominatiuam in Religiosos habent, & ideo non possunt sibi eligere Confessarium Sacerdotem quemlibet simplicem, vt diximus 2. *p loco citato.* Et ideò sic tenent Sotus *in* 4. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 33. *n.* 16. Suarez *num.* 17. *citato.* Candid. *disquis.* 25. *art.* 2. (non 3. vt legi apud Pradum) *dubit.* 5. Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 13. §. 3. *n.* 42. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 3. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *q.* 21. *num.* 65. Peyrin. *tom.* 2. *tract.* 2. *q.* 3. *cap.* 3. *numer.* 16. Basseus *tom.* 2. *votum* 2. *numero vndecimo, vers. Quartò*; & communis.

QVÆSTIO XVII.

An saltem in absentia Superioris Conuentualis, seu Localis, possint dicti secundarij Prælati, vota & iuramenta Deo præstita à suis Religiosis, irritare?

REspondeo tunc optimè posse. Quia tunc tota gubernatio Conuentus ad hos secundarios Prælatos spectat, tanquam vices proprij Prælati gerentes, & sic sunt veri Prælati, cùm plena Prælatorum vice fungantur; nisi aliàs suam iurisdictionem non restrinxerint. Ergo &c. Sic Sanchez, Suarez, Candid. Pradus, Fagundez, & Pellizzar. locis citatis. Peyrin. *n.* 16. *cit.* qui id benè limitat, vt non intelligatur de absentia breui Prælati superioris, quia tunc putat, non posse Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 3. Sayrus *in Claui Reg. lib.* 6. *cap.* 10. *numer.* 16. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 7. §. 2. *num.* 31. Vbi affirmat quod vota Religiosorum irritari possunt ab iis, qui vices Superiorum gerunt, modò hi habeant iurisdictionem generalem ad omnes causas, & negotia, nam in tali generali facultate includitur etiam facultas irritandi vota.

QVÆSTIO XVIII.

An, potestatem irritandi vota, & iuramenta Deo præstita, possit Superior alteri delegare?

NEgandum videtur. Quia Superior nequit alterum efficere dominum voluntatis sui subditi, non constituēdo illum absolutum Superiorem quando sic constituere posset: ergo nec delegare potestatem irritandi vota, cum hæc ex dominatiua potestate oriatur. Propter hoc ita tenent aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Palaus, infra.

Sed omninò Respondeo posse delegare. Quia hoc nihil aliud est, quam potestatem irritandi actus gesti, absque domini consensu, committere; quam quidem quilibet Dominus concedere potest ad rescindendam rei suæ alienationē, ipso inconsulto factam. Nec hoc est constituere absolutè dominum, sed vices suas committere ad rescindendum illum actum. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 24. *n.* 54. Qui pro hac parte citat Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 107. *verb. Abbatissæ*, dicentem, Abbatissas posse Monialium vota irritare, ex formali, vel virtuali suorum Prælatorum concessione. Sed Fagundez, qui hanc nostram sequitur opinionem, *cap.* 35. *citato num.* 4. ait, quod in editione Parisiensi non inuenerit in Lessio talia verba. Ego dico, quod in mea editione Antuerpiensi, non loco citato à Sanchez, nempe *dub.* 13. *n.* 107. §. *Abbatissæ*, sed *dub.* 18. *numer.* 133. vers. *Abbatissæ*, solùm hæc verba habet Lessius: Abbatissæ, etsi possint vota suarum Monialium irritare, non tamen possunt propriè in illis dispensare: quia iurisdictione spiritali carent. Hæc, & non amplius, Lessius. Tenent etiam nostram sententiam Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 7. *n.* 17. Candid. *disquis.* 25. *art.* 2. *dub.* 8. Ascanius *tom.* 2. *disp.* 18. *q.* 11. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 7. §. 2. *n.* 31. *vers. Ex quo licet*

cet inferre. Legatur iterum Sanchez *lib. 4. cap. 33. n. 16.* Trullench. *etiam lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 29. num. 4.* Palaus *disp. 2. de voto pun. 4. num. 11.* P. Ioann. à Sanctissimo Sacram. Carmelita *de offic. & potest. Prioris Clausr. p. 3. sect. 2. prin. 1. illat. 5.*

QVÆSTIO XIX.

An, Prælati secundarij, vt Vicarij, &c. possint, dum sunt præsentes Prælati Conuentuales, licitè occupare subditum, tempore quo votum, seu iuramentum, impleturus erat?

REspondeo posse; nisi aliàs, ex speciali mandato Superioris, id tempus ad voti, seu iuramenti impletionem habeat subditus destinatum. Ratio est, quia huiusmodi secundarij Prælati habent ius præcipiendi intra limites suæ domesticæ gubernationis commissos à primariis Superioribus: ergo cum ad hoc non sit necessaria potestas dominatiua, sed satis sit œconomica, poterunt id facere. Nec enim subditus potest suis votis potestati horum præiudicare; quia id esset rectæ Monasterij gubernationi aduersum. Ex quo infertur, quod aliquando per accidens id votum, aut iuramentum non obligabit, quia erat illi tempori adnexum. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 33. n. 16. citato.* Fagundez *ex illo, n. 5.*

QVÆSTIO XX.

An hæc potestas irritandi vota, aut iuramenta Deo præstita, possit reseruari à Prælato Superiori, (v. g. à Prouinciali) inferiori Prælato, nempe, Conuentuali?

REspondeo vt certum: Posse. Quia quamuis omnibus primariis Religionis Prælatis, hæc potestas irritandi vota, & iuramenta conueniat; at id est cum quadam subordinatione. Et ideo potest Superior Prælatus reseruare Prælato inferiori aliquam irritationem talis, vel talis voti, sicuti potest alia circa regimen, & absolutionem reseruatorum. Sic Suarez *lib. 6. de voto, cap. 7. num. 17.* Sanchez ex illo *loco cit. num. 17.* & Fagundez *n. 6.*

QVÆSTIO XXI.

An, Abbatissæ, aut Priorissæ, possint irritare omnia suarum Monialium vota, quæ possunt Prælati, circa suos Religiosos, irritare?

NEgant aliqui Doctores; eo quod existiment, quod satis sit, eam potestatem esse apud Prælatos Monasterij, ad quos gubernatio prædicti Monasterij spectat. Ita sentit Azor, dum ait, posse dictas Abbatissas, seu Priorissas, ea solummodo irritare vota suarum Monialium, quæ religiosæ familiæ gubernationi sunt incommoda; non alia. Ita ille *p. 1. lib. 11. cap. 17. q. 3. ad finem.* Quem citat, & sequitur Palaus *disp. 2. de voto pun. 8. n. 7. fine.* Et Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 89. num. 9.* ait, Abbatissam posse irritare vota emissa à Monialibus de operibus supererogationis, & liberis, & ita videtur concedere eis limitatiorem potestatem, quàm Prælatis Religionum, qui possunt etiam vota de rebus præceptis irritare, vt infra. Et tandem alij absolutè negant id posse Abbatissas, propter argumentum nuper factum, vt refert Raph. de la Torre, vbi infra.

Sed probabiliùs Respondeo: Abbatissas, seu Priorissas, posse irritare Monialium omnia vota, quæ possunt Prælati, circa suos Regiosos. Quia Moniales, non solùm Prælatis, sed ipsismet Abbatiscis, seu Priorissis emittunt obedientiæ votum, sicut Religiosi suis Prælatis: ergo omnia illarum vota includunt hanc tacitam conditionem pendentem ex earum consensu; *nisi mea Abbatissa contradixerit.* Deinde, quia Abbatissæ, seu Priorissæ non habent minorem potestatem in actus Monialium, quàm Mater tutrix in actus filiorum impuberum (vt concedit ipsemet Rodriguez, *loco cit.* loquendo de Patre respectu filiorum:) sed Matres tutrices possunt irritare omnia vota filiorum impeberum, vt infra dicemus: ergo & illæ. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 33. n. 19.* & penes illum, Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tract. 10. cap. 7. ad finem.* Ouandus *in 4. dist. 38. disp. vnica, propos. 19.* Alcozer. *in sum. cap. 16.* Angles *2. p. q. vnica de voto, art. 7. diff. 7.* Rodrig. *qq. regul. tom. 1. q. 25. art. 7.* Viuald. *3. p. Candel. cap. 14. n. 98.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 107. vers. Abbatissæ* (sed in impressione Antuerpiensi id habet *dub. 18. num. 133.* vt vidimus supra *q. 18.*) Suarez *lib. 6. de voto cap. 7. num. vltimo.* Sayrus *in Claui Reg. lib. 6. cap. 10. num. 7.* vers. *Hinc est.* & *num. 13. in fine*, & Vasquez *1. 2. q. 96. art. 4. disp. 165. cap. 4. n. 29.* His addi possunt, Candidus *disquis. 25. art. 2.* (non 3. vt sæpius citat Pradus) *dubitatione 4.* Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 9. disp. 2. n. 6.* qui id latè probat, & respondet rationi factæ à contrariis. Tamburinus *de iure Abbatissarum disp. 32. q. 6.* Hieronym. Garcia, *tom. 2. tract. 10. diff. 6. dub. 7. pun. 2. n. 20.* Pradus *cap. 31. de voto, q. 13. §. 2. n. 44.* Tamburin. Iesuita, *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. num. 31.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 35. n. 8.* Pellizzar. *tom. 2. Man. Religios. tract. 3. cap. 4. q. 21. n. 64.* Filliuc. *tract. 26. cap. 8. q. 9. n. 243. dicto 4. in fine.* Bonac. *disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. num. 26. vers. Addo quarto.* Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 32. num. 3.* Barbosa *de iure Eccles. lib. 1. cap. 45. n. 38. & 40.* Lezana *tom. 1. sum. cap. 26. n. 15.* Basseus *tom. 2. votum. 2. n. 11.* Miranda *tract. de Monialib. q. 6. art. 4. concl. 3.* Portel *in addit. ad dub. Regul. verb. Abbatissa n. 3.* Imò, & citari potest Azor. *1. p. lib. 13. cap. 10. q. 7. in fine.* & Machado *tom. 2. lib. 5. par. 3. tract. 4. docum. 5.* Ex quo constat à fortiori posse Abbatissas, ex delegata potestate, aut ex formali, vel virtuali suorum Prælatorum concessione, vota suarum Monialium irritare. Legatur *q. 18.*

QVÆSTIO XXII.

An Prælati Religionum possint irritare illa Religiosorum vota, & iuramenta, quæ versantur circa materiam præceptam à Deo; vt de non mentiendo; vel ab Ecclesia, vt de abstinendo à carnibus in die ieiunij?

NEgant aliqui Doctores: eo quod materia talium votorum, cum sit necessaria, & posita sub præcepto, non subduntur Prælato Regulari: ergo. Ita Caiet. 2.2.*q.* 88. *art.* 8. *dub. vltimo*, Armilla *v. votum, num.* 9. Palac. *in* 4. *dist.* 38. *disp.* 3. *col.* 22. Angles Florib. 2. *p. q. vnica de voto, art.* 7. *diff.* 2. *concl.* 3.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse. Ratio est: quia voluntas Religiosi debet esse perfectè subdita Prælato, & dependens ab ipsius voluntate in omnibus ad vitæ rectam directionem pertinentibus; ac proinde in nouis obligationibus suscipiendis. Et quamuis illa voti, aut iuramenti Deo præstiti materia, quatenus est materia præcepti, v. g. non mentiendi, non furandi, &c. non subdatur Prælato; subditur tamen, quatenus est noua voti, aut iuramenti obligatio: cum id votum, aut iuramentum emittere sit opus supererogationis, sicut orare, & abstinere, extra præcepti tempus. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 33. *n.* 7. & penes illum, D. Thom. 2.2.*q.* 88. *art.* 8. *ad* 3. *& in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *quæst. vltima ad* 3. & ibi Durand. *q.* 1. *n.* 7. Palud. *q.* 4. *art.* 2. *n.* 24. Abulens. *in cap.* 30. *Numer. q.* 65. *ad* 3. *& q.* 72. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. *dub.* 2. *col.* 5. *vers. Quartum operum.* Nauarr. *cap.* 12. *n.* 65. Metina *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 6. *fol.* 87. Aragon. 2.2.*q.* 88. *art.* 8. *dub.* 1. *concl.* 4. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 7. *n.* 7. Sayrus *in Claui Reg. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 9. appellant oppositam sententiam, falsam, (sed immerito, vt vidit ipse Sanchez) Valentia 2.2. *disp.* 6. *q.* 6. *pun.* 6. *quæstiunc.* 5. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 13. (mihi, Sancio 10.) *num.* 74. *versu altera est.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 16. *&* 17. Llamas 3. *p. Methodi cap.* 4. §. 25. Turrecr. Silues. Tabiena, Alcozer, Graffis, Ludou. Lopez, Rodrig. Philiarch. Conradus, Ouand. Petr. Ledesma, & Vega. Quibus addi possunt Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 35. *num.* 7. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *q.* 21. *n.* 61. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 8. *q.* 9. *dicto* 3. *numer.* 242. Castro Palao *disp.* 2. *de voto, punct.* 8. *numer.* 2. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 7. §. 2. *n.* 26. Azor. Tamburin. *tom.* 2. *de iure Abbat. disput.* 18. *q.* 4. *num.* 11. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 6. *concl.* 3. Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 13. §. 3. *n.* 33. Raph. de la Torre *disp.* 2. *citata, numer.* 2. Peyrinus *tom.* 2. *tract. de Prælato, quæst.* 3. *cap.* 3. *n.* 10. Molfes. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 15. *n.* 84.

QVÆSTIO XXIII.

An Superiores Religionum, etiam irritare possint vota, seu iuramenta, suorum Religiosorum, de seruandis iis, ad quæ, ex Regula tenentur?

AFfirmant Angles *concl.* 4. Caietan. & Armilla, locis quæst. antecedenti citatis, casu tamen solum, quo Superior possit dispensare in præceptis Regulæ; secus verò aliàs. Ducuntur eodem fundamento, quod, quæstione Superiori retulimus.

Sed, iuxta nostram sententiam, nuper relatam, Respondeo dicendum, in vtroque casu, ob eandem rationem, posse superiorem Religionis ea vota, & iuramenta suorum Religiosorum irritare. Quia licèt materia voti, aut iuramenti promissorij, sit extra illius potestatem, non est tamen noua illa obligatio, quæ ex tali voto, aut iuramento, in suo Religioso resultat. Sic Sanchez *loco cit. n.* 8. ex Azorio *cap.* 17. *citato, q.* 17. & Suario *cap.* 7. *cit. n.* 7. *&* 8. Sic etiam indistinctè loquentes tradunt Sotus, Aragon, & Philiarcus apud ipsum. Fagundez *cap.* 34. *num.* 11. Peyrinus *loco citato num.* 10. & alij.

QVÆSTIO XXIV.

An, Prælati possint irritare etiam vota, aut iuramenta interna suorum subditorum; vt vota faciendi tot actus amoris, fidei, &c.

NEgant aliqui Authores, quos, tacito nomine, refert Vasquez 1.2. *q.* 96. *art.* 4. *disp.* 160. *cap.* 4. *n.* 17. Et ipse videtur sentire id esse probabile, cum tantum vocet oppositum probabilius. Fundamentum eorum est. Quia Ecclesia non habet potestatem, circa actus purè internos: ergo vota purè interna, & quæ versantur circa actus purè interiores, non possunt irritari à Prælatis Religiosorum, aut ab aliis habentibus facultatem irritandi vota, aut iuramenta Deo præstita.

Sed longè multò probabilius Respondeo: Posse irritare talia vota, seu iuramenta merè interna. Quia ad totum hoc extenditur potestas Prælatorum. Et ideo, licèt Religiosus v. g. voueat, aut iuret, exercere quotidie tot actus amoris Dei, aut fidei, aut contritionis, optimè poterit Prælatus onus voti, aut iuramenti auferre, etiamsi non possit tales actus prohibere.

Ad argumentum autem contrariorum, benè respondet Candidus distinguendo antecedens: Ecclesia non habet potestatem, circa actus merè internos, quando iubet, vel prohibet aliquid, concedo antecedens: quando liberat aliquem ab aliqua obligatione, nego antecedens: & quoniam, quando Prælati irritant vota, aut iuramenta merè interna subditorum, liberant subditos ab obligatione seruandi vota, aut iuramenta, ideò ad id habent potestatem. Sic ille *disquis.* 25. *art.* 2. *dubit.* 3. *dicto* 4. Et antea Vasquez *loco citato.* Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 8. *&* 9. *& tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 8. Petr. Ledesma *tom.* 2. *summæ tract.* 10. *cap.* 7. *dub. vltimo, dicto* 1. Bañez 2.2. *q.* 11. *art.* 4. quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.*

cap.24.num.40. Quibus addi possunt Raph. de la Torre *2.2.q.88.art.9.disp.2.num.3.* Castro Palao *disp.2.de voto, punct.3.§.1.num.1.* Prado *cap.31. de voto, q.13.§.3.num.34.* Trullench. *lib.2.in Decal.cap.2.dub.29.num.3.* Peyrin. *tom.2.vbi de Prælato q.3.cap.3.* Portel. *in dub. Regul.v.votum n.32.* Basseus *tom.2.votum 2.n.2.* Ascan. Tambur. *tom. 2. disp.18.q.4.n.6.*

QVÆSTIO XXV.

An item possint Prælati, aut alij habentes potestatem irritandi vota, seu iuramenta; irritare non solum iam emissa, sed etiam in posterum emittenda?

REspondeo posse etiam. Ratio est, quia quicumque dominatiua potestate irritandi vota, seu iuramenta gaudet, potest nolle, vt vota, aut iuramenta emittenda à subdito, eique prius non communicata, nulla, & irrita sint: ergo hac posita voluntate, & declarata subdito, si hic aliqua vota emittat, aut iuramenta aliqua Deo præstet, inconsulto Superiore, irrita erunt, & inania, cum deficiat illis consensus Superioris, à quo dependet firmitas voti, aut iuramenti promissorij subditi: ergo. Sic Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 24. num. 49. & 50.* Suarez *lib.3. de voto cap. 3.n.15. & cap.6.num. 25.* Candidus *dubit. 2. cit. dicto 3.* Trullench. *num. 3. cit.* Layman. *lib. 4. sum. tract. 4. cap. 7. n. 6. concl. 3. vers. ex quo.* Palaus *disp.2.pun.3.§. 1.n.2.* Prado *loco cit. n.35.* Basseus *tom.2.votum 2.n.3.*

QVÆSTIO XXVI.

An, Religiosi possint validè, & meritoriè, vota aliqua, aut iuramenta Deo emittere ac præstare, absque suorum Superiorum licentia, & consensu?

NEgant aliqui Doctores, docentes, Monachos non posse vouere, sine sui Abbatis consensu, & ante illius consensum, votum non habere vim. *Primo* quia sic habetur in cap. *Monacho 20. q. 4.* vbi dicitur: *Monacho non licet vota vouere, sine consensu Abbatis; si autem vouerit frangendum erit. Secundò*, quia Monachus non habet propriam voluntatem, sed eam transtulit in Abbatem: ergo cum non habeat velle, aut nolle, minimè poterit, absque sui Abbatis licentia, validè vouere, aut sub iuramento aliquid promittere. Ita tenet Ricard. *in 4. dist. 38. circa quartum principale, q. 1.* Quem citat, & sequitur Angelus *v. votum 2.num.3.* Rosella *votum 2. num. 14.* Maior etiam *dist. 38. q. 4.* & nouissimè Acacius March. *tom.2. verb. voto, resol. 449.n. 2.* his verbis: Delo qual infieren algunos (los quales citan a S. Thom. *2.2. q. 88.art.8.* y a Sanchez *lib. 4. cap. 25.*) que el voto del Religioso, echo sin consentimiento del Superior, ora sea de cosa que este prohibida, ò no lo este, es *ipso iure nullo*, i de ningun valor ni necessita de irritacion, comutation, ò dispensacion. *Quia professio Religionis est eius natura, vt omnia vota antea emissa extinguat: ergo impedit alia emitti*, &c. con esto se quitan muchas dificultades, i se da de mano à muchos escrupulos. Hæc ille.

Sed probabiliùs Respondeo posse Religiosos, non solùm validè, verum etiam meritoriè, multa vouere, & Deo iuramento promittere; nempe omnia ea, quæ Regulæ, vel Superioris præcepto, aut gubernationi domesticæ illius non repugnant? Ratio est, quia vouere, aut aliquid Deo iuramento promittere, est opus consilij, & aliàs non est Religiosis prohibitum: ergo obligantur, etiam antequam Superior consentiat, aut voti, vel iuramenti conscius sit.

Ad primum argumentum Respondet Lessius, Canonem illum esse dubiæ authoritatis; non enim est alicuius Pontificis, aut Concilij, nec est S. Basilij Magni (etsi Gratianus id insinuet) quia in toto Basilio non est nomen Abbatis. Dici autem potest cum Glossa, caput illud intelligendum esse de voto abstinentiæ, quo scandalizantur cæteri. Hæc Lessius *lib. 2. cap. 40. dubit. 13. in principio n. 73.* Addo ego ex Siluestro, infra, & Armilla *verb. votum num. 9.* quod dictum cap. potius est contra eos; cum dicat, quod Monacho non liceat, sine consensu Abbatis, vouere, & si vouerit, votum frangendum erit: ergo non est ipso iure irritum, sed irritandum. Sic ille.

Ad secundum dicendum est, quod Monachus non ita transtulit suam voluntatem in Superiorem, quin in multis, quæ Superior non vetuit, sit sui arbitrij, & validè vouere possit, licèt omnia illius vota Superior queat irritare. Sic tenent Lessius, & Armilla *locis citatis.* Nauarrus *in sum. cap.12.num.67.* Palud. *in 4.dist.38.q.4.art.2.* Siluest. *v. votum 3 q.3.* Caiet. *2.2.q. 88.art.8.* Sotus *lib.7.de iust.q.3.art.1.* Quos citat, & sequitur Fagundez *lib.2.in Decal. cap. 34. num.9.* Sic etiam Sanchez *lib 4. Decal.cap.25.n.6.* Suarez *tom.2.de Relig.lib.3.de voto, cap. 5. à n. 3.* Filliuc. *tract. 26. cap. 6. n. 172.* Azor. *tom. 1.lib. 11. cap.17.q.4.* Miranda, Aragon, Portel, & alij, quos citat & sequitur Peyrinus *tom.2.vbi de Prælato q.3.cap. 3. n. 2. & 3.* Vbi oppositam sententiam valde probabilem dicit: legantur dicenda *tract. de voto, disp. 5.§.1.q.4.*

QVÆSTIO XXVII.

An vota, aut iuramenta nouitiorum, possint à Prælatis Regularibus simpliciter irritari?

NEgant absolutè communiter DD. Quia nouitij adhuc sunt sui iuris; & nemini ex voto obedientiæ subiecti: ergo eorum vota, neque à Prælatis Regularibus, immo, neque à Summo Pontifice, simpliciter irritari possunt. Sic tenent Nauarr. *cap. 12. n. 65.* Azor. *tom.1. lib. 11. cap. 17. q. 20. & 21.* Ludou. Lopez *1.p.instruct.cap. 48.col.2.* Sayrus *in Claui Reg.lib.6.cap.10. n.15.* Lessius *lib. 2. cap. 40.* dub. (apud Sanchez) *10. num. 77.* apud me verò, *in edit. Antuerp. dub. 13. num. 80.* Rodrig. *tom.2.sum.cap. 89. n. vltimo: & tom. 2. qq. Regul. q. 25.art.8.* Llamas *par.3. method. cap. 4.§. 42.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 7. numer. 11.* Quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. cap. 33. n. 28.* Quibus addi possunt Bonac. *disp. 4. quæst. 2. pun. 7. §.2. n.52.* Layman. *lib. 4. tract. 4. pun.7. numer. 9.* Palaus *disp. 2. de voto pun. 8. numer. 10.* Fagundez *lib.2.cap.36.n.1.* Prado *tom.2.cap. 31. de*

voto

voto, q.3.§.3. num.45. Candidus *disquis. 25. art.2. dubit.6.* Tamburin. *lib.3. cap.16. §.3.num.33.* Bordon. *de Profess. Relig. cap.12. q.16. n.38.* Vechius *disp.10. dub.6. num.1.* Ascanius Tamburin. *tom.2. disp.18. q.10. num.1.*

Alij tamen è contra, ex parte, Respondent; non posse quidem Prælatos Regulares vota Nouitiorum irritare, si in sæculo emissa sint; aut si in nouitiatu, vt post exitum à Religione, implerentur. Secus inquiunt, si in nouitiatu facta sint ab eis, vt tunc impleantur. Ratio primæ partis huius responsi est, quia Superior nihil iuris, aut potestatis habet in vota facta à Nouitio ante ingressum Religionis, aut in nouitiatu, vt impleantur extra Religionem: secus inquiunt, in alia vota facta in nouitiatu vt tunc ibi impleantur: quia Nouitius, cum probatur, Religionis Præfecto subiicitur. Sic sentiunt quidam, quos tacito nomine refert. Azor *loco cit.*

Sed certè omnino cum Authoribus primæ sententiæ Resp. dicendum, vota nouitiorum in vniuersum, minimè posse irritari à Superiore, quia in ea nullum ius Superior habet; cum eorum voluntas nondum à superioris voluntate pendeat, sicut illa Professorum, in qua dependentia fundatur directa potestas irritandi vota, vt suprà est habitum.

QVÆSTIO XXVIII.

An, Superiores Societatis Iesu, possint irritare vota, aut iuramenta Deo facta, suorum Religiosorum, qui sola vota simplicia biennij emiserunt?

NEgandum ex dictis videtur. Nam ius irritandi vota est potestatis dominatiuæ, ex sola professione consurgentis: at hæc non interuenit in præsenti casu: ergo.

Sed tanquam certum Resp. Posse. Quia qui dicta biennij vota emittunt, desinunt esse Nouitij, & per eorum emissionem fiunt veri Religiosi, sequè cum omnibus suis actibus tradunt Societati, ita vt Societas in eos acquirat verum ius, sintque, quoad omnes suas operationes, ipsi subiecti, non aliter quàm Professi, vt decidit Gregor. XIII. (*non XV.* vt legi apud Pellizzar.) in Bulla incipiente. *Ascendente Domino*, atqui ex hac subiectione oritur potestas irritandi vota, sicuti oritur ex professione: ergo. Sic habet vsus totius Societatis Iesu, vt fatetur Sanchez *lib.4. cap.33.* Quem vt filij selectissimi sequuntur ipse, & Suarez *lib.6. de voto, cap.7.n.10.* Pellizzar. etiam *tom.1. tract.3.cap.4. q.21.num.65. vers. At potest dubitari.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.32. num.10.*

QVÆSTIO XXIX.

An saltem possit Superior vota Nouitij irritare, casu, quo dum illa emittit hanc conditionem apponat; si Superior approbauerit votum, vel consenserit?

REspondeo vt certum: tunc posse Superiorem tale votum irritare, per substractionem conditionis à vouente appositæ, siue obsit, siue non obsit exercitiis probationis. Sic Suarez *lib. 6. cap. 6. num. 12.* Sanchez *cap.33. citato n. 28.* qui dicit id esse generale in omnibus votis habentibus similem conditionem. Fagundez *lib.2.cap.36.n.3.*

QVÆSTIO XXX.

An Prælati Religionum, si non irritare, saltem suspendere possint Nouitiorum vota, & iuramenta personalia Deo præstita, pro tempore nouitiatus.

AFfirmabunt à fortiori Doctores illi, qui dicunt absolutè Nouitium excusari tempore nouitiatus à votis personalibus implendis, & ita pro tunc suspensa esse ipso iure; secus de votis realibus. Ita Paludanus, *in 4.dist.38.q.4 art.3.concl.3.n.33.* D. Anton. *2.p.tit.11. cap.28. §.8. not ab. 2.* Sylvest. *vers. votum 4. q.7. dicto 3.* & Ludou. Lopez *1.p.instructor. cap.48. col.2. vers. materia voti.*

Negat contrà Suarez (apud Sanchez) *lib.6.cap.7. n 12.* putans non esse suspensa ipso iure: sed posse suspendi à Prælato.

Sed distinctiùs Resp. dicendum primò. Vota personalia impedientia executionem exercitiorum nouitiatus, verè sunt suspensa ipso iure, & quasi sopita, & sic non obligant Nouitium dum manet in Religione. Ratio est, quia votum nunquam potest maiori bono obstare: atqui obstaret, si Nouitius impleret illud, cùm multo melius sit pro tunc Nouitio exequi Religionis opera, vt Religionem experiatur, ipséque satisfaciens admittatur: ergo. In hoc conueniunt Authores primæ sententiæ, quibus addi possunt Azor *tom.1. lib.11. cap.17. q.vltima*, vbi quærens, an vota, quæ aliquis ante monasticam vitam susceptam fecerat, hoc est, ante ingressum in Religionem, Abbatis auctoritate dissolui queant? sic ait: Respondeo: Dum Nouitius est, ea vota ipso iure quasi sopita esse, & ad tempus dilata, si vnà cum Religionis instituto seruari nequeunt; qualia sunt aliqua vota personalia ieiuniorum, vel peregrinationum: secus impleri debere, qualia sunt aliqua vota realia, de eleemosynis in vsus pauperum largiendis. Sic ille ibi: & Lessius, Alcozer, Sayrus, & Rodrig. quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. cap.33. num.37.* Fagundez *lib. 2. cap.36. num.12 & 7.*

Respondeo *secundò*. Prælati optimè possunt suspendere dicta vota personalia Nouitiorum impedientia executionem exercitiorum nouitiatus, qualia sunt, quæ vel opera Religionis, vel ordinem, impediunt, vel nimium aggrauant Religionis onus: aliàs non. Sic ex Lessio, & Suario, Sanchez *loco cit. num.32.* Fagundez *n.1. citato*, Candid. *disquis.25. art.2. dub.6.* Qui *dub.7.* addit, idem esse dicendum de Magistro Nouitiorum, hic namque etiam poterit suspendere vota, quæ diximus, posse Prælatum suspendere. Quia est verè eorum Superior, & ipsi specialiter, & immediatè incumbit regimen Nouitiorum. Sic ille ex Sanchez *loco cit. num. 35.* & ex Barthol. de S. Fausto *lib.2.de votor.irritat.q.179.* Sic etiam Fagundez *loco cit. n.6.*

QVÆSTIO XXXI.

An etiam vota realia Nouitiorum possint etiam à suis Prælatis suspendi pro tempore nouitiatus?

REspondeo vt certum. Quod non. Quia vota realia nullatenus obseruantiam regularem, aut nouitiatus disciplinam impediunt, aut iugum Religionis aggrauant: & ideo suspendi nequeunt à Nouitiorum Prælatis. Sic Azor, loco nuper citato, Suarez *lib. 6. de voto, cap. 7. num. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. in 2. edit. n. 80.* Sanchez *num. 36.* Fagundez *numer. 4.* Palaus *disp. 2. pun. 8. num. 10.* & alij citati.

Addit tamen Sanchez, quod quamuis id sit verum, regulariter loquendo; tamen in aliquo peculiari casu suspendi possint. Casus, inquit, erit, quando Religio, aut non ministrat Nouitiis alimenta, aut non sufficientia, & Nouitius indigeret bonis, quæ habet ad se alendum, illisque expensis in voti executione, redderetur multo onerosior Religio, deficienti necessaria sustentatione: quia tunc militat ratio tradita (quæst. antecedenti) de votis personalibus. Sic ille, & Palaus *loco citato.*

QVÆSTIO XXXII.

An, huiusmodi vota realia Nouitiorum, licèt regulariter non possint à Prælatis suspendi; possint tamen commutari ab illis, in onera nouitiatus exequenda?

REspondeo, posse commutari in onera Nouitiatus, seu Religionis, ab ipsismet Prælatis, seu Magistris Nouitiorum, imò ab ipsismet Nouitiis. Ratio est, tum, quia est commutatio in id quod euidenter est melius. Tum etiam, quia cum per talia vota realia tanquam parti non intimata, nullum ius acquisitum sit, possunt eodem modo, quo personalia, in opera personalia commutari. Sic Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 89. num. vltimo. & tom. 2. qq. Regul. q. 25. art. 8.* Alcozer. *in sum. cap. 16. concl. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 80. & dub. 16. num. 107. in 2. edit. In 1. verò dub. 10. num. 77.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 33. num. 41.* Fagundez *lib. 2. cap. 36. num. 4.* Prado *cap. 31. de voto, q. 13. §. 3. n. 45.* Palaus *num. 10. citato.* Qui benè aduertit, quod in hoc casu, ne omnia opera nouitiatus exequenda, vt voti obligatus existat, quod durum esset, & scrupulis expositum, oporteret, commutationem esse, non ita indeterminatam, & confusam, sed determinatam, & claram, in hæc, vel illa opera pœnitentiæ, & orationis: ad quæ exequenda tenebitur Nouitius ex voto, vt aduertit Fagundez *loco citato*, & antea Lessius *dub. 13. cit. n. 80.* lege Ascanium Tamburin. *tom. 2. disp. 18. q. 10.*

QVÆSTIO XXXIII.

An, vota aut iuramenta Nouitiorum, quæ pro tempore nouitiatus suspenduntur à Prælatis, vel Magistris eorum; reuiuiscant, & obligent, Nouitio è Religione egresso?

REspondeo vt certum: Quod sic. Quia re vera solùm suspenduntur pro Nouitiatus tempore. Sic Suarez *lib. 6. de voto, cap. 7. n. 12. & cap. 11. n. 8.* Ludou. Lopez *1. p. instructor. cap. 48. col. 2. vers. materia voti.* Sanchez *lib. 4. cap. 33. n. 39.* & apud eum Lessius. Fagundez *lib. 2. cap. 36. num. 8.* Qui addunt, id intelligendum esse, nisi vota, (aut iuramenta Deo præstita) ex vouentis intentione, essent adnexa tempori, & statui nouitiatus; tunc enim, eo tempore transacto, & statu relicto non obligarent vota, non eo quod irritata sint, sed quia ex natura rei desinunt, deficiente tempore, quo obligabant. Legantur Suarez *cap. 11. cit. num. 9.* (non 6. vt legi apud Fagun.) Sanchez *num. 40.* Ascan. Tamburin. *tom. 2. disp. 18. quæst. 10.*

QVÆSTIO XXXIV.

An, non solum vota, seu iuramenta Nouitiorum suspensa, verum etiam commutata; reuiuiscant Nouitio à Religione egresso?

AFfirmauit absolutè Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 93. in 1. edit. in 2. verò dub. 16. n. 107.* his verbis: Quod etiam auctoritate propria commutari possint, probatur, quia hæc commutatio fit in illud, quod manifestè est melius: Facta tamen huiusmodi commutatione, si iste egressus fuerit ante professionem, redibit obligatio prior; sicut quando fuit sopita, seu suspensa executio: quia solum facta est commutatio pro tempore Nouitiatus. Ita Lessius.

Sed clariùs Respondeo, dicendum, quod, vel commutatio facta est pro solo Nouitiatus tempore, vt communiter fit, & ita in dubio est præsumendum, & tunc vera est propositio Lessij: vel facta fuit absoluta, quod ex materia subrogata loco prioris voti constabit, nempe, quando erat talis, vt etiam in sæculo impleri commodè posset, nec mentio nouitiatus facta fuit; & tunc nulla supererit obligatio prioris voti, sed solum materiæ in quam facta est commutatio, si nondum impleta sit. Sic omnino Sanchez *cap. 33. cit. num. vltimo.* Cui consonat Fagundez *lib. 2. c. 36. n. 4. fine*, dum dicit, maximè esse aduertendum, quod cùm Nouitius possit egredi, nec possit, extra nouitiatum, vota in opera Nouitiatus commutata implere, hoc esse considerandum, vt fiat æqualitas cum re promissa vt sic, vel votum commutetur in opera, quæ eo egresso, possint impleri, vel in opera tam intensa, vt æquipolleant priori voto. Sic ille. Et Palaus *num. 10. cit. fine.* Sic ait: Nouitius religionem deserens voti prioris obligatione astringitur: quia credendum est, solum pro illo tempore commutationem fecisse. Excipe, nisi contrarium constet ex determinatione temporis & æqualitate commutationis. Sic ille.

QVÆSTIO XXXV.

An, Prælatus Regularis possit irritare vota seu iuramenta Religiosi creati Episcopi, facta tamen ab ipso, ante eius ad Episcopatum, assumptionem?

AFfirmant Sà *verb. voti irritatio, n. 5.* per hæc verba: votum impuberis de Religione potest Pater, & Tutor irritare, etiam post pubertatem, si ille in pubertate se de nouo non obligauit. Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. pun. 6.* Beia *casu* 1. 22. *Maij, anno* 81. Lopez *cap.* 48. Idemque dicendum de Prælato Religiosi facti Episcopi, scilicet, poterit similiter huius votum antea factum irritare; si iste (lege, si illud) non confirmauit Episcopus factus. Ita Sà.

Sed omninò Respondeo dicendum, quod non possit. Quia, vt supra est habitum, ad irritandum vota (seu iuramenta Deo facta) necessaria est potestas dominatiua, erga sibi subditum: atqui Religiosus, post adeptum Episcopatum, non est amplius subiectus Prælato Regulari, sed immediatè Summo Pontifici: ergo non ille, sed iste solus, poterit vota talis Episcopi relaxare. Sic Diana *part. 6. tract. 7. Resol. 26.* & penes ipsum, Castro Palaus *tom. 3. tract. 15. disp. 2. de voto, pun. 3. §. 3. n. 3.* Layman. *lib. 4. tract. 4. cap. 7. num.* 11. & Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 32. numer.* 12. Suarez *etiam lib. 6. de voto cap. 7. num.* 10. Sanchez *lib. 4. cap. 30. n. 21.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. num.* 34. his verbis. Nec Religiosi creati Episcopi: Nec dimissi perfectè in sæculum: quia sic Prælatis Regularium, iam amplius non esse subditi supponuntur. Hinc vota facta à Religioso tempore, quo Religiosus est; non possunt irritari, tempore quo exemptus fiat à talis Superioris subiectione, is enim non remanet Superior respectu illius. Non ita in Patre respectu filij; quia is remanet semper Pater. Sic ille. Prado etiam *cap. 31. de voto q. 13. §. 3. n. 46.* Legatur Trullench. *loc. cit.* Qui ex Sanchez aduertit, quod si deposita dignitate, aut cessante exemptione, ad Religionem redeant, poterit tunc Prælatus eorum vota, tempore exemptionis facta, irritare; quia recuperat potestatem dominatiuam in illos.

Aduertit item Diana, vbi supra, hanc responsionem etiam esse intelligendam quoad Eminentiss. Cardinales ex Ordine Religioso assumptos, aut aliquo priuilegio Pontificio exemptos. Quod etiam notat Trullench, & antea Sanchez.

QVÆSTIO XXXVI.

An, Prælatus valeat reuocare licentiam, quam subdito, ad emittendum votum, (vel iuramentum) dedit?

REspondeo tanquam certum: Posse Prælatum, non solum validè, sed etiam aliquando, licitè, reuocare licentiam, quam emittendi votum dedit subdito, antequam re ipsa illud emittat. Quia in hoc nulli facit iniuriam, & vtitur iure suo. Et certè sæpè potest expedire subdito, vel bono communitatis licentiam concessam reuocari. Si autem votum sit impletum, tunc, vt constat, non subest potestati Prælati, cum iam sit translatum dominium. Sic Prado *cap. 31. de voto, q. 13. §. 3. n. 47.* Et antea Sanchez *lib. 4. cap. 27. n. 1.* Qui addit, contra Ruard. & Palud. id esse verum, etiam casu quo talis licentia concessa sit priuatim, & non publicè.

QVÆSTIO XXXVII.

An, Prælatus Superior, v. g. Prouincialis, possit irritare votum (seu iuramentum) subditi, emissum de licentia Prælati inferioris, v. g. Ministri, Conuentualis?

REspondeo tanquam certum: Posse. Quia licèt dictum votum sit legitimè factum, non tamen est omnino absolutum, sed pendens à voluntate Prælati Superioris, nempe Prouincialis, & habet imbibitam conditionem; *nisi ille contradixerit.* Sic Suarez *lib. 6. de voto cap. 8. n. 3.* ex Richardo & Astensi. Sanchez *lib. 4. cap. 27. n. 5.* Rodriguez, Angles & Ouandus apud ipsum. Layman. *lib. 4. tract. 4. cap. 8. num 4.* Ascanius mox citand. Castro Palao *disp. 2. de voto pun. 3. §. 2. n. 2. vers. Si autem.* Prado, *n.* 48. Raph. de la Torre mox citandus. Filliuc. *tract. 26. cap. 8. q. 10. n. 244.* Qui addit, posse Superiorem Prælatum irritare votum factum à Prælato inferiore, quia hic respectu illius subditus est. Peyrin. *q. 3. cit. cap. 3. num* 18.

QVÆSTIO XXXVIII.

An etiam Prælatus inferior possit irritare vota, & iuramenta emissa de licentia Prælati Superioris?

REspondeo tanquam certum: Nec licitè, nec validè posse. Quia Prelatus inferior nequit gesta Superioris reuocare, cum in ipsum nullam potestatem habeat. Vnde, si Generalis dederit alicui vouendi licentiam, non potest deinde illud votum irritare Prouincialis, aut Superior localis. Si dederit Prouincialis, nec item poterit localis Superior. Sic Suarez *n.* 1. Sanchez *num.* 4. Ricard. Angles & Rodrig. apud ipsum. Palaus *num.* 2. Prado *num.* 48. *cit.* Tamburin. *lib. 3. in Decalog. cap.* 16. §. 3. *n.* 35. & Ascanius Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. disp. 18. q. 9. n. 1. & 2.* Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 9. disp. 2. n. 9.* Peyrin. *n. 18. citato.* Portel. *in addit. v. votum, n.* 39. à S. Fausto *lib. 2. thesauri q. 160. &* Filliuc. *tom. 2. tract. 26. c. 8. n. 244.* Reginald. *lib. 18. n. 324.* & omnes. Lege dicenda *disp. 17. q. 148. & 149.*

QVÆSTIO XXXIX.

An saltem, Prælatus inferior possit suspendere executionem voti vel iuramenti emissi de licentia Prælati Superioris?

REspondeo vt certum: Posse impedire, iusta interueniente causa, quo vsque consulatur Prælatus Superior. Quia hæc potestas censetur concessa Prælatis immediatis, veluti necessaria,

vt muneri ſuo ſufficienter ſatisfaciant. Sic Sanchez, Palaus, & Prado *locis citatis.* Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 30. num. 5.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 8. n. 3.* Rodriguez *in ſum. part. 2. cap. 91. n. 7.* Aſcanius *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 18. q. 9.*

QVÆSTIO XL.

An, Prælatus æqualis ſuccedens ei, qui licentiam vouendi dedit, poſſit validè, & licitè irritare votum ex licentia præcedentis emiſſum?

NEgatiuam ſententiam (nempe non poſſe licitè tale votum irritare Prælatum æqualem ſucceſſorem) eſſe probabilem ſatis indicat Sanchez *lib. 4. cap. 27. num. 35. & 36.* cum contrariam ſolùm appellet veriorem, quod benè notauit Pradus *num. 55.*

Sed multo longè probabilius, imo vt mihi certum Reſpondeo poſſe æqualem Religionis Prælatum, validè, & licitè irritare vota, cum licentia prædeceſſoris æqualis emiſſa, ac ſi illa eſſent abſque licentia emiſſa. Sit exemplum. Emiſit Religioſus aliquis votum de recitando officio paruo B. Mariæ cum licentia Prouincialis, aut Prioris, optimè poterit ſubſequens in eodem officio, nempe Prouincialis, aut Prior, illud omnino irritare, ac ſi tale votum emiſſum eſſet abſque licentia. Ratio eſt quia Prælatus ſucceſſor nunquam amittit ſuum ius. Nam cum par in parem non habeat imperium cap. *innotuit, de electione*, licentia præcedentis Superioris æqualis nequit ſuccedenti æquali præiudicare. Sic communis. Suarez *lib. 6. de voto cap. 8. num. vltimo.* Petr. Ledeſma *tom. 2. ſum. tract. 10. cap. 7. dub. vltimo, dicto 11.* Sanchez, *loco citato num. 36.* Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 9. diſp. 2. n. 8.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 30. n. 8.* Caſtro Palao *diſp. 2. pun. 3. §. 2. n. 10.* Barthol. à S. Fauſto *lib. 2. q. 36.* Prado *cap. 31. de voto q. 13. §. 3. num. 57.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. numer. 35.* Filliuc. loco citato, *num. 245.* fine. Peyrin. *loco cit. num. 18.* Aſcanius de iure Abbat. *tom. 2. diſp. 18. q. 8. n. 4.* Reginald. *lib. 18. n. 324.* verſ. *vnum eſt.*

QVÆSTIO XLI.

An, idem Superior, qui dedit licentiam ſubdito ad emiſſionem voti (aut iuramenti) & emiſſum confirmauit; poſſit nihilominus illud irritare, præcipuè ſi promiſerit, nunquam irritaturum?

NEgat Richardus in *4. diſt. 38. ar. 4. q. 3.* docens, talem Superiorem non poſſe irritare votum cū ſua licentia iam emiſſum, aut poſt emiſſum, confirmatum, eo quod tunc iam ius eſt Deo acquiſitum. Negare etiam videtur Aſtenſ. *lib. 1. ſum. tit. 20.* Quorum ſententiam eſſe probabilem indicat Palaus *§. 2. cit. n. 3.* Imò & Raph. de la Torre, & Leſſius, infra & Filliuc. id eſſe probabile, expreſſe fatetur.

Sed longè multò probabiliùs, Reſpondeo: Poſſe talem Prælatum, validè votum, ex ipſiuſmet licentia iam emiſſum, irritare, etiamſi promiſerit nunquam irritaturum. Ratio eſt, quia, ea conceſſione, & promiſſione facta à Prælato, non eximitur ſubditus à ſubiectione illius, neque fit ſui iuris; cum ſemper perſeueret dominium Prælati per profeſſionem ſubditi acquiſitum: atqui, ſubiectione durante, omnes ſubditi actiones, Prælati beneplacito ſubduntur: ergo & ſubditur votum factum, & conſequēter illud irritare poterit, ac ſi licentiam non dediſſet. Ex eo autem quod Prælatus promiſerit non reuocaturum licentiam, ſolùm infertur, non poſſe eumdem Prælatum, abſque peccato infidelitatis eam reuocare, niſi graui intercedente cauſa, non tamen infertur validam non eſſe reuocationem, & votum irritare non poſſe: ſic communis. Angel. *votum 2. n. 10.* Caiet. *2. 2. q. 88. art. 8. dub. 12.* Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 3. art. 1. verſ. Maiori autem.* Nauarr. *cap. 12. num. 73.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 40. dub. 10. n. 75. in 1. edit. in 2. verò dub. 13. n. 76.* Azor. *1. p. lib. 11. cap. 17. q. 6.* Valentia *2. 2. diſt. 6. q. 6. pun. 6. q. 3.* Sà *v. votum, vbi de voti irritat. n. 2.* Sayrus *in Claui Reg. lib. 6. cap. 10. n. 12.* Suarez *lib. 6. cap. 8. n. 6.* vbi ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondet, non obſtare rationem de iure acquiſito, quia ſemper eſt ius conditionatum, *niſi Superior aliud volnerit.* Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 40. n. 4.* & *lib. 4. Decal. cap. 27. à num. 9.* Caſtro Palao *diſp. 2. pun. 3. §. 2. num. 3. & 4.* Raph. de la Torre *diſp. 2. cit. num. 10.* Prado *cap. 31. q. 13. §. 3. num. 49.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 30. num. 2. & 3.* Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 36.* Filliuc. *tract. 26. cap. 8. q. 10. fine.* Bonac. *diſp. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. n. 28.* Fagundez *lib. 2. cap. 34. n. 16.* Peyrin. *tom. 2. tr. 2. de Prælato, q. 3. cap. 3. num. 5. in fine.* Aſcanius *tom. 2. diſp. 18. q. 8.*

QVÆSTIO XLII.

An etiam poſſit dictus Prælatus irritare tale votum (vel iuramentum) ſi dicat ſubdito, ſe illi concedere facultatem irreuocabilem, ſeque eximere illum à ſua poteſtate, quoad rem illam promiſſam, ſequè cedere iuri ſuo?

REſpondeo ex dictis: etiam poſſe. Quia re vera non poteſt Prælatus abdicare à ſe dominiū voluntatis Religioſi; cum repugnet ſtatui, & obedientiæ religioſæ: vnde illa proteſtatio Prælati nullius eſt roboris, cum ille, qui, ea ſuppoſita, fecit votum, ſubditus adhuc maneat. Sic Suarez *cap. 8. n. 6.* Sanchez *num. 21.* Bonac. & Trullench. *locis citatis,* Prado *loco citato, num. 50.* & Fagundez *num. 18.* & Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 16. numer. 76. verſ. nec refert.* Peyrinus *loco cit. numero quinto fine.*

QVÆSTIO XLIII.

An, item promiſsio humana de licentia Superioris facta, poſsit validè à Superioribus reuocari?

AFfirmant aliqui Doctores, poſſe, videlicet, validè à Superioribus reuocari, licèt ſi id abſq; iuſta cauſa agant, peccent. Ratio eorum eſt, quia non ſola promiſſio, ſed etiā traditio, & executio, ex Superioris nutu pendet. Ita Aragon. *2. 2. q. 88. ar. 8.* & Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 40. dub. 10. n. 75.* (apud Sanchez in

ſolut

solut. ad 2. Proposuerat enim Lessius (ait Sanchez) argumentum, quod promissio facta homini ex licentia Superioris, nequeat reuocari, & respondet; posse validè, etsi Superior, absque causa iusta irritans, peccet. Hæc Sanchez. Sed certè in impressione Antuerpiana, oppositum expressè docet Lessius *dub.* 13. *numer.* 77. vbi huic argumento, quod proponit *num.* 76. *vers. Petes primò*: nempe, si subditus ex consensu Prælati aliquid homini promittat, non potest reuocari: ergo neque si Deo: sic *num.* 77. respondet: Ad secundum, neganda consequentia: promissio enim homini facta ex consensu Superioris, validè reuocari à Superiore non potest, vt rectè docet Sancius *lib.* 2. *de matrim. disputat.* 4. contra Aragon 2.2. *q.* 88. *art.* 8. Ratio est, quia in regendo subdito, non sustinet locum illius hominis, vt quasi vice illius, ius illi acquisitum possit remittere: regit tamen illum loco Dei, & ita potest tollere obligationem, quam ille sibi erga Deum imposuerat. Non tamen potest subditus, repugnante Superiore exequi quod homini sic promisit, quia traditio rei, & executio, à Superioris nutu adhuc pendent. Hæc omnia Lessius. Vide clarè quod non contra Sancium, vt ipse dixit, sed contra Aragonium cum ipso Sanchez teneat *in* 2. *editione.* Fauet tamen Aragonio (& valdè) Pellizzarus. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *q.* 21. *n.* 69. vbi solùm dicit, esse probabile, superiorem non posse irritare talem promissionem.

Sed in hac re Respondeo tanquam quid certum, *Primò.* si promissio homini facta cum licentia Superioris est executioni mandata, tradendo illi rem promissam; tunc nulla est in Superiore qualicumque potestas reuocandi talem promissionem. Quia traditione rei facta, est iam translatum dominium in alterum *l. traditionibus* 20. *C. de pactis.* Sic cum omnibus Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 27. *n.* 3. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 30. *n.* 2.

Respondeo *Secundò*, & tãquam ferè certum, quod etiam ante rei promissæ traditionem, nequeat Superior reuocare promissionem factam homini cum licentia sua. Quia firmitas contractuum inter homines requisita, petit, vt Superiore legitimo consentiente contractui, cui consentire potest, omnes Superiores in illo, & per illum consentiant irreuocabiliter. Sic Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 8. *n.* 3. *fine*, hinc inferens, nec Prælatum Superiorem posse validè reuocare: quia alias nemo auderet cum ipsis contrahere subditis, & religiosis, quòd in graue eorum damnum pullularet. Sic ex illo, Sanchez *lib.* 4. *cap.* 27. *n.* 23. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 30. *n.* 4. Pellizzar. *loco cit.*

QVÆSTIO XLIV.

An si Superior, qui licentiam simpliciter ad votum, vel iuramentum emittendum concessit, illud irritet, absque iusta causa; peccet, saltem venialiter?

AFfirmat Suarez, non deesse, qui dicant, hanc irritationem posse per se fieri sine vllo peccato, & refert pro hac parte Palacios, *supra*, contra quem Sanchez aduertit, quod in toto illo *capite* 8. non retulerit ipsum Palacium, & ideo nescit, vbi id dicat; & vbi tractat de hoc ait expressè esse peccatũ. Sed certè, quamuis Suarez non referat Palacios in toto illo capite octauo, refert illum, *in capite* 7. *n.* 15. quod sufficit, vt verificetur illud verbum *supra.* An verò illum citet benè, pro nunc nescio. Citat etiam pro hac parte aliquos, suppressis nominibus, Peyrinus, vbi infra.

Igitur cuiuscumque sit hæc sententia probari sic potest. Quia Superior dans licentiam vouendi, non contraxit specialem obligationem non retractandi illam, cum ipse id non vouerit, nec promiserit eam non retractare ergo.

Sed, vt certum Respondeo dicendum, quod ille Prælatus peccet, saltem venialiter, irritando, sine vlla iusta causa, votum, vel iuramentum cum sua licentia emissum. Probatur, tum ex sacra Scriptura *cap.* 30. *Numeror.* vbi de viro irritante votum emissum de eius licentia ab vxore, sic dicitur: *Portabit ipse iniquitatem eius.* Tum etiam, quia Superior reuocans, sine causa, votum cum sua licentia emissum, impedit opus religionis, & consequenter est iniurius illi voto, & peccat in illud: ergo. Sic Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. *versiculo, Maiori autem.* Caiet. 2.2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 2. *& in sum. v. votum. cap. vltimo.* Nauarr. *in sum. cap.* 12. *n.* 73. Aragon. 2.2. *q.* 88. *art.* 8. *post* 6. *concl. vers. Est & aliud dubium.* Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 8. *n.* 9. Petr. Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 10. *cap.* 7. *dub.* 2. Rodrig. *tom.* 2. *sum. cap.* 89. *n.* 6. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 13. *n.* 76. alias, *dub.* 10. *num.* 75. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. quos, & alios vsque triginta duos, refert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 27. *n.* 28. & *lib.* 9. *de matrim. disp.* 40. *n.* 7. Quibus addo ego Palaum *disp.* 2. *de voto pun.* 3. §. 2. *n.* 8. & 9. Raph. de la Torre 2.2. *q.* 88. *art.* 9. *disp.* 2. *n.* 11. Trullench. *dub.* 30. *cit. num.* 6. Prado *cap.* 31. *de voto q.* 13. §. 3. *num.* 51. Tamburin. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 16. §. 3. *n.* 36. Peyrinum *tom.* 2. *tract.* 2. *de Prælato, q.* 3. *cap.* 3. *n.* 6. & 11. Llamas 3. *p. Metho. cap.* 4. §. 42. Vegam 2. *p. sum. cap.* 126. *casu* 89. Ascan. Tamburin. *tom.* 2. *disp.* 18. *q.* 5.

QVÆSTIO XLV.

An etiam peccet Superior, si dictum votum (vel iuramentum) irritet, adhuc interueniente iusta causa?

AFfirmant adhuc (apud Suarium num. 8.) Caiet. Abulens. Angel. & alij, eo quod etiam, si interueniat causa iusta, abutatur Superior sua potestate, in voti iniuriam, ac Dei irreuerentiam, cui se quodam modo obligauit, quando votum confirmauit.

Sed vt certum Respondeo tunc non peccare Superiorem. Quia illa potestas, quæ in eo permanet, non est otiosa, & vana: ergo potest licitè ex iusta causa suum actum exercere, aliàs moraliter loquendo, nullius momenti esset, nec quidquam conferret ad religiosum statum. Sic omnino Suarez *lib.* 6. *cap.* 8. *cit. n.* 8. Maior, Siluester, Sotus, & Nauarrus apud ipsum. Sanchez etiam *loco cit. n.* 29. qui & citat, præter citatos à Suario, Palacios, Aragonium, Sayrum, Lessium, Emman. Sà, Azorium, Vegam, & Llamas. Imo & Caietanum *in sum.* & certè non malè. Nam solum dicit, peccare Prælatum, aut Dominum, qui, semel audito subditi voto, consenserit, & postea reuocauerit licentiam pro libito. Aduerte, quod solum dicit, *pro libito.* quo modo dicendi, excludere videtur casum, quo iusta causa irritet. Legantur Trullench, & alij Moderni à nobis nuper adducti.

QVÆSTIO XLVI.

An, Prælatus reuocans facultatem vouendi aut iurandi, à se semel conceſſam, aut irritans votum (ſeu iuramentum) cum ſua licentia emiſſum, ſi id faciat ſine cauſa, peccet mortaliter?

NEgant multi Doctores, docentes, ſolùm peccare venialiter, eo quod ſolùm violet fidelitatem quæ per ſe ſolum ad culpam venialem obligat. Ita Sotus *lib.7.de iuſt.q.3.art.1.col.1.verſic.Maiori autem*, & Suarez *lib.6.de voto cap.4.ad finem*, ait, rarò peccare mortaliter, niſi caſu, vel ſcandalum, vel contemptus grauis intercedat. Suarium ſequuntur Bonacina *diſp.4.q.2.pun.7.§.2.n.29.* Trullench. *lib.2.cap.2.dub.30.num.6.* Diana *par.4.tract.4. Reſol.110.verſ. Nota etiam hic.* Tamburin. *lib.3. cap.16.§.3.n.37.* Pellizzarius *tom.1.tract.3.cap.4.q.21.num.66.* Peyrin. *loco cit.n.6.* & (meo videri) Caſtro Palao *diſp.2.pun.3.§.2.n.9.* vbi latè probat hanc ſententiam eſſe probabilem, & reſpondet argumentis contra poſitis. Et quidem, eſſe probabilem, meritò fatetur Sanchez, & alij Doctores oppoſitæ ſententiæ: quos ſequendo.

Probabilius Reſpondeo peccare mortaliter. Ratio eſt tum quia ſic colligitur ex loco Sacræ Scripturæ *Numerorum 30. ſup. quæſt.44.* adducto. Tum etiam: quia Superior tribuens licentiam vouendi ſubdito, fit particeps illius voti, eo quod in illud conſenſerit: ergo reuocans, irritanſque illud ſine cauſa, cenſendus eſt quaſi illius tranſgreſſor. Sic Caiet. *2.2.q.88.art.8.dub.3.* Nauarr. *cap.12.n.73.* Aragon *2.2.q.88.art.8.poſt.6.concl.* Sayrus *in Claui Reg.lib.6.cap.10.num.12.* Petr. Ledeſma *tom.2.tract.10.cap.7.dubit.2.* Lopez, Rodrig. Angles & Corradus, quos ſequitur Sanchez *lib.9.de matrim.diſp.40.n.7.& lib.4.in Decal.cap.27.num.32.* Qui cum Ledeſma aduertit, hanc doctrinam intelligendam eſſe, iuxta materiam voti. Si enim hæc ſit ad veniale obligans ratione lenitatis; conſtat eam irritationem eſſe ſolùm venialem; cum grauior culpa eſſe nequeat, quàm foret tranſgreſſio voti non irritati. Tenent rurſus hanc partem Layman. *lib.4.tract.4.cap.7.n.18.* Reginald. *lib.18.n.304.* Raph. de la Torre *diſp.2.cit.n.11.dicto 4.* Barthol. à S. Fauſto *lib.2.q.33.* Prado *cap.31.q.13.§.4.n.54.* Villalob. *tom.2.tract.34.diff.18.n.7.& diff.21.num.19.* Fagundez *lib.2.cap.34.n.16.*

QVÆSTIO XLVII.

An, tam vrgens cauſa requiratur ad reuocandam licentiam datam, aut ad irritandum votum (aut iuramentum) cum licentia emiſſum ac ad diſpenſandum in eo?

REſp. vt certum: Quod non. Tum quia diſpenſatio, abſque cauſa, eſt omnino irrita, & culpa lethalis, ſecundum omnes: at irritatio, abſque cauſa facta non ſolum eſt valida, ſed licita, vt ſupra *quæſt.5.* eſt habitum: Tum etiam, quia diſpenſatio grauior eſt irritatione: ergo grauiorem cauſam petit. Sic Suarez *lib.6.cap.8.numer.9.* Sanchez *loco cit.n.30.* Palaus *diſp.2.pun.3.§.2.num.11.*

QVÆSTIO XLVIII.

An Superior irritans votum ſeu iuramentum ſui ſubditi, abſque cauſa, teneatur illud adimplere, aut nouam licentiam exequendi concedere?

AFfirmat Fonſeca *in annotat.ad marg.Caietani cap.30.Numerorum, ad finem.*

Sed vt certum Reſpondeo, nec teneri Superiorem tale votum adimplere, nec licentiam de nouo ad illud exequendum ſubdito concedere. Ratio eſt: Quia votum irritatum, etiam abſque cauſa à Superiore, eſt omninò caſſatum, & vi obligandi omnino deſtitutum, & niſi de nouo emittatur à ſubdito, non poteſt illum obligare: ergo minus obligabit Superiorem; quod enim non eſt, operari nequit. Sic Sanchez *lib.4.cap.27.num.33.* Qui addit, ſecus dicendum ſi Superior non irritaret votum, ſed obligationem ſuſpenderet, abſque iuſta cauſa, quia tunc tenetur licentiam voti exequendi concedere: quia cum adhuc obligatio voti vigeat, tenetur illicitum impedimentum auferre.

QVÆSTIO XLIX.

An peccet ſubditus petens, abſque iuſta cauſa, irritationem voti, vel iuramenti, ex licentia Superioris emiſſi?

NEgat Peyrinus *tom.2.tract.2.de prælat.q.3.cap.3.num.13.* Quia (inquit) ſubditus in hoc vtitur iure ſuo, quo poteſt optare grauamen ſibi impoſitum aufferri, imò & procurare. Ita ille, citans pro hac parte Suarium *lib.6.de voto, cap.7.num.16.* Sayrum *lib.6.cap.16.num.14.*

Sed probabilius Reſp. Peccare, & taliter, qualiter peccaret Superior ſine cauſa iuſta irritans. Quare tenendo opinionem probabilem dicentem Superiorem peccare venialiter, ſic etiam peccaret & ſubditus: at tenendo noſtram probabiliorem dicentem peccare mortaliter Superiorem; mortaliter peccabit ſubditus. Sic Sanchez *loco citato n.34.* Trullench. *lib.2.cap.2.dub.30.n.7.* Qui hanc doctrinam intelligunt, quando irritationem petit ſubditus certus, nullam iuſtam cauſam irritandi adeſſe. Nam ſi ſubditus dubius de cauſæ ſufficientia, illam proponeret Superiori capaci diſcernendi an iuſta ſit, liber erit à culpa; quia poteſt ſtare iudicio Superioris: quando autem Superior non eſt capax, conſulendus eſt vir doctus.

QVÆSTIO L.

An, ſubditus, qui petit irritationem voti (vel iuramenti) facti ex licentia Superioris; teneatur manifeſtare ſe vouiſſe ex licentia data?

NEgat ex parte Peyrin. loc.cit.*n.*13. fine, vbi dicit quod non teneatur hanc circunſtantiam exprimere,

mere, si causam irritationis habeat, & exprimat: at si nullam causam habeat, tunc teneatur.

Sed clarius Respondeo vt certum. Non teneri, si talem irritationem petat ab alio Superiori maiori, vel æquali succedente in officio. Quia id nullo iure exprimere cogitur, nec ad irritationem iure impediendam confert, nec potestatem superioris irritantis. Si verò irritationem petat ab eodem superiore, tunc tenetur manifestare, si ipse superior datæ licentiæ immemor sit. Quia iure optimo licentia illa retrahet Superiorem à facili irritatione; & coget illum ad maturè considerandum causam; vtpotè, qui per licentiam à se concessam, est multò minus liber ad licitam irritationem. Sic Sanchez *lib.4. cap.27. num.89. non 36.* vt sequendo illum, citat Palaus *disp.2. de voto punct. 3. §.2. num. 10.* Trullench. *lib.2. dub.30. num.8. ad finem.*

QVÆSTIO LI.

An, censeatur Superior concedere subdito licentiam vouendi, (aut iurandi) quando votum iam factum approbat; & in illo consentit.

REspondeo vt certum: teneri. Ratio est: quia quoties consensus Superioris non requiritur ad actus subditi valorem, potest præstari in ipso actu, & ante, & post illum, vt multis allegatis probat Matienzo *lib.5. Recopil. tit. 3. l.5. Glossa 3. num.1. & 2.* quod in hoc casu contingit, cùm id votum subditi, ante consensum Superioris validum sit, & obligatorium; solúmque ab illo consensu pendeat, vt eam solam firmitatem accipiat, vt deinceps licitè absque causa reuocari nequeat: ergo satis est approbatio subsequens, vt votum dicatur ex Superioris licentia emissum. Igitur tunc censetur superior concedere subdito licentiam vouendi, non solum quando conscius voluntatis subditi, tribuit facultatem vouendi: sed etiam, quando votum factum approbat. Sic cum communi omnium Sanchez *lib. 4. cap.27. num.41.& 42.* Palaus *disp.2.punct.3. §.2. num. 12.*

QVÆSTIO LII.

An, item censeatur approbari votum, seu iuramentum factum; ex eo, quod subditus, tacito voto, impetret licentiam ad rem voto promissam exequendam?

RESpond.vt certum, quod non; sed semper manet prius votum, absque licentia emissum; nisi aliàs licentia obtenta tale votum innouaret. Ratio est: quia cum Superior prius votum ignorarit, non fuit licentia ad illud votum emissum approbandum, sed vt denuò emitteretur, nec denuò emissum est. Nec licentia operis exequendi potuit extendi ad approbationem voti emissi ignorati à Superiore. Sic omnino Sanchez.

QVÆSTIO LIII.

An, si subditus, obtenta à Superiore licentia, ad aliquid donandum, vel faciendum, voueat se id donaturum, vel facturum; censendum sit id votum de licentia Superioris factum.

AFfirmandum videtur. Quia qui dat facultatem ad contrahendum, censetur, & dare facultatem ad promittendum, iuxta *l. oratio. ff. de sponsalib.* ergo similiter.

Sed, vt certum Respondeo: Non censendum tale votum ex Superioris licentia factum. Quia licentia aliquid efficiendi, non est licentia vouendi; nam res sunt omnino diuersæ, neque ex vna alia sequitur, vt optimè probat Sanchez *lib. 4. cap.27. num.44. & lib.9. de matrim. disp.40. num.10.* Qui ad rationem dubitandi rectè respondet negando paritatem. Quia promissio, & pactum contrahendi, regulariter, & vt plurimum, præcedit in humanis contractum, & est via, & dispositio ad illum: at votum donandi, aut faciendi, nec regulariter est via, & dispositio ad opus, seu ipsius initium, sed alterius ordinis; ac proinde non includitur in licentia donandi, aut faciendi. Sic Sanchez, quem sequitur Palaus *loco citato, punct.12.*

QVÆSTIO LIV.

An, taciturnitas, & dissimulatio Superioris, cognito subditi voto; censeatur voti illius approbatio, ita vt iam non sit licitum superiori irritare illud, absque causa?

AFfirmant aliqui Doctores. *Primò* ex regula: qui *tacet consentire videtur. Secundò* ex scriptura *numeror. 30.* vbi dicitur: *Quod si audiens vir tacuerit, & in alterum diem distulerit sententiam, quidquid vouerat, atque promiserat,* (scilicet vxor,) *reddet.* Ita apud Sanchez, Innocent. *cap. Scripturæ, de voto, num.3.* vbi Ioan. Andr. *num.4.* Cardinalis *q.12.* Rainerus, & eius Glossator, vt refert, eos sequens, Syuester *v. Religio 2.q.15.* Abulens. *cap.5. in Matth. q. 149.* Adrianus *in 4.q. 14. de matrim.* Sayrus *in clau. Reg. lib. 6. ca.10. num. 26.* Atque Abulens. Adrianus, Sylustet, & Sayrus addunt, debere statim, audito voto, Superiorem contradicere, ne votum maneat confirmatum. Sed ex iis Authoribus certè Sayrus, in mea impressione Venetiana, nec *n.26.* vt citat Sanchez, *nec 16.* vt citat Palaus, habet de hac re quidquid.

Probabiliùs igitur Respondeo taciturnitatem solam Superioris consensu saltem interno destitutam, non satis esse ad voti approbationem. Probatur *Primò*. Quia vota subditi nulla alia via firmantur, nisi Superioris consensu; cùm sub illius conditione emittantur. *Secundò*, quia Superior, quamuis votum subditi sciat, potest tacere, se merè negatiuè habendo, nec assentiendo, nec dissentiendo, tum vt videat successum. Tum etiam, vt maturiùs circa suum consensum dandum, vel non dandum deliberet. Sic D. Thom. *in 4. dist. 32. fine, in expos. litera*, & ibi Palud. *quæst.2. art.2. num.17.* Caiet. *in cap.30.*

Numer. in fine. Tabiena *matrimonium. 1. q. 3. num. 3.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 6. num. 14.* & antea *cap. 4. num. 20.* Quos sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 27. num. 46. & lib. 9. de matrim. disp. 40. num. 9.* Palaus *disp. 2. punct. 3. §. 2. num. 14.* Qui ad primum argumentum respondet, illam regulam, *Qui tacet*, intelligendam esse in fauorabilibus Superioris tacentis, non subditi. *Ad 2.* desumptum ex Scriptura, dicit, quod lex illa, quæ hac taciturnitate inducebat consensum, fuit quoad hoc cæremonialis: & ideò nunc non obligat. Legantur Suarez, & Sanchez *locis citatis.* Ascanius Tamburin. *tom. 2. de iure* Abbatum *disp. 18. q. 8. num. 3.*

QVÆSTIO LV.

An saltem, si taciturnitati adderet Superior internum consensum approbantem votum, esto vouenti non manifestet; sufficiat, vt tale votum dicatur à Superiori approbatum?

NEgat Palaus *loco citato, num. 15.* Quia existimat necessarium esse, quod Superior consentiens in votis subdiditi, subdito talem consensum manifestet per se, vel per literas, vel per nuntium proprium.

Affirmant verò contra alij, dicentes, sufficere, vt tale votum dicatur approbatum à Superiori: eo quod tunc adsit consensus internus, aliquali signo externo manifestatus. Sic ex Suario, & Caietano, docet Sanchez *lib. 4. cap. 27. num. 47. & 52.* Trullench. *lib. 2. dub. 30. n. 9.* Fagundez *lib. 2. cap. 34. fine* ex Lessio *loco cit. num. 78.* Et hæc sententia mihi videtur probabilior in foro conscientiæ; in foro verò externo prima. Quia in hoc foro, Prælatus more humano, & consueto debet negare, vel concedere licentiam petitam. Ita insinuat Prado *cap. 31. q. 13. §. 3. fine.* Omnes tamen conueniunt teneri subditum votum exequi si videat Superiorem non contradicere cum possit. Quia talis non repugnantia, licèt, vt sic non sit approbatio voti, vt habitum est *q. 54.* est tamen permissio rei promissæ exequendæ. Legatur Sanchez *cap. 27. cit. fine.* & Palaus §. 2. *cit. etiam fine.*

QVÆSTIO LVI.

An, Prælati Religionum possint irritare votum à subditis, transeundi ad strictiorem Religionem.

REspondeo tanquam certum. Non posse. Tum quia professio Religiosa intelligitur, nisi eam in melius commutare placuerit. Tum etiam, quia cum ius canonicum liberatem transeundi ad arctiorem, licentia petita, etsi non obtenta, indulgeat, *cap. licet. de Regular.* nulla, in hoc voto Religiosorum, conditio pendens à Prælatorum arbitrio imbibitur. Sic tenet Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 33. num. 2.* & penes ipsum, Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de voto, consil. 40. num. 2. alias 30. num. 2.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. dub. 2.* Azor *1. p. lib. 10. cap. 17. q. 18.* Sayrus *lib. 6. Clauis, cap. 10. num. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 10. & 13.* Suarez *lib. 3. de voto, cap. 6. num. 23. & lib. 6. cap. 7. num. 9. & cap. 10. n. 16.* Rodrig. Ledesma, Aragon, Angles, Abulens. Caiet & alij. Sic etiam Fagundez *lib. 2. cap. 35. n. 11.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. n. 28.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. n. 6. vers. Dixi autem.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 3. cap. 4. q. 21. num. 62.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 32. n. 1. & 2.* Bonac. *punct. 7. §. 2. num. 26.* Villalob. *2. p. tract. 34. diff. 18. num. 1.* & alij. Qui, tamen conuenientes, dicunt, posse in tali voto dispensare, aut commutare, cum non sit ex reseruatis Papæ. Legatur Peyrin. *q. 3. cit. cap. 3. num. 19.* & Ascan. Tamburin. *tom. 2. disp. 18. q. 4. & 7.*

QVÆSTIO LVII.

An saltem Summus Pontifex possit irritare votum factum ab aliquo Religioso transeundi ad arctiorem Religionem?

AFfirmat Ioan. Martinez de Prado *cap. 31. de voto, q. 13. §. 3. num. 38.* Quia (inquit) licèt Papa non possit cogere, aut obligare vt quis profiteatur strictiorem Religionem, quàm est professus; potest tamen eximere ab obligatione transeundi, quã proprio voto susceptit; qui autem modo licito eximitur ab aliqua Religione, eximitur ab obedientia Prælatorum illius Religionis; non tamen eximitur ab obedientia Papæ, vt docent S. Thom. & Caiet. 2. 2. *q. 186. art. 5. ad 3.* Hæc Prado.

Sed longè multò probabilius Respondeo dicendum. Quod licèt Summus Pontifex possit prædictum votum dispensare, aut commutare, sicuti possunt, vt diximus, Religionum Prælati: non tamen potest illud irritare, sicut nec possunt isti, vt est habitum. Ratio est, quia Sum. Pontifex non habet potestatem irritandi vota, quatenus est Summus Pontifex, & supremum Ecclesiæ caput (aliàs posset irritare etiam omnia vota laïcorum, quod non posse suprà manet probatum) sed quatenus est Religionis Prælatus, cui vnà cum aliis eiusdem Religionis Prælatus, votum obedientiæ emittitur, & dominatiuam potestatem habet: at vt sic, non est suprà ius commune, quia solum suprà illud est, quatenus Summus Pontifex: ergo non poterit irritare votum huius Religiosi, quatenus est omnium Religiosorum supremus Superior, sed quatenus est Superior, & Prælatus illius Religionis in qua Religiosus, cuius votum irritatur, professionem fecit: ergo, &c.

Nec obstat argumentum Pradi, dicendum enim ad illud, cum distinctione. Quod transiens ad strictiorem Religionem, etiam liberetur voto obedientiæ summo Pontifici virtute, emisso, quatenus Prælatus prioris Religionis erat; & transit in obedientiam summi Pontificis, quatenus est Superior posterioris Religionis strictoris, ad quam transit: quapropter, cum Superior prioris Religionis, non possit irritare votum sui subditi transeundi ad strictiorem Religionem, nec etiam summus Pontifex, illud propriè poterit irritare, licèt possit in illo dispensare, aut illud commutare, vt diximus. Sic omninò Fagundez *lib. 2. cap. 35. num. 10. & 11.* & Sanchez *lib. 4. cap. 33. n. 13.* Sic etiam Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 32. n. 2.*

QVÆSTIO LVIII.

An ad minus, casu, quo summus Pontifex interdicat alicui Religioso, ne votum transeundi ad strictiorem Religionem emittat, si illud nihilominus emittat, possit illud irritare?

REspondeo dicendum, quod casu, quo tale votum sit validum (de quo agit Sanchez *loco citato, n.* 3.) optimè potest sum. Pontifex illud irritare. Quia verè potest Pontifex irritare, (ita, vt non reuiuiscat) votum Episcopi transeundi ad Religionem, eo quod transitus sit illi interdictus, absque Pontificis licentia, & ideo imbibit conditionem, ex eius consensu pendentem, nempe, *si Papæ placet, si non contradicat*, &c. vt latè probat Sanchez *lib.*4. *cap.*26. *num.*6. & tenent Abulens. Angel. Caiet. & alij: ergo similiter poterit irritare votum Religiosi transeundi ad strictiorem Religionem, si antecedenter illi interdicat, ne illud absque sua licentia emittat. Sic Sanchez *loco cit. n.*6. *& cap.* 33. *n.*13. Facundez *num.*12.

QVÆSTIO LIX.

An, Prælati regulares possint irritare vota specialia, quæ in aliquibus religionibus, iuxta earum institutum emittuntur?

AFfirmabunt, qui docent, posse in prædictis votis, ex iusta causa, Generalem dispensare. Sunt autem Rodriguez *tom.* 1. *qq. Reg. q.*26. *art.* 1. & Miranda *tom.*1. *q.*9. *art.* 6. *concl.*1. *&* 2.

Sed Respondeo vt certum: quod non. Quia in his omnibus, & materia ipsa, & actus vouendi sunt omnino extra Superioris dominium, cum iuxta constitutiones à Pontifice approbatas, ea vota sint annexa statui Religioso, & emittuntur à Religiosis post tria vota substantialia; veluti in Religione Minimorum, votum vitæ quadragesimalis. In Religione Societatis IESV, votum solemne obediendi Papæ, circa missiones, & alia vota simplicia, quæ à Professis omnibus eiusdem Societatis edi solent. In Religione nostra Sanctissimæ Trinitatis, votum solemne non ambiendi Prælationes, aut officia Ordinis, per constitutiones eiusdem Ordinis prætendi prohibita; nec item vllam Prælationem extra Religionem, nec ad hanc acceptandam, absque præcepto eius, qui ipsis præcipere possit. De quibus votis infrà *disp.* 27. Sic Sanchez *lib.*4. *cap.*33. *n.*2. *&* 5. *&* 13. Layman *cap.*6. *cit. num.* 6. Pellizzar. *tom.*1. *tract.*3. *cap.*4. *q.*21. *num.*62. Fagundez *lib.*2. *cap.*35. *num.* 11. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dubit.*32. *n.*7. Palaus *disp.*4. *de voto, punct.vltimo, num.*1. *&* 2. ex Suario *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*12. *à num.*30. Tamburin. *lib.*3. *cap.* 16. §.3. *num.*28. vbi totam doctrinam superioribus quæstionibus à nobis datam, his verbis imbibit. Superiores possunt suis Religiosis omnia vota nuncupata in Religione, etiam non impedientia ipsorum gubernationem irritare, præter vota constituentia statum regularem, illiquè annexa, & præter votum assumendi strictiorem Religionem. Ratio dicti est; quia assumpto eo modo viuendi, & obediendi in Religione, conueniès fuit, vt subditorũ voluntas in totum à Superiore regeretur. Ratio exceptionis primæ est; quia, quæ statũ Religiosum constituunt sunt fundamentũ talis potestatis in Prælatis: ergo, si hæc itritari possent, ipsum fundamentum potestatis se ipsum euerteret, quod est impossibile, cùm Superior potestatem non habeat, suam potestatem, & ea, quæ potestati adhærent, destruendi. Ratio denique secundæ exceptionis est, quia in hoc subditi, ex sacris canonibus, sui iuris sunt, neque à Superioribus impediri valent. Hæc Tamburinus. Sic etiam Basseus *tom.* 2. *votum* 2. *n.*11. *fine.* Diana *part.*6. *tract.*8. *Resol.*34. Bordonus *in Consil. Regul. Resol.*14. *num.*14. & alij apud ipsos.

QVÆSTIO LX.

An saltem sum. Pontifex, possit prædicta vota specialia Religionum, directè irritare?

AFfirmat Pradus *tom.* 2. *cap.* 31. *de voto q.*13. §. 3. *num.*38. Quia cum approbatio, & acceptatio Religionum pendeat à Pontifice, illa vota, quæ sunt annexa substantialibus, potest facere non annexa, & essent irritabilia, sicut alia. Hæc Prado.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo, nequaquam posse prædicta vota directè irritare; licèt ex iusta causa, in illis dispensare, aut illa commutare valeat. Ratio est: quia respectu horum votorum non habet Pontifex potestatem dominatiuam: patet ex nuper dictis. Nam irritatiua potestas prouenit ex traditione, quæ per hæc vota (iure sic disponente) fit: at nihil potest potestatem concedere ad sui desitionem, & interitum: ergo cum ex his votis, quæ statum constituunt, vel integrant, & perficiunt, oriatur potestas irritandi vota, nequit ad ea vota, ex quibus hæc potestas oritur, extendi. Sic Palaus *disp. vltima, & puncto vltimo, de voto n.*2. *&* 3. Sanchez *lib.*4. *cap.*33. *n.*5. *&* 13. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*32. *n.*7. Fagundez *lib.*2. *cap.*35. *n.*11.

QVÆSTIO LXI.

An, legatus à latere possit vota Religiosorum irritare; sicuti possunt illorum Superiores?

AFfirmat Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *de voto, q.*13. §. 3. *num.* 39. Quia (inquit) legati isti, sunt Religiosorum Prælati, vices D. Papæ habentes, & possunt ea, quæ antiquitus poterant Episcopi, cùm Religiosi non erant exempti ab eorum obedientia. Ita ille.

Sed probabiliùs Respondeo, non posse. Quia probabilius est, quod licèt legati à latere habeant potestatem iurisdictionis in Religiosos exemptos concessam à sum. Pontifice, vt cum plurimis doctoribus tenet Sanchez *loco cit. num.*14. non tamen habent super illos potestatem dominatiuam, in qua fundatur potestas irritandi. Sic Sanchez docet *loco cit.* Trullench. *n.*7. Fagundez *cap.*35. *citato. n.*15. & nouissimè Pellizzar. *tom.*1. *tract.*4. *de voto obedientiæ, cap.*4. *sect.* 4. *q.*6. vbi probat, non teneri Regulares, ex voto obedientiæ, parere legatis de latere, ac Nunciis Pontificiis. Quia (inquit) ex vna parte, votum obedientiæ Religiosæ, non obligat ad obediendum cuicumque Superiori, aut Prælato proprio, sed solùm Prælatis regularibus, & Papæ, tanquam supremo omnium Religionum Generali:

tales

tales autem non sunt Legati, etiam de latere, neque Nuncij Pontificij, vt patet: & ex alia parte ad hoc, vt saluetur in Regularibus debita subiectio dictis Legatis, ac Nunciis, non est necesse, quod ipsis teneantur parere ex voto obedientiæ; sed sufficit, quod illi possint iis imperare per potestatem iurisdictionis, quam Legati de latere, & Nuncij Apostolici habeant in illos præsertim, cum obligatio voti ampliari non debeat vltra intentionem vouentis; & Religiosus vouens obedientiam, intendat per tale votum se obligare solum Prælatis Regularibus, & Papæ, modo dicto; vt colligitur ex ipsa forma promittendi, quæ regulariter consistit in his verbis: *Promitto Deo, & tibi* (ideſt, Prælato Regulari) *obedientiam* (, aut aliis æquiualentibus, &c. Hæc Pellizzarius, ex cuius verbis, solutum manere fundamentum Pradi, clarè apparet. Omnes tamen concedunt posse Pontificem delegare, & committere specialiter, tam ipsi legato à latere, quàm alteri, hanc irritandi potestatem; quia est delegabilis, vt diximus *suprà quæst.* 18.

QVÆSTIO LXII.

An saltem sacra Congregatio Cardinalium super Regulares, valeat vota Religiosorum irritare?

AFfirmant Thomas à IESV, *tract.3.de visit.Regular. cap.*17. *n.*7. Lazana *tom.*1. *cap.*4. *n.*31. & Hieronym. Garcia *tom.*1. *Polit. Regul. tract.* 4. *p.*1. *diff.*2. *dub.*2. *num.* 12. Qui citat, & sequitur Pradum loco nuper citato. Probatque solùm ex eo, quod Sixtus V. in sua constitut. *Æterni Dei*, quæ in ordine est 74. aliique Pontifices instituerunt dictam Congregationem Cardinalium, pro bono regimine Regularium.

Sed probabilius Respondeo, quod non valeat. Quia probabilius existimo, non teneri Religiosos ex vi voti obedientiæ obedire Congregationi Cardinalium super Regulares. Quia quamuis præfatam Congregationem instituens potuerit absolutè delegare illi potestatem præcipiendi Regularibus, non solum ex potestate iurisdictionis spiritualis, quam ipse habet, suprà omnes fideles, & consequenter suprà omnes Religiosos: sed etiam ex potestate, quam ipse acquirit ex voto obedientiæ, quod diximus suprà *q.*12. præstari etiam ipsi; cum vtraque ista potestas sit delegabilis, vt suprà est habitum: nihilominus, non constat, quod Papa vtramque istam potestatem delegauerit: quin potius præsumendum est non delegasse, nisi priorem, nempe, iurisdictionis, cum hæc ad finem intentum sufficere posset: & alioqui potestas competens ex voto obedientiæ sit specialissima, ideóque censeri debeat, non venire in generali commissione, nisi in specie exprimatur, iuxta regulam generalem: *Non veniunt in generali concessione, &c.* Sic tenet, & omnino sic, Pellizzar. *loco citato, q.*5. *num.* 107. & constat amplius ex doctrina tradita *quæst. antecedenti.*

QVÆSTIO LXIII.

An ad minus, Eminentissimi Cardinales Protectores Ordinum, possint vota Religiosorum irritare?

REspondeo vt certum: quod non. Quia votum Religiosæ obedientiæ, in qua fundatur potestas irritandi vota, non emittitur à Religiosis, nisi Prælatis proprij Ordinis: atqui Cardinales Protectores, non sunt Prælati Ordinum, stricto modo: ergo non possunt habere, suprà Religiosos potestatem irritandi eorum vota. Minorem, in qua est difficultas, latè probant Lezana *tom.*2. *cap.*9. *num.* 4. Prado *loco cit. num.* 40. & Pellizzar. *q.*7. *n.*110. Et ideo hanc tenent nostram sententiam. Notando, quod hoc non facit, quin Religiosi teneantur obedire Cardinali Protectori, in his, quæ spectant ad eius iurisdictionem, quam non extendit nisi ad determinatos casus, Paulus V. & Vrbanus VIII. declararunt. Legantur Lezana *loco cit.* Laërtius Cherubin. *tom.*1. *in Bullam.* 4. Gregorij XI. Prado *loco cit.* & Pellizzar. *in tract. de priuileg. cap.*8. *sect.*5. *q.*5.

QVÆSTIO LXIV.

An, si Pontifex concedat alicui Religioso licentiam faciendi aliquod votum; possit nihilominus alius Prælatus Regularis irritare illud?

REspondeo vt certum: quod non. Quia Pontifex est omnium Regularium supremus Prælatus, vt habitum est *quæst.*12. Sed inferior Prælatus nequit votum de Superioris licentia emissum irritare; vt habitum est suprà *q.*38. ergo. Sic Sanchez *lib.*4. *cap.*33. *sub num.*13. Fagundez *lib.*2. *cap.*35. *num.*14. Qui secus dicit, loquendo de Pontifice successore, quia hic cum succedat in potestate dominatiua æquali, erga omnes Religiosos, poterit sine dubio illud votum irritare, sicut poterat illius antecessor, qui licentiam vouendi dedit.

QVÆSTIO LXV.

An, Superior possit irritare vota (aut iuramenta Deo præstita) à subdito, eo inuito, & contradicente?

NEgandum videtur. Quia irritatio est beneficium subditi, cum ab obligatione contracta liberet: sed beneficium non datur inuito: ergo nec irritatio inuito concedi potest.

Sed omninò Respondeo posse Superiorem subdito inuito, & contradicente, irritare vota, & iuramenta Deo præstita. Quia cùm irritatio pendeat à dominatiua Superioris voluntate, potest exerceri velit, nolit inferior, quia hic non potest potestati Superioris præiudicare. Sic Sayrus *in claui Reg. lib.*5. *cap.*8. *num.*6. *in principio*, Suarez *lib.*6. *de voto, cap.*1. *ad finem.* Aragon 2.2. *q.*89. *art.*9. *paulò post princip.* Sanchez *lib.*4. *Decal. cap.*24. *num.*25. Candid. *disquis.* 25. *art.*2. *dubit.* 3. Palaus *disp.*2. *de voto, punct.*4. *num.*6. qui ad rationem dubitandi, respondet primo, quod licèt irritatio sit beneficium subditi,

subditi, tamen principaliter est beneficium Superioris, quatenus illa via ostendit liberam habere potestatem, nec ligatam subditi voluntate. Secundo, respondet, quod irritatio, non est beneficium positiuum, sed priuatiuum, quod per se acceptationem non requirit. Sic etiam sentiunt Peyrinus *cap. 3. citato. num. 12. vers. Noto 5.* à S. Fausto *lib. Thesauri q. 27.* Portel *in Addit. v. votum. n. 57.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 35.*

§. IV.

De potestate, quam habent parentes, ad irritanda vota, & iuramenta filiorum.

QVÆSTIO LXVI.

An, infantia incipiat ab ipsa natiuitate infantis; & duret vsque ad annum septimum?

NEgant primam huius quæsiti partem nonnulli Authores, asserentes, infantiam incipere ab ipso animato conceptu, & durare vsque ad annum septimum. Et probant ex illo Lucæ 1. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo.* Et etiam ex *l. cum pater. 29.* illis verbis: *Et quod antequam nasceretur infans gessit. ff. de negot. gestis.* Vnde his consentiunt omnes Medici, qui fœtum iam in vtero perfectum, infantem vocant: igitur secundum illos, infantia, non ab ipsa natiuitate infantis, sed ab eius in vtero perfecta animatione, sumenda est. Ita Hippocrates, Galennus, Celsus, & Zachias, quos pro hac parte refert Didacus de Narbona *in suis Annalib. anno 7. q. 1. n. 1. & 4.*

Sed clariùs Respondeo *primò* dicendum, quod infantia, strictè, & propriè loquendo, ab ipsius natiuitate initium sumat: impropriè verò, & lata significatione, ab ipsa fœtus animatione. Sic tenet, & latè probat Narbona loco citato *à n. 5.* Sanchez mox citandus, & Palaus quæst. sequenti adducendus.

Respondeo *Secundò*. Infantia durat, vsque ad annum; quo expleto, tempus infantiæ terminatur, & desinit. Sic cum communi Doctorum tenet Narbona *loco citato num. 13.* Couarru. Montanus, Menochius, Mandosius, Osualdus, Perez de Lara, & alij plures, quos citat. Sic etiam Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 34. num. 1.* & antea Sanchez *lib. 4. cap. 35. num. 3.*

QVÆSTIO LXVII.

An impubertas incipiat communiter à septimo, & duret in pueris, vsque ad decimum quartum annum completum, & in fœminis, vsque ad duodecimum completum?

REespondeo affirmatiuè. Sic enim colligitur ex cap. *Puella. 20. q. 2.* & *ex l. fin. C. quando tutor.* Et tenent communiter Doctores. Legantur Paul. Zachias *Medicolegal. lib. 1. tit. 1. q. 5. num. 6.* Narbona *in Annalib. anno decimo, q. 3. n. 12.* Castro Palaus *disp. 2. de voto, punct. 7. num. 1.* Trullench. *loco citato.* Sanchez *lib. 6. de matrim. cap. 38. n. 2.* & *lib. 4. in Decal. cap. 35. n. 3.* Candidus *disquis. 25. de voto art. 10. dubit. 2.* Vbi dicit consequenter, quod impubes dicatur masculus antè decimum quartum annum completum; & mulier ante duodecimum completum. Lege me ipsum 2. *part. tract. 9. de matrim.*

QVÆSTIO LXVIII.

An, pubertas in viris incipiat à decimo quarto anno; & in fœminis à duodecimo; & duret vsque ad annum vigesimum quintum completum?

REspondeo affirmatiuè. Quia sic habetur *l. 2. C. si minor se maiorem dixerit.* Vnde ex dictis colligitur, quod vir ante pubertatem, dicitur pupillus, & fœmina, pupilla; & ambo impuberes. Post pubertatem verò, tam vir, quam fœmina dicuntur minores, vsque ad annum vigesimum quintum completum, de iure communi: nam de iure municipali, in aliquibus Regnis solum durat vsque ad vigesimum annum completum. Incipiunt autem hæc tempora computari, non à de die conceptionis, sed à die natiuitatis, vt suprà est habitum. Sic Sanchez, *cap. 35. cit. num. 3.* Trullench. *num. 1.* Castro *n. 1.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 20.*

QVÆSTIO LXIX.

An, vota omnia ante pubertatem ab aliquo emissa, sint prorsus inualida, & irrita?

AFfirmant nonnulli Doctores, sentientes puberem ætatem quatuordecim annorum in viris, & duodecim in fœminis esse omninò necessariam voto; & consequenter adstruunt nulla impuberum vota valida esse. Ratio eorum est: quia votum est res grauissima: ergo vt obligatorium sit, maturo, & pleno indiget rationis vsu, qualis pubertate completa aduenit. Ita tenet; apud Sanchez infrà, citandū, Palacios *in 4. dist. 38. disp. 1. fol. 870. col. 2.* Et apud Narbonam, mox allegandum, D. Thom. *2. 2. q. 88. art. 9. & q. 189. art. 5. & in 4. dist. 27. q. 2. art. 2.* Sylvester *verb. Religio 2. §. 15.* & *verb. Baptismus*, §. 8. Angel. *Religio 2. §. 6.* & Greg. Lopez *in l. 3. vers. De edad. tit. 8. part. 1.* Vbi absolutè docet impuberem vouendi legitimam ætatem non habere. Sed certè Narbona non benè citat omnes hos Doctores, vt infrà constabit.

Alij limitant hanc sententiam, docentes nulla impuberum vota esse valida; nisi propè pubertatem emittantur. Quia, etsi ante eam ætatem rationis vsu ad peccandum sufficienti vtantur; non tamen sufficienti ad vota, ratione eorum grauitatis. Ita apud Sanchez, tenet Sylvester *loco citato* à Narbona, pro prima sententia. Et certè id, & non aliud sentit Sylvester, vt constat, ex his verbis illius. Et quod votum pueri antè annos pubertatis obliget, tenet, & probat Panormit. *in cap. 2. de voto*, iuncta Glossa, vbi tamen innuit vnum, quod sequi videtur Sum. Rosel. scilicet, quod dicantur pueri doli capax post septimum annum: quod quidem est verum,

rum, quoad peccare posse: sed non credo, quantum ad vouere, sed hoc solum est propè pubertatem, de quo suprà *Baptismus* 4. §.8. Hæc Syluester.

alij denique putant, omnia vota emissa, ante pubertatem ab his, qui sufficienti vsu rationis pollent, esse omnino valida; excipiunt tamen votum Religionis, quod non obligare impuberes, ob maiorem eius grauitatem, constanter tenent. Ita Authores, *quæst. sequenti* referendi, in qua specialiter de hoc voto sermo erit.

Sed vt certum Respondeo, omnia simplicia vota (etiam Religionis, de quo statim) emissa, ante pubertatem, cum sufficienti tamen vsu rationis, esse omnino valida, & obligare, antequam irritentur.

Probatur. Quia ad cuiuscumque voti simplicis valorem, ea deliberatio sufficit, & necessaria est, quæ exigitur ad culpam mortalem contrahendam: atqui hæc reperitur ante puberbatem, nempe statim, communiter, post septennium: ergo. *Confirmatur* quia statim post adeptum vsum rationis, potest quis se obligare diabolo, per peccatum; & homini, per sponsalia: ergo & Deo, per votum. Sic tenent S. Thom. 2.2. *q.*88. *art.* 9. *ad* 1. vbi sola vota puerorum vsu rationis carentium, dicit esse inualida. Et idem docet ibid. *q.*189. *art.*5. *ad* 3. Caiet. *eo art.* 9. §. *Ad hoc dicitur, & in sum. v. votum. cap.*3. Nauarr. *cap.*12. *num.*68. Aragon 2.2. *q.*88. *art.*9. Azor *lib.*11. *cap.*16. *q.*9. Valentia 2.2. *disp.*6. *q.*6. *punct.* 6. vers. *Secundò verissimum est.* Sotus, Armilla, D. Anton. & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.*18. *num.*5. & *cap.* 35. *num.*5. Sic etiam Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*3. *cap.*2. *n.*5. Narbona *anno* 7. *q.*17. *num.*9. Qui etiam inter alios citat malè, pro opposita parte, Angelum *v. Religio* 2. *num.* 6. nam apud me, nec tale verbum habet, benè tamen *v. votum.* 2. *n.*6. vbi (vt aduertit Sanchez *cap.*18. *cit. num.*2.) potiùs est pro nostra sententia. Sic etiam Caramuel *in Reg. S. Bened. disp.* 40. *n.* 460. *concl.*9. ita dicens. Votum à pueris, vel à puellis, qui vsum arbitrij naturalem habent, ante annos pubertatis emissum, est validum. Potest tamen à Parentibus, aut tutoribus irritari. Sic ille.

QVÆSTIO LXX.

An etiam votum simplex Religionis emissum ab aliquo, ante pubertatem, sit validum, & obliget antequam irritetur?

NEgant, & à fortiori, omnes Authores, qui primam tenent sententiam, quæst. antecedenti, relatam. Quibus addunt aliqui, Glossam *cap. mulier. v. obligauit.* 32. *q.*2. Abbat. *cap. Scripturæ. de voto, num.*7. Angelum *verb. votum.*2. *n.*6. Innocent. *cap. scripturæ. cit. num.* 3. Hostiens. *n.*7. Ioan. Andream *n.*4. Anton. *n.*3. Cardinalem *n.*6. *q.*11. & 13. & alios, quos refert Sanchez *cap.*18. *cit. n.*2. *qui n.*4. dicit huic sententiæ satis fauere D. Thom. 2.2. *locis sup. citatis.*

Sed adhuc, vt certum Respondeo, etiam votum Religionis emissum, ante pubertatem, dum sit cum sufficienti vsu rationis factum, esse validum, & obligatorium. Quia id etiam probant rationes pro nostra sententia nuper adductæ. Et ita tenent omnes Authores citati: præcipuè Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.*18. *n.*5. & *cap.*35. *num.*5. Qui Glossam, Abbatem, & Angelum in bonum sensum explicat.

His præmissis, difficultas manet, quæ vota filiorum possint irritare Parentes, pro cuius declaratione maiori; sit.

QVÆSTIO LXXI.

Quotuplex sit votum, de quo difficultari potest, an possint parentes illud irritare?

REspondeo dicendum, quod triplex; aliud namque personale; aliud reale; & aliud mixtum. *Personale* est, quo Deo promittitur aliqua actio ipsius personæ, vel aliqua omissio; vt votum ieiunij, castitatis, abstinentiæ à ludo, & similibus. *Reale* votum est, quo res aliqua promittitur Deo, vt eleemosyna. *Mixtum* tandem est votum includens vtrumque, nempe, personale, & reale; & ideo est illud, quo promittitur Deo res, & officium personæ; vt si quis promittat peregrinationem Lauretanam, cum intentione offerendi aliquid Beatæ Virgini, cum ad illius Ecclesiam peruenerit. Sic omnino Candidus *tom.*2. *de voto, disp.* 25. *art.*10. *dubit.* 4. & omnes. Cum quibus adhuc nos amplius *tract.*2. *de voto, disp.*2. *q.*1. & 8.

QVÆSTIO LXXII.

An pater possit irritare, quæcumque filij impuberis vota, siue realia, siue personalia, si mixta?

NEgat Viualdus 3. *p. Candelab. cap.*14. *num.*99. vbi ait, patrem posse irritate omnia vota realia filij, & filiæ impeberum; non tamen omnia personalia; sed sola sibi præiudicantia. Accipe verba Viualdi. Pater, & eo deficiente, vel absente, mater tutrix poterit irritare omnia vota realia filij vsque ad 14. annum, & filiæ vsque 12. & omnia vota personalia, quæ dicto patri, vel matri præiudicant; aliàs non. Hæc ille, & non amplius.

Sed vt quid certum, Respondeo dicendum, quod Pater quæcumque filiorum impuberum vota, siue realia, siue personalia, siue mixta, etiamsi sint Religionis, & Castitatis, possit directè irritare. Quia omnino illa, emissa censentur, sub Parentis beneplacito. Nam ius, siue naturale, siue Ecclesiasticum, propter immaturum puberum iudicium, disponit eorum votis, hanc tacitam conditionem inesse, *nisi Pater contradixerit*: ergo omnia illa vota, nulla adhuc causa subsistente, sed pro mera sua voluntate, potest Pater irritare. Sic expressè habetur in cap. *Mulier.*32. *q.*2. & in Concil. Toletano 10. *cap.* 6. & refertur *cap.* 1. 20. *q.* 2. & in Concil. Triburiensi *cap.* 24. & refertur *cap.*2. 20. *q.* 2. Et tenent communiter Doctores. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 35. *num.*7. Suarez *lib.* 6. *cap.*6. *à num.*1. Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dubit.*14. *n.*82. Layman *lib.*4. *tract.*4. *cap.*7. *num.*10. *assert.*5. Palaus *disp.*2. *de voto, punct.*7. *num.*4. Fagundez *lib.*2. *in Decal. cap.*33. *n.*11. Trullench. *lib.*2. *in Decal. cap.*2. *dub.*34. *n.*2. Tambur. *lib.*3. *in Decal. cap.*16. §.3. *n.*9. Sayrus *in Clau. Reg. lib.*6. *cap.*10. *dub.*13. *num.*23. Candidus *loc. cit. dubit.*3. Raph. de la Torre 2.2. *q.*88. *art.*9. *disp.*4. *num.*5. Legatur inter alios Angel. Doctor. ibi, & omnes eius expositores. Bonacina etiam *tom.*2. *disp.*4. *q.*2. *punct.*7. §.2. *à n.*18.

&

& alij. Et idem dicendum est de iuramentis Deo præstitis, est enim eadem vtriusque ratio, vt sæpe diximus.

QVÆSTIO LXXIII.

An etiam, casu, quo malitia suppleat ætatem impuberis, possint nihilominus, vota omnia ipsius, aut iuramenta Deo præstita, à patre irritari?

NEgat Paludan. *in 3. dist. 39. q. 3. quæst. 2.* apud Sanchez, quatenus docet, non posse patrem irritare votum Religionis filij impuberis, dummodo fuerit pubertati proximus, cùm illud emisit. Negat, & clariùs, apud Suarium, Hugo, vt refert Glossa *in cap. mulier. 32. q. 2.* dicens, in eo casu tale votum non esse irritabile à patre.

Sed vt certum Resp. dicendum, quod etiam in dicto casu, possint omnia vota, aut iuramenta Deo præstita, ab impubere emissa, à patre irritari. Ratio est, quia iura absolutè, & sine vlla distinctione, subdunt voluntatem filij impuberis voluntati patris in negotio se obligandi Deo, quod quidem distinguerent, si id vellent, vti fecere in ætate ad matrimonium petita. Sic Sanchez *lib. 6. cap. 6. n. 5.* cum dicta Glossa *in cap. mulier. citato, & in cap. 1. 20. q. 2. & in cap. Ad nostram.* & *cap. postulasti, de Regularib.* Paludano etiam *in 4. dist. 38. q. 4.* & Sylvestro *Religio 2. q. 12.* Sic etiam Sanchez *cap. 35. cit. n. 11.* Bonac. *n. 18.* Trullench. *num. 2.*

QVÆSTIO LXXIV.

An item, pater possit irritare filij impuberis vota, (aut iuramenta Deo præstita) casu, quo vouens retulerit exequenda, tempore pubertatis, v.g. si voueat Religionem, adueniente pubertate?

NEgant, Innocent. *in cap. Scripturæ, de voto,* & Angles *q. de voto, art. 7. diff. 12. dub. 5.* qui & citat pro se Caietanum *2. 2. q. 189. art. 5.* & dat rationem. Quia (inquit) non est dominus actionum personalium filij impuberis, tempore quo votum executioni mandandum est: & tota ratio, ob quam pater votum impuberis irritare potest, est, quia actionibus personalibus impuberum dominatur. Ita ille, pro cuius sententia citat Sayrus, Nauarrum *cap. 12. n. 66. vers.* Quarto, & etiam Caiet. *loco citato, q. 88. art. 8. vers. circa vota subditorũ.* Ita etiam Aragon *2. 2. q. 88. art. 8.* & Rodriguez (apud Basseum) *tom. 2. Sum. Latinæ cap. 92. n. 10.* & tenet Sanchez mox citandus.

Sed probabiliùs longè Resp. posse etiam. Quia verè illa vota emissa fuerunt sub parentis beneplacito, & habuerunt illa tacitam conditionem; *si pater consentiat, aut si non contradicat.* Vnde quamuis, adueniente iam pubertate, non possit tunc pater irritare illud votum ex parte materiæ; potest tamen illud irritare, propter subiectionem voluntatis, eo tempore, quo votum illud emissum fuit, & propter conditionem tacitam in illo imbibitam. Sic Sylvester *votum 4. q. 2. & v. Religio 2. q. 5. fine,* & apud ipsum, Rayner. Rodoan. & Astensis. Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. ante solution. argument.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6 punct. 6. vers. Quinta quæstio.* Azor *1. p. lib. 11. cap. 17. quæst.* (non dubio, vt dicunt Sayrus, & Bonac.) 8. Sayrus *lib. 6. cap. 10. n. 29.* (non 19. vt legi apud Bonac. & Trullench.) Lessius *lib. 2. cap. 40. dubit. 14. in edit. noua n. 84.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 18. vers. Addo.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 34. n. 2. fine*, qui duo malè citant pro hac parte Nauarrum *n. 67.* quia ibi nil de hac quæstione tractat. Fagundez *lib. 2. cap. 33. n. 11. fine*, Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 39. n. 16.* vbi vocat hanc sententiam probabiliorem, licèt posteà *in sum. lib. 4. cap. 29. num. 3.* mutans sententiam, tantum probabilem vocet. Sic etiam tenet Basseus *tom. 2. votum 2. n. 4.* Diana *p. 4. tract. 4. Resol. 29.* Petr. Ledesma, Lopez, Vega, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO LXXV.

An vota, seu iuramenta Deo præstita, ante annos pubertatis; irritari possint à patre, transacto tempore impubertatis?

NEgant multi Doctores. Quia potestas irritandi vota, est solum concessa durante subiectione, v.g. vota personalia impuberis vsque ad pubertatem: ergo subiectione finita cessat potestas. Ita Rosella *verbo votũ. 2. n. 13. concl. 3.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 2. dub. vltimo*, Aragon *2. 2. q. 88. art. 9. fine.* Angles *in florib. 2. p. q. vnica de voto, art. 7. diff. 12. dub. 7.* Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 91. num. 6. concl. 5.* Vega *2. tom. sum. cap. 129. casu 91. & 96.* & alij.

Sed probabiliùs Resp. posse talia vota, & iuramenta irritari à patre etiam transacto tempore impubertatis: dummodo non sint confirmata post pubertatem. Probatur, quia votum, aut iuramentum emissum in ætate pubere à principio fuit infirmum, & irritabile: ergo semper retinet illam imperfectionem: ergo semper irritari potest; patet hæc consequentia; quia illa potestas data est parenti, vt subueniat imperfectioni filij impuberis: atqui hæc ratio semper durat, & aliàs per nullam legem limitata est illa potestas, vt exerceri debeat, durante impubertate, sed solum ex parte materiæ circa quam, vt versetur circa sola vota impuberis: ergo. *Confirmatur.* Quia votum illud à principio includit illam conditionem: *si pater non contradixit*: ergo semper manet conditionatum, & pendens à voluntate patris, & ratione illius potest irritari; patet quia illa conditio non fuit limitata ad tempus pueritiæ. Sic omninò sapientiss. Suarez *lib. 6. de voto, cap. 6. num. 8.* & penes ipsum, Nauarr. *cap. 12. n. 71.* Caiet. *2. 2. q. 189. art. 5.* Viualdus *3 p. Candelabri, cap. 14. num. 100.* Azor *lib. 11. cap. 17. q. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 40. n. 80.* Ludou. Lopez *1. p. instructor. cap. 48.* Quibus addi possunt Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 30. num. 9. & 14.* & apud ipsum, Graffis *1. p. decis. lib. 2. cap. 29.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 6. q. vltima.* Sayrus *lib. 6. cap. 10. n. 26.* Sà *v. votum, vbi de voti irrit. n. 5.* Llamas, Petr. Ledesma, Philiarc. & Beia. Sic etiam Fagundez *loco cit. n. 13.* Bonac. *disp. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 2. num. 19.* Filliuc. *tract. 26. cap. 8. q. 7. num. 233.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. num. 11.* Candid. *disquis. 25. de voto. art. 10. dub. 7.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 34. num. 3.* Castro Palao *disp. 2. de voto. punct. 3. §. 3. num. 5.* Tamburinus *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. num. 9. fine.* Villalob. *tract. 34. diff. 19. n. 7.* Basseus *tom. 2. votum 2. num. 5.*

QVÆSTIO LXXVI.

An, adhuc possit pater vota, & iuramenta, quæ impubes filius, in ætate impubere fecit, irritare; casu, quo ea postea in ipsa pubertate filius confirmauerit, aut rata habuerit?

REspond. vt certum: Tunc non posse. Quia confirmatio ipsius filij, post finitam subiectionem, tollit Patri potestatem deinceps irritandi. Sic Suarez *loco cit. num.* 12. sic dicens: At si inchoata iam pubertate, aliquis ratum habeat votum, quod in pueritia fecit, iam illud denuo emittit, & ita votum imperfectum, & quod erat conditionale, incipit esse absolutum, denique est tam firmum, ac si tunc primum fieret, & antea nullum votum præcessisset. Sic ille, Sanchez etiam *lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 37. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 71. Caiet. 2. 2. *q.* 189. *art.* 5. Lessius *loc. cit. n.* 83. Fagundez *num.* 15. Trullench. *n.* 3. & omnes nuper citati. Vnde solum restat scire, quando censeatur tale votum, aut iuramentum esse confirmatum à vouente, vel iurante, pro quo sit.

QVÆSTIO LXXVII.

Quando censeatur quis, confirmare, aut ratificare votum, aut iuramentum à se antea factum?

REspondeo vt certum, quod minime dicatur quis ratificare, aut confirmare votum, aut iuramentum, eo quod habeat intentionem illud seruandi, & ideo licèt hanc voluntatem, seu intentionem sæpius habeat in ætate pubere, non confirmat votum, aut iuramentum, vt benè Suarez, & Sanchez *locis citatis.*

Igitur, vt quis censeatur prædictum iuramentum, aut votum ratificare, aut confirmare, necesse est, vt de nouo voueat, vel iuret; aut de facto illud velit confirmare, & reuera confirmet, etiamsi inualidum à principio fuerit. Sic Suarez, Nauarr. Caiet. & Lessius *locis cit.* & Sanchez *num.* 40. vbi ait, hanc confirmationem contingere, quando vota (vel iuramenta) illa, post pubertatem redintregantur, ac repetuntur, volendo denuò ad id obligari. Sic ille. Cuius verba refert Fagundez; (sed non ita fideliter) *num.* 15. *citato.* Trullench. *n.* 3. fine. Villalob. *loco citato.*

QVÆSTIO LXXVIII.

An saltem, si pater vota, & iuramenta à filiis intra impubertatem facta confirmet, & approbet; possit postea illa irritare?

NEgant aliqui Doctores, existimantes, hanc patris confirmationem (siue ab illo fiat, ante pubertatem, siue post illam) sufficere, ne vota aut iuramenta illa impuberum filiorum, irritari amplius valeant. Probant: quia conditio inuenta in illo voto, aut iuramento, est iam plenè impleta, quæ secundum rectam rationem, sicut est intelligenda, *nisi pater contradicat*; ita etiam est intelligenda; *nisi pater consentiat, & ratum habeat*: ergo. Ita Sayrus *in Claui Reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 28. Philiarc. *de offic. sacerdotis tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 18. *vers. Quoad vota filiorum.* Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 6. *num.* 15. & 16. & Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 8. *q.* 7. *num* 233. Citat etiam Tamburinus pro hac parte Lessium, sed non benè: pro opposita namque est, (vt ait Fagundez *lib.* 2. *capit.* 40. *dubit.* 13. *numer.* 76. *in edit. noua.*

Sed probabiliùs Resp. tunc posse. Quia probabilius est, confirmatione patris siue in ætate pubere, siue impubere factam, non obstare, vt deinceps nequeant vota, & iuramenta irritari à Patre. Probatur. Quia vt suprà *quæst.* 41. est habitum, probabilius longè est, quod licentia, & approbatio Superioris Religionis, qua semel approbat vota, & iuramenta suorum subditorum, non adimant illi facultatem validè irritandi ea postea; sed solum efficiant, vt causa sit necessaria, ad licitam irritationem: ergo similiter probabilius est, quod nec per illam confirmationem Patris adimatur facultas illius ad valide irritanda ea vota, & iuramenta, imo & licitè, si adsit iusta causa. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 36. *& cap.* 27. *à num.* 9. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 17. Qui ad argumentum oppositæ sententiæ, negant impletam esse plenè illam conditionem: quia adhuc licentiâ concessa, pendet votum, & iuramentum Deo factum, à consensu Patris, vtpotè qui iterum irritare potest, vt ipsi concedunt in aliorum subditorum votis. Sic etiam debent tenere omnes authores citati pro nostra sententia suprà *quæst.* 41. vt aduertit Fagundez *loco citato.* Et tenet expresè Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 3. *n.* 15.

QVÆSTIO LXXIX.

An etiam vota, aut iuramenta emissa à filio illegitimo, siue naturali, siue spurio; possint irritari à patre?

REsp. posse; dummodo filius non habeat tutorem, au curatorem; quia tunc his incumbit. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 35. *n.* 82. Castro Palao *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 5. Qui & probat: nam esto pater ciuilem potestatem non habeat ad filium naturalem, & spurium gubernandum; habet tamen potestatem naturalem, vt filij imbecillitati in vouendo consulat, ne maneat hoc conuenienti remedio destitutus. Quod intellligendum est, quando nullus adest tutor, qui de hoc remedio prouideat: nam si tutor adest, ipsi, & non parenti, competit filij illegitimi vota irritare: quia tutori, & non parenti, competit illius filij gubernatio, sub tutoris enim, & non sub parentis est potestate. *Instit. de patria potestate, in principio.* Sic ille, & Tamburinus *lib.* 3. *in Decal. cap.* 16. §. 3. *n.* 9.

QVÆSTIO LXXX.

An, votum, seu iuramentum Deo præstitum, ab impubere de peculio castrensi, aut quasi castrensi, possit à patre, vel tutore irritari?

REspond. posse. Quia omnia vota, aut iuramenta (nullo excepto) impuberum, posse à patre irritari, constat ex dictis suprà *quæstiunc.* 72. & ita de hoc speciali voto loquendo tenet Sanchez *lib.* 4.

lib.4. cap.35. num.10. his verbis : ex his primo deducitur, posse quoque irritari à Patre, vel tutore, votum reale impuberis emissum de peculio castrensi, vel quasi ; vt si post Ordines minores tunc assumptos, aliquid, quod alias esset aduentitium acquirat, quod, iuxta veriorem sententiam, est quasi castrense; vel habeat beneficium Ecclesiasticum (potest enim illud habere, iuxta multorum sententiam, decimo quarto anno incepto, cum tamen tunc sit impubes) cuius fructus sunt peculium, quasi castrense. Et ita sentiunt vniuersi Doctores. Sic ille. Quem citat, & sequitur Prado *cap.31. de voto, q.13. §.4.num.61.* oppositum huius responsi inuenies scriptum apud Trullench. *lib. 2. cap.2. dub.34. in summario*, his verbis : Pater irritare potest vota realia, & mixta filiorum impuberum, in quacumque ætate existant; nisi habeant bona castrensia, vel quasi. Ita ille. Sed est error Typographi : legere namque debes, *filiorum puberum*, vt cõstat ex contextu dubij, *n.6.8.& 9.*

QVÆSTIO LXXXI.

An, pater possit irritare omnia vota personalia, seu iuramenta Deo præstita, filiorum puberum?

AFfirmant posse omnia, præter solum Religionis votum, Innocentius *cap. Scripturæ, de voto, n.3.* & ibi Hostiens. *n.7.* Ioan. Andreas *num. 4.* Cardin. *n.6.q.12.* Ancharan. *n.8.* Tabiena *votum.5. q.5. num. 6.* Ouandus *in 4.d.38. disp. vnica, in proposit. 24.* & censet probabile Sotus *lib. 7. de iust. q.3. art. 2. col.4. vers. circa prius autem.* Probant, quia, vt suprà est habitũ, Superior Religionis, potest irritare omnia vota personalia Religiosorum : atqui Pater eadem potestate gaudet in vota puberum, dum minores sunt, ac ille : ergo cum solùm Religionis votum excipiatur in iure ab hac potestate, poterunt omnia alia irritate.

Alij, media via incedentes, censent, quod licèt Pater nullum personale votum pueri puberis possit irritare ; benè tamen possit omnia puellarum puberum vota personalia, dum manent in domo Patris. Ratio eorum est : quia cap. 30. *Numeror.* indistinctè dicitur: *posse patrem irritare vota puellæ manentis in domo paterna* : atqui nomine *puellæ*, intelligitur etiam pubes, dummodo non sit emancipata, vt tradunt ibi Caiet. Oleaster, Carthusian. & Abulens. *q.15.* Et ideò ita tenent Angles *q.vnica de voto, 2. p. art.7. diff.12. dub.6.* his verbis: Pater puellæ puberis, idest, excedentis duodecimum annum, quandiu in domo paterna manet, votum irritare potest. Expressè habetur *cap. 39.* (lege 30.) *Numer.* Qui quidem textus, licèt sit per legem Euangelicam abrgatus, ratio tamen naturalis eiusdem textus vrget, scilicet, quod sit puellæ suo arbitrio relinquerentur, facilè laberentur, & ruerent ; neque decet illas, quemadmodum viros peregrinari. Hæc ille. Lege cautè titulum illius dubij, & vbi inuenies scriptũ *impuberũ*, lege *puberũ*.

Sed, vt certum Resp. dicendum, *Primo* quod non solum nequeat Pater irritare omnia filiorum, puberum vota personalia, seu iuramenta ; verum neque vlla prorsus (præter illa, quæ suæ administrationi, seu gubernationi præiudicauerint, vt infrà.) Ratio est. Quia, obtenta pubertate filius præsumitur plenam discretionem habere ad vouendum, vel iurandum: ergo ex parte voluntatis nulla adest causa irritationis: ergo solum potest adesse ex parte materiæ promissæ, quæ si paternæ administrationi, aut gubernationi domesticæ præiudicauerit, eo ipso votum, aut iuramentum, irritare poterit ; vtpote quod necessariò debet habere hanc ad sui valorem imbibitam conditionem; *Nisi parenti attulerit præiudicium.* Sic omnino Palaus *disp. 2. punct.7. n.9.* ex sapientissimo Suario *lib.6. de voto, cap.5. à num.4.* Valentia *2.2. disp. 6. q.6. punct.6. q.vltima.* Sayro *lib.6. Clauis Reg. cap.5. n.6.* Lessio *lib.2. cap.40. dub.14. in 2. edit. num.85.* Sanchez *lib.4. cap. 35. à num.15.* & Bonac. *disp.4. q.2. punct.7. §.2. n.21.* addens deinde id constare *ex l. Deo nobis, §. Hoc etiam. Cod. de Episcop. & Clericis, & Authent. de Sanctis Episcop. cap.41. & ex cap. Ad nostram. de Regular. & ex cap.1. & 2. 20. q.2.* Tenent item hanc partem expressè S. Thom. *in 4. dist.38. q.1. art.1. quæst. vltima ad 2.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub. 34. num.3.* Tamburinus *lib. 3. in Decal. cap.16. §.3. num.11.* Prado *cap.31. de voto, q.13. §.4. n.62.* Fagundez *lib.2. cap. 33. n.30.*

Respondeo secundo, eadem certitudine, contra Angles. Nec vota personalia puellarum puberum, etiamsi sint sub patria potestate, aut maneant in domo paterna, possunt à patre irritari. Quia in hoc nullum est discrimen inter puellas, & pueros, vt constat ex *cap.1. 20. q.2.* & *cap.2.* vibi dicitur : *Si verò in fortiori ætate, adolescentula, vel adolescens, seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Sic Suarez *loco cit. num.6. & sequent.* vbi ait sententiam Angles non posse probari, & latè respondet eius fundamẽto: dicens quod illa lex *Num.* tã de filiis, quàm de filiabus intelligatur ab Abulens. *ibi, q.2. 14. 19. & 20.* & quoad illam partem, fuisse legem illam positiuam, non naturalem, & ideo iam cessasse. Legatur Suarez etiam *num. 7. & 8.* & alij DD. citati. Sed recensere oportet, quæ sunt vota specialia, quæ pater irritare nequit. Sic ergo.

QVÆSTIO LXXXII.

Quænam sint vota personalia filiorum, & filiarum puberum, quæ pater nequit irritare?

REspondeo, vt omnino certum ; quod in primis, nequeat irritare votum Religionis, castitatis, & Ordines suscipiendi. Quia in his filius est sui iuris, & habet potestatem disponendi de se. Sic S. Thom. *2.2. q.189. art.2.* & omnes eius interpretes. Legantur Suarez *loco cit. à num. 4.* Palaus *num.10.* Fagundez *num.30.* & alij Authores citati nuper *quæst. antecedenti.*

Secundo, non potest irritare votum frequentandi Sacramenta Confessionis, & Communionis; fundendi moderatas preces; aut suscipiendi moderata ieiunia. Nec vota de rebus aliàs præceptis, vt audiendi Missam diebus festis, & similia. Quia hæc omnia non obsunt domesticæ gubernationi. Sic Suarez, Palaus & alij locis citatis.

QVÆSTIO LXXXIII.

An, possit pater irritare vota personalia puberum filiorum, aut filiarum, si iuri patriæ potestatis præiudicent?

REsp. vt certum : Posse irritare omnia vota personalia filiorum puberum sub potestate sua degentium, seu non emancipatorum, quæ præiudicium afferunt patriæ potestati; idest, quæ regimen liberum,

berum, & expeditum familiæ impediunt, vel nimium subtrahunt filium ab obedientia patris. Ratio est, quia talia vota essent illicita ex parte materiæ, & consequenter nulla, nisi includeret conditionem. *Si pater consenserit*; vel saltem; *si non repugnauerit*, iuxta exigentiam materiæ; quia essent contra ius paternum: ergo ratione conditionis inclusæ potest pater talia vota illa irritare. Sic Suarez *lib. 6. de voto, capit. 5. num. 9.* ex S. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 8. ad 2.* Caiet. *ibi.* Soto *lib. 7. de iust. q. 3. art. 2.* Durando *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 7.* Richardo *artic. 4. quæst. 2.* Palud. *q. 3.* Maiore *q. 4. dub. 1.* Supplemento *q. 1. art. 5.* D. Antonino *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6.* Sanchez, *votum 3. q. 6.* Angelo *votum 2.* Tabiena, Rosella, Nauarro *cap. 12. num. 70.* & Parnomitano cum aliis *in cap. Scripturæ, de voto.* Sic etiam Sanchez *lib. 4. cap. 35. num. 16.* cum Graffio *1. p. decis. lib. 2. cap. 29. num. 6.* Sayro *in Claui Reg. lib. 6. cap. 10. num. 24.* Emman. Sà *votum, vbi de irritat. num. 1.* Lessio *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 10. num. 80.* (at in noua edit. *dub. 14.*) Azorio *lib. 11. cap. 17. quæst. 7.* Viualdo, Rodriguez, Ludou. Lopez, Alcozer, Abulensi, & aliis. His adde alios citatos à nobis *sup. quæst. 81.* Palaum *disput. 2. punct. 7. num. 9. & 10.* Fagundez, *num. 30.*

QVÆSTIO LXXXIV.

Quænam sint vota personalia (aut iuramenta Deo præstita) quæ patriæ potestati præiudicare censeantur?

REspondeo dicendum ex dictis, esse omnia illa, quæ aduersantur libero, & expedito domus regimini, aut familiæ, vel nimium subtrahunt ab obedientia Patris. Quia cùm patris sit gubernatio domestica, quodquod incommodum est, dicitur patri præiudicare; vt docent S. Thom. *art. 8. cit.* Suarius, Sanchez, cum aliis vbi suprà.

Quod si adhuc desideres scire in particulari, quænam sint hæc vota puberum, quæ pater irritare potest? Respondeo, esse hæc sequentia,

Primò enim irritare potest votum longæ absentiæ, seu diuturnæ peregrinationis. Quia obstat curæ paternæ, quam cum filio habere debet Pater, dum est sub eius potestate. Ita docent Host. Abulens. Turrecr. Rossella, Lessius, Azor, Palaus citati, & Sanchez *num. 16.* addens id esse verum, etiam casu, quo nulli sumptus in ea peregrinatione faciendi essent.

Secundò potest irritare votum nimiæ abstinentiæ, quo præsumeretur filium morbi habere periculum; vel quo non posset labori ordinario incumbere. Sic cum Turrecrem. Abulens. Rosella, & Azorio, Sanchez *num. 17. cit. vers. secundum exemplum*, Suarez *n. 9.* Palaus *n. 10.*

Tertiò potest irritare votum multorum ieiuniorum, quæ vel morbi periculum afferrent; vel astringeret Patrem ad parandos cibos diuersos à communibus domus. Sic Azor, Suarez, Sanchez, & Palaus *locis citatis.* Imò Lessius innuit, idem esse dicendum de voto paucorum; quod Sanchez non admittit, nisi casu, quo astringeret Patrem ad parandos diuersos cibos; vel valde obstaret filio, vt labori necessario incumberet.

Quartò potest irritare votum tot precum, & orationum, quibus impeditur assistere obsequio paterno, aut studio, cui vacat ex Patris iussu. Quia hoc patris potestati nocet. Sic Suarez *lib. 6. cit. cap. 5. num. 4.* Sanchez *num. 17. vers. vltimum exemplum.* Palaus, *num. 10.* fine, cum Lessio *loco citato.*

QVÆSTIO LXXXV.

An hæc filiorum puberum vota (seu iuramenta) personalia, irritari à Patre valeant, directè, & propriè; ita vt nunquam reuiuiscere queant?

NEgatiuam sententiam esse probabilem dicunt aliqui, docentes esse probabile, talem irritationem non esse propriè talem, sed solum quandam suspensionem; & ita cessante patria potestate, reuiuiscere dicta vota à Patre irritata. Ita Aragon *2. 2. q. 88. art. 9. col. vltima*, Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 91. concl. 8. num. 9.* Sayrus *lib. 6. clauis cap. 10. num. 24. fine*, ex Iosepho Angles *q. vnica de voto, art. 7. diff. 12. dub. 6. concl. 2.*

Sed multò probabiliùs Respondeo, dicendum, quod verè, & propriè possint à Patre talia vota personalia, (seu iuramenta) irritari; & ita vt nullo modo reuiuiscere, etiam cessante patria potestate, queant. Ratio est, quia vt sæpè diximus, hæc vota irritantur à Patre ratione conditionis in eis imbibitæ, qua pendent ex consensu Patris: atqui quando imbibunt conditionem, possunt verè irritari, ita vt nunquam reuiuiscant: ergo. Sic Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 35. num. 20.* & vt probabile sequuntur authores nuper citati.

QVÆSTIO LXXXVI.

An, pater possit irritare omnia vota realia à filiis post pubertatem ante vigesimum quintum annum completum, emissa?

REspondeo vt certum: posse (dummodo vota non fuerint elargiendi de peculio suo, vt infrà) Ratio est. Quia filij vsque ad vigesimum quintum annum completum, sunt sub parentum custodia, & cura, ita vt de rebus, & bonis ipsorum, sine eorum authoritate dispensare non possint, vt patet ex toto *tit. ff. de minoribus*: ergo vota realia de talibus rebus facta à filiis, sunt in præiudicium paternæ potestatis: ac proinde irritabilia ab ipso. Sic omnes cum D. Thoma *2. 2. q. 88. art. 8. ad 2.* Legantur Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 35. n. 21.* Suarez *lib. 6. cap. 5. num. 12.* Fagundez *num. 30. & 31.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. num. 21. vers. Respondeo secundò.* Sayrus *lib. 6. cap. 10. n. 25.* Tambur. *lib. 3. cap. 16. §. 3. n. 11.* Trullench. *lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 34. n. 6.* Prado *cap. 31. q. 13. §. 4. n. 65.*

QVÆSTIO LXXXVII.

An etiam possit pater irritare vota realia filiorum puberum, si facta sunt de bonis castrensibus, aut quasi, quorum filij dominium habent?

RESpod. vt certum dicendum: quod hæc non possit. Quia dominium, & vsus horum bonorum penes filios puberes sunt, ita vt de illis liberè eleemosynas facere, & vouere, se daturos aliquid ex eis possint, etiam inuitis parentibus; ergo pater huiusmodi vota non poterit irritare. Sic colligitur ex *l. filiusfamilias, in fine, ff. de donationib.* & tenent omnes Doctores. Legantur Suarez *loco cit. num.* 4. Sanchez *cap.* 35. *cit. n.* 23. *&* 33. & apud ipsum, Nauarr. *cap.* 12. *n.* 70. Sayrus *n.* 25. *cit.* Sà *votum. vbi de irritat. n.* 1. Azor *lib.* 11. *cap.* 17. *quæst.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 81. & *in noua edit. dub.* 14. *n.* 85. & alij. Quibus addo Bonac. Fagundez, Tamburin. & Trullench. locis citatis, & Prado *n.* 68. Palaum *disp.* 2. *punct.* 7. *num.* 11. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 8. *num.* 221. Lege me ipsum *part.* 6. *tract.* 5. *de eleemosyna, disp.* 3. *q.* 13. vbi inuenies decisum, quæ sint bona castrensia, & quasi castrensia.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An saltem possit pater irritare filij puberis vota, si hæc principaliter sint personalia, & realia accessoriè?

NEgant aliqui Doctores, sentientes, non posse irritare talia vota, eo quod accessorium sequatur principale: atqui personale non potest irritare: ergo nec accessorium. Ita Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 6. *quæst. vltima*, & Sayrus *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 24. apud Sanchez, infrà.

Sed probabiliùs, seu clariùs, Respondeo dicendum cum ipso Sanchez, posse patrem talia vota irritare, casu, quo expensæ essent alicuius momenti, vt ait Alcozer in sum. *cap.* 16. *concl.* 4. *fol.* 56. *pag.* 1. apud Sanchez, apud me verò *fol.* 71. *pag.* 2. *ibi*: Y los reales, i mixtos de peregrinacion, enque se ha de gastar mucha acienda los pueden irritar los dichos padres, i curadores. Sic ille. Et ex illo, Sanchez *loco citato num.* 22. Imò & Sayrus id ipsum tenet loco à Sanchez citato pro opposito, vt constat ex iis verbis. Si enim (inquit) sint mixta, & personalia principaliter, vt votum peregrinationis, tunc quidem quamuis regulariter ea pater irritare possit (lege tu; *non possit*) eo quod accessorium sequitur nuturam principalis, iuxta *regul. iuris* 41. *Reg. Accessorium, de regul. iuris in* 6. quando tamen votum tale, esset præiudiciale gubernationi domus, personæ, potestati, & substantiæ paternæ, quia eam filius, sine multis sumptibus exequi non possit; tunc quidem valde probabile est ratione illius rei admixtæ, posset Pater irritare votum illud, cum filius, tunc etiam subiectus sit Patri quantum ad curam bonorum: sic ille ex D. Anton. Nauarro, Aragonio, & aliis.

QVÆSTIO LXXXIX.

An, votum principaliter personale, si aliquod reale per quandam consequentiam illi accedat, sit irritabile à patre?

RESpondeo vt certum: quod non. Sit exemplum. Si Minor pubes voueat Religionem, minime potest pater irritare hoc votum, quamuis in consequentiam ingressus, succedere debeat Monasterium in omnia bona ingredientis, iuxta Authent. *ingressi. C. de Sacrosc. Eccles.* Ratio est: quia hic alienandi modus est permissus minori, absque parentum, aut curatorum consensu. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 24. *&* 25. vbi addit, huiusmodi votum non esse mixtum, sed purè personale. Esset tamen mixtum, sed semper inirritabile, si ille minor pubes voueret expressè Religionem, & simul sua bona per professionem illi dicanda: quia hic disponendi de bonis modus est illi permissus. Sic etiam apud illum sentiunt Nauarr. *cap.* 12. *num.* 64. *&* *num.* 70. Sayro *loco cit. num.* 25. (Licèt ob aliam rationem, quam benè impugnat Sanchez, id teneat.) Palud. Angel. D. Anton. Sylvest. Ouandus, Graffis, Sà, & Lopez. Trullench. etiam *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 34. *num.* 7.

QVÆSTIO XC.

An, pater possit irritare votum, aut iuramentum filij puberis de bonis aduentitiis, quorum pater nec vsumfructum, nec administrationem habet?

RESpondeo *Primò* vt quid certum sic. Minime potest pater irritare huiusmodi votum, aut iuramentum, casu quo filius post vigesimum quintum annum vsum, & administrationem bonorum aduentitiorum habeat. Quia cum tunc dispositio horum bonorum, non dependeat ex patris consensu, nec votum, & iuramentem ex illo pendebunt, sed firma erunt facta de his bonis, ac proinde illa pater irritare nequibit. Sic Sanchez *cap.* 35. *cit. à num.* 38. Palaus *punct.* 7. *citato num.* 12. Lege me ipsum *6. p. tract.* 5. *disp.* 3. *q.* 14. vbi diximus, filiumfamilias non habere vsumfructum bonorum, quæ aduentitia dicuntur.

Respondeo *secundò*, casu, quo pater habeat administrationem bonorum aduentiorum filij puberis, etiamsi vsusfructus sit apud filium, tunc benè poterit pater irritare vota realia (seu iuramenta) de illis emissa, tempore minoris ætatis: Sanchez secus de emissis ea transacta, quando filius maior effectus ea vouit. Sic Sanchez *n.* 41.

Respondeo *tertiò*, casu quo administratio dictorum bonorum filij puberis in minori ætate constituti, patri non competat, vel quia pater eam respuat; vel quia sub ea conditione filio bona illa relicta sunt, tunc nequibit pater irritare vota de iis facta; sed incumbet curatori. Sic Sanchez ibi, & Palaus *num.* 12.

QVÆSTIO XCI.

An votum, aut iuramentum, emissum à filio pubere eundi in Terram Sanctam; non deuotionis causa, sed in eius subsidium, possit à patre irritari?

NEgant multi Doctores, moti ex cap. *Ex multa, de voto*, vbi datur licentia viro exequendi hoc votum, etiam vxore renuente, ob boni publici fauorem: qui in hoc subsidio præstando cernitur: ergo multo magis intelligetur concessa filiofamilias maioris ætatis, inuito parente; patet quia magis præiudicat vxori absentia mariti, quam patri absentia filij. Ita tenent Hostiens. *in sum. tit. de voto, §. Quis vouere possit*: *num.* 8. Abulens. *cap.* 30. *Numerorum q.* 77. *&* 79. Henricus *cap. Scripturæ, de voto, num.* 5. Turrecrem. *cap. sunt quædam* 17. *q.* 1. *num.* 5. Rosella *votum* 2. *n.* 5. Sylues. *votum* 3. *q.* 6. Angel. *votum* 2. *num.* 5. Nauarrus *cap.* 12. *n.* 70. Greg. Lopez *l.* 3. *verf. de edad. tit.* 8. *part.* 1. Rodrigez *tom.* 2. *sum. cap.* 91. *n.* 9. *concl.* 8. Graffis 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 6.

Sed clariùs Resp. cum Suario, *Primò*. Si votum, & iuramentum eundi in Terram sanctam fit causâ deuotionis, aut religionis tantùm, potest irritari à Patre. Quia nec vir potest id votum exequi, absque vxoris consensu, & ideo potest ab illa tunc irritari, si fiat à suo viro hac intentione, vt cum communi docet Sanchez *lib.* 4. *cap.* 34. *&* *cap.* 35. *n.* 26. Suarez *lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 11.

Respondeo *secundò*, si id votum fiat à pubere in subsidium Terræ sanctæ, & exequendum sit expensis paternis, tunc nullatenus potest impleri, absque licentia patris, sicut nec valide fieri, inconsulto illo; quia filius non habet ius disponendi de bonis paternis. Sic Suarez & Sanchez *locis citatis*: Addentes, quod si subsidium illud esset tantum personale, adiuuando, scilicet, per se ipsum, vel militando, vel consulendo, vel aliud ministerium vtile ad bellum exercendo, tunc forsan admitteretur prima sententia, non tam ex iure positiuo, (vt probare intendit) quam ex iure naturali: quia tunc nullum ferè fit præiudicium patri; & ratio boni communis præponderat iuri paterno. Sic isti sapientissimi Doctores. Quibus accedunt Palao *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 10. Trullench. *n.* 7. Raph. de la Torre 2. 2. *q.* 88. *art.* 9. *disp.* 4. *num.* 4. Prado *q.* 13. *cit* §. 4. *n.* 69. Fagundez *cap.* 33. *num.* 32.

Ad argumentum contrariorum Respondeo, negando consequentiam; tum. quia textus ille, solùm viros coniugatos excipit, & cum sit exceptio à iure communi exorbitans, non debet ad alios casus extendi, sicut non extenditur ad seruos, aut Religiosos. Tum, quia non est eadem ratio in filiis, ac est in viris: quia viris competit gubernatio domus, & familiæ, suntque vxoris caput, & ideo liberius possunt disponere de actionibus, & rebus suis, quàm filius.

QVÆSTIO XCII.

An, pater possit irritare votum, aut iuramentum filij puberis, eundi Romam ad impetrandam absolutionem excommunicationis reseruatæ?

NEgant aliqui, & probant ex textu *in cap. Relatum, de sentent. excomm.* vbi deciditur, seruum incidentem in excommunicationem reseruatam, esse compellendum, renittente domino, ire Romam, nisi constiterit seruum id in domini fraudem fecisse. Et redditur ratio his verbis: *Cum plus sit Deo, quàm hominibus deferendum*: ergo. Ita tenent Hostiensis, Henricus, Abulens. & Turrecr. quæst. antecedenti citati.

Sed clariùs Resp. Posse à patre irritari tale votum, aut iuramentum, casu, quo per Bullam Cruciatam, aut Riligiosorum priuilegium posset prædicta absolutio obtineri. Quia tunc iam cessat necessitas, quæ id ius concedebat. Sic Sanchez *cap.* 35. *n.* 27. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 34. *num.* 7. Palaus *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 10.

QVÆSTIO XCIII.

An, pater possit irritare vota realia filiorum puberum, relata in tempus, quo filij erunt sui iuris?

AFfirmandum videtur. Quia pater potest irritare vota filij impuberis relata in tempus pubertatis, vt habitum est *quæst.* 74. ergo, & filiorum puberum relata in tempus, quo fuerint sui iuris. Ita Reginaldus *lib.* 18. *num.* 309. apud Bonac. & apud Sanchez mox citandum *n.* 2. Sotus, Alcozer, Lopez, Vega, Petr. Ledesma, & alij.

Sed probabilius Respondeo: Non posse. Quia hæc facultas non competit Patri ex vllo iure; nec hæc vota vergunt in præiudicium Patris; nec sunt facta sub aliqua conditione tacita, sicut sunt vota filiorum impuberum: ergo non possunt à Patre irritari. Sic Bonacina *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 2. *num.* 22. ex Sylueſtro *votum.* 4. *q.* 2. Nauarro *cap.* 12. *n.* 64. & Lessio *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 81. (mihi 85.) ibi: Secus tamen est de votis realibus relatis in tempus, quo erunt sui iuris: quia non officiunt administrationi Curatorum. Sic etiam Sanchez *lib.* 4. *Sum.* (retractans opinionem quam docuerat *lib.* 9. *de matrim. disp.* 39. *n.* 16.) *cap.* 29. *n.* 3. citans pro se Suarium *lib.* 6. *de voto, cap.* 3. *&* *cap.* 5. *num.* 4. *&* 13. Sayrum *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 29. *&* 30. Azorium *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 8. Valentiam, Sà, & alios. Trullench. etiam *dub.* 34. *cit. num.* 10.

QVÆSTIO XCIV.

An, casu, quo dubitetur: An filius pubes votum reale (aut iuramentum) emiserit, implendum eo tempore, quo erit sui iuris; præsumendum sit, emissum fuisse pro tali tempore, & ideo nequeat à patre irritari?

AFfirmat Sanchez *lib.4.cap.32. n.13.* his verbis: Si autem votum impleri nequeat tempore subiectionis; vt si seruus, aut coniugatus voueant Religionem; credo in hoc dubio censeri emissum, vt tempore libertatis impleatur. Quia in dubio, est sumenda coniectura pro valore actus, & ne stultus ille sit, & ita irritari non poterit. Sic ille, & certè satis probabiliter.

Sed melius Respondeo negatiuè, & ideo puto posse irritari. Ratio est; tum, quia in dubiis benigna pars accipienda est, nisi præsumptio sit in contrarium. Tum etiam, quia possessio stat pro Patre potestatem habente, ad irritanda vota realia filiorum. Sic Bonacina & Trullench. *locis nuper citatis.*

QVÆSTIO XCV.

An, valida sit irritatio iuramenti, aut voti realis, facta ab eo, qui putabatur pater vouentis; sed postea certò cognoscitur non esse verus pater?

REspondeo non esse validam, & consequenter iuramentum, aut votum reale tenere. Ratio est (ait Sanchez) quia quamuis in iis, quæ iurisdictionis sunt, error communis cum titulo, satis sit ad valorem actus, iuxta *leg. Barbarius ff. de officio Prætoris*: at id non efficit, vt actus dominij valeant; sicut non valeret venditio serui existimati talis. Nec etiam hic error, efficit, vt vota conditionem imbibitam habeant: quod est fundamentum potestatis irritandi. Sic ille *lib.4.cap.32.* (non 22. vt legi apud Trullench.) *num.16.* Bonac. *disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. num. 23.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 34. numer. 11.*

QVÆSTIO XCVI.

An, vota, aut iuramenta filij, à patria potestate egressi; sint adhuc à patre irritabilia?

REspondeo vt certum: Quod non. Quia tunc filius iam est sui iuris; nec Patri quoad personam, vel bonorum administrationem, est subiectus: ergo. Sic omnes. Legantur Palaus *disput. 2. de voto pun. 7. num. 13. & 2.*

Vnde solùm est difficultas quando filius eximitur à patria potestate, pro qua explicanda sit.

QVÆSTIO XCVII.

An, filius excedens ætatem vigesimi quinti anni, sit exemptus à patria potestate, & consequenter eius iuramenta, seu vota realia, nequeant à patre irritari?

AFfirmant plures Doctores, docentes solum posse Patrem irritare vota realia filiifamilias emissa ante vigesimum quintum annum. Quia vsque ad eam ætatem denegatur illis bonorum administratio. Ita Angelus *votum 2.n.6.* Siluest. *votum 4.q.2. dicto 2.* Nauarrus *cap.12. n. 70.* D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 2.n. 6.* Sotus *lib.7. de iust. q. 3. art. 2. vers. Ex his sic dispositis,* Angles, *q. de voto, art. 7. diff. 12. dub. 8.* Metina *lib. 1. sum. cap. 14. §. 7.* Margarita Confessor. *de irritat. voti, fol. 138.* Alcozer. *in sum. cap. 16. concl. 4.* Aragon *2.2. q. 88. art. 9.* Ludou. Lopez, Vega, Rodriguez & Philiarcus, quos omnes refert pro hac parte Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 39. num. 10.* Toledo *lib. 4. cap. 18. num. 7.* Sayrus *in Claui Reg. lib. 6. cap. 5. num. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 10. numer. 81.* Palud. Beia, Llamas, & Graffis, quos idem Sanchez refert *lib.4. in Decal. cap.35.n.28.*

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod filius non eximitur à patria potestate ratione ætatis, licèt sit senex: & consequenter in quacumque ætate filius familias vota realia emiserit, poterit ea pater irritare. Probatur, quia quod filius eximatur à patria potestate illico, ac excedit vigesimum quintum annum, nullo iure cautum est; nec perdit pater vsumfructum, & administrationem bonorum aduentitiorum, nec potest filius, inconsulto patre, ea alienare, aut de his disponere: ergo consequenter poterit pater irritare vota realia filiifamilias in quacumque ætate ea emittat; & ita sola vota post eius emancipationem emissa, non poterit irritare. Sic Sanchez *lib. 6. de matrimon. & lib. 4. Decal. citatis,* & penes ipsum Tabiena *votum 5. q. 5. n. 6.* Vialdus *in Candelab. 3. p. cap. 14. n. 92.* Lessius *in 2. edit. lib. 2. de iust. cap. 42. dub. 12. num. 61. vers. De iuramentis.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 5. n. 12.* Innocent. Ioan. Andreas, Antonius, Hostiens. Cardinal. & Petr. Ledesma. Sic etiam Palaus *disp. 2. pun. 7. num. 2.* Legatur rursus Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 14. n. 8.* Vbi citat etiam pro hac parte Gomez, Perez, Glossam, & Angel.

QVÆSTIO XCVIII.

An, filius familias eximatur à patria potestate, & fiat emancipatus, per assumptionem ad Ordines sacros, saltem Præsbyteratum?

AFfirmant nonnulli Doctores, docentes consequenter inde, vota realia post Ordines sacros à filio emissa, non posse à Patre irritari. Probant: quia dignitas Sacri Ordinis longè excedit quascumque dignitates sæculares: at vndecim sunt dignitates sæculares, per quas filius liberatur à patria potestate,

quæ numerantur *leg. finali, Cod. de decurionib. lib.* 10. *& lege Regia* 7. *vsque ad* 14. *tit.* 18. *par.* 4. & nos *infra q.*107. ergo à fortiori, id Ordini ſacro eſt tribuendum. Ita Gloſſa cap. *Indecorum. verb. qui ſe ipſos, de ætate & qualitate*: & *cap.*1. *verb. magiſtris,* 25. *q.* 2. Silueſter, & Armilla *verb. Patria poteſtas,* non ſtatim *in principio*, vt ait Sanchez, *ſed fine.*

Sed vt quid certum Reſpondeo dicendum, quod filius minimè eximatur à patria poteſtate, per Ordines ſacros, etiam Præsbyteratum : & ideo poſſe à patre, eius vota realia, poſt ſacros Ordines emiſſa, irritari. Vnde nil diſcriminis eſt inter filios Præsbyteros, & reliquos filios familias, quoad eorum vota realia irritandi, poteſtatem patri competentem. Ratio eſt, quia oppoſitum nullibi eſt cautum; ſed potius contrarium ſupponitur in *lege* 1. *C. de Epiſcopis, & Clericis.* Sic communis. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 35. *n.* 37. & *lib.* 1. *conſil. cap.* 1. *dub.* 16. & apud ipſum, Innocent. Hoſtienſ. Ioan. Andreas, Anton. Abbas, Cardin. Bern. Diaz, Couarru. Gutierrez, Molina, & alij plures. Sic etiam Palaus *diſp.* 2. *pun.* 7. *num.* 1. Trullench. *dub.* 34. *cit. num.* 9. Qui benè cum Sanchez citat etiam pro hac parte Silueſtrum (ſibimet contrarium) *verb. peculium* 1. *q.* 2. *fine.* Nec obeſt fundamentum contrariorum; quia cùm exemptio à patria poteſtate pendeat à iure poſitiuo, poteſt hoc aliquid minus digno, & non digniori tribuere.

QVÆSTIO XCIX.

An, filius eximatur à patria poteſtate, per matrimonium, receptis Eccleſiæ benedictionibus; attento iure communi?

REſpondeo dicendum, quod attento iure communi, filius non eximitur à patria poteſtate, ratione contractus matrimonij, vt conſtat *ex lege* 1. *& 2. C. de bonis, quæ liberis.* & *l. ſi vxor. C. de conditionib. inſertis*, & notat Matienzo *lib.* 5. *Recopil. tit.* 1. *leg.* 8. *Gloſſa* 1. *num.* 2. cum aliis, & ideo, vbi ius commune non eſt contrario vſu, aut lege ſpeciali Regni correctum, ſed viget, poterit pater irritare dicti filij vota realia, donec à ſua poteſtate per emancipationem exeat. Sic Sanchez *loco citato*, *n.* 31. *& lib.* 1. *conſil. cap.* 1. *dub.* 14. *num.* 6. & Palaus loco citato.

QVÆSTIO C.

An ſaltem, attento iure ſpeciali Caſtellæ Regni, quo cauetur, filium per matrimonium, receptis Eccleſiæ benedictionibus, eximi patriâ poteſtate; tunc poſſit pater irritare vota realia, aut iuramenta, talis filij?

REſpondeo poſſe patrem irritare vota realia filij coniugati emiſſa ante quam Eccleſiæ benedictiones recipiat : ſecus emiſſa poſtea. Ratio eſt, quia vota realia emiſſa à minori iam emancipato, & ſubinde extra patriam poteſtatem conſtituto, nequit pater irritare : atqui hic filius ſit emancipatus, & extra patriam poteſtatem in Regno Caſtellæ, per Matrimonium receptis Eccleſiæ benedictionibus, & non antea, vt conſtat ex *l. Regia* 47. *&* 48. *Tauri*, & hodie 8. *&* 9. *tit.* 1. *lib.* 5. *nouæ recopilat.* ergo vota ante dictas benedictiones emiſſa poſſunt irritari à patre; non autem poſtea facta. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 32. *&* 33. cum aliis pluribus. Palaus *diſp.* 2. *pun.* 7. *n.* 2. his verbis : Octauo, in hoc Regno Caſtellæ, & Luſitaniæ, matrimonio contracto, etiam inſciis parentibus, eximitur filius ab eorum poteſtate, dummodo ſubſecutæ ſint Eccleſiæ benedictiones. Sic ille. Et antea Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 229. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 5. *n.* 12. Trullench. *loco cit. n.* 9. Legatur rurſus Sanchez lib. 1. conſil. *loco citato*, vbi plures Authores citat pro hac parte.

QVÆSTIO CI.

An, pater iam profeſſus in aliqua Religione; poſſit irritare vota, aut iuramenta filij, ſiue puberis, ſiue impuberis?

REſpondeo vt certum. Quod non. Quia certum eſt, quod per profeſſionem patris, eximitur filius ab eius poteſtate : & ita nullam filij curam retinet, ſed ea tota tranſit in curatorem, & tutorem, ſi filius eos habeat, aut in matrem; & ſi his omnibus careat, erit ſui iuris. Sic communis. Speculator, Ioan. Andreas, Bart. Baldus, Abbas, Couarru. Molina, & alij plures, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 44. *&* 48. & *lib.* 1. *conſil. cap.* 1. *dub.* 14. *n.* 4. Palaus *loco citato n.* 2. & Trullench. mox citandus.

QVÆSTIO CII.

An ſaltem, pater dum eſt nouitius, poſſit irritare vota, aut iuramenta filij manentis in ſæculo?

NEgat Rebellus *tract. de iuſt. par.* 2. *lib.* 1. *q.* 8. *ſect.* 6. *n.* 63. *&* 64. eo quod exiſtimet, filium eximi à poteſtate patris nouitij.

Sed vt certum etiam Reſpondeo tunc poſſe. Quia certum eſt, quod tempore nouitiatus, nondum pater tranſiit in Prælati poteſtatem, vt ſic deſinat filium in ſua poteſtate habere. Sic Sanchez *loco cit. n.* 45. *&* 46. Vbi ita ait : pater dum eſt nouitius poteſt irritare vota filij manentis in ſæculo; & ſimiliter pater id poteſt, ſi filius ſit nouitius; eodem prorſus modo, quo ſi pater eſſet in ſæculo, & filius quoque. Quia per neutrius nouitiatum amittitur aliquid patriæ poteſtatis, aut iuris in filios. Quæ ratio idem probat, exiſtenti vtroque nouitio. Sic ille. Et ex illo Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 34. *num.* 13.

QVÆSTIO CIII.

An, si pater professus eiiciatur omnino à Religione, possit irritare vota, aut iuramenta sui filij?

REspondeo vt certum : Non posse. Quia pater per eiectionem non desinit esse professus : at pater professus nequit irritare vota aut iuramenta vlla filij, vt supra *q.* 101. est habitum : ergo. Sic Sanchez *num.* 49. Trullench. ex illo, loco citato.

QVÆSTIO CIV.

An, pater non professus, possit irritare vota, aut iuramenta filij professi?

REspondeo vt certum. Quod non. Quia tunc filius, cum incidat in Abbatis potestatem, omninò est, extra sui patris curam, & potestatem. Et ob eamdem rationem, idem est dicendum, si filius professus eiiciatur à Religione, nequibit enim pater vlla eius vota aut iuramenta irritare, siue in Religione, siue post eiectionem sint emissa, quia non redit in patris potestatem. Sic Sanchez *n.* 50. *&* 51. & *lib.* 1. *consil. cap.* 1. *dub.* 14. *n.* 4. Trullench. loco citato.

QVÆSTIO CV.

An saltem, Equites professi in Ordine quocumque militari, possint irritare vota, aut iuramenta filiorum?

REspondeo vt certum ; Posse, ac si professi non essent ; etiam si ipsi filij in eodem Ordine professi sint. Ratio est, quia Pater in quocumque Ordine militari professus, ita in sæculo manet, vt retineat curam filiorum, & bonorum administrationem, ac patriam potestatem : & similiter quando filius est professus, vt experientia constat. Sic Trullench. *num.* 13. *cit. fine*, ex Sanchez *loco citato, num.* 52.

QVÆSTIO CVI.

An, pater seruus possit irritare vota, aut iuramenta filij, siue serui, siue liberi?

NEgandum absolutè videtur. Quia quando Pater est seruus, cum sit ipse in domini potestate, nequibit filium, siue seruum, siue liberum, habere in sua potestate, vt probant Glossa, *cap. vnico, verbo, Aui.* 32. *q.* 3. Sanchez *n.* 53. Palaus *disp.* 2. *de voto pun.* 7. *sub num.* 2. ergo neque irritare vlla eius vota, aut iuramenta.

Respondeo *primò*, vt certum. Pater seruus nequit irritare realia vota, aut iuramenta filij puberis etiam liberi. Ratio est, quia nullam bonorum filij serui, aut liberi Pater seruus administrationem habet. Sic cum communi Authores citati.

Respondeo *secundò*. Pater seruus potest irritare vota, aut iuramenta filij impuberis, siue serui, siue liberi, quando filius liber tutore caret. Quia etsi ciuilem potestatem non habeat Pater seruus in filium liberum, aut seruum, nec liber in filium seruum, habet tamen naturalem, vt imbecillitati illius teneræ ætatis consulat. Sic Sanchez & Trullench. Legantur.

QVÆSTIO CVII.

An, filius eximatur à patria potestate, per dignitatem Episcopalem?

NEgandum videtur. Quia non eximitur per Ordinem Sacrum, etiam Præsbyteratus, vt supra *q.* 98. est habitum : ergo neque per Episcopalem eximetur.

Sed vt certum Respondeo, Eximi, & liberari à potestate patria per dignitatem Episcopalem. Quia id tanquam quid speciale decernitur in iure *cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi.* & *Authent. Sed Episcopalis dignitas. C. de Episcopis, & Clericis.* & *l. regia* 14. *tit.* 18. *p.* 4. Sic omnes. Legantur Sanchez *lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 37. Palaus *disp.* 2. *pun.* 7. *n.* 2. Lege Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 1. *dub.* 14. vbi *num.* 2. enumerat duodecim Dignitates per quas filius liberatur à patria potestate. *Primò*, si filius creetur Regis consiliarius. *Secundò*, si creetur Proconsul. *Tertiò*, si fiat Præfectus pretorio. *Quartò*, si fiat Præfectus vrbis, quæ est caput Regni alicuius. *Quintò*, si fiat Præfectus Orientis. *Sextò*, si fiat Receptor tributorum. *Septimò*, si fiat Magister militum. *Octauò*, si fiat Patronus Fisci. *Nonò*, si fiat Princeps agentium in rebus. *Decimò*, si fiat Magister scrinij sacri libellorum. *Vndecimò*, si fiat Magister scrinij memoriæ Principis. *Vltimò*, si fiat Episcopus.

QVÆSTIO CVIII.

An, pater possit irritare vota, aut iuramenta filij emancipati?

REspondeo vt certum : Quod non. Quia filius emancipatus est liber à patria potestate; cum sit sui iuris, & habeat liberam suorum bonorum administrationem : ergo eius vota nequit pater irritare. Sic communis. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 35. *n.* 33. Suarez *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 12. Palaus *num.* 2. *cit.* Trullench. *num.* 9.

---

§. V.

De potestate quam habent tutores, & curatores ad irritanda vota, vel iuramenta Deo præstita, pupillorum & minorum.

QVÆSTIO CIX.

An detur discrimen iter tutorem, & curatorem?

REspondeo vt certum : Dari. Nam Tutor datur principaliter personæ, & secundariò rebus. Curator verò contrà datur principaliter rebus, & secundariò personæ, quod probat Sanchez *lib.* 4. *cap.* 30. *n.* 6. *&* *cap.* 35. *n.* 55.

Rursus,

Rursus, tutor datur in ætate pupillari, ideſt, vſque ad pubertatem, qua completa ceſſat ſtatim. At curator datur puberibus, duratque toto minoris ætatis tempore, nempe vſque ad vigeſimum quintum annum completum, quo tempore finito ceſſat curator. Sic Sanchez *loco cit.* Molina *tom.1.de iuſt.diſp.* 220. (non 120. vt legi apud Trullench,) & alij cum his. Qui notant id eſſe intelligendum, niſi aliàs minor veniam ætatis legitimè à Principe impetret, quia ex tunc liberabitur omnino curatoris poteſtate quippe id perinde eſt ac maiorem effici, & ex tunc non gaudet reſtitutionis beneficio. Legantur Authores citati, & Trullench. *lib. 2.cap.2.dub.35.num.1.* Diana *par.9.tract.8.Reſol.14.*

QVÆSTIO CX.

An tutor poſſit omnia iuramenta, & vota impuberum irritare, eodem prorſus modo, quo poteſt pater?

REſpondeo tanquam certum: Poſſe omnia vota realia, perſonalia, & mixta impuberum irritare inſtar patris. Quia tutor ſupplet vices patris ad conſulendum imbecillitati intellectus impuberum, ne imprudenter votis ſe adſtringant. Sic omnes. Legantur Sanchez *lib.4.cap.35.num.60.* Suarez *lib.6. de voto cap.6.num.19. & 22.* Vbi id probat ex illo Pauli *ad Galat. 4. Quanto tempore hæres paruulus eſt, &c. ſub tutoribus, & auctoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à Patre.* & *ex cap. puella 20. q.2.* Bonac. *diſp. 4. q. 2. pun.7. §.2.num.18.* Fagundez *lib.2. in Decal. cap.33.num. 11.* Trullench. *lib. 2. cap.2. dub. 35. n.2.* Palaus *diſp. 2.de voto, pun.7. numer. 6.* Caram. citatus, *q.69.* Tamburin. *lib. 2. cap. 16. §. 3. num. 17.* & omnes, qui id docent de tutore vtriuſque ſexus, etiam ſi ſit mater.

QVÆSTIO CXI.

An etiam, curator poſsit irritare omnia vota realia & mixta puberum minorum, quæ pater irritare poterat?

REſpondeo vt certum: Poſſe omnia hæc irritare dum minoris ætas durat. Quia quantum ad hoc ad minus, curator, patris, & tutoris vicem ſubit. Sic omnes. Sanchez *loco cit.n.61.* Suarez *lib.6. cap. 5. fine*, Bonacina *loco citato, numer. 25.* Trullench. *num. 3.* Tamburinus *num. 17.* Palaus *num. 14.* & alij omnes.

QVÆSTIO CXII.

An, adhuc caſu, quo votum reale minoris confirmetur iuramento; poſſit nihilominus illud irritare curator?

NEgant aliqui, quos ſuppreſſis nominibus, refert Suarez *cap.5.cit.* his verbis: Dicunt autem aliqui, ſi votum reale minoris iuramento confirmetur, non poſſe irritari à curatore, argumento ſumpto à ſimili ex lege 1. *&* 2. *C. ſi aduerſ. venditionem.* Vbi (*addit Sanchez*) decernitur contractum minoris, inconſulto curatore, initum, firmari iuramento.

Sed vt quid certum, Reſpondeo adhuc poſſe irritari à curatore. Quia votum illud, ait Suarez, vt ſit iuſtum, & Deo placeat, debet includere conditionem, *niſi curator reſiſtat*, aliàs illi iniuria fieret, & conſequenter iuramentum confirmans illud votum, ſine tali conditione, eſſet iniquum, & non obligans: ſi autem votum illam conditionem includat, non obſtabit iuramentum, quo minus irritari poſſit. Sic ille. Et ex illo Sanchez *num.62.* Bonac. *num.25.cit.* Trullench. *loco citato, n.4.* Qui cum Sanchez ad textum pro oppoſito adductum, reſpondet, illum de ſolis contractibus geſtis cum hominibus loqui, ac diſponere.

QVÆSTIO CXIII.

An deinde poſſit curator vota perſonalia puberum minorum irritare, ſi præiudicent gubernationi domeſticæ?

NEgare videtur Suarez *lib. 6. de voto, cap. 5. num.vltimo*, dum hæc verba pronunciat. Dico breuiter, deficiente patre, curatores poſſe irritare vota realia puberis, vt officiunt eorum adminiſtrationi: vota autem perſonalia per ſe loquendo, non poſſe irritare; quia curatori non eſt commiſſa perſona. ſed bona eius. Hæc ſapientiſſimus Doctor.

Sed omninò Reſpondeo tunc poſſe. Quia pater poteſt in dicto caſu irritare vota perſonalia puberum, vt habitum eſt ſupra *q.* 81. *&* 83. at curator ſuccedit in plenas patris vices: ergo. Sic Nauar. *cap. 12.n.64.* Viuald. *3.p. Candelab.cap.14. n. 99.* Sà, *num. 1.* vbi *de votorum irrit.* quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.4.cap.35.n. 69.* qui explicat Suarium, dicens, cautè illum dixiſſe, curatores non poſſe vota perſonalia puberum irritare, per ſe loquendo: quaſi concedat, poſſe ratione materiæ, nempe ſi præiudicium afferant poteſtati curatoris gerentis vices Patris. Sic etiam Bonac. tenet loco citato, citans pro ſe Suarium *num. 14.* qui eſt vltimus, & *cap.6.ad finem.* Trullench, *num.6.* Prado *mox citandus.*

QVÆSTIO CXIV.

An, ſi ſint plures impuberis tutores; aut plures puberis curatores; poſſint quilibet ipſorum, vota impuberis, aut puberis irritare?

REſpondeo vt certum: Poſſe. Quia quilibet habet ſufficientem poteſtatem, cùm hæc cuilibet conueniat ratione officij; nec videatur conceſſa dependenter à ſocio; nec ſit maior ratio vnius, quàm alterius. Sic Suarez *lib.6.cap.6.n.22.* Silueſt. & Innocent. apud ipſum, Sanchez *lib.4.cap.35.numer. 70.* Bonac. *diſp.4. q.2. pun.7.§. 2. n. 25. verſ. Ex quo patet.* Trullench. *lib.2.cap.2.dub.35.n.6.* Tamburin. *lib.3.cap.16. §.3.num.18.* Prado *cap.31.q.13. §.4. n.71.* ibi: Si autem fuerint plures curatores, vel tutores, quilibet poteſt, & præualet irritans, cùm quilibet habeat poteſtatem per alium non impedibilem.

QVÆSTIO CXV.

An, valida sit votorum irritatio, casu, quo fiat à duobus simul; vnus tamen illorum, solùm verus curator, aut tutor; alter autem falsus sit?

REspondeo esse validam. Constat ex *l.1. versic. Sed Pomponius, ff. Quod falso tutore.* Vbi dicitur, valere contractum pupilli authoritate duplicis tutoris initum, quorum alter solus erat verus. Quia sola huius authoritas sufficiebat. Sic Sanchez *num.*71. Trullench. ex illo, loco nuper citato.

QVÆSTIO CXVI.

An, curator valeat irritare minoris vota, etiam personalia, tempore impubertatis emissa?

NEgant aliqui Doctores, eo quod curator non succedit loco patris in totum, perinde ac succedit tutor, sed solùm in administratione bonorum. Nam curator, non personæ, sed rebus datur *l. in copulandis 9. C. de nuptiis*: ergo curator nequibit vota personalia sui minoris irritare. Ita sentit Suarez *lib.6. de voto, cap. 6. n.*24. & 25.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod optimè possit curator irritare vota etiam personalia minoris, ante pubertatem emissa, tempore potestatis patris, aut tutoris, nec confirmata post pubertatem; quandiu est in eo munere. Quia estò, quod directè & principaliter detur curator minori in administratione bonorum; datur tamen secundariò in eiusdem personam, vt habitum est supra *q.* 109. ergo. Sic cum pluribus docet Sanchez *lib.4. cap.*30. *num.*15. Trullench. etiam *dub.*35. *cit. numer.* 7. Tamburinus *loco cit. num.*19. Basseus *tom.*2. *votum* 2. *n* 6.

QVÆSTIO CXVII.

An curator datus maiori, ratione prodigalitatis, possit eius vota irritare?

NEgandum videtur. Quia potestas irritandi vota conceditur curatori ratione solius minoris ætatis.

Sed omninò Respondeo, Posse irritare omnia & sola illius vota realia, eo solo tempore curæ emissa. Quia huic maiori est interdicta, & prohita penitus bonorum administratio, & ad eam datus curator: ergo cùm ille, nullatenus valeat disponere de bonis inconsulto curatore, vt vota realia emissa ab eo valeant, necessariò debent includere conditionem hanc: *si curator consentiat, aut non contradicat*, qua suppositа, cum sit fundamentum potestatis irritandi, optimè poterit curator illa irritare. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.*35. (non 36. vt legi apud Trullench,) *n.*68. Et ex illo, ille *dub.*35. *citato, num.*7. Basseus *loco citato, num.*7.

§. VI.

De potestate, quam habet mater ad irritanda vota, & iuramenta filiorum; vbi etiam de domino, hero, & magistro.

QVÆSTIO CXVIII.

An, viuo & præsente patre, possit mater sui filij impuberis vota, & iuramenta irritare?

AFfirmant nonnulli Doctores, existimantes matrem habere potestatem irritandi vota filiorum impuberum, licèt secundariam; Quia revera, etiam viuente, & præsente patre, est suo modo Superior, & habet subditum filium (licèt sub patre) ideóque potest quocunque tempore præcipere illi, eumque occupare. Ita colligi videtur ex *l. regia* 3. *tit.*8. *p.*1. ibi: *El que no fuere de edad, no puede hacer tal prometimiento, à menos de mandado de su padre, ò de su madre, ò de su guardador.* vbi lex apertè æquiparat matrem, patri, ac curatori; & ideo, ita sentiunt Philiarcus, *de offic. Sacerd. tom.*1. *par.*2. *lib.* 3. *cap.*4. ibi: *Irritare pertinet ad patrem, matrem, & tutorem*, & Margarita Confessor. vbi, *de irritat. votor. fol.* 134. *col.* 2. ibi: *Potest mater omnia vota impuberis irritare.* & insinuant id ipsum D. Thom. & Sotus, citati à Suario, & Sancio, vbi infra, quos nouissimè sequitur *Prado cap.* 31. *q.*13. §. 4. *num.* 77.

Sed vt certum omninò Respondeo dicendum, quod Mater viuente, & præsente patre, nullo modo possit impuberis vota (aut iuramenta) irritare saltem directè, & per se. Patet *primò, ex Numer. cap.* 30. Vbi soli patri datur hæc facultas. *Secundò*, Quia solus pater est caput totius domus, & familiæ, & habet plenam rerum, & personarum administrationem, & gubernationem; ergo voluntas filij non est posita in voluntate matris sed solius patris: ergo hic solus, directè, & per se, potest illius vota irritare: ergo illo præsente, nullo modo potest mater. Sic communis. Nauarr. *cap.*12. *num.*64. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 3. & 7. Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*10. *num.* 78. *in* 1. *edit.* & in 2. *dubit.*14. *n.*82. Angles, Siluest. & Palud. quos refert, & sequitur Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.*6. *à num.*19. Sanchez cum aliis, *lib.* 4. *Decal. cap.*35. *num.*78. Tamburin. *lib.*3. *cap.*16. §. 3. *num.*21. Trullench. *lib.*2. *Decal. cap.* 2. *dub.*36. *num.* 2. Palaus *disp.*2. *de voto, pun.*7. *num.*7. Raph. de la Torre 2.2. *q.* 88. *art.* 9. *disp.* 4. *num.*10. citans pro hac parte Nauarrum, & Siluestrum, & benè; quidquid velit Prado. Fagundez *lib.*2. *cap.*33. *n.*11. Sayrus *lib.*6. *Clauis Reg. cap.* 10. *fine*, dicens, id esse certum. Basseus *tom.* 2. *votum*, 2. *num.* 8. *vers.* *Secundò.*

QVÆSTIO CXIX.

An ſaltem, patre mortuo, aut longiſsimè diſtante, poſsit mater filij iuramenta, ſeu vota, irritare, etiamſi exiſtat Auus, tutor, vel, curator ipſius filij?

AFfirmant Authores primæ ſententiæ nuper relatæ, quos nouiſſimè ſequitur Prado *num.77. citato*, ita dicens. Probabilius tamen iudico, quod mater, etiam viuente patre, vel eo mortuo, etiam tutore aſſignato, poteſt irritare omnia impuberum vota, tam realia, quàm perſonalia; & puberis perſonalia ſuæ gubernationi præiudicantia. Vota verò realia, ſolum quando in aliquo caſu ſunt contra adminiſtrationem bonorum, quæ ſibi competit: ſecus verò ſi vota realia ſint de bonis illorum adminiſtrationi commiſſis: quia tunc, nec pater puberis votum ſibi non præiudicans irritare valet. Ita Prado, dicens hanc doctrinam colligi ex *l. Regia 3.* ſupra citata, & D. Thoma *Opuſc. 17. cap. 13. ad 10.* & Soto *lib.7. de iuſt. q.3. art. 1. verſ. Sciſcitaris.* vbi ſine vlla diſtinctione affirmant, parentes poſſe irritare vota filiorum.

Sed adhuc vt certum, Reſpondeo quod, patre mortuo, aut ita longè diſtante, vt nequeat adiri; ſi tamen exiſtat auus, tutor, vel curator filij, nequeat mater irritare verè & propriè vota aliqua ſui filij. Quia tunc mater nullam in filium poteſtatem habet: cùm nec perſonæ, nec bonorum ei competat adminiſtratio; ſed penes auum, tutorem, vel curatorem exiſtit, qui in patris vices ſuccedunt. Sic Suarez *lib. 6. de voto cap. 5. fine, & cap. 6. à num. 19. vſque ad 22.* Sanchez *lib.4. cap.35. num.78.* & apud ipſum, Palud. D. Anton. Silueſter Viuald. Tapia, Azor, & alij. Caſtro Palao *diſp. 2. pun.7. num.7.* Candid. *diſquiſ. 25. art. 10. dubit. 5.* & apud ipſum, Lopez *1.p. inſtruct. cap. 47. verſ. imitatores legitimi.* Trullench. *lib. 2. cap.2. dub. 36. num. 1.* Barthol. à S. Fauſto *lib.2.q.128.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. num. 21.* Fagundez *lib. 2. cap. 33. num. 11.* ibi: Mater autem non poteſt irritare, niſi, mortuo patre, ſuccedat loco tutoris: quia non ipſa, ſed tutor habet patriam poteſtatem, vnde ad illum ea irritatio ſpectabit. Sic ille, ex Leſſio *lib. 2. cap.40. dubit. 14. in 2. edit. numer. 82.* Bonac. *diſp. 4. q. 2. pun. 7. & §. 2. numer. 18.* & Clauis Regia, Layman, & Geſualdus, quos ſequitur Baſſeus, vbi ſupra, verſu, *Tertio.* & alij. Qui tamen concedunt matri, quod poſſit illa, voti obligationem ſuſpendere, quando ei vota præiudicant ex parte materiæ.

QVÆSTIO CXX.

An ad minus, patre mortuo, poſsit mater irritare vota filij ſui impuberis, caſu, quo hic ſit auo, tutore vè deſtitutus.

NEgant adhuc aliqui Doctores, docentes, minimè poſſe irritare vota dicti filij, niſi alias ſit tutrix. Ita Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 17. q. 7.* his verbis: Nequit mater, vt mater, mortuo patre, irritare vota filiorum: at ſi ſit tutrix, poteſt, non quatenus mater, ſed quatenus tutrix. Ita etiam Viuald. *3. p. Candel. cap. 14. num. 97.* Villalobos *tract. 34. de voto, diff. 19. num. vltimo*, vbi ita ait: La madre aunque ſea muerto el padre, no puede irritar los votos delos hijos, en quanto madre; porque no tiene patria poteſtad: mas ſi fuere tutora ò curadora, podralo hazer como los demas tutores, i curadores: loqual es muy comun, i cierto.

Sed probabiliùs Reſpondeo, poſſe tunc irritare vota ſui filij, etiam ſi non ſit tutrix. Quia deficientibus auo, aut tutore, mater habet vices tutoris, ſuccedit que loco patris, vt filium impuberem gubernet; & hoc vel ex iure naturali, vt aliqui volunt; vel iure ordinario, vt alij. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 35. n. 79.* Suarez *loco cit. n. 22.* Tamburin. *n. 21.* Trullench, *num. 3.* Palaus, *num. 6.* ſic dicens: Si filio tutor datus non ſit, neque ex parte patris eſt auus, qui loco patris ſuccedere poſſit, poterit mater vota filij impuberis irritare, non quia tutrix ſit (tutelam namque, ob mortem mariti, ipſo iure non habet, eſtò illam petere poſſit. *Authent. matri, & auiæ C. quando mulier tutelæ officio fungi poteſt.*) Sed quia iure ipſo naturali, illi datum eſt impuberem gubernare, patre, auo, tutoreque deficientibus; ne impubes careat, qui eius imbecillitati in vouendo conſulat. Sic ille. Baſſeus, *loco citato*, & alij.

QVÆSTIO CXXI.

An mater, quæ filiorum curatrix non eſt inſtituta, poſsit etiam irritare vota realia puberum ſuorum?

AFfirmant Sà *v. voti irritatio, num.1.* Vega *tom. 2. cap.129. caſu 96.* Sayrus *in Claui Reg. lib. 6. cap. 10. num. vltimo*, Prado *cap. 31. quæſt. 13. §. 4. num. 77.* & Tamburinus *lib.3. cap.16. §.3. n. 25.* vbi inquirit, An mater filio minori poſſit irritare vota realia de bonis temporalibus, vel vota præiudicantia gubernationi domus, emiſſa tempore pubertatis? Et reſpondet per hæc verba. Cenſent plerique, neque hæc realia, neque quæcumque alia emiſſa in dicto pubertatis tempore, poſſe. Quia filius pubes nullo modo eſt ſub matris poteſtate, nec quoad ſe, nec quoad bona ſua. Sed certè probabile eſt, poſſe realia, vel præiudicantia, quia ex modò dictis, mater in hoc caſu, ſuccedit loco curatoris; ergo non eſt illi denegandum, quod ex omnibus, curatori conceditur. Hæc Tamburinus.

Alij contrà negant, id poſſe. Sic Suarez *lib. 6. de voto, cap.5. fine*, & Sanchez *lib.4. cap.35. n.77.* Qui id ſic probat. Quia nec patri ipſi competit hæc poteſtas, quando adminiſtrationem bonorum filij non habet: ſed mater, non curatrix, nullam adminiſtrationem bonorum filij puberis habet, ſed ea tota, deficiente patre ad curatorem pertinet: quod ſi nullus curator ſit, pertinet ad ipſum puberem; nec enim eſt ipſo facto curatrix, niſi inſtituatur. Quod ſi mater tunc fortè adminiſtret bona illa, id quidem ex ſola puberis voluntate continget, ac proinde in nullâ bonorum diſpoſitione pendebit ab illa, ſicut non penderet ab œconomo, cui eam adminiſtrationem committeret: Non ergo poterit ea vota irritare. Hæc Sanchez. Et ex illo Trullench, *loco citato, num.4.*

Sed clariùs Reſpondeo dicendum; quod ex ſuppoſitione, quod mater, curatrix non ſit conſtituta eo ipſo, quod filius deſtitutus ſit patre, auo, curatore,

&c. vt aliqui volunt ; nec verè succedat in loco curatoris , tunc dicendum est, quod minimè possit irritare vota realia filij puberis,vt clarè conuincit Sanchez. Secus verò,si sit curatrix,vel propriè succedat loco curatoris;quia tunc,non vt mater est, sed vt curatrix irritare poterit,vt benè dixit Azor. *1.p.lib.11. cap. 17.q.7.* Legantur Basseus, *loco cit.num.* 8. Nauarr.*cap.12.num.64.*

QVÆSTIO CXXII.

An, deficientibus parentibus, tutore, & curatore, possint aui , & auiæ, & reliqui ascendentes progenitores, irritare omnia vota,quæ posse matrem, diximus ?

REspondeo posse. Quia hi sunt velut parentes, ac succedunt eodem loco, & omnibus his tenentur impuberes obedire. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 35. num.82.* Trullench, *lib.2.cap.2.dub.36.n.5.* Rocaffull. *tom.1.lib.3.num.463.pag.190.* & loquendo de auia Palud.D. Anton.& Siluest.relati à Sanchez. Sayrus *lib.6.cap.10.fine.* Suarez *lib. 6. cap. 6. n. 22.* ibi : vnde fit , vt quia mater, deficiente patre , iure ordinario , habet tutelam filij, ideò tunc possit irritare vota illius. Et idem est de auo , vel quocumque ascendente,deficiente propinquiori. Sic ille. Et loquendo de auo,& auia , idem dicit Bonac. *disp. 4.q. 2.pun.7.§.2.num.18.* Tamburin. *lib.3.cap.16.§. 3. n.21.* Palao *disp.2.pun.7.n.7.& 8.*

QVÆSTIO CXXIII.

An , auus,viuente patre,possit irritare vota impuberis nepotis ?

AFfirmandum videtur. Quia potestas irritandi vota innititur in potestate patria , vt sæpè est habitum:atqui hanc habet auus:ergo poterit , etiam viuente patre, nepotis impuberis vota irritare. Minor probatur ex *l.nam ciuium.ff.de his , qui sui , vel alieni iuris sunt.* Sic dicente : *Qui ex me , & vxore mea nascuntur in potestate mea sunt.* Item. *Qui ex filio meo,& vxore eius* (ideſt nepos meus,& neptis mea) *atque sunt in mea potestate,& pronepos,& proneptis,& deinceps cæteri.* Hæc textus : ergo.

Sed oppositum omninò Respondeo, dicendum nempe,quod non possit, viuente patre. Quia facultas irritandi vota, non est fundata solùm in quacumque patria potestate absolutè sumpta;sed maximè in ea potestate , quam quis habet in gubernatione domus,familiæ ; & præsertim filiorum, quos genuit : hanc autem habet immediatè pater , eoque deficiente,tutor,vel curator (vt constat ex dictis) hisque deficientibus auus ex parte patris,& demum etiam auo deficiente, mater.Quod si hæc etiam deficiat , iam sub nullius potestate erit filius;nisi habeat alios progenitores,iuxta nuper dicta. Sic omninò ferè Tamburinus *lib.5.in Decal.cap.3.§.1.num.13.* ex Suario, Sanchez,& Palao,citatis supra,vnde malè *lib.3.cap. 16.§.3.n.27.* dixit,se de hac difficultate acturum, *lib. 5.cap.2.§.6.num.14.*

QVÆSTIO CXXIV.

An,socer possit irritare vota generi sui (ideſt viri filiæ suæ) carentis patre,matre, tutore, & curatore ?

AFfirmat (apud Tamburinum) Tancredo *tom. 1.de Relig.disp.16. n. 6.* eo quod tunc socer subintret loco patris.

Sed oppositum Respondeo dicendum. Quia non est vnde colligamus,socerum subintrare loco patris, cùm gener suus , patre, matre, tutore , & curatore destitutus manet. Vnde,Tamburino *lib.3.cap. 16.§. 3.n.27.* difficilis est visa Tancredi opinio.

QVÆSTIO CXXV.

An,sicut pater potest irritare impuberis vota,& iuramenta etiam post longissimos filij annos ; possit & mater , tutor , seu curator ?

REspondeo dicendū quod non. Quia mater, & curator solum possunt vsque ad annum vigesimum quintum ; & tutor vsque ad decimum quartum.Ratio est quia vota impuberis,propter eius modicam discretionem , censentur facta sub conditione *si Pater non contradicat* , vt supra est habitum:cùm igitur pater semper talis remaneat,etiam post emancipationem per quoscumque annos , semper poterit irritare : at verò cùm mater , tutor , & curator irritent loco patris, vt supra diximus , tamdiu poterunt irritare, quandiu illius loco substituuntur , hoc est , vsque ad tempus nuper assignatum, nempe tutor vsque ad annum 14. filij, mater , & curator vsque ad 25. eiusdem filij non emancipati. Sic Tamburinus *loco citato, num.24.*

QVÆSTIO CXXVI.

An possint domini irritare vota , & iuramenta seruorum; & magistri vota & iuramenta discipulorum ; & heri famulorum;facta in impubertate ; si ipsi serui, discipuli,& famuli, parentibus , ascendentibus,aut tutoribus careant ?

AFfirmant multi.Nam in primis Sayrus *in Claui Reg.lib.6 cap.10.numer.18.fine*, loquendo de dominis id sentit,his verbis.Quæri (inquit) vlterius potest,an si seruus impubes vota aliqua emiserit, domino non præiudicialia, dominus illa irritare valeat, si neque patrem,neque matrem habeat? Respondeo, quamuis nullus hanc difficultatem attigerit, mihi tamen pars affirmatiua probabilior videtur. Est enim admodum consentaneum rationi,vt dominus , sicut omnem curam talis impuberis habet , ita etiam , & vota illius,tali casu irritare possit eodem prorsus modo, & ratione, qua parentes poterant , si vixissent. Hæc Sayrus , cuius sententiam , vt probabilem sequitur Tamburin. *lib.3. cap.16.§.3.n.52.*

Deinde loquendo de magistris, & heris respectu suorum Discipulorum, aut famulorum impuberum, id affirmat Lessius *lib.2.cap.40.dub.20. num.78.in 1.edit. & in dub.14.num.82.* dicens id aliquos sentire, eo quod loco parentum habeantur; & addit id esse rationi consonum. Et Suarez *lib.6. de voto c.6. num.23.* loquendo de dominis respectu seruorum, dicit id esse certius; & loquendo de aliis paruulis, qui parentibus carent, esse consentaneum pietati, & rationi. His accedit nouissimè Pellizzarius *tom.1. Man. Regul. tract.4.cap.1.q.38.n.107.* in fine ibi. Vnde sequitur magistrum non habere talem potestatem, nisi in casu, quo pupillus careat parentibus, & tutoribus: quod in terminis aduertit Lessius, id probans, ex eo, quod sic magister est loco patris, aut tutoris. Layman. *lib.4. sum. tract.4. cap.7. numer.10.*

Sed multò probabiliùs Respondeo nullum illorum posse irritare vota. Quia nec domini, magistri, aut heri, habent potestatem dominatiuam, super seruos, discipulos, aut famulos: atqui hæc omnino requiritur ad irritationem votorum: ergo. Minor probatur; quia, nec iure naturali, nec positiuo, prædictis talis potestas conceditur; nec illam potest eisdem dare opinio contrariorum: ergo sui iuris reputari debent omnes impuberes patre, tutore, aliisque ascendentibus carentes. Non tamen ob id negari potest, quod opinio Suarij, & aliorum sit probabilis, ob tantorum Doctorum auctoritatem, vt fere omnes mox citandi Authores fatentur, excepto vno Prado contrarium insinuante. Igitur nostram sententiam tenent Sanchez *lib.4. cap.35. num.84.* ex Paludano, D. Anton. Siluestro, & Margarita Confessor. Bonac. *disp.4.q.2.pun.7.§.2.n.18.* Fagundez *lib.2.cap.33.num.11. & cap.39.* (non 19. vt leges apud Rocafful.) *num.22.* Palaus *disp.2. pun.7.num.8.* Prado *cap.31.q.13. §.4.n.83. & §.5.n.90.* Rocafful. *tom.1.lib.3.de 2.præcep.num.464. fol.190.* Legantur etiam Trullench, *lib.2.cap.2. dub.36.n.7.* & Bart. à S.Fausto *lib.2. q.129.* qui vtramque sententiam dicunt probabilem, & tutam. Sed de hac materia, alia lege §.8.

---

§. VII.

De potestate, quam habent coniuges ad inuicem irritanda iuramenta & vota Deo præstita.

QVÆSTIO CXXVII.

An, omnia vota vxoris, constante matrimonio emissa, & iuramenta Deo ab ipsa præstita, possit maritus irritare?

NEgant quamplures Doctores, asserentes, sola ea vota, & iuramenta Deo præstita, vxoris posse maritum irritare, quæ vsui matrimonij, educationi prolis, & gubernationi domesticæ præiudicarint. Ratio eorum est: Quia, nec ex natura rei, neque ex iure positiuo colligitur, vxorem subditam esse viro in actionibus personalibus, quæ vsum matrimonij, educationem prolis, & domesticam gubernationem non impediunt: quia hæc subiectio ex matrimonij contractu oritur, ac proinde commensurari debet fini illius: sed plures actiones sunt, quæ supradicto fini non officiunt; nempe, obseruatio diuinorum præceptorum, moderata pœnitentia, breuis oratio, & aliæ similes: ergo ad hæc facienda voto se obstringere firmiter poterit vxor. Ita omninò Palaus *disp.2.de voto, pun.6.n.2.* & penes ipsum, Nauarrus *cap.12.n.64.* Valentia 2.2. *disp.6.q.6. pun.6. in vltima difficult.* Azor *tom.1.lib.11. cap.16.q.vltima, & cap.17.q.12.* Sayrus *lib.6. cap.5. n.8. & cap.10.n.19.* Lessius *lib.2.cap.40. dubit.15.n.89. in 2.edit.* Suarez *lib.3.de voto, cap.6.n.26. & lib.6.cap.4.n.2.* Basil. Legion. *lib.10. de matrim. cap.17.n.3.* Bonac. *disp.4.q.2.pun.7.§.2. à num.10.* & Layman. *lib.4.tract.4. cap.7.numer.12.* His addi possunt Syluius 2.2.*q.88. art.8. concl.7.* Trullench, *lib.2. cap.2. dub.33.n.2.* Llamas 3. *p. methodi cap.4.§.23.* Graffis 1.*p. decis. lib.2.cap.19.n.8. & p.2.lib.2.cap.12.n.45.* & alij, & quidem satis probabiliter.

Sed æquè probabiliter, cum aliis Respondeo. Posse maritum omnia vxoris vota, & iuramenta Deo præstita, etiam de materia necessaria, (vt infra) quæ constanti matrimonio, absque mariti licentia, emisit, irritare. Quia æquè probabile est, quod vxoris voluntas subdatur, quoad omnia, voluntati viri; sicuti voluntas Religiosi, quoad omnia subditur voluntati Prælati, & voluntas impuberis, voluntati Patris, eo quod sic expediat ad pacificam gubernationem domus, & concordiam, quam habere debet vxor, erga suum virum, qui caput est mulieris, & ideo semper censentur eius vota, aut iuramenta emissa, sub conditione, *si vir non contradicat*, sicuti vota emissa à Religioso, aut impubere, sub eadem conditione *si Prælatus, aut pater non contradicant*, emissa censentur. Sic tenet in primis D. Thom. 2.2.*q.88. art.8. ad 3.* ibi: *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec vxoris, nisi sit de consensu viri.* Hæc sunt verba D. Thomæ fideliùs à nobis, quàm à Prado relata. Sic etiam Palud. *in 4. dist. 38. q.1. art.1. concl.6.* Sotus *lib.7. de iust. q.3.* (non 7. vt leges apud Fagundez) *art.1. vers. At verò sicuti.* Petr. Ledesma *de matrim. q.64. art.4. dub.2. concl.1. & de voto, tract.10. cap.7. dub. vltimo, dicto 2.* Raph. de la Torre 2.2.*q.88. art.8. & 9. disp.3.n.7.* Candidus *disquis. 25. art.11. concl.1.* Ioan. à Cruce in *sum. præcep. 2.art.2. dub.10. concl.3.* Aragon. 2.2. *q.88. art.8. dub.7. q.5.* Rodrig. *tom.2. sum. cap.90. num.9.* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.3.n.7. & disp.39. n.4. & lib.4. in Decal. cap.34. numer.3.* Villalob. *tom.2. tract.34. diff.21.* Diana 3.*p. tract.4. Resol.220. & p.4. tract.4. resol.110.* Fagundez *lib.2.cap.38. num.2. & 3. & 5.* Tamburin. *lib.3. in Decal. cap.16. §.3. n.48.* Prado *cap.31. de voto, q.13. §.6. num.93.* & alij, qui tamen aliqui excipiunt aliqua vota, vt mox videbimus: sed certè non ita consequenter.

QVÆSTIO CXXVIII.

An, maritus possit irritare vota, & iuramenta vxoris, de operibus præceptis?

NEgant constanter omnes DD. primæ sententiæ supra relatæ; asserẽdo, minimè posse maritũ vota, aut iuramẽta vxoris emissa de operibus præceptis, vt de audiẽdo Sacro, de ieiunio seruãdo, de confessione faciẽda, de nõ fornicãdo, de nõ mentiẽdo, & similibus, directè irritare, eo quod materia horũ votorũ, aut

iuramentorum,

iuramentorum, non sit subiecta marito : licèt possit si domesticæ gubernationi necessarium fuerit, executionem illorum suspendere, opera incompossibilia præcipiendo. Sic præcipuè Palaus *loco cit. num.* 4. ex Lessio, Suario, Bonac. & aliis.

Sed, iuxta nostram sententiam Respondeo posse irritare illa. Quia licèt materia votorum, aut iuramentorum de operibus præceptis, non sit marito subiecta, est tamen voluntas vxoris, ne nouis obligationibus, absque mariti consensu, implicetur ; vt in simili diximus, loquendo de Religiosorum votis emissis de eadem materia, sine licentia Prælati. Sic omnes nostræ sententiæ Authores, præcipuè Fagundez *lib. 2. cap. 37. n. 2.* ex Sanchez, Soto, Aragonio, & aliis.

QVÆSTIO CXXIX.

An, votum castitatis emissum ab vxore, absque sui mariti consensu; possit ab eodem marito irritari?

NEgant similiter Authores primæ sententiæ *q.* 127. relatæ, præcipuè Caiet. *v. vouentis condit.* §. *Et scito.* & *tom. 1. opusc. tract. 31.* Nauarr. *cap. 12. n. 64.* Siluest. D. Bonau. Durand. Angles, Valentia, Lopez & alij plures, quos refert Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 39. n. 10. & lib. 4. in Decal. cap. 34. n. 9.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 8. n. 5.* Palaus *loco cit. num. 5.* & alij. Immò & ex his, qui nostram doctrinam tuentur, idem docet P. de Ledesma *tom. 2. sum. tract. 10. cap. 7. dicto 2.* Fundamentum eorum est. Quia vir non habet dominium in vxorem in ordine ad actum coniugalem, sed sunt pares, vt dicitur *in cap. Gaudemus, de diuortiis,* & in cap. *si quis vxorem 32. q. 1.* Nec vir est caput mulieris, quoad eum actum : vt benè Durand. *in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. n. 7.* ergo nullo modo poterit votum vxoris circa eum actum emissum irritare.

Sed probabiliùs, iuxta nostram doctrinam, Respondeo : Posse tale votum vxoris à marito irritari. Quia quamuis vir, & vxor sint pares, quoad libertatem non petendi, & ius exigendi, & obligationem reddendi debitum, & ita in illa materia vxor non sit viro subiecta : at quoad illam nouam obligationem, quæ accidentaria est, vxor subditur viro, tanquam capiti, & ideò talem nouam obligationem valet vir aufferre votum irritando. Sic Sanchez *locis citatis.* Prado, *num. 98.* latè Fagundez *cap. 37. cit. num. 2.* cum aliis DD. relatis *quæst. 127.*

QVÆSTIO CXXX.

An etiam, casu, quo vxor ex consensu viri sui, votum castitatis emittat, aut iuramentum de illa seruanda, Deo præstet : possit tunc vir illud irritare?

NEgant quidam Doctores. *Primò* quia sic colligitur ex *cap. fin. 33. q. 5.* Vbi ita habetur : Vota verò continentiæ, ita alterius permissu ab altero valent offerri, quod post permissionem non valent in irritum adduci. *Secundò*, quia materia huius voti, Deo ex viri consensu consecrata, non manet amplius sub eius potestate : ergo nequit irritari ab illo. Ita tenent apud Sanchez infra, D. Thom. *in 4. dist. 32. in expos. lit.* Magist. & ibi D. Bonau. *n. 4.* Albert. Magnus *n. 6.* Ricard. *art. 2. q. 2.* Palud. *q. 2. art. 2. n. 17.* Siluest. *votum, 2. q. 2.* Tabiena, Rosella, & alij. Nec non Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dubit. 10. n. 85. in 1. edit.* & Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tract. 10. de voto, cap. 7. dub. vltim. dicto 2.*

Sed probabilius Respondeo adhuc posse à viro irritari validè quomodocumque irritetur ; & licitè si interueniat causa. Quia licèt vir iam non sit dominus materiæ illius promissæ, sed in illa sit æqualis vxori : at tanquam caput est dominus illius actus liberi, quo vxor, tempore subiectionis, se voto illo ligauit : & quamuis ex consensu viri est Deo consecratus, id conferet, vt vir, absque causa irritans, peccet mortaliter, non tamen, vt irritatio sit nulla : nec vt sit illicita, quando ex causa iusta fit. Quia illâ licentiâ datâ non amisit dominium illius voluntatis, nec censetur licentia concessa, vt votum deinceps sit independens à Superioris voluntate ; sed adhuc imbibit conditionem ; *Nisi vir reuocauerit.* Sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 40. n. 17. & lib. 4. in Decal. cap. 34. n. 13.* & penes ipsum, Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. versu, An verò possit alteruter.* & *4. dist. 32. q. 1. art. 3. & ibi* Palac. Aragon *2. 2. q. 88. art. 8. fol. 1021.* Vega, Stunica, & Barthol. de Ledesma. Trullench. etiam *lib. 2. cap. 2. dub. 33. sub num. 6.* Bonac. *disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. num. 14.* (non *pun. 8. §. 1.* vt legi apud Trullench) Diana *par. 4. tract. 4. Resol. 110.* ex Præposito *in 3. p. q. 6. de bonis matrim. dubio 20. num. 153. & sequent.* Fagundez *lib. 2. cap. 37. num. 12.* Qui cum Sanchez ad textum in *cap. fin.* respondet, illum intelligi, quando vterque coniux mutuo consensu castitatem vouit, Deoue iuramentum promisit, vt iam dicam ; sit ergo.

QVÆSTIO CXXXI.

An item, casu, quo vterque coniux ex mutuo consensu, voueat, aut iuramentum Deo præstet seruandi castitatem : possit adhuc vir huiusmodi votum, & iuramentum factum ab vxore irritare validè?

AFfirmant adhuc aliqui : eo quod adhuc matrimonium durat ; dum durat, manet potestas viri in vxorem, vt ait D. Augustinus relatus *in cap. Quod Deo 33. q. 3.* Ita Palacios *in 4. dist. 32. disp. 2. fol. 717.* & quidam alij, quos tacito nomine, refert Aragon mox allegandus, & tenet nouissimè Præpositus *in 3. p. D. Thom. q. 6. de bonis matrim. dub. 20. num. 153.* relatus à Diana, *p. 4. tract. 4. resol. 110.* cuius opinionem non esse improbabilem, ait Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 33. n. 6.*

Sed tanquam ferè certum Respondeo, tunc non posse virum, tale votum, aut iuramentum, nec licitè, nec validè irritare. Ratio est. Quia, quando vterque coniux mutuo consensu continentiam vouet, aut illam Deo iuramento promittit, eodem mutuo pacto virtualiter cedit quilibet iure suo, quoad quemcumque actum matrimonialem, & tacitè Deo offert vitam cœlibem, quam, vt meliorem eligit, in quo tacitè videtur omnino renunciare iuri reuocandi, vt sic finis ille vitæ cõtinentis obtineatur. Sic colligitur planè *ex c. fin. 33. q. 5.* supra relato : & *ex cap. Quod Deo.* ibidem. Et tenet cõmunis Doctorũ sentẽtia. Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 40. n. 20. & lib. 4. Dec. c. 34. n. 15.* Sotus, Stunica, Bart. de Lede. Angles, Nider, Rodrig.

& Lopez, Aragon, etiam 2.2.q.88.*art.*8.*dub.vltimo.* Sayrus *in Claui Reg.lib.*6. *cap.*5.*n* 17. Leſſius *lib.*2.*cap.*40. *dub.*10.*n.*85. & *in* 2. *edit. dub.*15.*n.* 95. Suarez *de Relig.tom.*3.*lib.*9.*cap.* 9.*n.* 6. Baſilius *lib.*10.*de matrim. cap.*17. §. 1. *n.*14.Palaus *diſp.* 2. *pun.*6. *n.*6. Fagundez *lib.* 2.*cap.* 37. *n.*13.Bonac. Trullench, & Prado vbi ſupra.Qui explicat Præpoſitum, & dicit non ſentire contrarium. Ad fundamentum oppoſitæ partis reſpondeo, quod licèt verum ſit,quod adhuc conſtet,& duret matrimonium, non tamen maneat libera poteſtas in vſum corporis vxoris, cùm hæc mutuo pacto,& voto,aut iuramento, impedita ſit.

QVÆSTIO CXXXII.

An, ſi poſt huiuſmodi caſtitatis votum, aut iuramentum, mutuo conſenſu emiſſum; coniuges iterum ſibi ſacrilegè dent mutuam corporum facultatem; poſſit vir hoc caſtitatis votum, aut iuramentum vxoris irritare?

REſpondeo dicendum, Poſſe. Quia iam (inquit Sanchez) matrimonium reſtitutum eſt plene ad priorem ſtatutum, & renunciatio illa iuris irritandi eſt validè remiſſa, quia votum huiuſmodi factum fuit tempore ſubiectionis. Vnde irritatione hac à viro facta, iam licebit vxori deinceps debitum petere, & reddere, quia iam voto non ligatur.Sic ille, *diſp.*40. *de matrim.num.*22. & *lib.* 4.*Decal.cap.* 34.*n.*17. Fagundez *lib.*2. *cap.* 37. *num.* 18. Palaus *diſp.*2.*pun.*6.*n.*6. ibi: Sed quia huiuſmodi ceſſio iuris validè remitti ab alterutro coniuge poteſt, & mutuo conſenſu contractus diſſolui, ſicut mutuo conſenſu celebratus eſt: quia eſt contractus humanus, qui neque ex ſe, neque ex iure aliquo poſitiuo perpetuitatem inducit. Eo tamen diſſoluto, redeunt coniuges ad priſtinam ſeruitutem, & obligati ſunt reddere; tametſi petere non poſſint, quo vſque votum irritetur, quod irritari poterit, ac ſi mutuo conſenſu factum non eſſet. Credo autem, illam diſſolutionem contractus illicitam eſſe, niſi ex grauiſſima cauſa fieret, vtpotè contra votum in ceſſatione iuris incluſum. Sic ille ex Sancio *loco cit.* Suario *tom.* 3. *de Relig.lib.*9.*cap.* 9.*num.*7. Bonac. *diſp.*4.*q.*2.*pun.* 7. §. 2.*n.*16.Sic etiam Trullench, *lib.*2. *cap.*2.*dub.* 33. *num.*6. Villalob. *tract.*34.*diff.* 31.*n.* 7. 8. & 12.

QVÆSTIO CXXXIII.

An, ſi vterque coniux mutuo conſenſu voueat Religionem; tunc poſſit huiuſmodi votum, ſaltem validè, ab altero tantùm, aut etiam ab vtroque, de communi conſenſu, irritari, aut reuocari?

REſpondeo dicendum. Quod in hoc caſu neuter coniux poſſit alterius votum irritare. Quia cum hoc votum tendat ad omnimodam matrimonij ſeparationem, & ad perpetuam continentiam, mutato ſtatu, ſeruandam; videntur coniuges virtualiter iuri irritandi, & reuocandi cedere, ſicut quando mutua volũtate vouent caſtitatẽ, iuxta dicta ſupra *q.*131. Sic Sanchez *lib.*9. *de matrim.diſp.* 40.*n.*21.& *lib.*4. *Decal. cap.* 34. *num.* 16. Fagundez *loco cit.num.*16 Palaus *loco cit.num.*7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 15.*num.*94. & 96.*in* 2. *editione, in* 1.*autem dub.*10. *n.*85. Trullench, *lib.*2.*cap.*2.*dub.*33.*n.* 6. Qui idem dicunt in caſu,quo alter coniugum Religionem; aut Ordinis ſacri ſuſceptionem; alter vero caſtitatem, caſu quo hæc duo poſteriora vota valent; nempe, quando poteſt vir Ordine ſacro inſigniri, aut ad Religionem tranſire, ex licentia vxoris, in ſæculo manentis cum voto caſtitatis; quia etiam tunc neuter coniux poteſt alterius votum irritare ob dictam rationem.

QVÆSTIO CXXXIV.

An, vota, ſeu iuramenta Deo, ab vxore præſtita, ante matrimonium, ſed adimplenda poſt matrimonium, diſſolutum; poſsint irritari à marito?

REſpondeo dicendum, quod non poſſint irritari. Quia hæc vota,aut iuramenta non pertinent ad maritum præſentem, cùm ſint facta antè & ſint implenda poſt ipſius vitam, & poteſtatem. Sic Tamburinus *lib.*3.*cap.*16.§.3.*num.*51.

QVÆSTIO CXXXV.

An ſaltem, vota, & iuramenta emiſſa ab vxore, ante matrimonium, ſed implenda dum matrimonium viget, poſsint irritari à marito?

AFfirmat Præpoſitus *in* 3.*p.D.Thom.*vbi *de bonis matrim.dub.*20.*num.*153. Quem refert, & ſequi videtur Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 110. *verſ. notat etiam* Quod antea docuerat licèt non abſolutè, ſed ex parte, Azor *tom.*1.*lib.*11.*cap.*17.(non 12. vt legi apud Rocafull.) *quæſt.*14. vbi inquirit, An vir,ea vxoris vota iure diſſoluat, quæ vouerat ante coniugium? Cui quæſtioni per hæc verba ſatisfacit. Reſpondeo cum Innocentio.Hoſtienſi, Ioan. Andrea, Abbate, Gloſſa, Angelo,Silueſtro,& Roſſello, locis ſupra citatis, ea vota poſſe dirimere, quæ ſibi, & adminiſtrationi familiæ, reiquè domeſticæ nocent. Quod facilè deducitur ex cap.*Noluit* 33.*q.*5. At cætera minimè. Ratio huius eſt, quoniam ſicut poſt coniugium facta vota, quæ ſibi officiunt, iure diſoluit, alia verò nequaquam,ſic eodem iure poteſt reſcindere vota, vxoris Deo ante coniugium nuncupata. Hæc Azor.

Sed probabilius longè Reſpondeo non poſſe verè, & propriè, ea vota, & iuramenta irritari à marito; ſed ſolum ſuſpendi ea, quæ præſenti matrimonio præiudicant.Ratio eſt,quia,tempore emiſſionis prædictorum votorum, aut iuramentorum, nullam poteſtatem, nec dominium habuit vir in voluntatem vxoris: ergo non potuerunt talia vota, aut iuramenta habere aliquam conditionem imbibitam reſpectu viri, eiuſvè voluntatis; ergo ab illo non poterunt irritari propriè, ſed ſolùm ratione præiudicij præſentis ſubiectionis ſuſpendi. Sic Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.*31.*n.*9. Nauarr. *cap.*12. *numer.* 65. *fine.* Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *fol.* 1020. Valentia *diſp.*6.*q.*6.*pun.*6.*q. vltima,* Graffis 2.*p.lib.*2.

cap.

*cap.*12.*n.*45. Rodrig. *tom.*2.*sum.cap.*90. *n.* 10. Sà, *votum, vbi de irritat. num.* 1. Sayrus *lib.* 6. *Clauis Reg. cap.* 10. *n.* 11. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.*4. *n.*16. & *cap.*6. *num. vltimo.* Hostiens. Abbas, Anton. Cardin. Anchar. Hugo, Silvest. & alij, quos refert Sanchez, vbi supra, inter quos etiam refert Azorium, à nobis citatum pro prima parte, dicens, hunc, & aliquos alios DD. esse intelligendos de indirecta irritatione, seu suspensione. Sic etiam sentiunt Fagundez *lib.*2.*cap.*38. *num.*13. Rocafful. *lib.* 3. *de* 2. *præcep. Decal. num.* 467. *fol.* 191. & Tamburin. *loco cit. num.*50. dicens, idem iudicium ferendum de votis, aut iuramentis emissis, constante legitimo diuortio: quia tunc (ait) in his votorum, & iuramentorum obligationibus suscipiendis, libera est vxor, & non subiecta; quare suspendi poterunt, si marito reconciliato, præiudicent, non irritari.

QVÆSTIO CXXXVI.

An saltem, vota, & iuramenta facta ab vxore, viuente marito, quæ refert adimplenda post matrimonium dissolutum; possit maritus propriè, & verè irritare?

NEgat in primis Bonac. *disp.*4.*q.*2. *pun.*7. §. 2. *num.*13. *in* 2. *edit.* vbi ita ait: Tertiò, *sequitur*, virum non posse irritare votum, quod vxor emisit implendum, post mortem mariti. Nam vxor non est quoad hoc subiecta viro, nec hoc votum est præiudiciale marito. Ita Suarez *lib.*6. *de voto, cap.*4. *num.*4. Sanchez *lib.*4. *Decal. cap.*27. *num.*3. & *cap.*34. *n.*18. & alij, contra Innoc. & Panormitan. Ita ille. Qui certè benè citat Sanchez; non tamen locum; quia id docet, *cap.*29. *non* 27. vt citat Bonacina, imo & ipsemet Sanchez in loco vltimo citato, ita etiam Rocafful. *loco cit. n.* 469. citans pro se Azorium *tom.* 1. *lib.*11. *cap.* 17. *q.*8. & Bonacinam *tom.*2. *disp.* 4. *q.*2. *pun.*8. §.1 *n.*3. Sed in mea impressione hic Author, non habet *pun.*8. *sed in* 7. finit quæstionem.

Sed certè probabilius Respondeo: posse propriè illa vota, & iuramenta maritum irritare. Ratio est, quia maritus potest omnino soluere, omne vinculum, quod suscipit mulier, dum est sub illius potestate: atqui talia sunt hæc iuramenta, & vota, vt supponimus: ergo. Sic expressè Tamburinus *lib.*3. *in Decal. cap.* 16. §. 3. *num.* 49. Qui idem dicit dicendum, de voto adimplendo, sub conditione, quæ post matrimonium dissolutum ponenda expectetur. Citátque pro hac parte Sancium *lib.*4. *cit. cap.*31. *num.* 17. Sic etiam debent tenere omnes Authores, qui docent, omnes habentes potestatem dominatiuam posse propriè irritare vota, aut iuramenta emissa, tempore subiectionis, implenda tempore illius solutæ, sunt autem Sotus, Alcozer, Lopez, Vega, Petr. Ledesma, Stunica. Quorum sententiam fuit sequutus ipsemet Sanchez (vt ipse fatetur) *lib.*9. *de matrim. disp.*39. *n.*16. & ideo illum pro se citat Diana, qui nobiscum tenet hanc partem *p.*4. *tract.*4. *Resol.* 110. vbi ita ait: De hoc casu interrogatus opinionem affirmatiuam probabilem esse dixi, ex illo principio, quod omnia vota, etiam castitatis, emissa ab vxore, constante matrimonio, possunt irritari à marito, quamuis sint emissa tanquam implenda tempore soluti matrimonij: Quia voluntas vxoris, non solùm, quoad materiam, sed etiam, quoad se subditur (*sic lege*) viro; sitque viri eam gubernare, & dirigere. Ex quo sequitur, quod ea vota irritata, nunquam reuiuiscant: & proinde mulier, cuius votum castitatis à viro est irritatum, possit absque peccato debitum petere; quia per hanc irritationem vis voti omnino est extincta. Secundò sequitur, quod talis, defuncto marito, possit licitè aliud matrimonium inire. Tertiò sequitur, mulierem vouentem non inire aliud matrimonium, si marito supersit, esse omnino liberam, si maritus tale votum irritet. Et hæc omnia præter Sanchez, & alios, quos alibi adduxi, tenet etiam Ioan. Præpositus *in* 3. *p. D. Thom. q.*6. *de bonis matrim. dub.*20. *num.*153. Huc vsque Diana. Sic etiam debent sentire alij Doctores citati à nobis in simili casu, *quæst.* 74.

QVÆSTIO CXXXVII.

An, vir sequens possit irritare omnia vota, & iuramenta Deo facta, suæ vxoris; quæ poterat primus maritus, dum viuebat, irritare?

REspondeo vt certum. Posse, eodem prorsus modo, quo poterat primus maritus irritare. Ratio est: Quia cum sit Superioritas eiusdem prorsus rationis, tota prioris mariti potestas transit in posteriorem maritum, ac proinde idem prorsus est, ac si prioris mariti continuaretur. Quod intellige, modò vxor tempore viduitatis, quo erat sui iuris, vota, aut iuramenta illa non confirmet, aut rata habeat: quia cum tunc à nullius potestate pendeant, iudicandum de illis est, ac de emissis ante subiectionem. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 3. Fagundez *lib.*2. *cap.* 38. *numer.* 14. Rocafful. *numer.*468.

QVÆSTIO CXXXVIII.

An, vxor possit aliqua viri vota, & iuramenta Deo præstita, absque sua licentia facta, irritare?

NEgant quidam: Quod vxor non habet dominium voluntatis viri; immò ipsi tanquam capiti subest, vt nuper est habitum: ergo nulla omnino viri vota, aut iuramenta, possunt ab vxore irritari, quamuis sine eius licentia sint facta. Ita Sotus *lib.*7. *de iust. q.* 3. *art.*1. *vers. An verò extra hanc materiam.* & expressius tenet Petr. Ledesma *de matrim. q.*64. *art.*4. *dub.*2. *concl.*2. & *tom.* 2. *sum. tract.* 10. *cap.*7. *dub. vltimo, dicto* 3. Azor *tom.*1. *lib.*11. *cap.* 16. *q. vltima*, & *cap.* 17. *q.* 13. Raph. de la Torre 2.2. *q.* 88. *art.*9. *disp.* 3. *concl.* 3. Quibus satis fauet Prado *cap.* 31. *q.* 13. *num.*101. licèt tandem oppositum sequatur.

Sed, vt longè multò probabilius Respondeo; Posse vxorem aliqua viri vota, & iuramenta, directè, & propriè irritare. Probatur. Quia licèt vxor sit subdita viro suo, tamen habet dominium, & potestatem corporis eiusdem viri, quoad debitum sibi moderatè reddendum, & cohabitandum, vt patet ex 1. *ad Corinth.* 7. ergo iuramenta, aut vota, saltem huic dominio præiudicantia, irritare poterit. Sic communiter DD. Nauarr. *c.*12. *n.*64. Toledo *lib.*4. *sum. c.* 18. Aragon 2.2. *q.*88. *art.*8. *fol.* 1020. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *de voto, pun.*6. *q. vltima.* Suarez *tom.*2. *de Relig. tract.*6.

de voto, lib. 6. cap. 4. n. 8. Sayrus *in Clavi Reg. lib. 6. cap. 5. num. 9. & cap. 10. num. 20.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 10. n. 83. & in 2. edit. dub. 15. n. 98.* Quos & alios plures, refert, ac sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 42. n. 2. & lib. 4. Decal. cap. 34. num. 20.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO CXXXIX.

An, non solùm aliqua, verum etiam omnia viri vota, & iuramenta, possit vxor irritare; sicuti vir vota, & iuramenta vxoris potest?

AFfirmant nonnulli, docentes, posse. Quia, inquiunt, æqualis est potestas vtrique coniugi ad alterius vota, & iuramenta irritanda: cum vterque coniux in votis, aut iuramentis emittendis sit par, & neuter possit in alterius præiudicium vouere, aut iuramentum facere. Ita videntur tenere Innocent. *in cap. Scripturæ, de voto*, & ibi Hostiens. Andreas, Antonius, Cardin. & Anchar. vt ait Sanchez *cap. 34. citato, num. 19. fine.*

Sed vt quid certum Respondeo, non posse vxorem irritare omnia vota, & iuramenta viri: sicut hic potest suæ vxoris. Patet. Quia in administratione domus, & rei familiaris Maritus est caput vxoris teste Paulo 1. *Corinth.* 11. ergo vota, aut iuramenta emissa à viro circa hanc materiam, minimè poterit vxor irritare. Sic tenent omnes DD. nuper citati, & Rocafful. *lib. 3. de 2. præcep. Decal. num. 465. pag. 190.* & alij mox referendi.

QVÆSTIO CXL.

An, omnia, & sola vota, & iuramenta, à viro emissa, quæ vxori præiudicauerint; possit hæc irritare?

REspondeo dicendum ex dictis, omnia, & sola hæc posse. Ratio est: quia vota viri, & iuramenta Deo præstita in præiudicium vxoris, si absolutè & independenter intelligantur, sunt iniqua, ac proinde per se irrita, & ipso facto nulla, cum sint de re non sua, & de materia non apta voto, aut iuramento: ergo, vt sint rita, & valida debent includere conditionem, *si vxor consenserit; si non contradixerit*, quod est fundamentum potestatis irritandi, vt sæpè diximus. Sic Sanchez *num. 20. citato*, & omnes allegati pro nobis *quæst. 138.* Quibus nunc addo Fagundez *lib. 2. cap. 38. numer. 20.* Basilium Legion. *lib. 10. de matrim. cap. 17. §. 2. n. 18.* Palaum *disp. 2. de voto, pun. 6. num. 9.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 33. n. 7.* Rocafful. *n. 465: cit.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. num. 54.* Prado *q. 13. cit. §. 6. numer. 101.* & alij. Sed descendamus ad casus speciales. Sit ergo.

QVÆSTIO CXLI.

An, vxor possit irritare votum, & iuramentum viri, non exigendi debitum, absque illius consensu emissum?

AFfirmant multi: eo quod sit in vxoris præiudicium emissum. Quia contra pudorem naturalem fœminis insitum, cogetur vxor semper petere. Ita Doctissimus Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 15. n. 8. fine.* Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 90. n. 3.* Philiarcus *de offic. sacerdot. tom. 1. par. 1. lib. 3. cap. 4.* & Vega *tom. 2. sum. cap. 129. casu 93.* Tenent etiam Nauarrus *cap. 12. n. 6.* & Silvest. apud Rodriguez. Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 33. n. 7.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. n. 16.* Fagundez *lib. 2. cap. 38. n. 29.*

Alij negant existimantes, non posse vxorem tale viri votum, & iuramentum irritare. Quia vxor (inquiunt) non habet potestatem obligandi maritum ad petendum debitum; sed solum ad reddendum, ad quod solum obligat fides matrimonij. Et licèt inde vxor molestiam accipiat, sentiens se obligatam esse ad petendum, quoties vult libidini satisfacere, id leuis considerationis est, cum maritus vtatur iure sibi dato nunquam petendi. Sic Palac. *in 4. dist. 38. disp. 2.* Anton. Gomez *in Bull. Cruciat. clausula 10. n. 67.* Stunica *q. 5. de voto, num. 60.* Huic sententiæ plures Doctores adhærent, qui existimant, virum teneri eo voto emisso, se aliquoties offerre ad vsum coniugalem, qua obligatione tollitur vxori verecundia, quam habere poterat in petendo. Sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 42. n. 7. fine. & lib. 4. Decal. cap. 34. n. 27.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dubit. 15. n. 99.* aliàs *dub. 10. n. 84.* Basil. Legionens. *lib. 10. cap. 17. §. 2. num. 19.* Nauarrus etiam *num. 60. citato*, vnde malè illum citat Rodriguez pro se.

Hanc tandem sententiam sequitur, sine vlla limitatione Palaus *disp. 2. pun. 7. num. 10.* per hæc verba: Placet mihi hæc sententia; eo quod obligatio mariti non petendi debitum, in præiudicium vxoris non cedit; si quidem non retrahit vxorem à petitione, sed liberiùs petere potest, sciens maritum impeditum esse ad petendum; tum, vt suæ libidini satisfaciat; tum, vt annuat inclinationi naturali mariti. Neque video, quare maritus teneatur se aliquoties offerre vxori paratum ad reddendum. Nam si de habituali oblatione loquamur, semper maritus paratus, & dispositus esse debet: si verò, de actuali oblatione, sicut vxor non potest obligare maritum, vt petat debitum, ita vt neque se actualiter offerat: sufficit autem, si se offerat reddere, cum primum vxor minimo indicio (*sic lege; non iudicio*) suæ voluntatis petit. Alia oblatio, nec necessaria est, neque congruo tempore fieri potest. Huc vsque Palaus. Vnde non benè cum aliis Doctoribus, Prado loco citato *num. 102.* confundit illum.

Sed ego in hac quæstione Respondeo omnes tres sententias esse probabilissimas, possèque tutissimè à quouis sequi, licèt mihi magis placeat sententia Castri Palao: quia meliori nititur fundamento, estò quod tale votum non-petendi debitum licitum, & validum sit, de quo iam dicam.

QVÆSTIO CXLII.

An votum, aut iuramentum non petendi debitum emissum ab altero coniuge, absque alterius licentia; sit illicitum, & indiscretum, & consequenter nullũ?

REspondeo dicendum. Quod regulariter sit illicitum, & indiscretum; non tamen consequenter nullum. Constat, tum quia tale votum, aut iuramentum est molestum alteri: tum, & præcipuè, ob periculum violationis: nam cùm non possit diuerso lecto cubare, quin alius permittat, difficile se continere poterit. Non ob id tamen est nullum, vt docet Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 15. fine*, per hæc verba: Adde, votum continentiæ & non petendi debitum, ordinariè censeri illicitum, & indiscretum in coniugio, nisi ex consensu coniugis, qui permittat vouenti, vt seorsim cubet: tum quia exponit se periculo violandi voti, si assiduè cum coniuge cubet: tum, quia alteri coniugi, sæpè est molestum, & odiosum tale votum, quod semper cogatur petere. Ita D. Thom. *in 4. dist. 32.* suprà, Durandus *ibidem, q. 2.* & alij. Non tamen idcircò desinit obligare: quia est de bono consilij, etsi absque periculo, non mandetur executioni. Hæc Lessius. Quem citat, & sequitur Palaus *punct. 6. citato, fine*, addens, quod adhuc nec ex licentia coniugis, nisi senes sint, & periculum absit, tale votum sit consulendum, vt indicauit Paulus *1. ad Corinth. 7. Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.* Quod priùs notauit Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. n. 16. fine.* Prado etiam ex vtroque Doctore, *cap. 31. de voto, q. 13. §. 5. num. 103. & 104.*

QVÆSTIO CXLIII.

An, possit vxor irritare votum, & iuramentum viri, de mutando habitu sæculari, in habitum eremitæ, aut ordinis D. Francisci?

REspondeo vt certum: posse. Quia hoc votum præiudicat vxori: ergo potest illa illud irritare. Sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 3. num. 9.* vbi ita ait: secundo infertur, neutri coniugi, absque alterius consensu, licere habitum mutare: v.g. indui vestibus tertij Ordinis D. Francisci. Quia horrorem generat, ac subinde obligationi reddendi debitum nocet, &c. & *lib. 4. cap. 34. num. 25.* vbi expressè ait, quod tale votum, aut iuramentum, tanquam sibi præiudicans possit vxor irritare. Sic etiam Fagundez *lib. 2. cap. 38. num. 25.* per hæc verba. Tertiò infertur, non posse virum, coniuge renitente, & absque illius consensu, mutare habitum, aut id vouere: v.g. assumere habitum Eremitæ, aut tertij Ordinis D. Francisci, & posse hoc votum viri irritare: sicut, & vir votum vxoris: quia is habitus generat horrorem, & subinde obligationi nocet reddendi debiti. Et ita docet Sanchez (*locis citatis*) Rosella *v. votum 2. n. 9.* Sylvest. *v. votum 5. q. 1. fine.* Nauarrus *in sum. cap. 12. num. 61.* Quare nec licebit vxori vestibus mulierum, quas vulgò *Beatas* appellamus, absque viri consensu vti, vt docet Sanchez primo loco allegatus; quia illius statum dedecent, horroriscquè viro causa sunt. Hæc ille. Et Palaus *loco cit. n. 9.* Lessius *loco cit. num. 98.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 4. n. 14.* & alij omnes. Et de concernentibus ad hanc materiam amplius agemus *disp. 40.* præcipuè *quæst. 17.*

QVÆSTIO CXLIV.

An possit vxor irritare viri vota, (aut iuramenta Deo facta) faciendi magnas eleemosynas?

REspondeo vt certum: non posse. Quia licèt hæc iuramenta, aut vota, in familiæ, & rei familiaris, immo & vxoris præiudicium, emissa sint; tamen quia tota familiæ, & bonorum, administratio, est penes virum, independentes ab vxore, hinc fit, quod, etiam ipsa reclamante, teneat factum, licèt malè faciat. Quod tamen debet intelligi, nisi adeò copiosam eleemosynam voto, aut iuramento promittat, vt adimplere nequeat, nisi alienando aliquid de bonis vxoris; quia tunc clarum est, non posse id facere, sine consensu vxoris, & consequenter posse vxorem tale votum, aut iuramentum irritare, vt benè Suarez *lib. 6. cap. 4. n. 8.* notat, & Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 42. num. 6. lib. 4. Decal. cap. 34. n. 26.* Sotus *de iust. lib. 7. q. 3. art. 1.* Angles *in florib. 2. p. q. de voto, art. 7. diff. 9. dub. 3. concl. 2.* Fagundez *lib. 2. cap. 38. num. 26.* & alij communiter. Imò addit Sanchez, *locis citatis*, quod si votum, aut iuramentum illud, in vitium prodigalitatis, aut iniustitiæ tenderet, non haberet vim obligandi, & ita non indigeret relaxatione. Sic ille, ex Soto, & Angles. Trullench. etiam *lib. 2. cap. 2. dub. 33. fine.*

QVÆSTIO CXLV.

An, vxor possit irritare votum, aut iuramentum viri Deo emissum, precum, ieiuniorum, & vigiliarum, quæ ita illius corpus debilitant, vt ineptus fiat ad moderatam debiti redditionem?

REspondeo vt certum: posse. Quia tale votum, & iuramentum est ipsi vxori nociuum, & præiudicatiuum. Vnde nequaquam potest vir, absque vxoris consensu, tam immoderatas abstinentias vouere; quamuis possit aliquas moderatas, quæ non impediant moderatam redditionem debiti, vouere, & huiusmodi votum irritari ab vxore non potest; cum non cedat in eius præiudicium. Sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 3. num. 7. & disp. 42. num. 4. & lib. 4. Decal. cap. 34. num. 20. & 21.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 4. num. 8. & 13.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 38. num. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 15. n. 98.* Bonac. *disp. 42. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 17.* Palaus *disp. 2. punct. 6. num. 9.* Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 54.* Trullench. *n. 7.* & omnes.

QVÆSTIO CXLVI.

An, vxor possit irritare votum viri, aut iuramentum Deo præstitum, de longa peregrinatione?

NEgare videtur Abulensis *cap.27. Leuitici q.10.* quatenus affirmat, posse maritum, omnem peregrinationem, præter vltramarinam, vouere, absque vxoris consensu. Ratio potest esse. Quia vxor tenetur sequi virum, quod si nolit, sibi imputet: ergo ipsa inuita, poterit Maritus exequi votum, aut iuramentum longæ peregrinationis.

Sed vt certum Respondeo, posse vxorem irritare iuramentum, & votum sui viri factum de longa peregrinatione; secus est factum de breui. Quia votum de longa peregrinatione, non potest vir, inuita vxore promittere, cum sit in præiudicium vxoris; vergit enim in prædicium debiti, & habitationis coniugalis. Votum autem de breui peregrinatione, cùm possit absque consensu vxoris, vouere, si quidem potest, absque voto illam exequi, non poterit ab vxore irritari. Sic communis. Sanchez *lib.9. de matrim. disp.* 4. *num.* 15. *& lib.* 4. *Decal. cap.*34. *num.*23. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.*4. *num.*13. *&* 14. Sylvest. Rossella, Rodrig. Aragon, & alij apud ipsos. Fagundez *lib.*2. *cap.* 38. *num.* 23. *&* 24. Palaus *disp.*2. *punct.* 6. *num.*9. & alij. Sed difficultas est specialis de peregrinatione Hierosolymitana, pro qua enodanda sit.

QVÆSTIO CXLVII.

An, vxor possit irritare votum aut iuramentum, mariti, peregrinationis Hierosolymitanæ?

REspondeo vt certum: non posse vxorem irritare tale votum (seu iuramentum) si factum sit à viro in subsidium Terræ Sanctæ: secus si fuerit causâ deuotionis emissum. Constat: quia si vir tale votum emittat in subsidium Terræ Sanctæ, tenetur illud implere, etiam inuita vxore, quia id illi concedit ius, *in cap. Ex multa. §. in tanta, & cap. Quod super his, de voto.* Quod propter commune bonum potuit ius priuare vxorem suo priuato iure. Secus dixi, *si votum fuit factum causa deuotionis*, vt nunc contingit, quia tunc non gaudet vir priuilegio huius specialis iuris; & ideo necessarius erit vxoris consensus ad illud exequendum, & consequenter optimè potest tunc ab illa irritari. Patet quia textus citati solum loquuntur de peregrinatione in subsidium Terræ Sanctæ: ergo cum sint in præiudicium vxoris, non sunt extendendi ad alia in illis non expressa. Antecedens patet ex ratione ipsius textus: *Ne in tanta necessitate populi Christiani, Terræ Sanctæ impediatur subsidium.* Quæ ratio cessat in peregrinatione ex priuata deuotione. Vnde sic sentiunt D. Thom. *in* 4. *dist.* 32. *art.*1. *ad* 4. Gabriel, & Greg. Lopez, quos citat, & sequitur Suarez *lib.* 6. *c.*4. *n.* 14. Sanchez *lib.*9. *de matrim. disp.*4. *num.* 15. *& lib.*4. *Decal. n.* 24. Palac. Stunica, & Rodriguez, apud ipsum, Fagundez, & Palaus *locis citatis*, & alij.

Ex quibus Suarez, Sanchez, & Fagundez adhuc addunt ex D. Thom. *quodl.*4. *num.*11. & D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *cap.*22. §. 1. quod, nec votum peregrinationis in subsidium Terræ Sanctæ, possit vir imple e personaliter, si vxor nolit illum comitari, & sit r uuenis, ac relinquatur in periculo incontinentiæ: i quia ex iure naturæ tenetur vir periculum illud vxoris præcauere, & ideo tunc satisfacere redimendo votum. Nec potest vir cogere vxorem, vt ipsum comitetur, quia est res grauissima, & valdè onerosa

QVÆSTIO CXLVIII.

An, vota (iuramenta vè,) emissa à marito, ante matrimonium, possint ab vxore irritari?

REspondeo vt certum. Non posse propriè irritari; sed dumtaxat suspendi, si sunt sibi præiudicantia, & damnum inferentia. Ratio est quia obligatio religionis, qualis est voti obligatio, contracta ante matrimonium, nequit præiudicare obligationi iustitiæ consurgenti ex non matrimonio. Sic Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 4. *num.* 16. Panormit. Rossella, Nauarr. & Abulens. apud ipsum. Sanchez *lib.*4. *Decal. cap.* 31. *num.*12. & penes ipsum, Antonius, Anchar. & alij. Fagundez *loc. cit. num.*31. Tamburin. *num.*54. & alij.

QVÆSTIO CXLIX.

An iuramenta Deo præstita, aut vota à marito emissa, tempore alterius matrimonij, possit vxor sequens irritare?

REspondeo vt certum: posse irritare, aut suspendere in omnibus casibus, in quibus prior vxor poterat. Quia succedit loco alterius vxoris, & ideo eamdem habet irritandi, aut suspendendi potestatem, vt constat ex dictis nuper *quæst.*137. Sic ex Sanchez *lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 3. docet Fagundez *lib.*2. *cap.*38. *num.*32.

QVÆSTIO CLX.

An, iuramenta, aut vota facta à marito cum licentia vxoris, possint ab eadem irritari?

REspondeo posse. Quia ea licentia non aufert dominium antiquum materiæ promissæ, & vota manent adhuc conditionalia. Et certè ne sibi plus nimio præiudicent, iudicandum est, dedisse talem licentiam ad suum arbitrium. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.*27. *n.*12. Fagundez *n.*33. Tamburinus *n.*55. & alij apud ipsos. Et constat ex dictis suprà in simili *quæst.*130.

§. VIII.

De potestate, quam habent domini ad irritanda iuramenta Deo praestita, & vota suorum seruorum, eorum, videlicet, qui sub dominio suo sunt.

QVÆSTIO CLI.

An dominus possit omnia seruorum suorum vota, & iuramenta Deo præstita, irritare?

AFfirmant nonnulli, asserentes omnia vota (seu iuramenta Deo promissa) seruorum, posse à domino irritari. Fundamentum potest esse; quia serui non possunt vouere independenter à domino: ergo. Antecedens potest probari; tum ex *l.2. ff. de pollicitat.* ibi: *Filius enim familias, vel seruus, sine patris, dominivè auctoritate, voto non obligantur.* Tum ex D. Thom. *in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. quæst. vltima ad 3.* Vbi ita ait: *Sicut seruus non est exemptus aliquo tempore à seruitio domini sui, & ideo nullum tempus est ei vacans, quo possit quodlibet facere, & quia omne votum est aliquo tempore complendum, & ideo sicut nec seruus, ita nec Religiosus aliquod votum emittere potest, absque consensu sui superioris.* Hæc D. Thom. vbi nullum votum videtur excipere. Ita videtur tenere Abulensis *cap. 30. Num. q. 91.* vbi ait: posse dominum irritare omnia seruorum vota quamuis illi nullum præiudicium afferant. Et *q. 90. fine* ait: tunc vti iure suo dominos, peccare tamen irritando non præiudicantia.

Alij hanc sententiam limitant dicendo, posse quidem dominos irritare omnia seruorum suorum vota emissa in ipsa seruitute, præter votum castitatis. Quia, inquiunt, omne votum indigens tractu temporis ad sui executionem, potest à domino irriri: atqui quodcumque aliud votum, præter votum castitatis, exigit aliquod tempus ad sui executionem: ergo omne præter hoc, potest à domino irritari. Sic sentiunt Tabiena *votum, 5. in fine.* Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tract. 10. cap. 7. dub. vltimo, dicto 4.* & Aragon 2. 2. *q. 88. art. 8. col. 9. vers. De dominis est aliud dubium.*

Alij tandem contrà dicunt, quod dominus minimè possit irritare directè vota seruorum. Quia serui ad se obligandos non pendent intrinsecè, & per se ex consensu domini: quia non sunt serui, secundum animam. Potest tamen (inquit) irritare indirectè ex parte materiæ sola ea vota seruorum, quæ suo obsequio præiudicauerint; quia in ea sola ratione dominis subiecti sunt. Pro hac sententia refert Prado, Suarium *lib. 6. de voto, cap. 3.* Castrum Palaum *disp. 2. punct. 5. n. 1.* & Barthol. à S. Fausto *lib. 2. q. 130.* Sed ex his Doctoribus, Palaus, minimè id tenet, sed absolutè concedit quod possint domini irritare aliqua seruorum vota.

Sed probabiliùs multò Respondeo dicendum *primò*, quod non possit dominus irritare omnia vota seruorum, & iuramenta Deo præstita, vt dicunt Authores primæ sententiæ; sed sola, & omnia illa, quæ iuri, & potestati ipsius domini, modo aliquo præiudicant; vt. v. g. votum peregrinationis, &c. tum quia potestas, quam habet dominus in seruum: fundatur in seruitute ei debita: ergo sola ea vota, aut iuramenta, quæ huic seruituti obsunt, irritare potest. Tum etiam, quia multa alia vota, præter votum castitatis, & Religionis, non indigent tempore, quod obsequium domini impediat; vt votum non mentiendi, non furandi, &c. ergo multa alia præter votum castitatis, nequibit irritare. Sic sentiunt communiter Doctores. D. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 8. ad 2. & q. 104. art. 5. in fine corporis.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. ad 2.* Nauarrus *cap. 12. n. 64. in fin.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 3. cap. 7. num. 29. & lib. 6. cap. 3. num. 2. & 3.* Azor *tom. 2. lib. 11. cap. 16. q. 8. & cap. 17. q. 9.* Sayrus *lib. 6. Clauis Reg. cap. 5. num. 7. & cap. 10. num. 18.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 10. num. 82. & in 2. edit. dub. 14. num. 86.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 6. q. vltima*, Palud. Angel. Richard. Durandus, Syluester, & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 36. num. 2.* Palaus *disp. 2. punct. 5. num. 1.* Fagundez *lib. 2. cap. 39. num. 3.* vbi inuenies citatum Lessium pro Suario. Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 7.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 37. num. 1. & 4.* Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 45.* Candid. *disquis. 25. art. 13. dub. 6. & sequent.* Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 9. disp. 2. n. 14. & 15.* Prado *cap. 31. de voto, q. 13. §. 5. n. 89.* & Diana *part. 7. tract. 7. Resol. 27.*

Respondeo *secundò*, probabilius est, quod talis irritatio dicenda sit directa, & non indirecta, vt Suarez cum aliis vult; quia potestas, quam habent domini in seruos, planè est dominatiua, vt benè probat Prado loco citato *n. 85.* ex S. Thoma *2. 2. q. 88. art. 8.* ergo directè possunt irritate omnia vota seruorum, quæ voluntati eiusdem domini subduntur. Legatur Prado, & Rocafful. *lib. 3. de 2. præcep. Decal. num. 434. pag. 187.* Hæc in communi. Sed claritatis gratia ad particularia descendamus. Sic ergo.

QVÆSTIO CLII.

An, possit dominus irritare votum castitatis sui serui?

REspondeo vt quid certum: non posse. Quia hoc votum non indiget tempore, quo possit obsequium domini impediri. Sic omnes Authores vtriusque sententiæ fatentur, exceptis paucis primæ, qui contrarium indicant, vt vidimus, quæst. antecedenti. Sic Sanchez præcipuè *num. 3.* & Fagundez *num. 6.*

QVÆSTIO CLIII.

An, saltem possit dominus irritare votum castitatis suæ ancillæ?

AFfirmandum videtur. Quia huiusmodi votum ab ancilla emissum, cedit in domini damnum, vtpote quæ nubens conciperet seruos domino: ergo potest ab illo irritari.

Sed omninò Respondeo, nec hoc votum posse irritari à domino, ob rationem nuper datam. Nec obest ratio dubitandi: quia dominus non habet ius ad ancillæ nuptias; sed libetum est ipsi ancillæ, nuptias, aut vitam cœlibem eligere, & ideo ius habet ad hanc vitam cœlibem Deo promittendam, velit, nolit

nolit dominus. Sic Sanchez & Fagundez *locis citatis*. Diana etiam *part.7. tract.7. resol.27.*

QVÆSTIO CLIV.

An possit dominus irritare vota, & iuramenta seruorum, aliquàrum precum?

REspondeo vt certum: non posse, si preces moderatæ sunt: secus si sint nimiæ. Quia hæ, non illæ, possunt domini obsequium impedire. Nec enim serui ita debent esse astricti seruitiis dominorum, vt eis orare aliquantulum, more Christianorum, non liceat. Sic Rossella *votum 2. num.11.* Angel. *n.7.* Suarez *lib.6. de voto, cap.3. n.3.* Sayr. *cap.10. cit. n.18.* Nauarr. *in sum. Hispana, cap.17. num.74.* Azor *lib.11. cap.16. q.8.* Lessius, Lopez, Syluest. & alij, quos citat Sanchez *lib. 4. Decal. cap.36. num.4.* Fagundez *n. 4.* aduertentes, quod aliquando possit dominus suspendere vota moderatæ orationis, suorum seruorum; quando, videlicet, licèt ex se præiudicium non afferant, at per accidens sunt causa illius: vt si seruus nimiis scrupulis vexatus immoraretur longo tempore in breui oratione, aut nimium in illa defatigaretur: tunc enim poterit tale votum suspendere, sed non irritare: quia ex se huiusmodi votum est permissum seruo, nec est ex iis, quæ domino præiudicant.

QVÆSTIO CLV.

An possit dominus irritare omnia iuramenta, & vota ieiuniorum, & abstinentiæ seruorum?

REspondeo vt certum: non posse omnia, sed ea tantum, quæ domini obsequium impediunt, & ita seruos debilitant, vt postea deficiant corpore. Secus igitur, si vota, aut iuramenta sint de abstinentiis, & ieiuniis moderatis, quæ non præiudicant seruitiis domini. Sic Suarez *n. 3. citato.* Sayrus *lib. 6. cap.5. num.10.* Sanchez *num. 5.* Fagundez *num. 7.* & omnes.

QVÆSTIO CLVI.

An possit dominus irritare iuramenta, & vota à seruis suis emissa, de seruandis præceptis diuinis, & Ecclesiasticis?

REspondeo; non posse. Quia votum non furandi, audiendi sacrum in die festo, confitendi in Quadragesima, & similia, non præiudicant domino; nec huic in iis rebus subditur seruus, vt constat. Sic omnes. Suarez *lib.6. cap.3. num. 3.* Sanchez *lib 4. cap.36. num. 6.* Fagundez *lib.2. cap.39. num.8.* Addentes, quod in casu, quo vota, aut iuramenta Deo præstita, seruandi aliqua præcepta, debito domini seruitio obstarent; vt vota ieiunandi in diebus præcepti, aut audiendæ Missæ in festis, quando dominus indigeret operis serui, quæ à præceptis ieiunij, aut Missæ audiendæ excusant, tunc possit dominus suspendere prædicta seruorum vota, & iuramenta, pro eo tempore, & tunc legitimè excusaretur seruus, à prædicta votorum, & iuramentorum obligatione, sicuti excusaretur à præcepto.

QVÆSTIO CLVII.

An, dominus possit irritare vota realia (nempe, elargiendi eleemosynam) à seruo emissa?

REspondeo vt certum: posse irritare; si seruus nil proprij possideat; secus alias, vt infrà. Ratio est: quia serui opera, ars, industria, resquè, in bonis domini numerantur. *Instit. per quas personas nobis acquirat.domin.§.Item votis, & l.Reg.7.tit.21. p.4.* ergo, si aliàs seruus nil proprij habeat, quod à domino auferri nequeat, non valebit votum reale emittere sine beneplacito domini, ac proinde, si necessum esset, posset ab illo irritari. Sic omnes. Palud. Alcozer, Valentia, Azor, & Suarez, quos citat & sequitur Sanchez *n.7.* Fagundez *n.9.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.37. num.3.* & omnes. Lege me ipsum *part.6. tract.5. disp.3.q.3.*

QVÆSTIO CLVIII.

An etiam possit dominus votum elargiendi eleemosynam magnam à seruo emissum irritare: si seruus aliquid proprij possideat, quod à domino auferri nequeat?

AFfirmat Anton. Gomez in Bulla Cruc. *clausula 10. num.75.* docens, posse dominum tale votum irritare, eo quod esset de elargienda eleemosyna in magna quantitate; secus verò si esset de elargienda modica.

Sed omninò Respondeo tunc non posse irritari tale votum, aut iuramentum à domino. Quia cum esset de re propria, & peculio proprio, de quo seruus potest disponere, potuit illud independenter à domino emittere, cum nil ei præiudicaret: ergo siue de modica quantitate, siue de magna fuerit emissum, nequibit à domino irritari. Sic Suarez *lib.6. de voto, cap.3. n.5.* Sanchez *lib. 4. cap.36. num.9.* Fagundez *lib.2. cap.39. n.10.* & colligitur ex dictis à nobis *part.6. tract.5. disp.3. quæst.5.* vbi inuenies in quibus casibus seruum habere proprium peculium possit.

QVÆSTIO CLIX.

An, vota, seu iuramenta seruorum, emissa quando sunt serui, sed implenda tempore quo soluti erunt à seruitute; possint à domino irritari?

AFfirmant Syluest. & alij apud Dianam *part.7. tract.7. Resol. 26.* dicendo id esse probabile.

Sed multò probabiliùs Respondeo: non posse. Quia talia vota, aut iuramenta nunquam domino præiudicant: nam non præiudicant tempore, quo emittuntur à seruis, cum tunc executioni nihil mandetur; neque tempore, quo implebuntur; quia tunc extra

extra domini iurisdictionem sunt serui: ergo. Sic Tamburin. *lib.* 3. *Decal. cap.* 16. §. 3. *num.* 6. & antea Sanchez *lib.* 4. *cap.* 31. *num.* 14. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 2. & 10. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 18. Suarez *lib.* 6. *cap.* 31. *num.* 14. & Fagundez *num.* 13. addens ex illis, & consequenter, quod casu, quo serui libertatem consequantur, tenentur ad talia vota, & iuramenta exequenda: & si postea iterum ad seruitutem redeant, poterunt illorum domini non irritare simpliciter, sed suspendere prædicta vota & iuramenta Deo præstita, quatenus illorum obsequio, ac seruitio præiudicant.

QVÆSTIO CLX.

An saltem vota, aut iuramenta Deo præstita, à seruis, ante seruitutem emissa; possint irritari à domino?

REspondeo adhuc non posse irritari, sed solum suspendi à domino, quatenus eius seruitio præiudicant. Quia obligatio voti, aut iuramenti, quæ est religionis, non potest impedire hanc iustitiæ posteriorem. Sic Azor *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 2. & 10. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 18. Suarez *lib.* 6. *cap.* 3. *n. vltimo*, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *cap.* 31. *n.* 14. Tamburin. *loco cit. num.* 47. per hæc verba: Pari modo, vota ante seruitutem emissa non possunt domini per potestatem superuenientem irritare: quia hæc vota, vtpotè, quæ omnem vim obligandi perfectè, & sine conditione ante seruitutem habuerint, non censentur facta ad beneplacitum futuri domini, atque adeò non subiacēt superuenienti potestati, nisi in quantum eorum executio domini obsequio fortè præiudicet; quare solum tunc suspendi poterunt, non aboleri. Sic ille, & Diana *resol.* 26. *cit.* An verò possint irritari, si talia vota, & iuramenta facta fuerint à seruis ante seruitutem, in ætate impubere, iam diximus suprà §. 6. *q.* 126. probabilius esse oppositum. Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO CLXI.

An, non solum vir, sed etiam vxor possit vota seruorum, & iuramenta Deo ab eis præstita, irritare?

AFfirmandum videtur, casu, quo seruus sit vxoris, vt si ad bona paraphernalia vxoris pertineat, cum tunc sit sub eius dominio.

Respondeo dicendum absolutè loquendo, non posse vxorem talia seruorum vota, aut iuramenta irritare; nisi in casu proposito, in ratione dubitandi, nempe, quod sint vxoris, & habeat administrationem bonorum paraphernorum. Ratio primæ partis est: quia vir habet administrationem omnium bonorum etiam paraphernorum ferè in tota Hispania, vt constat ex *l. regia* 55. hodie *l.* 3. *tit.* 3. *lib.* 5. nouæ recopilat. Atqui votorum, aut iuramentorum præiudicantium irritatio, & suspensio spectat ad bonorum administratorem: ergo.

Secunda etiam pars constat ex prima. Quia si seruus sit vxoris, & pertineat ad bona paraphernalia eius, & horum bonorum habeat administrationem, vt contingit in Regno Valentiæ, tunc optimè potest vxor, imò, & ipsa sola, & non vir, seruorum vota irritare. Sic Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 37. *n.* 8. & antea Sanchez *lib.* 4. *cap.* 36. *num.* 14. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 19.

QVÆSTIO CLXII.

An, si filiusfamilias habeat seruum, possit illius vota, & iuramenta Deo præstita, irritare?

REspondeo dicendum, quod si seruus sit peculium castrense, vel quasi castrense ipsius filijfamilias, tunc si ipse filius pubes sit, poterit serui sui vota, & iuramenta irritare; quia dominium, & administratio talium bonorum castrensium, aut quasi, ad filiumfamilias spectat. Secus si filius sit impubes, quia tunc, cum administratio talium bonorum ad patrem, vel tutorem pertineat, & solum dominium sit ipsius filij: non ad hunc, sed ad patrem, vel tutorem spectabit irritatio votorum, & iuramentorum serui.

Si verò, seruus sit peculium aduentitium filijfamilias, tunc non poterit hic, sed pater, qui horum bonorum est administrator, irritare vota, & iuramenta serui. Nisi aliàs votum serui, directè esset contra dominium, vt si esset votum Religionis; quia tunc vterque, & filius, & pater, illud irritare poterunt; filius, quia est verè dominus; pater, quia est administrator. Quod si in eo seruo aduentitio pater non habeat vsumfructum, tunc ille poterit irritare, cui administratio illius peculij competit, de quo vide Fagundez infrà.

Tandem, si seruus sit peculium profectitium, tunc solus pater poterit in vtroque casu irritare. Quia solius patris est dominium, & administratio eius peculij, vt docet Nauarr. *in summa cap.* 17. *n.* 144. cum aliis. Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 36. *num.* 15. Et ex illo Fagundez *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 17. 18. & 19. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 37. *n.* 9.

QVÆSTIO CLXIII.

An si pupillus, aut minor habeat seruum, possit illius vota, & iuramenta Deo præstita, irritare?

REsp. dicendum, quod verè possit; si pupillus, aut minor, careat tutore, & curatore. Si verò hos habeat, non: quia tunc ad tutorem, vel curatorem ea irritatio pertinebit; quia ad illos bonorum administratio spectat. Si verò impubes ille tutore carens, matrem habeat, matris erit irritare. Sic Sanchez, Fagundez, & Trullench. *locis citatis.*

DISPVTATIO

DISPVTATIO XVII.

De cessatione obligationis iuramenti Deo præstiti, vel voti; relaxationis, vel dispensationis causa.

§. I.

De potestate dispensandi vota, & iuramenta Deo facta.

QVÆSTIO PRIMA.

An sit in Ecclesia potestas relaxandi, & dispensandi vota, & iuramenta Deo facta?

RESPONDEO vt certum, secundum fidem, dari in Ecclesia talem potestatem. Quia Christus Dominus illam concessit Petro eiusque successoribus, illis verbis, Matth. 16. *Pasce oues meas, & cap.* 18. *Quodcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et probatur euidentissima ratione. Quia Christus Dominus Ecclesiæ suæ in necessariis ad rectam, perfectámque eius gubernationem, & ad consulendum spirituali fidelium saluti, non defuit: at sæpissime ad id est necessaria iuramentorum, & votorum dispensatio: ergo hanc potestatem suæ Ecclesiæ contulit. Sic omnes Catholici. Legantur Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 9. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 37. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dubit.* 12. *n.* 99. aliàs *dub.* 17. *num.* 112. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. Sayrus *in Clani Regia lib.* 6. *cap.* 11. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *punct.* 7. §. 4. Palaus *tom.* 3. *disp.* 2. *punct.* 9. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 40. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. Tamburinus *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. §. 4. Rocafful. *lib.* 2. *de* 2. *præcep. Decal. cap.* 4. *num.* 474. *pag.* 192. Ioan. Martin. de Prado *tom.* 2. *de iust. cap.* 31. *quæst.* 14. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 9. Basseus *tom.* 1. *votum* 7. *& tom.* 2. *votum.* 2. Ascanius Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 2. *disp.* 19. *quæst.* 1. *& sequentibus.*

QVÆSTIO II.

An, hæc potestas dispensandi in votis, & iuramentis, solum resideat apud Prælatos habentes iurisdictionem spiritualem in foro exteriori?

RESpondeo vt certum: solum residere apud illos. Vnde primariò, & iure ordinario, residet hæc potestas in Summo Pontifice, & in aliis Prælatis habentibus iurisdictionem spiritualem in foro externo; sicut residet potestas excommunicandi. Quia vtraque potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem. Sic omnes. Legantur citati. Sanchez *n.* 22. Lessius, *dub.* 12. *num.* 100. Sayrus *cap.* 11. *n.* 85. *&* 86. Fagundez *n.* 1. & alij.

QVÆSTIO III.

An Pontifex, verè, & propriè habeat potestatem ad tollendam & relaxandam obligationem voti, & iuramenti promissorij; an potius solum ad declarandum, tale votum, & iuramentum in eo casu cessare, & non obligare?

NEgant multi habere potestatem ad tollendam obligationem voti, vel iuramenti; sed solum ad declarandum in eo casu non obligare. Quia obligatio adimplendi votum, vel iuramentum, est de iure naturali, & diuino: at Papa (& multò minus alij Prælati,) non potest dispensare in his, quæ sunt iuris naturalis, & diuini; ergo. Ita tenent Glossa *in* cap. *Non est. Verb. Authoritate, de voto*, & ibi Anton. Butrius, *num.* 3. Cardin. *in cap. cum ad monasterium, de statu Monach. n.* 3. D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *q.* 3. Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 3. *num.* 3. Ferrara *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 124. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 4. *concl.* 1. *n.* 38. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. Sylvest. *verb. votum* 4. *q.* 3. *dicto* 3. Quibus videtur consentire D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *in corpore.* Vbi ait, quod propriè dispensare in lege, est declarare in eo euentu non obligare, eo quod eius executio reddita sit illicita, aut inutilis, aut impediens maius bonum, &c. Ita etiam Abulens. *cap.* 30. *Numerorum q.* 102. *&* 103. Caiet. *in sum. v. votum, cap. de dispensat. voti*, vers. *Rationabilis autem.* Armilla *v. votum, n.* 13.

Sed probabilius multò Respondeo quod Pontifex (& consequenter alij Prælati) verè habeat potestatem ad tollendam, & relaxandam obligationem voti, & iuramenti promissorij. Itáque relaxatio, seu dispensatio, qua vtitur Pontifex, non est mera, & pura declaratio, qua ipse declarat votum, & iuramentum Deo præstitum, in eo casu non obligare: sed est propria relaxatio vinculi voti, aut iuramenti, qua posita, voti, & iuramenti vinculum iam non obligat. Probatur *primò* ex vsu Ecclesiæ, quæ frequentissimè dispensat in voto Religionis, & castitatis ob continentiæ periculum: at sic est, quod secluſa dicta dispensatione verè obligat votum: ergo.

Secundò, quia non satis esset necessitatibus spiritualibus Ecclesiæ consultum, si Christus Dominus, solùm relinqueret in ea potestatem declarandi vota, & iuramenta obligare, & non dispensandi, aut relaxandi obligationem illorum ex legitimis causis occurrentibus: quia secluſa dispensatione, seu relaxatione, rarò accidit necessitas declarandi votum, & iuramentum Deo præstitum, hîc, & nunc non obligare, & plurimis angeretur scrupulis conscientiæ Prælati, an causæ essent sufficientes ad eam declarationem, an non essent, rarissimèque dispensare auderent. Sic omninò Fagundez *lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 3. & tenent apud illum, D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 1. *in corp.* Richard. *ibi art.* 9. *q.* 1. Suplem. Gabrielis *ibi q.* 1. *art.* 5. Canus *in Relect. de pœnit. part.* 5. vbi *de præcep. confess.* Medina *tract.*

de

de confess. quæst. de dispensatione super quæst. reuelanda, in solut. ad 2. Sotus *lib.* 1. *de iust. q.* 7. *art.* 3. *col.* 4. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto, cap.* 9. *n.* 6. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 37. *n.* 5. Toledo *lib.* 4. *summæ cap.* 19. *num. penult.* Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. paulò post principium. Sayrus *in Clavi Reg. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 9. Azor *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *quæst.* 4 & *lib.* 11. *cap.* 18. *q.* 5. Graphis 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 18. & 20. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *punct.* 7. *col.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 12. *n.* 98. Henriquez *lib.* 8. de Euchar. *cap.* 23. *num.* 2. *in comment. lit. R. & lib.* 7. *cap.* 23. *n.* 5. *in com. lit.* 2. Vasquez 1. 2. *q.* 97. *art.* 9. *disp.* 178. *à num.* 10. Hostiens. Abbas, D. Anton. & Palacios. His adhuc, addi possunt Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 28. *num.* 1. Rocaffull. *lib.* 2. *de* 2. *præcep. cap.* 4. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *n.* 1. Raph. de la Torre 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *disp. vnica, n.* 5. & apud ipsum Nauarr. *cap.* 12. *num.* 63. Sic etiam March. *v. voto, resol.* 452. *n.* 4.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, omissis aliis solutionibus, benè respondet Fagundez *loc. cit. n.* 11. ex Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 13. *num.* 7. & *lib.* 4. *Decal. cap.* 37. negando, quod non possit Papa directè relaxare, & abrogare ius diuinum, & naturale, quo votum, & iuramentum obligant: quia Ecclesiæ suæ concessa fuit à Christo Domino huiusmodi facultas relaxandi, & abrogandi hanc obligationem iuris diuini naturalis orti ex actu voluntatis humanæ, quo se quis per votum, & iuramentum voluit obligare, non dispensando in vniuersum, vt ius naturale non obliget, sed vt non obliget tali, vel tali casu occurrenti ex causis iustis. Sic ille. Legatur.

QVÆSTIO IV.

Quid sit dispensatio, aut relaxatio voti, aut iuramenti promissorij, quæ vè ratione definiatur?

RESpondeo dicendum, quod dispensatio voti, aut iuramenti promissorij (de hoc enim est sermo) nil aliud sit, quàm ablatio vinculi voti, aut iuramenti, facta, nomine Dei, propter aliquam rationabilem causam. Sic ex Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. docet Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 1. dum dicit; quod dispensare in voto, nihil aliud sit, quàm, *nomine Dei condonare obligationem voti, quam vouens erga Deum contraxerat vouendo.* Sic etiam sentit Palaus, dum dicit, obligationem voti dispensatione cessare: quia dispensans relaxat, seu remittit, nomine Dei, quod per votum debetur, & sicut facta remissione creditoris, vel vices illius habentis, debitum extinguitur: sic facta remissione vices Dei habentis, cessat votum. Et Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *num.* 1. hæc scribens: Tum dispensatur votum, cum is, qui potestatem habet, illud, Dei nomine, absolutè relaxat, seu remittit. Sic ille. Et omnes, qui nostram sequuntur sententiam, quæstione antecedenti stabilitam. Legantur Raph. de la Torre loco citato *num.* 6. Marcus Vitalis *tract. de voto, inquisit.* 3. *à num.* 1. Basseus *tom.* 1. *votum* 7. *num.* 1. & March. *loco citato.*

QVÆSTIO V.

An, vt dispensatio voti, & iuramenti promissorij Deo præstiti, sit valida, & licita; expostulet iustam causam?

RESpondeo tanquam certum: Expostulare iustam causam. Sic optimè Diuus Bernard. *lib.* 3. *de consider. ad Eugen. cap.* 23. vbi ait; dispensationem, absque causa in rebus de iure diuino obligantibus, non esse dispensationem, sed dissipationem; & non fieri de plenitudine potestatis, sed de plenitudine tempestatis. Et ratio est: quia cùm dispensatio voti, & iuramenti, fiat nomine Dei, & in iure suo diuino, vt nuper est habitum; in tantum fieri potest, in quantum Deus ipse consenserit: atqui Deus nullatenus censendus est consentire in remissione sui debiti, absque causa facta; quippe, quæ talis remissio irrationabilis est, & rectæ Ecclesiæ gubernationi præiudicans: ergo. Sic omnes Theologi cum D. Thoma *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. Et omnes iuris Pontificij interpretes, cum Glossa *in cap. Non est. v. adimplere. De voto.* Legantur Sotus *de iust. lib.* 8. *q.* 1. *art.* 9. Valentia 2. 2. *disp* 6. *q.* 7. *punct.* 4. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 19. *n.* 4. & *cap.* 45. *n.* 3. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 17. & alij suprà citati, præcipuè Vitalis *n.* 4. vbi notat, tria debere obseruari, circa voti dispensationem. *Primum*, quid liceat, secundum æquitatem. *Secundum*, quid deceat, secundum honestatem, & *Tertium*, quid expediat, secundum vtilitatem.

QVÆSTIO VII.

An, si bona fide, petita, & data est dispensatio; sit valida, si postea inueniatur fuisse, sine sufficienti causa concessa?

NEgat Castro Palao *disp.* 2. *de voto. punct.* 9. *n.* 4. existimans, teneri dispensatum ad suum votum redire, illóque ligari, statim, ac comperta fuerit causæ insufficientia. Quia iura, & Doctores clamant, ad dispensationis valorem requiri causam legitimam: ergo veram, & non apparentem tantùm. Ita ille citans pro se Ioan. de Salas, & Basilium Legionens. in sua 1. *p. tract.* 3. *de legib. disp. vltima. punct.* 8. §. 1. *n.* 5. sed certè, vbi seipsum citat Palaus, nil de hac difficultate dicit; solùm enim tractat, an peccet mortaliter, vel venialiter qui sine causa dispenset.

Alij contrà dicunt; affirmantes esse validam talem dispensationem. Quia pertinet ad Dei benignitatem, approbare, quod bona fide petitum, concessum, & acceptatum fuit. Et *Confirmatur*: quia dispensatio facta cum causa dubia, & vt sic ab expostulante explicata, est valida, etiamsi postea inueniatur nulla fuisse: ergo. Sic tenent Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 17. *num.* 119. & Sanchez *lib.* 4. *cap.* 44. *n.* 10.

Sed ego cum Tamburino Respondeo dicendum, quod licèt vtraque sententia sit probabilis; hæc vltima sit benignior, & ideo; quia suauitati regiminis Ecclesiæ est conformior, lubentiùs debet excipi. Sic ille *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *n.* 3.

QVÆSTIO VII.

An, omnes illæ cauſæ, quæ voti, aut iuramenti executioni obſtant; ſint ſufficientes ad eorum diſpenſationem?

REſpondeo vt certum: quod ſic. Quia cum obligatio exequendi votum, & iuramentum, cedat in honorem Dei, & in vouentis, aut iurantis vtilitatem; eſt cenſendus illius remiſſioni conſentire, ſi adſit cauſa huius executionis obligationem impediens. Sic omnes Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. vt fatetur Palaus, loco cit. *n.* 5. & Tamburinus *n.* 10. vbi inquirens, quæ cauſæ ſufficiunt ad diſpenſandum in votis? Reſpondet, quod illæ, quæ obſtant executioni voti. Sed ecce nodus, (ait) ecquænam ſunt eiuſmodi? Non valet id meliùs dignoſci, quàm prudentis arbitrio, quod certè lumen concipiet ex examine aliquarum, ex quibus cæteræ poterunt non difficulter expendi, quas iam ſubiicio. Sic ille. Et ego. Sit ergo.

QVÆSTIO VIII.

An poſſint aſſignari capita, ex quibus conſurgunt cauſæ obſtantes executioni voti, aut iuramenti; ac proinde iuſtæ ad diſpenſandum in illis?

REſpondet Palaus quod ſic, iis verbis: cauſæ obſtantes executioni voti ſumuntur, tum ex modo vouendi, tum ex materia voti, ex modo vouendi, ſi imprudenter, temerè, &c. Sic ille, *diſp.* 2. *pun.* 9. *n.* 5. Trullench. verò *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 42. *n.* 7. *art.* quod poſſint ex triplici capite ſumi. *Primum* ex parte ipſius vouentis. *Secundum* ex parte materiæ promiſſæ, & *vltimum*, ex cauſa extrinſeca pertinente ad bonum commune, aut priuatum vouentis. Sic ille. Et benè, vt ex infrà dicendis conſtabit. Sit igitur.

QVÆSTIO IX.

An ſola imperfecta deliberatio in vouendo, det cauſam iuſtam, ad diſpenſandum in voto, aut iuramento promiſſorio?

NEgant aliqui Doctores, qui exiſtimant, non eſſe illam ſolam, iuſtam cauſam ad diſpenſandum; niſi cum illa adſit alia, quale eſſet periculum violandi votum, magna eius difficultas, &c. Ita expreſsè Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 6. *punct.* 7. *ad finem.* Vbi *dub.* 3. inquirens, an leuitas in emittendo voto, ſit cauſa ſufficiens ad diſpenſandum poſtea in eiuſmodi voto? Reſpondet, quod licèt Caiet. *art.* 1. Sotus *lib. de iuſt. q.* 1. *art.* 2. & *q.* 4. *art.* 3. & Nauarrus *cap.* 12. *num.* 77. videantur abſolutè putare, quod ſufficiat; ſed intelligendum id eſt, (inquit,) quando talem leuitatem præteritam, ſequeretur poſtea maxima difficultas adimplendi votum; propter infirmitatem ſic vouentis, ex qua frequentes lapſus ſequantur, ita vt iam iudicetur tale votum inutile eſſe ei perſonæ. Tunc enim illa leuitas reducitur ad cauſam obſtantem executioni voti. Hæc Valentia. Cum illo (apud Palaum) ſentiunt Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 17. *n.* 14. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 17. *n.* 120. & Layman *lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 5. Quibus addo Ledeſmam *in ſum. tract.* 10. *cap.* 8. Villalobos 2. *p. tract.* 34. *diff.* 27. *n.* 5. quos citat, & ſequitur Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 42. *num.* 8.

Sed probabiliùs Reſpondeo dicendum, quod defectus perfectæ & maturæ deliberationis, per ſe ſolum, ſit & præbeat ſufficientem cauſam ad diſpenſandum in voto, vel iuramento. Ratio eſt: quia, hoc ipſum periculum violandi votum, aut magna difficultas in illo exequendo, quæ à contrariis Doctoribus requiruntur, regulariter interueniunt, vel timentur, in eo, qui minus voluntariè, per imperfectam deliberationem, & leuitatem animi, vouit aut iurauit: ergo ſola ipſa leuitas in vouendo, & defectus plenæ libertatis, aut maturæ deliberationis dat cauſam iuſtam ad diſpenſandum in voto, & iuramento. Sic in primis ſentiunt Suarez *lib.* 6, *cap.* 17. *num.* 8. vbi ſcribit ſic: ex imperfecto, & indiſcreto modo vouendi, ſæpè ſumitur iuſta cauſa diſpenſandi in voto. Hanc ferè omnes ponunt, tractantes de votis factis ex metu, vel ex calore iracundiæ, vel alterius ſubitæ paſſionis, non tollentis requiſitam deliberationem, impedientis autem perfectam & prudentem: & huc etiam ſpectant vota puerorum etiam puberum, quando diſcretio non multum ſupplet ætatem. Nam cùm obligatio voti oriatur ex libera voluntate, diminutio huius libertatis, vel voluntatis, diminuit obligationem: & ita de ſe dat cauſam remittendi, vel in totum, vel ex parte. Ita ſumitur ex Caiet. *q.* 88. *art.* 1. *dubit.* 3. Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *art.* 4. *concl.* 5. Antonio 2. *p. tit.* 11. *cap.* 1. Soto *lib.* 7. *de iuſt. q.* 1. *art.* 2. Sylueſtro *votum* 2. *q.* 13. *fine.* Nauarro *cap.* 12. *num.* 22. & 27. Panormitano & Canoniſtis *in c.* 2. *de voto.* Huc vſque Suarez, vt videas in illo, & Authores pro noſtra ſententia; & fuiſſe malè citatum pro contraria. Tenent etiam Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 20. *n.* 12. & *lib.* 4. *Decal. cap.* 45. *num.* 27. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 30. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 9. *numero* 7. Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *num.* 13. Marcus Vitalis *inquiſ.* 3. *cit. n.* 6. Baſſeus *tom.* 1. *votum* 7. *n.* 8. Filliuc. Layman, Syluius, Crourſers, & alij, apud ipſum.

QVÆSTIO X.

An, in votis, aut iuramentis puerorum, ante pubertatem emiſsis; poſſit, alia cauſa non petita, diſpenſari omnino?

NEgandum videtur ex *cap.* 2. *de voto*, vbi Pontifex non fuit vſus diſpenſatione in voto pueri, quod fecerat peregrinationis Hieroſolymitanæ, ſed commutatione: ergo ſignum eſt, quod imperfecta deliberatio, quæ in ætate pupillari inueniri præſumitur, non ſit ſufficiens diſpenſandi cauſa.

Sed, iuxta dicta, Reſpondeo dicendum: poſſe omnino in dictis votis, & iuramentis, abſque noua cauſa diſpenſari. Quia ſemper, iure optimo, præſumi poteſt imprudentia, & leuitas in vouendo; eo quod, impuberes maturo conſilio careant. Sic Sanchez *diſp.* 20. *de matrim. cit. num.* 13. *lib.* 4. *Decal. cap.* 45. *n.* 30. Couarru. *capite Quamuis pactum.* 3. *p.* §. 1. *n.* 3. Vbi ait, ex cauſa impubertatis concedendam eſſe iuramenti relaxationem, etiamſi iurans fuerit proximus pubertati, ac doli capax. Quia licèt iuramentum obliget, æquiſſimè ait, ob imperfectam ætatem concedi abſolutionem. Sic etiam Paulus *n.* 8. Tamburin. *n.* 14. Quia (inquiunt) benignitatis eſt Dei,

Dei, non ita rigidè acceptare votum in tenera ætate conceptum, vt nequeant superiores illud remittere. Sic etiam Suarez innuit, *loco citato.*

QVÆSTIO XI.

An item imperfecta deliberatio, orta ex tristitia, ira, metu, aliave passione, qua quis vouet, aut iurat aliquid, præbeat causam omninò dispensandi?

AFfirmatiuam sententiam tenere Palaum, ait Tamburinus, *loco citato*, *num.*15. sed malè id ait. Nam Palaus, solùm dicit, talem deliberationem præbere causam aliqualem dispensationis, ac proinde commutatione indigere his verbis: si tamen aliquando, ob nimium affectum conseruandi vitam, præceps fueris in vouendo, censerem dispensari posse votum, sed commutatione admixta. Et idem est, si votum emiseris, ira, tristitia, aliavè passione concitatus; præstat enim illa inconsideratio in vouendo aliqualem causam dispensationis, ac proinde commutatione indiget. Colligitur ex Sanchez *disp.* 20. *n.*14.*& cap.*45.*n.*31. Huc vsque Palaus *loco cit.n.*9. Sed hic Author etiam citat malè Thomam Sanchez, cum expressè oppositum sentiat, *locis citatis*, loquende voto emisso ex metu. Legatur.

Sed probabiliùs Respondeo talem imperfectam deliberationem præbere causam Prælatis, vt omninò dispensent, sine vlla admixta commutatione: ob rationem nuper dictam; & mox infrà adducendam. Sic Sanchez vt dixi, & Tamburinus *loco. cit. n.* 15. vbi *n.* 16. infert, quod si quid vouisti, ob timorem mortis, v.g. naufragij, vel cuiuscumque alterius mali, dispensationem impetrare licitè vales: nam tametsi hic timor non sit incussus ad extorquendum votum, præstat tamen regulariter sufficientem causam dispensationi, quia cum immatura deliberatione sic voueri solet. Dico (*regulariter*) si enim matura fuit deliberatio, iam non erit ex hoc capite causa sufficiens. Sic ille ex Sanche. *loco cit.* Vitalis *Inquisit.*3.*cit.n.*6. De qua re etiam agemus infrà *tract.*2.*disp.*1. §.1.

QVÆSTIO XII.

An, error circa causam impulsiuam voti, vel iuramenti, sit sufficiens causa, vt dispensatio voti, & relaxatio iuramenti concedatur?

REspondeo, esse sufficientem: quia error, vel dolus, minuit sine dubio voluntarium. Sic Castro Palaus *n.* 10. quem citat, & sequitur Tamburinus *n.*17. licèt ambo fateantur in hoc casu non debere dispensationem absolutè concedi, sed aliqua commutatione apposita. Sic antea Sanchez *lib.*8.*de matrim.disp.*20.*n.*16.& *lib.*4.*Decal.cap.*45.*n.*34.

QVÆSTIO XIII.

An facilitas, seu leuitas, in vouendo, vt consueuit esse in fœminis, aliisque timidæ naturæ; sit sufficiens causa ad dispensandum?

REspondeo esse sufficientem: quia in huiusmodi voto, non omnino voluntario, non est multa affectio ad rem promissam: ergo semper aderit periculum illud violandi: atqui hoc omnino dat causam dispensationi: ergo. Sic Sanchez *lib.*4.*cap.*45.*n.*30. Tamburinus *lib.*3.*cap.*16. §.4. *n.*15. Palaus *disp.*2. *punct.*9.*n.*7. Sà *v.voti irritatio n.*9. Legantur Azor *tom.*1.*lib.*11.*cap.*15.*q.*5. Nauarr.*cap.*12.*n.*27.*&* 77. Vitalis *num.*6.*cit.* Bruno *in priuileg. Regul.tract.*4. *cap.*3.*propos.*1. Basseus *tom.*1. *votum* 7.*n.*7.

QVÆSTIO XIV.

An, magna difficultas, & non præuisa exequendi votum, vel iuramentum, sit sufficiens causa dispensandi in illis?

REsp. esse sufficientem; quia, estò insufficiens sit, ad auferandum voti, vel iuramenti obligationem, est tamen sufficiens, vt dispensatio voti, & relaxatio iuramenti concedantur. *Tum*, quia hoc est valde consentaneum benignitati Dei, ad consulendum fragilitati humanæ. *Tum etiam*, quia regulariter, cum magna difficultate exequendi votum, coniunctum est periculum volandi illud. Sic Suarez *lib.*6. *de voto, capite* 17.*num.*11. Sanchez *lib.*8.*de matrim. disp.*20.*n.*22. & *lib.*4. *Decal. cap.*45. *n.*41. Palaus *disp.*2.*punct.*9.*num.*13.*&* 7. Vbi affert Nauarrum, Azorium, Lopez, Graffium, Aragon. Sà, & Bonacinam. Fagundez *num.* 16. *citato.* Marcus Vitalis *inquis.*3.*cit.n.*9. Bruno, *loco cit.*

QVÆSTIO XV.

An item sit sufficiens causa ad dispensandum in dicto voto, & iuramento, magna difficultas exequendi illa, etiam si hæc fuerit præuisa?

NEgant aliqui, tunc esse causam sufficientem ad dispensandum. Quia tunc tota illa difficultas fuit Deo oblata. Sic Sanchez ex Suario *loco citato.* Vbi ait, quod quando difficultas est denuò suborta, vel reuera, vel, iuxta vouentis cognitionem, tunc sit vera causa sufficiens ad dispensandum, vt dictum est: secus verò (addit) si à principio inerat, & fuit cognita, vel præuisa; quia tunc non est causa dispensandi, nisi aliquid noui accidat, vel periculum sit subortum, aut experientia cognitum. Quia tunc (ait) tota illa difficultas fuit Deo oblata. Ita ille, & innuit clarè Palaus, *num.*13.*cit.*

Affirmat contrà Tamburinus *lib.*3.*Decal.cap.*16. §.4.*n.*18. putans, regulariter loquendo, esse sufficientem causam dispensandi. Quia semper (iuquit) multò difficilior apprehenditur res, quando instat executio, quàm, quando remotè prouidetur facienda. O quoties dum mente, & cogitatione soli præliamur, in quæque menti obuia pericula ruimus, ad quorum tamen primum occursum, statim expallescimus, & terga etiam nolentes vertimus. Hæc ille.

Sed ego vtramque sententiam sentio esse veram, nec inter se, nisi verbis, differre. Quia id ipsum, quod elegantur exclamando, Tamburinus, dicit; dicit & Sanchez, illis vltimis verbis: nempe, vel periculum sit subortum, aut experientia cognitum. Si ergo experientia noscat vouens maiorem difficultatem, iam hæc maioritas non fuit præuisa, & ideo sufficiens est ad dispensandum causa. Lege sequentem quæstionem.

QVÆSTIO XVI.

An sit iusta causa dispensandi in votis, & iuramentis, quòd vouens vexetur magnis scrupulis conscientiæ, ratione illorum?

REspondeo dicendum: esse iustam. Sic Sanchez *lib.8.de matrim. disp.20. num.23. & lib.4. Decal.cap.35. n.* 42.(non 43. vt legi apud Tamburin.) vbi ita ait. Hinc deducitur, iustam dispensandi causam esse, cum vouens, ratione voti, nimiis conscientiæ scrupulis vexatur; ita vt valde quieti conscientiæ implere votum noceat. Vt, vouit quispiam se quotidie calculos Virgineos recitaturum, angitur magnis scrupulis, num attentè, ac integrè recitarit, passim repetens, nec adhibitis mediis consuli eius conscientiæ potest. Quod id votum sit valde onerosum, & potius noceat. Atque idem dicendum censeo, quamuis ille difficultatem hanc præuiderit. Quia fuit valde imprudens votum, & eius exequutio potiùs nocebit. Hæc Sanchez. Tamburin. *lib. 3. cap.16.§.4. n.23.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.42.sub n.12.* Fagundez *lib.2. cap.40. n.16.*

QVÆSTIO XVII.

An, sit iusta causa dispensandi in voto Religionis, morbus continuus, cuius salus desperatur, & talis est, vt obseruantias regulares impediret?

AFfirmat Sanchez *cap. 45. citato n.43.* esse sufficientem causam nisi alias (inquit) difficultas esset præuisa.

Sed absolutè probabiliùs Resp. esse iustam causam dispensandi, quamuis difficultas esset præuisa. Quia iudicandum est tale votum esse valde imprudens, & eius exequutionem potius vouenti nocituram. In quo euentu, etiam Sanchez est nobiscum. Sic Petr. Ledesma *2.tom.sum.tract.10.cap.8.propè finem.* Vbi absolutè hæc ait: *Otra causa sufficiente para la dicha dispensaciõ, es la mucha flaqueza corporal para lleuar los trabajos de la Religion,* &c. Legantur Nauarr. *cap.12.n.17.* Sayrus *lib.6.cap.12.n.28.* & Graffis *1.p.decis. lib.2.cap.31.n.35.* Fagundez *cap.40.n.16.* Marcus Vitalis *n.6.*

QVÆSTIO XVIII.

An, sit item causa iusta dispensandi, quod votum, vel iuramentum emissum, sit occasio maioris ruinæ vouẽti, & iuranti?

REspondeo vt certum: etiam esse iustam causam. Quia tunc in Dei honorem, & vouentis, aut iurantis vtilitatem cedit dispensatio. Quapropter dispensari potest votum castitatis, aut non petendi debitum in coniugatis, ob periculum transgressionis, quod cõmuniter adest: difficulter enim in tanta coniugij occasione cohibere quis à culpa se poterit. Sic omnes. Legantur Sanchez *lib.8.de matrim.disp.20. n.17. & lib.4. Decal.cap.45. n.40.* Suarez *lib.6. de voto, cap.17. n.9.* Lessius *lib. 2. cap.40. dubit.17. n. 120.* Layman *lib.4.tract.4. cap.8. num.5.* Palaus *disp.2.punct.9. num. 12.* Tamburin. *lib.3. cap.16. §.4. n. 21.* Fagundez *lib.2. cap. 40. n. 16.* Marcus Vitalis *inquis. 3. num.7.*

QVÆSTIO XIX.

An, violatio frequens voti, vel iuramenti, præbeat iustam causam dispensandi, & relaxandi illa?

NEgant aliqui Doctores, non absolutè, sed in casu tantum, quo violatio frequens voti, non consurgat ex fragilitate humana, sed ex malitia, & prauo vouentis habitu. Quia ex delicto suo, nullus reportare commodum debet, vt voto, aut iuramento liberetur. Ita Sotus, Angles, Rodriguez, & Viualdus, apud Sanchez *disp.20. cit.n.19.* & Petr. Ledesma vbi suprà: ibi: *Pero si el no cumplir el voto no nace de flaqueza, sino de malicia, no es sufficiente causa para dispensar en el,* &c.

Sed probabiliùs Resp. præbere iustam causam dispensandi, etiamsi talis violatio frequens ex malitia procedat. Quia eo habitu supposito, & magna fragilitate inde acquisita, res illa promissa est reddita viribus impar, ac votum (seu iuramentum) illi est factum inutile, vtpotè, quod non medicinæ, sed laqueo; nec vitandis peccatis, sed augendis deseruit. Nec hoc est, ex malitia commodum reportare; sed ex materia voti, vel iuramenti, quæ, suppositia illa malitia, est reddita inutilis. Sic omninò Sanchez *disp.20.cit.de matrim. n.18. & lib.4.cap.45.num.44. & 45.* & penes ipsum Nauarr. *cap.12.n.78.* Valentia *disp.6.q.6.punct.7.fine.* Sà, vbi *de irritat.voti. n.9.* Sayrus *lib. 6. Clauis. cap.12. n.31.* Richardus, Philiarcus, Lopez, & alij. Quibus adde Suarium *lib.6. cap.17.n.12.* Palaum *disp.2.punct.9.n.12.* Tamburinum, *n.21.* Trullench. *lib.2.cap.2.dub.42.n.12.* Fagundez *cap.40.n.16.*

QVÆSTIO XX.

An, votum, seu iuramentum non peccandi mortaliter, possit dispensari?

REspondeo, quod sic. Quia hoc votum, seu iuramentum, spectata fragilitate hominum in communi, moraliter potest esse occasio ruinæ, ob periculum transgressionis, quod communiter adest. Sic Sanchez *cap.45. n.40.* Palaus *n.12.* Suarez *lib.6. de voto, cap.17.* (non 18. vt legi apud Trullench.) *n.9.* ex Richardo *in 4.d.38. art.9.q.1.* Quia materia (inquit) talis voti, moraliter est periculosa, & nociua. Trullench. *lib.2.cap.2.dub. 42.sub num.12.* vers. *secundò contingit.*

QVÆSTIO XXI.

An, si dubium sit, an votum, seu iuramentum, sit impeditiuum maioris boni, possit dispensari?

REspondeo posse. Quia stante hoc dubio, non satis constat, an illud votum (seu iuramentum) sit gratum Deo: ergo præstat de medio tolli. *Tum* ne honor diuinus incertus sit. *Tum* vt conscientia vouentis secura reddatur. Sic Palaus *disp.2. punct.9. n.14.* ex Suario *lib.6.cap.17. n.10.* Sanchez *lib.8.de matrim. disp.20.num.8. & lib.4. sum.cap.45.num.36. & 37.* Trullench. *numer. 12. citato*, in principio,

pio, vbi sic ait: quando materia voti facta est inutilis, aut mala, aut impediens maius bonum, quod intellige, quando de aliquo ex iis dubitatur; nam quando certo constat, tunc votum desinit obligare, vt dictum est suprà, ac proinde dispensatione non eget: votum enim debet esse de re licita, vtili, ac meliori. Vnde fit, quod etiam sit iusta dispensandi causa; quod ex dispensatione voti speretur maior vtilitas, maiorque spiritualis ipsius vouentis fructus, quamuis hæc spes sit cum aliquo dubio, vt benè Suarez, & Sanchez locis citatis. Sic Trullench.

QVÆSTIO XXII.

An, si ex voto, aut iuramento, bonum Reipublicæ impediatur; præstet sufficientem causam dispensationi?

REspondeo vt certum, quod sic. Quia bonum commune, semper est priuato præferendum. Vnde si matrimonium iudicetur expediens ad sedandos animos discordes, vel stabiliendam pacem alicuius Prouinciæ, vel ciuitatis, poterit astrictus voto castitatis, aut Religionis dispensari, vt matrimonium ineat. Et idem est de vouente ieiunium, quod publicam concionem, aut lectionem impediat. Sic Palaus *num.* 15. ex Suario *lib.* 6. *de voto, cap.* 17. *n.* 13. Sayro *lib.* 6. *Clauis Reg. cap.* 12. *n.* 29. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 20. *num.* 24. *& lib.* 4. *Decal. cap.* 45. *num.* 49. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 5. Quibus addo Caietanum apud Sanchez, docentem, id esse verum, etiamsi illa boni communis causa, sit excitata ex hominum malitia: vt si bellum sedari non posset, nisi puella voto castitatis astricta nuberet, esset iusta dispensandi causa. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *n.* 19. Trullench. *n.* 14. Marcus Vitalis *inquis.* 3. *n.* 10. Bruno *tract.* 4. *cap.* 3. *propos.* 1.

QVÆSTIO XXIII.

An item, si votum aut iuramentum, cedat in damnum priuatum alicuius domus, vel familiæ, possit dispensari?

REspondeo vt certum, posse. Quia bono domus, vel alicuius familiæ prouidere, est opus pietatis, quod interdum præfertur operi religionis. Vnde si quis peregrinationem voueret, & timeret ex eius absentia graue damnum domui, vel familiæ obuenturum, poterit dispensari. Sic Suarez, Sanchez, Tamburin. Palaus locis. cit. Trullench. *n.* 2. *&* 15. Marcus Vitalis, & Bruno, *locis citatis.*

QVÆSTIO XXIV.

An sit iusta causa dispensandi in iuramento, aut voto castitatis, aut Religionis, necessitas conseruandæ progeniei alicuius nobilissimi Ducatus, aut Marchionatus?

REspondeo non esse iustam causam dispensandi absolutè; benè tamen admixta aliqua commutatione. Ratio est, quia hæc causa, est merè temporalis: ergo non sufficit ad dispensationem ne-

ram. Est tamen aliqualis causa, vt admixta commutatione partim dispensetur, quia cedit in honorem Dei creditoris hâc benignâ remissione vti, & in specialem Ecclesiæ, protectionem familiarum illustrium conseruare. Sic enim in praxi seruat Sacra Pœnitentiaria. Sic Nauart. *lib.* 3. *consil. in* 1. *edit. consil.* 31. *n.* 2. *de voto.* Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 3. *num.* 9. *in commento, lit. D.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. cap.* 20. *num.* 25. *& lib.* 4. *Decal. cap.* 45. *num.* 51. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 42. *n.* 15. Palaus *disp.* 2. *punct.* 9. *n.* 16. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *n.* 19. vbi omnia nuper dicta iis paucis verbis comprehendit. Si voti executio tibi causa est damni, vel tui, vel publici, vel tuæ familiæ, &c. sufficienti causa instructus dispensationem voti petis. Hinc longæ peregrinationes, austera ieiunia, si te, vel familiam notabiliter lædant, dant sufficientem causam: quia tibi prouidere, vel familiæ, ad charitatem pertinet, pietatémque. Huc reducitur causa dispensandi in castitatis voto, ne quis castè viuens, morbo continuo fortè diuexetur, ne familia illustris pereat, ne inimicitiæ grassentur inter ciues, quando dispensatione voti his malis matrimonio occurri speratur. Si causa est merè temporalis, vt accidit in dicto morbo, vel illustris familiæ conseruatione, &c. vtpotè non omnino sufficiens, semper erit aliqua commutatio admiscenda. Hæc ille.

QVÆSTIO XXV.

An, sit iusta dispensandi in voto (aut iuramento) quod vouens conferat magnam pecuniæ summam ad opera pia, aut publica?

REspondeo vt certum: quod non sit iusta causa ad dispensandum in voto; benè tamen ad commutandum illud. Ratio est: quia eleemosyna connumeratur inter opera bona, in quæ potest bonum opus voti commutari: non tamen sufficit ad dispensationē, quia dispensatio requirit aliquid obstans executioni voti, quod non affert quęcumque oblata eleemosyna. Sic Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 45. *n.* 17. Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *col.* 5. Villalob. *tract.* 34. *diff.* 27. *n.* 2. *&* 3. Trullench. *lib.* 2. *Decalogi, cap.* 2. *dub.* 42. *n.* 3. Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *n.* 20.

QVÆSTIO XXVI.

An sit iusta causa dispensandi, quod ex dispensatione voti, aut relaxatione iuramenti, speretur maior vtilitas, maiórque spiritualis fructus ipsius iurantis, & vouentis?

REspondeo, esse iustam causam. Quia per iuramentum, vel votum, principaliter intenditur bonum spirituale, & vtilitas vouentis, & iurantis. Richardus *in* 4. *d.* 38. *art.* 9. *q.* 1. Sanchez *cap.* 45. *cit. num.* 38. Tamburinus §. 4. *cit. num.* 22. ex Suario *lib.* 6. *de voto, cap.* 17. *n.* 10. Qui optimè addit, id verum esse, quamuis ea spes sit cum aliquo dubio, ait namque sic: Et quamuis nullum sit dubium de obligatione, nec de honestate materiæ, si speretur aliunde maius bonum, etiamsi sit cum aliquo dubio, poterit inde honestari dispensatio, etiamsi

absque illa non possit obseruantia voti prætermitti, vt benè Corduba q.147. *sum.* cum Syluestro, Caietano, & Soto, quos refert Couarru. in cap. *quamuis pactum.* §.3. *n.*4. Hæc Suarius. Legantur Brunus, & Vitalis. *loc. cit.*

QVÆSTIO XXVII.

An, eadem causa exigatur, & sufficiat, ad dispensandum in voto, & ad relaxandum iuramentum, in solum Dei honorem emissum?

REspondeo dicendum quod eademmet causa exigatur, & sufficiat ad dispensandum in voto, quæ exigitur, & sufficit ad relaxandum iuramentum, in solum Dei honorem præstitum. Quia huiusmodi iuramentum est, quoad eius dispensationem, instar voti. Sic Sotus, & Aragon, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*20. *num.*1. & 30. & *lib.*4. *Decal. cap.*45. *n.*14. Trullench. ex illo, *dub.*42. *cit. n.*2. & nos diximus suprà.

QVÆSTIO XXVIII.

An sit sufficiens causa ad dispensandum in iuramento, aut voto non ludendi, vehemens desiderium ludendi, ac tentationis pati?

REspondeo vt certum: non esse sufficientem nisi casu, quo dictæ tentationes eò vouentem trahant, vt illum frequenter transgressionis voti, vel iuramenti, periculo exponant. Ratio inquit Nauarrus est; quia tale iuramentum est verum, & de re graui factum: atqui à iuramento iusto de re graui absolui nemo potest, sine iusta causa: ergo. Sic ille *cap.*12. *num.*11. Sanchez ex illo *lib.*4. *Decal. cap.*45. *num.*47. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*42. *num.*13. Alcozer *lib. de ludo, cap.*13. *concl.*8. Qui addit iustam causam dispensandi in iuramento non ludendi esse; si quis constitutus sit in illius violandi occasione, eo quod iuuenis sit, & in eo loco versetur, quo ludum prætermittere nequit, nisi rusticus, & agrestis habeatur.

QVÆSTIO XXIX.

An, Prælatus peccet semper dispensando in voto, vel iuramento; si non misceat aliquam commutationem?

AFfirmant quidem. Quia infidelis est dispensator, qui cum minori domini iactura potens aliquid efficere, eius rationem non habens, cum maiori facit. Ita Sotus *lib.*7. *de iust. q.*4. *art.*3. *col.*8. Hinc ergo (inquiens) fidelis dispensator, & prudens colligat, vt in voti impedimento, satis per commutationem succurritur, illo vtatur, citra dispensationem, remedio: aliàs infidelis esset. Nam omnimoda dispensatio, citra necessitatem culpâ non caret: neque dispensantis reatus petentem excusat, quin eodem complicetur: tametsi maior sit in dispensante. Ita ille. Quem citat & sequitur Rodrig. *in* 2. *p. sum. cap.* 100. *n.*4. *in fine*, & *in Bulla Cruciata*, §.9. *num.* 107. Ouandus *in* 4. *d.* 38. *disp. vnica*, *Propositione* 29. Quorum sententiam expressè fatetur Suarez, esse probabilem, *lib.* 6. *de voto*, *cap.*17. *n.*18.

Sed probabiliùs multò Resp. non semper peccare, necdum venialiter Prælatum dispensando nullam commutationem admiscendo. Quia certum est, quod Prælati habent potestatem dispensandi omnino, & absolutè, sine commutatione adiuncta, vt supponunt omnes Doctores, tanquam rem certissimam: ergo talis potestas non est superflua, nec otiosa: ergo potest interdum secum actum plenum exercere validè, & licitè: ergo possunt dari causæ iustificantes talem dispensationem. Sic Suarez *lib.*6. *cap.*17. *cit. n.*18. Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*9. *num.*28. & *lib.*4. *Decal. cap.*46. *num.*2. Qui ad fundamentum Soti respondet, quod suauis gubernatio Ecclesiæ petit, vt vsus harum duarum facultatum dispensandi nempe & communtandi, sit in Prælato, ad vtraque vtendum, quando opus fuerit: nimirum aut commutando partim, aut benignius agendo, dispensando omnino. Vnde quando vtraque potestas, sic committitur Oeconomo, non est infidelis, si vtraque vtatur. Sic etiam tenent Caiet. 2.2. *quæst.*88. *art.*12. *dub.*2. Nauarr. *cap.*12. *n.*63. vbi ita ait: qui habet authoritatem dispensandi, poterit omnino relaxare, absque eo, quod loco voti aliquid iniungat, & tunc tam vouens, quàm qui dispensat, manent in conscientia securi. Sic ille. Trullench. *dub.* 42. *cit. num.*18. Basseus *tom.* 2. *votum.* 2. *n.*29.

QVÆSTIO XXX.

An, possint assignari casus, in quibus licitè possit Prælatus vti totali dispensatione in votis, & iuramentis?

REspondeo, quod sic. *Primus est*, si vouens tot remiserit vota, vt expediat aliqua illorum omnino auferre. *Secundus*, si ita pauper sit, vt nullam eleemosynam elargiri valeat, ac ita labore, ac aliis occupationibus sit implicitus, vt expediat nullum illud onus illi iniungere. *Tertius*, quando timetur periculum lapsus, ex quacumque materia relicta, sub voti obligatione. *Quartus* si tot scrupulis vexatus sit, vt expediat ad prospiciendum quieti suæ conscientiæ, eum omnino voti obligatione liberare. Sic Sanchez *cap.*46. *num.*3. Suarez *cap.*17. *cit. n.*18. Trullench. *n.*18. *citato.*

QVÆSTIO XXXI.

An, saltem sit sanum consilium, admiscere dispensationi commutationem aliquam?

REspondeo dicendum, quod regulariter loquendo, sit sanum consilium. *Tum*, quia iura semper adiungunt aliquam recompensationem, vt constat ex capite 1. & 2. & *cap. magnæ & sequent. de voto*: & in Rescriptis Pontificum vix conceditur dispensatio, vel potestas dispensandi nudè; sed, vel sola commutatio, vel semper adiungitur aliqua recompensatio. *Tum* etiam, quia hoc modo euitantur sufficienter causæ scrupuli. Sic communis. Suarez *cap.* 17. *cit. fine.* Caiet. & Nauarr. *locis suprà citatis.*

citatis. Lessius *lib.2. cap.40.dub.10.n.101.in 1.edit.* Sanchez *cap.46.cit.num.4.* Alcozer *in sum.cap. 16. de voti dispensat.concl.2.fol. 58. pag. 2.* apud Sanchez : apud me verò *fol.74.pag.2.* Trullench, *lib. 2. cap. 2.dub.42.fine.* Palaus *disp.2.pun.9.n.17.* Basseus *tom.1.votum 7.n.8.*

QVÆSTIO XXXII.

An, stante causa legitima dispensationis, teneatur semper Prælatus illam concedere?

AFfirmant quidam. Quia potestas dispensandi data est Prælatis in subsidium, & remedium subditorum. Ita, loquendo de dispensatione in communi, tenent Rossella, Siluest. Armilla, Sà, Ioan. Sancius, & alij citati à nobis, loquendo de dispensatione ieiunij, *3.p.tract.5.disp.10.q.24.*

Sed, iuxta ibi dicta, iterum probabiliùs, Respondeo non teneri semper ad dispensandum. *Tum* quia ad id nullo iure adstringitur. *Tum*, quia dispensatio verè est gratia : sed gratia est indebita: ergo. Sic Archidiacon. Turrecrem, Dominicus, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.3.de matrim.disput.10. n. 3. & lib.4.Decal.cap.46.num.8.* Suarez *lib.6.de voto, cap.17.n.21.* Basil. Castro Palao, & alij à nobis citati *3.p.* vbi supra.

QVÆSTIO XXXIII.

An saltem in aliquibus casibus teneatur Superior ad dispensandum?

REspondeo vt certum : teneri & sub peccato. Casus sit, quando notabile bonum publicum, aut priuatum spirituale vouentis, dispensationem exigit, nec mera commutatione potest commodè id damnum, ex non concedenda dispensatione imminens, caueri, aut illi bono spirituali prospici. Quia cùm potestas Superiorum ad dispensandum sit in subsidium, & bonum subditorum, ac ex officio teneantur consulere eorum saluti, tenebuntur vtique dispensare, quoties dispensatio ad eum finem est necessaria. Sic Sanchez *de matrim.disp.10.citata, n.6. & cap.46.cit.n.9.* Castro Palao *disp.2.pun. 9. fine.* & alij apud ipsos. Suarez *cap.17. cit. num. 21.* Trullench, *lib.2.cap.2.dub.41.n.13.* Basseus *tom.2.votum 2.num.30.*

QVÆSTIO XXXIV.

An, si causa est adeo vrgens, vt petat totalem dispensationem, liceat tunc Prælato, cogere subditum ad aliquam partialem voti commutationem admittendam?

REspondeo tunc minimè licere Prælato subditum ad id cogere. Quia tunc, vt nuper vidimus, tenetur Prælatus ex vi sui muneris ad totalem dispensationem concedendam, cum subditus habeat ius, vt supponitur, vt ei concedatur absoluta dispensatio, ex vi causæ, quam allegat. Sic Suarez *num. 21. cit.* & Sanchez *cap.46. cit.num. 5.* licèt dicat rarissimum fore casum.

QVÆSTIO XXXV.

An, si Prælatus nolit dispensare in votis, quando tenetur; tunc possit vouens ad Superiorem illius appellare, vt sibi medeatur?

NEgant aliqui, apud Sanchez *de matrim. lib. 3. disp.10.* vbi de hac difficultate, loquendo de dispensatione in denunciationibus, latissimè agit. Vnde ex illo ad propositam quæstionem.

Respondeo dicendum, quod possit vouens, in assignato casu, implorare per appellationem, officium Superioris, vt sibi medeatur; & tunc causa ea deuoluetur ad Superiorem. Qui similiter tenebitur dispensare, aut cogere Prælatum inferiorem, vt dispenset. Secus dicendum in casu, quo dispensatio non sit debita, sed gratuita : quia tunc non potest vouens appellare : sed solum potest officium Superioris implorare, vt ex misericordia secum dispenset. Sic Sanchez *loco cit. & lib.4.Decal.cap.46. num. 10.* Trullench, *num.13.citato.*

QVÆSTIO XXXVI.

An, voto, aut iuramento ligatus; teneatur aliquando dispensationem, aut commutationem, aut irritationem petere?

REspondeo teneri in duplici casu. *Primò*, quando vouenti, aut iuranti imminet graue, ac proximum transgressionis periculum : quia tunc lege charitatis tenetur sub mortali, consulere suæ saluti spirituali; si aliud eius periculi euadendi medium non occurrat.

Secundò, quando dubitat vouens (aut iurans) an in hoc, vel in illo casu, sit culpa exequi rem voto, vel iuramento promissam, an potius sit culpa non exequi, nec id dubium aliter vincere potest; tunc enim, vt ea perplexitate liberetur, tenetur his mediis vti. Sic omnino Sanchez *lib.4. Decal. cap. 46. n. 11.* & ex illo, etiam omnino Trullench, *num. 14.* & Marcus Vitalis in *disquis. Moral. tract. de voto inquisit. 3.n.12.*

§. II.

De his, qui potestatem habent ordinariam dispensandi vota, & relaxandi iuramenta Deo soli præstita.

QVÆSTIO XXXVII.

An omnes Prælati, qui dispensare possunt in votis, possint etiam dispensare in iuramentis promissoriis Deo factis?

NEgare videtur D.Thom. 2.2. *q.*89.*art.*9.*ad.* 3. cum non obscurè innuat, solum Pontificem posse dispensare in iuramentis vndequaque licitis.

Sed vt certum Respondeo dicendum, quod omnes Prælati, qui possunt dispensare in votis respectu suorum subditorum; possint eodem modo in iuramentis præstitis Deo. Quia (vt sæpè est habitum) huiusmodi iuramenta habent votorum rationem, & naturam. Sic communis. Sotus *lib.*8.*de iust.q.*1.*art.* 9. qui explicat benè D. Thomam, dicendo, solùm velle, quod æquius sit, vt solus Papa in iuramentis dispenset. Angel. *iuramentum* 6. *initio.* Caiet. 2. 2. *q.*89.*art.*9.*initio.* & ibi Aragon, *dicto* 4. Valentia *disp.*6. *q.* 7. *pun.*4. *col.*5. Azor. *lib.*11. *cap.*9. *q.* 6. Silvest. Toledo, Tabiena, & Sà, quos citat, & sequitur Fagundez *lib.*2.*Decal.cap.*41.*num.*1.

QVÆSTIO XXXVIII.

An dispensatio sit actus Ordinis, aut iurisdictionis?

REspondeo vt certum: Quod non sit actus Ordinis; sed iurisdictionis spiritualis. *Prima pars* constat: quia nullus est Ordinis character ad hoc deputatus; & Episcopi electi, & à Papa confirmati, nondum tamen consecrati, nec Sacerdotio insigniti, dispensare possunt.

Secunda item pars, patet. *Tum* ex eius origine, quam §.1.*q.*1.& 2. explicuimus. *Tum*, ex eius fine, qui est mere spiritualis, nempe, animarum salus. *Tum* denique ex materia, quæ diuinum cultum, & honorem continet. Sic Paludan. *in* 4.*d.*38.*q.*4. *art.* 4. Lessius *lib.*2.*de iust. cap.*40.*dubit.* 12.*num.* 100. *in* 1.*edit.* Suarez *lib.*6.*de voto, cap.*10. *n.* 1. dicens, id esse de fide. Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.* 2.*n.* 11. & *lib.*4.*Decal.cap.*37.*num.* 16. & *cap.* 38. *n.* 7. Fagundez *lib.*2.*Decal.cap.*41. *num.* 3. addens, non solum esse actum iurisdictionis spiritualis simpliciter; sed actum iurisdictionis spiritualis fori externi, & ideo solum competit Prælatis habentibus iurisdictionem spiritualem in foro externo, quod & nos diximus *supra* §.1.*q.*2.

QVÆSTIO XXXIX.

An hæc potestas dispensandi in votis, aut iuramentis Deo præstitis, fuerit in lege naturæ; & in lege scripta, apud Sacerdotes, aut Pontifices illius populi?

AFfirmandum videtur. Quia licèt lex naturalis, & scripta fuerint imperfectiores lege gratiæ, & Euangelij: attamen Deus, nec vt Author naturæ, nec vt Author legis scriptæ defuit in necessariis, quorum vnum est, potestas dispensandi: ergo fuit in illis legibus hæc potestas. Ob id satis probabilis est hic dicendi modus, vt innuit Suarez *infra.*

Sed probabiliùs Respondeo in neutra lege fuisse hanc potestatem. Quia licèt ea media, quæ præcisè ad salutem necessaria erant, in neutra lege defecerint: attamen inter hæc media non computatur potestas dispensandi, sed inter media necessaria ad perfectam, & consummatam gubernationem Ecclesiæ, qualis sola est in lege Euangelica. Et ex his mediis multa defecere in illa duplici lege, tanquam non omni ex parte consummata. Sic licèt timidè videtur sentire Suarez *lib.*6.*de voto, cap.* 9.*n.*20. & 21. Sanchez *lib.*4.*cap.*37.*n.*18. Fagundez (omnino ex Sanche, quem non citat) *lib.*2.*cap.*41.*n.*4.

QVÆSTIO XL.

An, hæc potestas dispensandi in votis, vel iuramentis, possit competere, iure ordinario, aut delegato, Clerico solius primæ Tonsuræ?

REspondeo vt certum dicendum, quod possit illi, vtroque iure, competere; (quidquid dubitauerint Palud. *in* 4.*d.*38. *q.*4. *art.* 4. *concl.* 9. *n.* 47. & D. Anton. 2.*p.tit.*11.*cap.*2.§.9.*vers. item Pœnitentiarij.*) Quia cùm non sit actus Ordinis, sed iurisdictionis, vt nuper est habitum, nullum specialem Ordinem requirit, sed solùm, vt dispensans sit persona Ecclesiastica, & sic, sit capax iurisdictionis spiritualis, ad quod satis est prima Tonsura, vt constat, quia sola ea insignitus, potest quis esse Vicarius generalis Episcopi, & habere potestatem excommunicandi, & absoluendi in foro externo ab excommunicatione, vt ex praxi constat, & ex dictis à nobis *par.*4.*tract.de excommunicatione.* Sic Sanchez *cap.* 37. *cit. numer.* 20. ex Sayro *de censur. lib.* 1.*cap.* 5. *numer.* 8. Suario *tom.* 5. *de censur. disp.* 2.*sect.* 3. *numer.* 11. Lessio *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 12. *numer.* 100. Sic etiam omninò ex Sanche, Fagundez *loco cit. numero sexto*, Trullench, *lib.*2. *cap.*2.*dub.*37.*numer.* 3.*fine.* Villalob. *p.* 2. *tit.* 34. *diff.* 24.

QVÆSTIO XLI.

An etiam Clerico coniugato possit competere, iure ordinario, aut saltem delegato, hæc dispensandi potestas?

REspondeo vt certum, *Primò*. Clerico coniugato minimè potest competere hæc potestas, iure ordinario. Patet. Quia Clericus coniugatus non reputatur persona Ecclesiastica, nisi quoad sola Canonis, & fori priuilegia, & hoc non absolutè, sed seruatis quibusdam conditionibus: atqui sola persona Ecclesiastica est capax iurisdictionis spiritualis: ergo sola illa est capax dispensandi: ergo minimè Clericus coniugatus; & à fortiori, nulla persona merè laïca. Sic Sayrus, Suarez, Fagundez, Trullench citati, & nos *part.* 4.

Respondeo *Secundò*. Potestas dispensandi in votis, potest competere Clerico coniugato, & cuilibet laïco, per delegationem summi Pontificis solius. Quia potest Pontifex committere vtrique potestatem excommunicandi, vt diximus *par.* 4. *loco cit. q.* ergo poterit, & dispensandi. Sic Authores citati.

QVÆSTIO XLII.

An hæc potestas ordinaria dispensandi in votis, & iuramentis, resideat, tanquam in primo fonte, & capite, in summo Pontifice, erga omnes Christianos totius orbis?

REspondeo tanquam quid certum. Quod sic. Quia Sum. Pontifex omnium Christianorum est verus Pastor, & iudex in spiritualibus, iuxta illud *Matth.* 15. *Pasce oues meas*, ideſt, non has, vel illas, sed omnes vbicumque per totum terrarum orbem dispersæ fuerint. Sic omnes Catholici. Legantur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 38. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 1. *ad* 4. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 41. *numer.* 9. Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 37. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *à num.* 5.

QVÆSTIO XLIII.

An Summus Pontifex possit dispensare omnia iuramenta Deo præstita, & vota, tam realia, quam personalia?

REspondeo vt certum: Posse omnia iuramenta & vota saltem simplicia, dispensare, ex iusta causa. Quia, vt nuper est habitum, Pontifex est Christi Vicarius, & totius Ecclesiæ Pastor, & caput: ergo vt talis, omnia vota (saltem simplicia) omnium, dispensare potest. Sic omnes Theologi tenent cum D. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. Vnde breuî dixit Tamburinus loco cit. Pontificem Summum in omnibus votis dispensandi potestatem habere, nimis certum est. De aliquibus tamen votis solemnibus, dubitant aliqui Doctores; & vt soluamus eorum dubia, sit.

QVÆSTIO XLIV.

An Summus Pontifex possit dispensare in voto castitatis solemni emisso in susceptione Sacrorum Ordinum?

NEgabunt fortè qui putant continentiam connexam esse iure diuino Ordini Sacro. Sunt autem Maior, Clictoueus, Torrens, & Vualdens. quos citauimus 2. *p. tract.* 6. *disp.* 13. *q.* 1.

Sed Respondeo vt quid certum: Posse. Quia id de facto dispensauit S. Gregorius Papa cum Subdiaconis Siciliæ, vt constat *ex lib.* 1. *epist.* 42. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. cuius sententiam esse indubitatam ait Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 2. §. *De tertia propositione*. Legantur Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 27. & *lib.* 8. *disp.* 8. & Prado *tom.* 2. *de iust. cap.* 31. *de voto, q.* 14. §. 1. *num.* 4. vbi ait, consequenter, quod non solum possit Papa dispensare, vt quis Ordinetur, non vouendo castitatem; sed etiam, vt postquam est Ordinatus, vxorem ducat, & matrimonio vtatur. Legantur à nobis dicta 2. *p. tract.* 6. *disp.* 13. *q.* 1. & *sequent.* Basseus *tom.* 1. *votum* 7. *n.* 27. & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XLV.

An item possit Sum. Pontifex in voto castitatis, emisso in professione solemni Religiosa, dispensare?

NEgant quam plures Doctores. Inter quos primatum tenet Angelicus Doctor, qui 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. id expresè docet, & probat *Primò* ex Innocent. III. cap. *cum ad Monasterium. de statu Monach.* iis verbis: Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus, licèt quidam iuristæ ignoranter contrarium dicant. Et ideo (*addit infra*) in voto solemnizato per professionem Religionis, non potest per Ecclesiam dispensari, & rationem assignat Decretalis, *Innocentis*, quia castitas est annexa Regulæ Monachali.

Secundo probat ratione deducta ex dictis. Nam Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus: sed votum castitatis est essentiale statui Religionis: ergo in voto solemnizato per professionem Religionis potest per Ecclesiam dispensari. ita tenent apud Sanchez, *lib.* 8. *de matrim. disp.* 8. *n.* 6. viginti quatuor Doctores, inter quos præcipui sunt Albert. Magnus *in* 4. *d.* 38. *art.* 16. & 18. Caprcolus *d.* 33. *q. vnica, art.* 3. Deza ibi *art.* 3. *notab.* 3. & 5. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 2. *per totum*, & *in* 4. *d.* 38. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. Barth. de Ledesma *de matrim. dub.* 33. Ludou. Lopez 1. *p. instruct. or. cap.* 49. & 2. *p.* vbi de *matrim. cap.* 48. Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *col.* 9. Siluest. Armilla, Tabiena, & alij. Quibus addi possunt Ioan. à S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *disp.* 29. Raph. de la Torre, *ead. q.* 88. *art.* 11. *pag.* 712. Ioan. Martinez de prado latissimè *tom.* 2. *de iust. cap.* 31. *de voto, q.* 14. §. 2. *à num.* 10.

Affirmant è contra alij quàm plurimi Doctores. Qui *Primò* probant ex facto Pontificum, quos sæpius in hoc voto dispensasse affirmant plures Doctores, quibus fide indubitata credendum est, vt sunt Azorius, Medina, Sayrus, Lessius, & alij plures,

res, apud Dianam infra : ergo asserendum est, posse. *Secundò.* Quia Papa potest dispensare in voto castitatis per ordinis susceptionem, vt tanquam quid certum cum D. Thoma docuimus : atqui hoc votum non minus solemne est, quàm votum castitatis admissum per Professionem Religiosam : ergo etiam in hoc poterit. Sic sentit Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 8. *num.* 7. referens pro se plusquam centum Doctores, inter quos refert in primis D. Thomam in 4. *d.* 38. (*sic cita, non* 28.) *q.* 1. *art.* 4. *quæst.* 1. *ad* 4. & ex ipsius Sancti Doctoris Discipulis, Palud. *ibidem q.* 4. *art.* 4. *concl.* 11. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. & 3. *p. tit.* 1. *cap.* 15. §. 3. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *toto art.* 11. & *in opusc. tom.* 1. *tit.* 27. Medina etiam, Henriquez, Valentia, Sà, Nauar. Viuald. Rodriguez, Petr. de Ledes. & alij. Quibus addi possunt Tanner. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 4. Valerus *vers. dispensatio. differ.* 6. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *n.* 104. Azor *to.* 1. *lib.* 12. *cap.* 9. *q.* 1. Ægidius *de Sacram. disp.* 31. *n.* 6. Basil. Legion. *lib.* 7. *de matrim. cap.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 68. Reginald. *lib.* 31. *n.* 123. Rebellius *lib.* 3. *q.* 2. *n.* 5. Præpositus *in* 3. *p. q.* 7. *de impedim. matrim. dub.* 5. *n.* 2. quos & alios citat, & sequitur Diana *par.* 8. *tract.* 1. *Resol.* 73. Sayrus etiam *lib.* 6. *Clauis Reg. cap.* 11. *n.* 17. Trullench, *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 4. Basseus *tom.* 1. *votum* 7. *num.* 28. vbi hanc sententiam, communem Canonistarum, & ferè Theologorum vocat.

Cum quibus, quamuis distinctiùs, Respondeo : Posse optimè Pontificem dispensare in voto castitatis emisso in professione Religiosa, & sic, vt Religiosus professus solemniter vxorem ducat ; non tamen id posse, voto manente, & statu Religionis perseuerante ; benè tamen sublato voto, simul cum ipso statu Religionis à persona Religiosa cum qua dispensatur. Quia licèt de essentia Religionis, eiusque statu, sit castitas : tamen non est de essentia eius, qui semel Religiosus est factus, vt maneat Religiosus : atqui hoc benè fieri potest à Pontifice vt doctè probat Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 8. *n.* 7. & 11. ergo. Sic innuimus *par.* 2. *tract.* 9. *de matrim. disp.* 24. *q.* 4. dum diximus : Non posse Pontificem dispensare in voto solemni Professionis, ita vt voto manente, & statu Religionis perseuerante, matrimonium postea contractum validum sit. Et, hac distinctione supposita, multo probabilius est placitum Authorum secundæ sententiæ ; & illâ facilè potest fieri satis fundamentis contrariæ. Lege pro nostra Franciscum Bordon. *tract. de Profess. Religiosa, de castitate, cap.* 25. *q.* 18. Vbi ait, dispensationem huiusmodi regulariter importare relaxationem & destructionem status Religiosi in dispensato, ac proinde de Religioso desinere esse, & reduci ad eum statum in quo erat, antequam Professionem emitteret, & consequenter extingui professionem & tria vota in ipsa comprehensa.

QVÆSTIO XLVI.

An dispensatio in huiusmodi voto castitatis, Professione Religiosa emisso, possit aliquando esse expediens ?

REspondeo, Ex dictis, dicendum ; quod non solùm possit esse expediens ; sed & maximè necessaria. Casus sit. v. g. si Monachus, vel monialis, sit magnus Princeps, & eius dispensatio ad matrimonium, maximè expediat bono communi Reipublicæ, pro bono pacis, ad sedandas inimicitias, vel ad sustentandam sobolem, & successionem bono communi necessariam ; tunc certè maximè expediens, immo & necessarium erit, vt talis dispensatio à Pontifice detur. Quo in casu legitimè dispensatus, non tenetur, mortua vxore, ad Monasterium redire : quia obligatio semel omnino extincta non reuiuiscit. Sic Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 4. *fine.*

QVÆSTIO XLVII.

An, ad hanc dispensationem voti castitatis Religiosi, concedendam ; semper debeat desiderari causa boni communis ?

NEgat Ricardus *in* 4. *dist.* 38. *art.* 9. *q.* 1. *corp.* & *ad* 5. dicens, ad illam concedendam, satis esse bonum priuatum ipsius Religiosi vouentis ; vt v. g. vitationem probabilissimæ voti transgressionis. Huic Authori fauet satis Caietanus idem dicens de voto solemni Clericorum, *tom.* 1. *opusc. tract.* 27. *de dispensat. matrim. in occident. Ecclesia, q. vnica*, & *tomo* 3. *tractatu vltimo in respons. ad* 12. *

Sed vt certum Respondeo semper desiderari vrgentissimam boni communis causam ; veluti pacem totius Regni, & alias nuper assignatas. Ratio est *Primò*, Quia dispensatio hæc nequit fieri, absque aliquo detrimento Religiosi status : atqui rationi valde dissonat, spectari priuatum bonum, postposito totius status Religiosi detrimento : ergo. *Secundo*, quia alias frequentes dispensationes hæ indulgendæ forent, cum frequenter ipsius Religiosi professi bonum priuatum occurrat, ob quod concedendæ illi dispensationis iusta causa existeret, quod quam labefactaret Religiosum statum, quis non videat ? *Tandem* quia frequentiùs Religiosi tentationibus vexarentur, spe obtinendæ dispensationis ad statum Religiosum deserendum. Sic optimè Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 8. *numer.* 8. ex Medina *lib.* 5. *de Sacror. homin. continen. cap.* 37. *ad finem*, Valentia, 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *pun.* 7. *col.* 9. *vers. Respondeo.* Angles *florib.* 1. *p. vbi de matrim. q.* 11. *de impedim. ordinis art.* 3. *dub. vltimo.* Catharin. Caietanum *in quæst. An Papa possit dispensare in voto Ordinis Sacri.* Qui omnes doctrinam Riccardi tanquam falsam reprobant. Legatur Bordon. *cap.* 25. *cit. quæst.* 17. *num.* 24.

QVÆSTIO XLVIII.

An, Papa possit dispensare, vt Monachus ad tempus matrimonium ineat, donec habeat prolem ; & statim ad Religionem redeat ?

AFfirmant Præpositus, Baldus, Fulgosius, Loazes, Anton. Cucus, Borgasius, & alij, apud Sanchez, *loco citato, num.* 9.

Sed tanquam certum Respondeo non posse. Quia perpetuum esse matrimonij vinculum, est de matrimonij essentia. Sic ex Abbate cap. *Ex publico, n.* 11. *de conuers. coniug.* & Tabiena *v. dispensatio q.* 6. tenet Sanchez *num.* 9. *cit.* Qui tamen addit, posse Pontificem ita cum monacho dispensare ad matrimonium, vt si habita prole, vxor liberè consentiat ; vel causam diuortij perpetuam dederit, per fornicationem, teneatur ad Religionem redire : quia hoc non est contra matrimonij substantiam, cùm quilibet

quilibet coniux, proprio spontaneo voto, possit ad hoc se obligare.

QVÆSTIO XLIX.

An, si Pontifex dispenset in voto solemni Professi, absque causa, valeat matrimonium ab ipso contractum?

AFfirmant quidam fore validum tale matrimonium, si fœmina bona fide dispensato nubat, credens dispensationem legitimam; ne aliàs Principis authoritate decipiatur, ac damnum sentiat. Ita docent Innocent. cap. *Cum ad Monasterium, n. 2. de statu monach.* & ibi Hostiens. *n.* 31. Anton. *n.* 28. Ioan. Andr. *n. vltimo*, Abbas *n.* 22. Anchar. *n.* 34. Sigismund. *consil.* 50. *n.* 48. & etiam Paludan. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *ar.* 4. *concl.* 3. *n.* 40. & Albarus Pelagius *de planctu Ecclesiæ lib.* 1. *ar.* 46. *lit. G.* Qui omnes addunt, monachum illius illegitimæ dispensationis conscium, non posse petere; teneri tamen reddere: sed hæc doctrina benè reiicitur à Sanchez, eo quod bona fides licèt à culpa eximat, non tamen potest facere dispensationem validam. Vnde.

Alij probabiliter, & satis, ob aliud fundamentum, censent tale matrimonium fore validum, quia probabile est, validam fore talem dispensationem sine causa datam, eo quod impedimentum hoc dirimere solo iure humano existiment. Ita plures DD. apud Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 26. & dicit esse probabile horum placitum *lib.* 8. *disp.* 8. *n.* 10.

Sed, iuxta nostram doctrinam, probabilius Respondeo: tale matrimonium esse inualidum, quia probabilius est, hoc impedimentum dirimere iure naturali diuino, vt diximus *de matrim. tract.* 9. *disp.* 12. *q.* 2. ac proinde dispensationem, absque causa datam esse inualidam. Et ideò dicendum est, quod lethaliter peccauerit contra hoc votum, contrahens, si hoc scienter fecerit. At vbi iam contraxit, adest iustissima causa dispensandi cum illo, vt petat debitum, propter præsentaneum incontinentiæ periculum. Legatur Sanchez, *locis citatis.*

QVÆSTIO L.

An, Professus cum quo dispensatum est ad nuptias; teneatur ad officium diuinum recitandum?

NEgat Nauarrus in cap. *Quando, cap.* 7. *n.* 20. talem Professum teneri ad Officium diuinum, si illi concedatur facultas ducendi vxorem, ita vt desinat esse Religiosus: quia per solam facultatem (inquit,) non desinit esse.

Alij dicunt talem Professum teneri ad Officium, antequam ad nuptias transeat: secus vbi iam transiuit. Ita Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 141. *n.* 14. *in* 2. *edit.*

Sed probabiliùs Respondeo non teneri ad recitandum Officium, ab eo tempore, quo Professus habitum monachalem exuit induens vestes sæculares, vt, dispensatione vtens, matrimonium ineat. Quia ex tunc liberatur à cæteris Monasticæ vitæ oneribus, Sic Sanchez *num.* 11. *cit.* Et nos part. 6.

QVÆSTIO LI.

An, etiam Concilium generale possit, sicut & Papa, dispensare in prædicto voto solemni Castitatis?

REspondeo tanquam certum: Quod etiam possit. Quia certè gerit vicem Pontificis in omnibus. Sic Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 38. *n.* 1. & Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *n.* 4. *fine.* Qui ambo citant Sotum *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 1. *ad* 4. Sed ambo malè. Nam Sotus in tali articulo non proponit nisi tria argumenta, & *in* 2. *art.* qui quartum proponit, nil de potestate Concilij agit. Sic Prado etiam *cap.* 31. *de voto, q.* 14. §. 6. *num.* 60.

QVÆSTIO LII.

An Cardinales, qui Legati Apostolici non sunt, possint, ex vi sui muneris & dignitatis, dispensare in votis, & iuramentis Deo præstitis?

AFfirmandum videtur. Quia Cardinalis dicitur habere ius Episcopale in sua Ecclesia: ergo quoad suos subditos habent hanc dispensandi in votis, & iuramentis potestatem, sicuti habent Episcopi. Antecedens docent Ioan. Andreas *in cap.* 1. *de Maiorit. & Obed. in* 6. & Martin. Laudensis *tract. de Cardin. q.* 60. Vbi refert Papam hoc declarasse. Et ideò consequenter consequentiam concedunt.

Sed omninò Respondeo dicendum, minimè habere talem potestatem ex vi suæ dignitatis; quia minimè habent iurisdictionem Episcopalem. Vnde si non constet de contraria consuetudine, aut de veritate declarationis Pontificiæ, dicendum est, non habere potestatem ordinariam ad dispensandum in votis. Sic Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 10. *n.* 10. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 38. *numer.* 2. Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *n.* 5. Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 14. §. 6. *num.* 60.

QVÆSTIO LIII.

An legatus Apostolicus, seu Nuntius, possit in votis, & iuramentis, ex vi suæ dignitatis, dispensare?

REspondeo vt certum: Posse dispensare, in tota Prouincia sibi commissa in votis, & iuramentis, eodem modo, quo Episcopus in sua diœcesi. Quia eadem potestate gaudet ille in illa; qua hic in sua, vt latè probat Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *num.* 25. Et docet *lib.* 4. *Decal. cap.* 38. *n.* 3. ex Suario *num.* 10. *cit.* Henriquez *lib.* 14. *de irregularit. cap.* 18. *n.* 2. & Antonio Gomez in *Bulla Cruc. clausula* 10. *num.* 61. Qui benè addunt, hanc potestatem esse ordinariam, quia licèt sit ex commissione Pontificis, est in ratione muneris, & est officio, non personæ, perpetuo annexa, & ideò non est censenda delegata, sed ordinaria. Sic etiam Trullench, *dub.* 38. *cit. n.* 6. Prado *num.* 60.

QVÆST.

QVÆSTIO LIV.

An item, ſummus Pœnitentiarius Pontificis habeat ordinariam in votis, & iuramentis diſpenſandi facultatem?

REſpondeo vt certum. Quod ſic. Quia quamuis ſit ex commiſſione Papæ, eſt tamen perpetuò annexa officio. Sic Suarez *num.* 10. *cit.* Trullench, *n.* 7. Prado *num.* 60. Sanchez *num.* 4. Addens, quod poſſit diſpenſare in voto Religionis, commutando vnam in aliam, vt teſtantur Paludan. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *art.* 4. *concl.* 9. & D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *verſ. item Pœnitentiarij*, idque dicunt conſtare ex literis, quas Apoſtatæ ab eo impetrant: quare clarè loquuntur de voto in ſolemni Profeſſione facto. Hæc Sanchez.

QVÆSTIO LV.

An, Epiſcopi habeant poteſtatem ordinariam diſpenſandi vota, & iuramenta, in tota ſua diœceſi?

NEgarunt aliqui, exiſtimantes Epiſcopis ſolum eſſe conceſſam votorum, aut iuramentorum commutationem; diſpenſationem autem cuiuſcumque voti, eſſe Papæ reſeruatam. Ita Abbas *in cap. Propoſuit. de conceſſ. præben. n.* 12. Roſella *v. Papa num.* 1. *& v. votum* 5. *n.* 5. & Greg. Lopez *l.* 5. *verb. Otras romerias, tit.* 5. *p.* 1.

Sed tanquam quid certiſſimum Reſpondeo dicendum, quod vnuſquiſque Epiſcopus in ſua diœceſi habet ordinariam facultatem diſpenſandi (& à fortiori commutandi) omnia vota & iuramenta, quæ ſpecialiter illi reſeruata non ſint. Ratio. Quia vnuſquiſque Epiſcopus habet in ſua diœceſi verã iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem in vtroque foro: ergo. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 3. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 75. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 10. *num.* 3. *& ſequentibus.* Vbi oppoſitam ſententiam falſam appellat. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 6. qui aduertunt, quod ipſemet Abbas *cap.* 1. *de voto, num.* 7. recantauit palinodiam. Trullench, *num.* 8. Prado *num.* 60. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 9. *fine.* & omnes.

QVÆSTIO LVI.

An, dicti Epiſcopi poſſint facultate diſpenſandi vti, antequam ſint conſecrati?

REſpondeo, Poſſe vti, antequam conſecrentur; dummodo ſint à Pontifice confirmati. Quia à tempore confirmationis ſunt veri Prælati, & gaudent omnibus ad ſuam iuriſdictionem ſpectantibus, vt probat Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 2. *n.* 11. & *lib.* 2. *in Decal. cap.* 11. *n.* 3. *& lib.* 4. *cap.* 38. *n.* 7. Vbi id in terminis docet ex Leſſio *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 12. *num.* 100. *verſ. ſecundò.* Sic ex vtroque Trullench, *num.* 8. *citato.*

QVÆSTIO LVII.

An etiam Archiepiſcopi electi, & confirmati, habeant poteſtatem ordinariam diſpenſandi vota & iuramenta Deo præſtita, ſuorum ſubditorum?

REſpondeo vt certum: Quod ſic. Quia in ſua diœceſi habent veram iuriſdictionem Eccleſiaſticam & ſpiritualem in vtroque foro; ſicuti Epiſcopi in ſua: Deinde à tempore ſuæ confirmationis, ante conſecrationem, ſunt veri Prælati: ergo, &c. Sic Authores citati, præcipuè Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *num.* 4. Suarez *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 8. dicens id eſſe per ſe notum.

QVÆSTIO LVIII.

An item Archiepiſcopi poſſint vti hac diſpenſandi in votis, & iuramentis poteſtate, ante receptum pallium?

REſpondeo vt certum: Poſſe. Tum, quia id conſtat ex cap. *Quod ſicut*, §. *ſuper eo, De electione*, & ex *cap. ſuffraganei. eod. tit.* Tum etiam, quia vt nuper diximus, per confirmationem à Pontifice, conceduntur Archiepiſcopis, ſicut & Epiſcopis ea, quæ ſunt iuriſdictionis: atqui actio diſpenſandi, eſt actus iuriſdictionis: ergo; ſic Gloſſa in *d. cap. ſuffraganei.* Hoſtienſ. Ioan. Andr. Abbas Anton. Cardin. Anchar. quos citat, & ſequitur Sanchez *cap.* 38. *citato. num.* 9. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 10. Tamburinus *num.* 5. *citato.*

QVÆSTIO LIX.

An poſſit Archiepiſcopus diſpenſare in votis, & iuramentis Deo præſtitis, cum ſubditis Epiſcoporum ſuffraganeorum?

AFfirmat Rodriguez *tom.* 2. *ſum. cap.* 100. *n.* 3. & alij, quos, tacito nomine refert, & videtur ſequi Sà, *vbi de voti irritatione n.* 12. Quorum ſententiæ ſatis fauent Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *art.* 4. *concl.* 8. *n.* 46. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. vt notat Sanchez, infra.

Sed vt certum Reſpondeo nullatenus poſſe; ſaltem, extra tempus viſitationis diœceſum ſuffraganeorum. Quia Archiepiſcopus non habet ordinariam iuriſdictionem, niſi in ſua diœceſi: & ſolum eſt iudex in cauſis diœceſis ſuffraganeæ per appellationem ad eum deductis. *cap.* 1. *de offic. Deleg.* Sic Sanchez *lib.* 4. *cap.* 38. *n.* 11. & apud illum, Sotus *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. *col.* 4. Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *concl.* 3. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 79. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 10. *num.* 8. Henriquez, Auila, Silueſt. Angles, & Anton. Gomez. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 41. *numer.* 10. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *numer.* 5. Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *numer.* 9. Prado *cap.* 31. *q.* 14. §. 6. *numer.* 62.

Bonac. *tom.2.disp.4.de 2. præcep.q.2.punct.7. §.4. num.7.*

QVÆSTIO LX.

An saltem possit Archiepiscopus dispensare in votis, & iuramentis cum subditis Episcoporum suffraganeorum, dum visitant horum diœcesim?

AFfirmant,eo quod tunc sit legitimus illius diœcesis Superior : & potest concedere indulgentias,& per consequens dispensare,Henriquez *lib.14. de irregularit. c.18.n.3.*Auila *de censur. p.7.disp.10. dub.6.post.1.concl.* & Anton.Gomez *in Bulla Cruc. clausa.10.n.59.* Quibus satis fauet Bonacina *loco cit.*

Sed probabiliùs longè Respondeo : Nec tempore visitationis posse vota, & iuramenta dictorum dispensare. Quia Archiepiscopus nil, præter sibi specialiter concessa in iure,potest in suffraganea diœcesi : sed in iure non conceditur illi dispensatio,sed tantùm absolutio à peccatis,vt constat ex *cap. fin. de censib. in 6.* & concessio indulgentiarum in toto suo Archiepiscopatu, cap. *Nostro, de pœnit. & remiss.* quæ potestas non est coniuncta cum potestate dispensandi, vt constat : ergo. Sic Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 41.sect.2.n.12.& tom.2. de Relig. lib. 6. de voto, cap. 10.n. 9.* Sayrus *lib.6.cap.11.n.80.* quos sequitur Sanchez *lib.4.cap.38.n.14.* Fagundez *c.41. cit. num.13.* Tamburin. *lib.3.cap.16.§.4.n.5.*Trullench, *n.9.cit.* Prado *num.62.cit.*

QVÆSTIO LXI.

An ad minus,possit Archiepiscopus dispensare in votis,& iuramentis ipsiusmet Episcopi suffraganei?

AFfirmant plures Doctores;eo quod existiment Episcopos immediatè esse subiectos Archiepiscopo, & ideo posse hunc illos absoluere, & cum ipsis dispensare ; sicut hæc potest cum suis subditis. Ita Palud. *in 4.d.38.q.4.art. 4.concl.8.num. 46.* D. Thom. *2.p.tit.11.cap.2.§.9. vers. Item non potest*, Angles *2.p.florib.q.de voto,art.8.diff.9.concl.8.*Sayrus *lib.6.cap.11.n.79.* Henriquez *lib.14.cit.cap.18. n.3.* Auila *de censur. 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 10. concl.3.& par. 7. disp. 10. dub. 6.not ab. 2.* Bonac. *pun.7.cit.§.4.n.7.* qui (vt facit Prado) citat pro hac parte, Sanchez *lib.4.Decal.cap.38. n. 16.* sed non ita benè , vt infra. Sic etiam Barthol. à S. Fausto *lib.3.q.3.* Tamburin. *n.5.cit.* Trullench, *n.9.cit.*

Alij negant ex parte,dicentes, ex iure non constare hanc potestatem habere Archiepiscopos respectu Episcopi sui suffraganei:nec hunc Episcopum subdi Archiepiscopo Metropolitano in regimine propriæ personæ ; sed in solis aliquibus actibus pertinentibus ad externam Ecclesiæ gubernationem ; vt constat ex cap. *Pastoralis, de offic. Ordinar.* & ideò consulendam esse cõsuetudinem.Sic Suarez *lib.6.de voto , cap.11.num. 3.* Quem sequuntur Fagundez *lib.2. capite 41. numer. 14.* & tandem , Trullench , dicens standum esse consuetudini.Prado etiam *cap.31. q.14.§.6.n.61.*

Sanchez tandem *lib. 4.* vbi supra rem hanc sic concludit : Fateor rem esse satis dubiam : at cum tot Authores id affirmant,nec sit in contrarium manifesta ratio, nec authoritas conuincens, poterit hæc pars tanquam probabilis tutò amplecti, etiam extra tempus visitationis. Sic ille. Et benè.

QVÆSTIO LXII.

An, Summus Pontifex possit, per se ipsum, dispensare in votis,& iuramentis,à se, ante Pontificatum,post illum-vè, adeptum, emissis?

NEgat Sayrus *lib.6.Clauis Reg.cap.11. dub. 18. n.107.* vbi, inquirens. An qui in alienis votis dispensare possunt, in suis etiam propriis dispensare valeant? Respondeo (ait) cum Paludano *in 4.d.38. q.4.art.4. concl.4.* Panorm. *in cap. Magnæ,num. 2. de voto,& voti redempt.* Angelo *in verbo votum,4. q.7.* & Siluestro *v. votum 4. q. 3. vers. vndecimum.* Non posse quemquam secum dispensare, cùm nemo Iudex esse possit in sua propria causa , nec Superior sibi ipsi.Vnde nec Papa secum,nec Episcopus secum dispensare valet. Hæc Sayrus. Cuius sententiam sequitur Suarez *lib.6.de voto,cap.11.* nam,(vt aduertit Sanchez infra citandus *n.43.*) *num. 4.* id negat Prælatis Pontifice inferioribus : & *num. 2.* tantùm dicit, non esse improbabile, posse Pontificem secum dispensare ; atque ita clarè sentit, oppositum esse verius. Tenent rursus hanc sententiam (apud Sanchez *lib.8.de matrim.disp.3.num.4.*) Anton. *cap.1.n.10. de Constit.& ibi* Imola *n.7.*Alexan. de Neuo *n. 66.* Beroius, *num.108.* Decius *consil.259.n.10.volum.1.* & Supplem. Gabriel.*in 4.d.38.q.1.art.5.vers.si quæritur an quispiam?*

Sed longè multò probabilius, Respondeo posse Summum Pontificem , per se ipsum , dispensare in votis, & iuramentis à se quocumque tempore emissis, & in omnibus aliis rebus,in quibus potest cum subditis. Ratio est.Quia minimè repugnat hanc iurisdictionem dispensandi exerceri in seipsum,cum sit voluntaria, & non contentiosa , nec ex se sit Sacramentalis , quæ requirit distinctionem personarum : ergo cum aliàs Pontifex habeat plenissimam potestatem dispensandi in votis,iuramentis Deo præstitis, & in aliis rebus cum suis subditis : etiam erga se ipsum, per se ipsum potest illam exercere. Sic, negando aliis Prælatis inferioribus, id concedunt Summo Pontifici (apud Sanchez) Palud. *in 4. d. 20. q. 4. art. 3.concl.5. n.46.& d.38.q.4.art.4.concl.4.n.41.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 4. num.3. in comm. lit. I.& cap. 6.n.5. lit. B.& lib.7. cap. 28. n. 1. lit. H.* Azor *lib.5.instit. cap.15.q. 6.* Abbas, etiam, Anton. Decius, Angel. Sylvest. Rossella & alij Canonistæ, quos ipse Sanchez, vbi *de matrim. n. 6. & lib.4. Decal. cap.37. n. 45.& cap. 39. n. 37.* & alij plures, quos infra referemus. Omnes tamen vtriusque sententiæ Authores indubitanter supponunt, posse Pontificem per suum Confessorem ab omnibus votis dispensari. Legantur Suarez , & Sayrus. & Diana *par.8. tract. 3. resol. 5.* vbi de hac quæst. latè tractat.

QVÆSTIO LXIII.

An item, alij Prælati inferiores Pontifice, vt Archiepiscopi, Episcopi, &c. possint etiam dispensare per se ipsos, in votis, & iuramentis Deo præstitis, à semetipsis emissis?

NEgant omnes Authores nuper pro nostra sententia adducti. Quia (inquiunt) in Prælatis Papa inferioribus, nec reperitur plenissima potestas, vt in Summo Pontifice: nec militat eadem necessitas, quæ in Summo Pontifice, cùm hic careat Superiore in terris, quem adeat, vt secum dispenset; illi verò non, cum habeant Sum. Pontificem: ergo licet hic possit secum immediatè per seipsum dispensare, non sequitur, quod & illi. Ita, vltra dictos Authores, tenent Suarez *lib. 6. cap. 11. num. 4.* & à fortiori, Sayrus *num. 107. citato.* His consentit Prado *cap. 31. de voto, q. 14. §. 6. n. 64.* dicens id habere verum præcipuè, quando ipsi Prælati non habent facilem recursum ad Superiorem alium, qui cum ipso possit dispensare; nam quando iste adest, ratio facta locum non habet, præcipuè cùm votorum obligatio sit iuris diuini naturalis. Ita ille. Trullench etiam, loquendo de Prælatis Regularibus, *lib. 2. cap. 2. dub. 38. n. 17.*

Sed adhuc probabiliùs Respondeo, posse Archiepiscopos, Episcopos, & omnes alios Prælatos inferiores habentes iurisdictionem ordinariam dispensandi cum subditis tam in votis, & iuramentis, quàm in aliis rebus, posse immediatè per se ipsos secum dispensare, eodem modo, quo possunt cum aliis subditis. Quia ratio, quæ probat id posse Pontificem eamdem vim habet in Archiepiscopis, vel Episcopis, & aliis. Sic tenet, loquendo de Episcopis, Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 8. & lib. 4. Decal. cap. 37. n. 45.* Rodrig. *in Bulla Cruc. §. 8. dub. 6. n. 11. & tom. 2. sum. cap. 30. n. 4.* Fagundez *lib. 2. cap. 41. n. 42.* Tamburin. *infra*, Diana *p. 8. tract. 3. resol. 5. fine.* & alij iam citandi, dum sermo fiet de Prælatis Regularibus. Sit ergo.

QVÆSTIO LXIV.

An etiam Prælati Regulares possint secum immediatè per se ipsos dispensare, in omnibus iis, in quibus possunt cum subditis?

NEgant omnes Authores nuper pro prima sententia adducti. Quibus addo Ægidium Trullench, *lib. 2. cap. 2. cap. 38. n. 17.* Vbi inquirens, quis potest cum ipsis Prælatis Regularibus dispensare? Respondet; Posse Prælatum Superiorem cum inferiore, vt Prouincialem cum Prælato Conuentuali, & Generalem cum Prouinciali, & totam Religionem cum Generali. Quæ omnia certa sunt. Probabile etiam est, posse Prælatum committere suo Confessario, vt secum dispenset, vt tenet Sanchez *d. cap. 39. n. 10. & 12. & lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 5.* Bonac. *de voto, disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 4. n. 31.* contra Suarez *lib. 6. de voto, cap. 11. n. 5.* Hæc omnia Trullench. Idem docet Prado *cap. 31. de voto, q. 14. §. 6. n. 64.* dum ait, huiusmodi Prælatos non posse secum dispensare, si adsit recursus ad Superiorem.

Sed certè Probabiliùs Respondeo etiam posse Prælatos Regulares, per se ipsos, secum dispensare in omnibus votis, iuramentis, & in aliis, in quibus possunt cum subditis dispensare; & hoc adhuc in casu, quo sit recursus ad Superiorem. Quia omnes Prælati Regulares habent potestatem ordinariam in suos subditos, cum sint Pastores ordinarij illorum, sicut Episcopus est suorum subditorum; & ideo dicuntur habere authoritatem, quasi Episcopalem: ergo idem dicendum est de ipsis, quod de Episcopis diximus. Sic Sanchez *loco cit. de matrim. n. 8. concl. 4. & cap. 37. cit. n. 45.* & apud ipsum, Armilla *v. Monachus, n. 9.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 247. vers. Religiosus tamen.* Sà *v. Religiosus, n. 47.* Azor *3. p. lib. 7. cap. 29. q. 6.* Rodriguez, locis supra adductis. Quibus addo Fagundez *loco cit. num. 42.* Bonacina *loco cit. n. 31.* Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 4. n. 6.* vbi breuiter omnia à nobis huc vsque tradita iis verbis comprehendit. Sed quis dispensabit Episcopum in suis votis? Respondeo, vel Archiepiscopus, cuius est suffraganeus, vt modo (*n. 5.*) dixi: vel poterit ipse secum dispensare: vel denique committere suo Confessario, vt, etiam extra Confessionem, dispenset. Pari modo, Prælatum inferiorem Regularem dispensabit Superior, v. g. Prouincialis Rectorem; vel ipse Rector sibi: vel denique committat suo Confessario, vt id, etiam, extra Confessionem, faciat. Ratio omnium horum est: quia cum non repugnet hanc iurisdictionem dispensandi exerceri in se ipsum, siue mediatè, siue immediatè, cum hæc sit voluntaria, & non contentiosa, nec ex se sit sacramentalis, quæ requirit distinctionem personarum: & ex alia parte dicti Prælati habeant plenam dispensandi in votis iurisdictionem, nec, quoad hoc, restrictam vt supponimus, non est à nobis restringenda. Sic ille: & sic etiam alter Tamburin. *tom. 2. de iure Abbat. disp. 28. q. 1. num. 2.* Sotus, & Molfesius apud ipsum.

QVÆSTIO LXV.

An deinde, qui non haberet potestatem ordinariam, sed delegatam ad dispensandum cum aliqua communitate; posset etiam secum per semetipsum dispensare?

NEgabunt, & à fortiori, Authores, qui hanc potestatem dispensandi, negant Prælatis habentibus iurisdictionem ordinariam.

Sed probabiliter adhuc Respondeo, Posse, si habeat potestatem delegatam ad dispensandum in vniuersum cum aliqua communitate, cuius ipse sit pars: secùs si illam haberet limitatam ad dispensandum solum cum certis personis. Ratio est, *Tum*, quia potestas illi concessa non est limitata, sed in vniuersum concessa. *Tum* etiam quia aliàs ipse peioris esset conditionis, quàm cæteri ex ea communitate, quod non est dicendum. Sic Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 3. n. 9. & 10.* Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 30. n. 4.* Fagundez *lib. 2. cap. 41. num. 42.* Diana *p. 8. tract. 3. Resol. 5. fine.*

QVÆSTIO LXVI.

An prædicti Prælati inferiores, non solum per se ipsos, possint secum dispensare in votis, & in aliis, in quibus ipsi cum suis subditis dispensare possunt; sed id etiam possint per suos Confessarios?

NEgant aliqui, ducti ex textu *in cap. fin. de pœnit. & remiss.* vbi solùm concedit his Prælatis potestatem eligendi Confessores, qui eos absoluant, ex quo non sequitur, quod, & vt secum in votis dispensent. Ita Suarez *lib. 6. de voto, cap. 11. n. 4.* Suario fauet Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 38. num. 17.* fine, vbi solùm dicit: Probabile esse, posse Prælatum committere suo Confessario, vt secum dispenset.

Sed ego multò probabilius absolutè Respondeo, Posse dictos Prælatos committere suis Confessariis potestatem, vt secum dispensent in votis, iuramentis, & aliis, in quibus ipsi cum suis subditis dispensare possunt. Constat ex dictis *q. 64.* vbi id probatum inuenies. Nec obstat textus à Suario pro se adductus. Quia quamuis ille de sola confessione Sacramentali mentionem faciat; mens tamen eius est, prospicere his Prælatis per illum confessarium in omnibus, quæ possunt illi in subditos exercere. Sic tenent communiter omnes. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 3. & lib. 4. Decal. cap. 37. n. 42.* & penes illum, Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 4. n. 3. lit. I. in com.* & *lib. 7. de indulg. cap. 28. n. 1. lit. H.* & *lib. 14. de irregularit.* non *de indulgen.* vt legi apud Fagundez) *cap. 18. fine.* Sayrus, Sà, Silueſt. Tabiena, Auila, Palud. & alij plures, quos omnes etiam citat, & sequitur Fagundez *lib. 2. cap. 41. num. 45.* Tamburinus, vbi supra.

QVÆSTIO LXVII.

An, hæc potestas dispensandi in votis, & iuramentis Deo præstitis, conueniat etiam secundariis Religionis Prælatis, vt sunt vicarij, vicerectores, vicepriores, qui Prælatorum absentium vices gerunt?

NEgabunt, & necessariò, qui hanc facultatem propriis Prælatis negant, vt Suarez cum aliis.

Sed probabiliùs Respondeo etiam posse hos viceprælatos dispensare cum suis subditis, & secum, in absentia Prælatorum. Quia tunc, cum eorum vices gerant, eamdem omnino habent facultatem. Sic Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 8. concl. 4. & lib. 4. Decal. cap. 39. num. 6.* & Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 18. q. 4. & lib. 7. cap. 29. q. 6.* Qui addunt, secus dicendum de iis Prælatis secundariis; quando non fungun-tur plenè vicibus Prælatorum, sed sub cura eorumdem conuentualium Prælatorum sunt. Legantur dicta à nobis supra disp. *de irritatione votorum, & p. 3. tract. 5. disp. 10. q. 14.*

QVÆSTIO LXVIII.

An item Abbatissæ, seu Prioriſſæ, possint dispensare suarum monialium vota, vel iuramenta?

AFfirmandum videtur. Quia Abbatissa potest irritare vota, & iuramenta Deo præstita, suarum Monialium subditarum; vt communis tenet sententia, de qua *suprà disp. 16. §. 3. quæst. 21.* ergo etiam poterit illamet dispensare. Ita tenet loquendo de dispensatione in ieiunio, Henriquez *lib. 6. c. 2. n. 3.* citatus à nobis *3. p. vbi infra.*

Sed vt certissimum quid Respondeo, non posse. Quia actus dispensandi pertinet ad spiritualem iurisdictionem, vt supra est habitum: atqui huius est incapax Abbatissa: ergo & illius dispensandi actus. Nec est eadem ratio de irritandi potestate, quia hæc spectat ad potestatem dominatiuam, quæ verè competit Abbatissis in suas Moniales. Sic communis. Sanchez *lib. 4. cap. 39. n. 7.* ex Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. q. 25. art. 7.* Lessio *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 107. in 1. edit.* Sayro *cap. 11. n. 94.* & Suario *lib. 6. c. 10. n. 15.* Sic etiam Thom. Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 16. §. 4. n. 9.* ita dicens: superest innuere aliquid de Abbatissis. Assero Abbatissas non posse dispensare, nec commutare suarum Monialium vota, licèt eadem, (quod est plus) possint irritare. Ratio est, quia irritatio prouenit à potestate dominatiua, qua ipsæ gaudent in subditas: at dispensatio, & commutatio ortum ducit à potestate iurisdictionis, qua de facto carent Abbatissæ. Sic ille. Sic etiam Pellizzarius *tom. 2. Man. Regul. tract. 10. c. 10. sect. 2. subsec. 2. q. 11. n. 134.* Lezana, & alter Tamburinus apud ipsum. Et nos cum aliis loquendo de dispensatione ieiunij *3. p. disp. 10. cit. q. 18.*

QVÆSTIO LXIX.

An Capitulum, Sede Episcopali vacante, possit dispensare in omnibus votis, & iuramentis Deo præstitis, in quibus potest Episcopus?

REspondeo posse. Quia Capitulum, Sede Episcopali vacante, succedit in Episcopi iurisdictionem ordinariam, vt latè tractat Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 2. numer. 10. & lib. 2. Decal. cap. 11. n. 4.* & *lib. 4. cap. 38. n. 17.* vbi id expressè tenet. Henriq. *lib. 14. de irregularit. cap. 18. n. 2. fine.* Aragon 2. 2. *q. 88. art. 12. col. 7. concl. 5. fol. 1042.* Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 61. art. 9.* & Cenedo apud ipsum Sanchez. Sic etiam Fagundez *lib. 2. cap. 41. num. 23.* Sayrus *lib. 6. cap. 11. num. 84.* Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 38. n. 10.* latè Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, allegat. 35. 36. 45. 74. & 84.*

QVÆSTIO LXX.

An Vicarij generales Episcoporum possint etiam dispensare in votis, & iuramentis, in quibus possunt Episcopi?

AFfirmatiuam sententiam tenuisse Alcozer in sum. *cap. 16. pag. penult.* vers. *la Tercera doctrina*, innuit Sanchez *lib. 4. c. 38. n.* 18. iis verbis: Quare incautè Alcozer dixit, petendam ab Episcopo, aut ab eius vicario facultatem dispensandi in voto, quando confessario necessitas dispensandi occurrerit. Ita ille. Et omninò ex illo, Fagundez *loco cit. n.* 24. benè certè. Ait enim sic. *La tercera doctrina es; si la obra que iuro, i la pena se puede dispensar, i comutar por el obispo, pidase a el, ò a su Prouisor, poder de despensar, i comutar las tales obras i penas, auiendo ya incurrido en ellas.* Sic ille.

Sed omninò vt verum Respondeo non posse dispensare in votis, & iuramentis, in quibus potest Episcopus; nisi casu, quo specialiter id sit ei commissum. Quia est omnino verum, quod Vicarij generales, ex officio suo, non habent dispensandi potestatem, vt latè cum pluribus docet Sanchez *lib. 2. de matr. disp.* 40. *n.* 12. & *lib. 4. Decalogi cap.* 38. *n.* 18. Sic ipse, & Trullench *loco cit. n.* 11. Qui addunt, quod casu, quo ipsis Vicariis sit id specialiter commissum, tunc ipsi non possent confessario, aut alteri subdelegare; nisi esset delegatio absoluta ad omnia vota, quia sic censetur delegatio ad vniuersitatem causarum. Sic etiam Fagundez *loco cit.* Qui in bonum sensum, iuxta hanc doctrinam, explicat Alcozer dicens; forte loquutum fuisse de Vicario generali, qui ad id commissam specialiter facultatem habet ab Episcopo. Legantur à nobis dicta *part. 2. tract. 9. de matrim. disp. 24. q. 10. & 11.* vbi alij DD. in simili citantur.

QVÆSTIO LXXI.

An Abbates, & alij Prælati, qui Diœcesim sibi subditam habent, & iurisdictionem quasi Episcopalem; possint cum subditis dispensare in votis, & iuramentis Deo præstitis?

REspondeo posse eodem prorsus modo, quo possunt Episcopi cum suis subditis. Quia huiusmodi Prælati potiuntur eadem iurisdictione, qua Episcopi. Sic Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 6. n. 1. & lib. 14. cap. 18. n. 2.* Nauarr. *cap. 12. n. 75.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 10. n. 13.* Sayrus *lib. 6. cap. 11. n. 83.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 19. q. 2.* Valentia, Aragon, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 38. n. 19.* Fagundez *lib. 2. cap. 41. num. 25.* Trullench. *lib. 2. c. 2. dub. 38. n. 12.* Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 4. n. 4.*

QVÆSTIO LXXII.

An, Archidiaconi, Pœnitentiarij, & alij Prælati, qui iurisdictione Episcopali carent; possint nihilominus, in votis, aut iuramentis Deo præstitis dispensare?

REspondeo, vt certum: Non posse; nisi specialem commissionem ad id habeant, aut legitima præscriptione hanc potestatem acquisierint. Quia non sunt ordinarij Pastores; & ideo ea solùm possunt, quæ specialiter concessa reperiuntur. Sic cum Nauarro, Suario, Lessio, Azorio, Soto, Sayro, & aliis docet Sanchez *cap. 38. cit. n.* 20. (non 10. vt leges apud Fagundez) Trullench, *num.* 13. Fagundez *num. 26.*

QVÆSTIO LXXIII.

An potestas dispensandi in votis, & iuramentis, possit legitima consuetudine præscribi?

REspondeo posse præscribi; & acquiri à persona Ecclesiastica, (non sæculari, quia hæc incapax est iurisdictionis spiritualis) etiam dumtaxat prima Tonsura insignita. In quo præscriptionis casu aduertendum est, talem consuetudinem non esse extendendam vltra casum in ea præscriptum; quia tanquam iuri aduersa est strictè accipienda. Vnde si consuetudo est dispensandi in votis peregrinationum, nequit extendi ad alia vota. Sic Suarez, Sayrus, & Paludanus, quos sequitur Sanchez *sup. n.* 21. Fagundez *n.* 27. Trullench, *n.* 13. *citato.*

QVÆSTIO LXXIV.

An, ad hanc potestatem dispensandi acquirendam consuetudine; sufficiat tempus quadraginta annorum?

NEgat Paludanus *in 4. d. 38. q. 4. art. 4. concl. 4. numero 44.* asserens, centenarium exigi tempus. Quia id tempus exigitur ad præscribendum contra Ecclesiam Romanam. cap. *Ad audientiam, cap. cum nobis.* & *cap. si diligenti. de Præscriptionibus.*

Sed omninò Respond. dicendum, sufficere ad prædictam potestatem acquirendam, tempus quadraginta annorum, seu consuetudinem quadragenariam. Quia hoc tempus sufficit ad derogandum legibus Ecclesiæ; at in hoc euentu, solùm præscribitur contra legem Pontificiam, aut consuetudinem, quibus hi casus reseruantur: ergo. Maior, in qua est difficultas latè probatur à Molina *tom. 1. disp. 77. col. 1.* ex Abbate *cap. finali, de consuetud. n. 11.* & communi sententia. Vnde vt ipse Molina aduertit, tunc solùm est opus centenaria præscriptione, quando præscribitur, contra res Ecclesiæ Romanæ, aut Coronæ Regiæ, non verò quando contra leges latas à Pontifice, vt dictum est. Sic Sanchez *cap. 38. n. 22.* Fagundez *n.* 27. Trullench, *loco cit.*

QVÆSTIO LXXV.

An, Magister Scholarum Salmanticensium possit dispensare in votis, aut iuramentis Deo præstitis, Scholasticorum, qui matriculæ sunt adscripti?

RESpond. posse dispensare in illis ex priuilegio speciali Pontificio, concesso officio dicti Magistri. Sic Aragon, 2.2.*q.*88.*art.*12.*fol.* 1042. *col.* 2. *concl.*6. his verbis. Item Scholasticus Salmantinus (intellige, Magister Scholæ) ex priuilegio Papæ potest dispensare in votis, & irregularitatibus suorum subditorum, vt habetur *constit.* 33. Sic ille. & Rodriguez *tom.*2.*sum.cap.*100.*n.*3. Sanchez *loc.cit. n.*23. Fagundez *num.*28. & alij. Qui benè aduertunt dictam potestatem esse ordinariam, vtpotè adnexam perpetuò illi dignitati.

QVÆSTIO LXXVI.

An, Parochi possint, ex vi sui officij, dispensare in votis, aut iuramentis Deo præstitis, in quibus possunt Episcopi?

AFfirmandum videtur. Quia Parochi possunt in lege ieiunij dispensare, adhuc præsente Episcopo, vt cum multis diximus 3.*p.tract.*5.*de ieiunio disp.*10.*n.*10.*&* 11. ergo etiam poterit in votis; patet, quia dispensatio voti est instar dispensationis legis vt docet D.Thom. 2.2.*q.*88.*art.* 16. quem omnes sequuntur. Ob id Rodrig. *tom.*2.*qq.Regul.q.*46.*art.* 9. absolutè docet, occurrente necessitate, quando commodè Episcopus nequit adiri, posse Parochos dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi.

Sed vt certum Respondeo non posse id Parochos efficere, ex vi sui officij, etiam occurrenti necessitate, nec patenti ad Episcopum aditu. Ratio est: quia nullus, qui iurisdictione quasi Episcopali præditus non sit, potest in votis dispensare; nisi ex priuilegio, vel consuetudine id ius habeat, vt constat ex nuper dictis: sed Parochi, nec habent iurisdictionem quasi Episcopalem, cum non habeant iurisdictionem in foro externo: nec ius acquisitum consuetudine: ergo.

Nec rectè deducitur argumentum ex potestate dispensandi in lege ieiunij, ad potestatem dispensandi in votis: quia illa est consuetudine acquisita; hæc verò minimè. Sic Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.* 9. *n.*27.*& lib.*4.*Decal.cap.*37.*n.*22. *& cap.*38. *n.* 24. Qui addit, id esse verum, quamuis eo voto ligatus sit in mortis articulo: quia sola absolutio à peccatis, & ab excommunicationibus, etiam reseruatis, tunc conceditur. Sic etiam, apud Sanchez, Sotus, Lessius, Suarez, Sayrus & alij plures. Fagundez, Tamburin. & Trullench, vbi supra, & omnes. Qui idem dicunt loquendo de simplicibus Sacerdotibus, & certè à fortiori.

§. III.

De votis, & iuramentis secularium, in quibus Episcopi, & alij Prælati, quasi Episcopalem iurisdictionem habentes, dispensare possunt: vbi agitur de votis Pontifici reseruatis.

QVÆSTIO LXXVII.

An, Episcopi, (aut eorum iurisdictionem participantes) possint dispensare cum suis subditis, in omnibus votis, & iuramentis Deo præstitis; sibi specialiter non reseruatis à Papa?

RESpondeo tanquam certum posse in omnibus votis, & iuramentis, (exceptis reseruatis) dispensare. Quia Episcopi in suis Diœcesibus, sunt Ordinarij, & habent potestatem ordinariam in suas oues: ergo in illis possunt quidquid Pontifex (vt Pastor vniuersalis) potest in toto orbe: ergo omnia, quæ Pontifex non limitat, aut reseruat. Sic omnes, vt ait Sanchez *lib.* 1. *de matrim.disp.*61. *n.*3. *& lib.* 8. *disp.*9. *n.*3. & *lib.*4.*Decal.cap.* 40. *n* 25. Suarez, Rodrig. Sayrus, Sotus, vterq. Ledesma, Martinus, & Petrus, & alij. Legantur Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, alleg.* 1.*n.*6. Fagundez *lib.*2. *Decal. cap.* 42. *à num.*1. Trullench, *lib.*2.*cap.*2.*dubio* 39. Tamburin. *lib.*3.*Decal. cap.*16.§. 4.*à num.*26.

QVÆSTIO LXXVIII.

An, vota reseruata Summo Pontifici, in quibus Episcopi dispensare nequeunt, sint quinque; videlicet, castitatis perpetuæ; Religionis approbatæ; Peregrinationis ad limina Apostolorum; ad S. Iacobum Compostellanum; & in Terram Sanctam?

NEgant aliqui, existimantes, sola tria vota, videlicet, castitatis perpetuæ, Religionis, & Peregrinationis Hierosolymitanæ reseruari Pontifici. Ita Ricardus 4. *d.* 38.*art.*9.*q.*2. & alius Doctor (quem tacito nomine refert Lessius infra) *lib.*3.*de conscientia cap.*23. Quibus fauent D.Thomas 2.2.*q.*88.*art.* 12.*ad* 3. & Hostiens. *in sum.tit.de voto,*§.*vtrum, & per quem,* &c. *n.*16. in fine. Vbi dicunt, votum continentiæ, & Hierosolymitanum reseruari ex iure Summo Pontifici.

Sed vt quid certum Respondeo quod, Quinque prædicta vota in titulo quæstionis posita, sint Summo Pontifici reseruata; & ideo in illis, minimè possint Episcopi dispensare cum suis subditis: licèt in omnibus aliis possint. Sic quàm plures Doctores, quos numerat Sanchez *lib.*4.*Decal. cap.*40.*n.*6. Fagundez *loco cit.n.*7. Trullench, *n.*2. Tambur. *n.* 26. & Ascanius *tom.*2.*de iure Abbat. disp.*18.*q.*13.*n.*2. *& disput.*19.*n.*1.

QVÆSTIO LXXIX.

An omnia illa quinque vota, inueniantur reseruata Summo Pontifici, iure communi?

AFfirmat Sayrus *lib.6.Clauis Reg.cap.11.n.35.* dicens, quod licèt non inueniantur reseruata iure antiquo; inueniantur iure nouo reseruata Pontifici, nempe in Constitut. Sixti IV. quæ incipit: *Et si Dominici gregis. 2. de pœnit. & remiss. inter Extrauag. communes.* Sic ille qui citat Angelum, Siluestrum, Tabienam, Sotum, Aragon. Nauarrum. Toledum, Sà, & alios.

Sed oppositum Respondeo cum Sanchez dicendum. Quia nec in iure antiquo, neque in nouo inuenitur textus hæc quinque vota reseruans. Nec in dicta Extrauag. Sixti, reseruantur, sed supponitur in ea esse Pontifici reseruata, ex eo quod in ea excommunicentur commutantes præstita quinque vota, absque Pontificis licentia. Sic Sanchez *cap. 40. cit. n. 6. & 23.* Bonac. *disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 4. n. 11.* Vbi ait talem reseruationem introductam esse per consuetudinem; quia, inquit, sicut reseruatio potest per consuetudinem auferri, ita etiam induci. Sic etiam Suarez *lib. 6. de voto, cap. 21. n. 4. & 5.* Trullench. *loco cit. n. 2.* Fagundez *lib. 2. cap. 42. n. 7.* qui dicit, id constare solum ex stylo Curiæ Romanæ.

QVÆSTIO LXXX.

An etiam iuramenta Deo præstita Religionis, castitatis, & peregrinationis Romanæ, Compostellanæ, & Hierosolymitanæ; sint etiam, veluti vota, reseruata summo Pontifici?

NEgant quidam. Quia votum est fortius vinculum, quàm iuramentum: ergo ex votorum reseruatione, non potest colligi sufficienter, reseruatio iuramenti Deo præstiti circa eamdem materiam reseruatam: ergo etiamsi Episcopus non possit dispensare in voto Religionis, Castitatis, &c. poterit certè in iuramento eiusdem materiæ; non enim sequitur, *Qui non potest maius, non potest minus*: sed benè sequitur; *qui non potest maius, poterit minus.* Ita Tabiena *v. iurare, q. 20. n. 21. in 2. edit.* Nauarrus *lib. 2. consil. de iureiurando, consil. 1. n. 4. & 5. aliàs consil. 3. n. 4. & 5.* quos pro hac parte citat Fagundez mox citandus. Ita etiam Petr. Ledesma *2. p. tract. 11. cap. 4.* qui citat D. Thomam *2. 2. q. 89. art. 9. ad 3.* quos nouissimè sequitur Bruno, *de priuilegiis tract. 5. cap. 5. propositione 1. & 2.*

Sed certè Nauarrus solum dicit id esse probabile. Audi eius verba: Quartò, quod pulchrum dubium est; an alius quàm Papa possit relaxare iuramentum de adeundo Hierosolymam, si ludo illicito luderet: Arbitror tamen esse probabile, quod relaxatio iuramenti prædicti, de adeundo Hierosolymam, & Terram sanctam, non est reseruata Papæ; sicut est relexatio voti id ipsum faciendi, per ea, quæ de comparatione voti, & iuramenti diximus *in Man. cap. 12. n. 32.* & secundum Tabienam *v. iurare, numer. 21.* Hæc meus Nauarr. Qui vt colligitur ex loco in Man. ab ipsomet citato, solum loquitur in casu quo iuramentum fit principaliter in vtilitatem proximi, & votum principaliter in honorem Dei; quia tunc (inquit Nauarrus) maiorem vim obligandi habet votum, quàm iuramentum: non vero quando vtrumque, nempe, votum, & iuramentum, principaliter fit in honorem Dei, vel vtrumque principaliter in vtilitatem proximi: quia tunc, inquit vera est opinio Maioris *d. 38. q. 5.* asserentis, maiorem vim habere iuramentum, quàm votum. Igitur Nauarrus, potius oppositum clarè innuit. Vnde.

Multo longè probabiliùs Respondeo talia iuramenta esse reseruata Summo Pontifici, sicut vota similia. Quia vt supra *disp. 9. quæst. 5.* diximus, iuramentum promissorium Deo factum reputatur votum, cùm illius naturam habeat: ergo reseruatis votis Religionis, castitatis, &c. censentur necessario reseruata similia iuramenta. Sic debent tenere, vt ait Fagundez, omnes Doctores qui dicunt, iuramentum promissorium Deo factum, nil aliud esse quàm votum; vel illud includere. Hi autem sunt, Caiet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. ibi: Et similiter videntur reseruata omnia iuramenta Papæ, quæ si essent vota, essent Papæ reseruata; & alij plures, quòs supra citauimus. Sic tenet Fagundez *lib. 2. cap. 42. n. 1.* Legantur à nobis dicta *1. p. tract. 5. disp. 14. q. 100. & 106.*

QVÆSTIO LXXXI.

An, votorum, seu iuramentorum reseruatio, sit strictè interpretanda, ac restringenda?

REspondeo quod sic. Quia reseruatio dictorum quinque votorum Religionis, castitatis, &c. est odiosa, cum deroget ordinariæ Episcoporum potestati: ergo est restringenda, ac strictè interpretanda. Antecedens constat: quia reseruatio votorum, quæ fit à Papa, non fit per concessionem, sed per oblationem iurisdictionis, & diminutionis ordinariæ potestatis, vt benè, vt semper solet, probat Suarez mox citandus: ergo. Sic Sotus *lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. col. 5. vers. Ex his fit consequens.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. numer. 106. casu 7.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 21. num. 1.* Sayrus *in Claui Reg. cap. 11. num. 48.* & Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tract. 10. cap. 3. dub. 7.* quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. n. 5. & lib. 4. Decal. cap. 40. n. 25.* Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 39. n. 3.* Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 16. §. 4. n. 26. ibi: Quoniam verò reseruatio odiosa est, vt potè ordinariam potestatem restringens, erit strictè interpretanda; ita vt ea quinque vota, tunc reseruata intelligantur cum sunt strictè talia:* hoc est, addit Palao, cùm sunt vota absoluta & perfecta Religionis, castitatis, & peregrinationis. Sic hic, *disp. 2. de voti relaxat. pun. 11. num. 1.* Martinez de Prado *cap. 31. de voto, quæst. 14. §. 9. num. 87. & 88.* vbi dicit, id esse certissimum principium, ex quo multa pro praxi resoluunt dubia Doctores, cum quibus ego. Sit ergo.

QVÆSTIO LXXXII.

An, possit Episcopus dispensare in voto castitatis, non perpetuæ, sed temporalis, vt ad annum, vel aliud tempus limitatum, emisso?

REspondeo vt certum, posse, quia hoc non est simpliciter absolutum votum castitatis, cum de ratione huius sit perpetuitatem importare. Sic D. Thom. 2.2. *q.*88. *art.*11.*ad* 2. Nauarr. *cap.*12. *num.*76. Sotus *lib.*7. *q.*4. *art.*3. *col.* 5. Toledo *lib.*4. *sum. cap.*18. *num.* 12. Azor *tom.*1. *lib.*11. *cap.*19. *q.*6. Valentia 2. 2. *disp.*6. *q.*6. *punct.*7. *col.* 10. Sà, *v. de voti irritat. n.*11. Henriq. *lib.*7. *cap.*30. *n.*6. Palud. D. Anton. Sylvest. Angel. Armilla, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.*9. *num.* 6. *& lib.*4. *Decal. cap.* 40. *n.* 48. vbi iterum citat Azorium *loco cit.* Petr. Ledesmam *tom.*2. *tract.*10. *cap.*8. Lessium *dubit.*13. *num.* 105. & Suarium *lib.*6. *de voto, cap.*22. *num.*9. Sic etiam Fagundez *lib.*2. *cap.*42. *num.*8. Trullench. *lib.* 2. *cap.*2. *dub.*39. *n.*8. Tamburin. *lib.*3. *cap.*16. §.4. *n.*27. Prado *loco cit. num.*88. & omnes communiter. Bassæus *tom.* 1. *votum* 7. *n.*14. Ascanius *tom.*2. *de iure Abb. disp.*19. *q.*10. *num.*8. vbi id posse etiam Confessorem Regularem expressè tenet. Et benè.

QVÆSTIO LXXXIII.

An, item possit dispensare Episcopus in voto castitatis, emisso pro centum vitæ annis?

REspondeo dicendum: quod non. Quia hoc votum non reputatur temporale, sed perpetuum; cùm vita hominis non præsumatur amplius durare. Sic Sanchez *cap.*40. *cit. num.*49. Qui ob eandem rationem, id censet dicendum, non solum quando quispiam promisit, se centum annis sequentibus seruaturum castitatem: sed etiam quando promisit, se vsque ad centum vitæ suæ annos, eam seruaturum: quippè vtroque casu censetur perpetuum, eo quod non amplius durare præsumatur. Sic etiam Lessius, *loco. cit.* & Prado *loco cit.* Idem dicendum, de voto Castitatis emisso, vsque ad octogesimum annum, quia iuxta subiectam materiam, videtur perpetuum. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*39. *num.*16. Bonac. *disp.*4. *q.*2. *punct.*7. §.4. *num.* 19. lege me ipsum 1. *p. tract.*5. *disp.*14. *q.*112. Ascanium *tom.*2. de iure Abbat. *disp.* 19. *q.* 10. *num.*7. & alios apud ipsum.

QVÆSTIO LXXXIV.

An, Episcopus possit dispensare in voto Castitatis coniugalis seruandæ?

REspondeo vt certum: posse, ex causa. Quia huiusmodi votum, deficit à voto castitatis absoluto; cùm non sit totius castitatis votum; sed partis. Nam integrum est habenti votum castitatis coniugalis, inire matrimonium; cum solos actus illicitos comprehendat: ergo minimè habenti votum castitatis absolutum: quia huic, etiam copulari matrimonio non licet. Sic Henriquez *lib.*7. *de Indulg. cap.*30. *num.*6. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 9. *n.*7. *& lib.*4. *Decal. cap.*40. *n.*50. Fagundez *cap.*42. *cit. n.*9. Trullench. *loco cit. n.*17. qui benè cum Sanchez limitat, nisi in casu, quo votum coniugale ex authoritate Pontificis sit annexum statui Religioso, vt est hodie, statui equitum Ordinum militarium (præter Equites. S. Ioannis, qui absolutam, & integram castitatem vouent) quia tanquam necessario requisitum ad statum illum Religiosum, non poterit Episcopus dispensare cum illis Equitibus in sua professione illud emittentibus. Lege me ipsum 1. *p. tract.*5. *disp.*14. *q.*114. & Bassæum *tom.*2. *votum* 2. *num.*16. & Ascanium *n.*9. dicentem, & benè etiam posse dispensare in hoc voto Confessarium Regularem.

QVÆSTIO LXXXV.

An etiam possit Episcopus dispensare in voto de non petendo debito quod alter, vel vterque coniux, cum licentia, aut sine illa, emisit?

REspondeo vt certum: posse. Quia in omnibus his casibus coniux non emisit votum integræ castitatis, sed solum partis. Constat, quia neuter se ex voto obligauit, neque ad non reddendum, neque ad non fornicandum, neque ad non nubendum secundò, soluto primo matrimonio, quæ omnia votum absolutum castitatis includit. Sic Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *num.*8. & *lib.* 4. *Decal. cap.* 40. *num.*51. Sylvest. Palacios, Stunica, Azor, Rodriguez, Sà, & Barth. de Ledesma apud ipsum. Fagundez *lib.*2. *cap.* 42. *num.*10. *&* 11. Suarez *lib.*6. *de voto cap.*21. Palaus *disp.*2. *de voto punct.*11. *n.*1. lege me ipsum 1. *p. loco cit. q.*15. & Bassæum *loco cit.* Et nota quod consequenter dicendum, posse in hoc voto Regulares dispensare.

QVÆSTIO LXXXVI.

An item possit dispensare Episcopus in voto, quod vterque coniux, communi consensu emisit, non reddendi debitum, non fornicandi, non contrahendi secundas nuptias, &c.

REspondeo vt certum: etiam posse. Quia huiusmodi votum etiam est diminutæ castitatis, non integræ, & perfectæ omninò. Sic Sanchez *de matrim. num.*8. *cit.* Fagundez *num.* 12. Palaus *n.*1. lege *quæst.*87.

QVÆSTIO LXXXVII.

An deinde possit dispensare Episcopus in voto, aut iuramento, assumendi Ordines sacros?

NEgat Sotus *lib.*7. *de iust. q.*5. *art.*3. *collor.*1. Quia existimat hoc votum esse castitatis.

Sed Resp. vt certum: adhuc posse. Quia id votum non est castitatis, sed assumendi statum, cui

castitas est annexa. Et ita hic vouens non esset sacrilegus, fornicando; & si matrimonium iniret, peccaret contra votum, sed posset petere. Sic Sanchez *lib.8.de matrim.disp.9. n.13.& lib.4.Decal.cap.40. num.69.* Suarez, Lessius, Petr. Ledesma, Azor, Sayrus, & alij plures apud ipsum. Palaus *n.1.* verbis statim referendis, & Fagund. *lib.2.cap.43. n.6.* & ego iam *1.p.tract.5. disp.14. q.119.* & Ascanius mox citandus, docens in hoc posse etiam Regulares dispensare.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An possit dispensare Episcopus in expresso voto promittendæ castitatis?

REspondeo vt certum. Etiam posse. Quia nec id est votum castitatis, sed illius promittendæ. Vnde si hic vouens fornicaretur, ante promissam castitatem, non delinqueret contra votum. Sic Suarez *lib.6. cap.21.n.7.* Sanchez *lib.4. Decal.cap.40. num.7.* Palaus *num.1. cit.* ibi: Ad idem est, votum assumendi Ordines sacros, quia non est votum castitatis promissæ, sed promittendæ; sicut si voueres emissurum castitatis votum, dici non potest, te votum castitatis emisisse. Sic ille. Et apud ipsum, Azor *lib.11. cap.19. q.9.* Sayrus *lib.6.cap.11.n.60.* Lessius *lib.2.c.40. dub.18.num.123.* Layman *lib.4. tract.4. cap.8. num.8.* Barbosa *2.p. alleg.37. n.19.* Suarez *loco cit. & cap.24. num.2.* Ascanius *tom.2. disp.19.q.10.num.19.* Lege me ipsum, *1.p.tract.5. disp14.q.109.* Vbi inuenies alios Authores. Et nota cum Ascanio posse etiam in hoc voto Regulares dispensare.

QVÆSTIO LXXXIX.

An possit dispensare Episcopus in voto, aut iuramento non ineundi matrimonij?

NEgat Caiet. *tom.2.opusc. tract.11.de voto non nubendi,quæst.1.* Valentia *tom.4. disp.10. q.5. punct.5.concl.4.* Nauarr. *in sum. Hisp.cap.12. n.76.* & Angles *florib.2.q. vbi de voto, q.vnica, art.2. diff.11.* quos refert Sanchez *lib.8.de matrim.disp.9. n.10.* & nos ex ipso *1.p. tract.5. disp.14. q.110.* Quia existimant, votum non nubendi, reduci ad votum absolutum castitatis.

Sed probabilius iterum Respondeo posse dispensare Episcopum. Quia tale votum non est simpliciter votum totius castitatis, sed partis: & ideo qui voueret non nubere, non frangeret per fornicationem votum. Sic Sanchez *lib.8.cit. & lib.4. Decal. cap.40. num.66.* Vbi pro hac parte citat etiam Nauarrum *in sum. Latina cap.12. num.76.& cap.22. num.81.* & Valentiam *2.2. disp.6. punct.7. col.10.* Vt nos notauimus, *q.110. cit.* Vbi pro hac parte retulimus Gutierrez, Sà, Henriquez, Sayrum, Suarez, Azor. Fagundez, Trullench, & alios plures. Basseus *tom.1.votum 7. n.14.* Ascanius *n.14.* vbi ait consequenter etiam in hoc voto posse Regulares dispensare.

QVÆSTIO XC.

An item possit dispensare Episcopus in iuramento Deo facto, & voto Virginitatis seruandæ?

REspondeo cum distinctione, dicendum: non posse; nisi in casu quo expresè noluerit iurans, vel vouens, se ad castitatem obligare, sed ad solam coporis integritatem seruandam, consistentem in abstinentia à primo actu luxuriæ, per quem Virginitas deperditur. Ratio est: quia quando hæc expressa intentio in vouente non reperitur, est votum absolutum castitatis, ac proinde indespensabile ab Episcopo. Sic Sanchez *lib.8. de matrim. disp.9.n.9. & lib. 9. disp.33. num.7.* & *lib.4. Decal. cap.40. n.65.* Sayrus Azor, Lessius, Candidus, Caiet. Lopez, Diana, Trullench, Fagundez, & alij, quos citauimus, *1.p.loco cit. q.113.* Basseus *num. 16. cit.* Ascanius *disp.19. q.10. n.12.* Qui benè addit, quod in casu quo Episcopus possit dispensare; etiam possit Regularis Confessarius.

QVÆSTIO XCI.

An Episcopus possit dispensare iuramentum Deo factum, aut votum castitatis emissum ab vno coniuge, post consummatum matrimonium, sine consensu alterius?

NEgat Lopez, Sayrus, & alij, relati à nobis *1.p. tract.5.disp.14.q.116.*

Sed multò probabilius Respondeo, posse. Quia hoc votum non est omnimodæ castitatis, cum, ad non reddendum debitum, obligare nequeat: ergo potest ab Episcopo dispensari. Sic Sanchez, Stunica, Gutierrez, Candidus, Fagundez, Trullench. Diana, & alij, quos retulimus *1. p. disp. 14. cit. quæst. 116.* Et in hoc voto etiam Regulares possunt dispensare.

QVÆSTIO XCII.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis emisso ante contractum matrimonium, vt vouens possit consummare matrimonium, & petere debitum?

REspondeo, posse dispensare ad consummandum matrimonium, & petendum debitum. Quia id possunt, non ex iure ordinario, sed solius Pontificis & consuetudinis, quæ iurisdictionem in hoc illis tribuit. Sic Sanchez *lib.8.de matrim.disp.15.num.9.* & *lib.4. Decal. cap. 54. num.20.* Angel. Tabiena, Henriquez, Valentia, Rodriguez, Candidus, Trullench. quos citauimus *1.p. tract.5. disp.14. q.117.* Et in hoc voto etiam Regulares possunt dispensare.

QVÆSTIO XCIII.

An, Episcopus possit dispensare votum castitatis, quod vterque coniux emisit, ex communi consensu, per modum contractus; facio, vt facias; voueo, & iuro, vt voueas, & iures?

AFfirmabunt, qui existimant tale votum posse commutari, vi Bullæ aut Iubilei. Sunt autem, Maior, Veracruz, Sà, & Paludan. quos citauimus *1.p.cit.q.*118.

Sed certissimè Respondeo non posse. Quia hoc votum, verè est absolutum, & totius castitatis: ergo nequibit Episcopus dispensare cum coniugatis, qui tale iuramentum, aut votum emiserunt, vt matrimonio vtantur: nisi quando esset incontinentiæ periculum in alterutro, nec commode potest Pontifex, aut alius habens priuilegium adiri: quia tunc posset Episcopus dispensare solùm ad petendum, & reddendum debitum. Sic Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*11. *num.*10. *& lib.*4. *Decalogi, cap.*40. *num.*57. Nauarr. Rodrig. Lopez, Vega, Sayro, Candido, Fagundez, Diana, Trullench, & Mendo, citati à nobis *q.*118. *citata.*

QVÆSTIO XCIV.

An, possit Episcopus dispensare votum castitatis, aut Religionis, emissum, metu leui ab extrinseco incusso, ad extorquendum tale votum?

NEgandum videtur. Quia hoc votum est integræ castitatis, vt supponitur: ergo non est dispensabile ab Episcopo, cum sit Papæ reseruatum. Et ideò ita sentiunt Sylvester, Suarez, & Lauorius citati à nobis *1.p. tract.5. disp.*14. *q.*17. dum dicunt voto castitatis, & Religionis metu leui ab extrinseco incusso, emissa, non posse commutari virtute Bullæ, aut Iubilei.

Sed probabiliùs Respondeo dispensari posse ab Episcopo: quia probabilius est posse commutari virtute Bullæ, aut Iubilei, vt diximus *1.p. loco citato.* Et ratio est: quia non est credendum, quod velit Pontifex, quasi iniuriam illam fouens, reseruare sibi prædicta vota emissa dicto modo. Sic Angel. Tabiena, Nauarro, Rodrig. Lessius, & Henriquez, quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. capit.* 40. *numer.* 30. Leo, Layman, Bonacina, Diana, Bossius, & alij, quos citaui *1.p.loco.cit.* Vbi notauimus, quod aliqui ex prædictis Authoribus probabile putant, & benè dicta vota emissa ex metu prædicto, esse irrita, & nulla: quare sequendo hanc opinionem dicendum est, nec dispensatione indigere. Lege Tamburinum *lib.*3. *Decal.cap.*16. §.4. *num.* 41. Basseum *tom.*1. *votum* 7. *num.* 17. *& tom.*2. *votum* 2. *num.*26. & Ascanium *tom.*2. *disp.*19. *q.*10. *n.* 17. Vbi consequenter dicit, etiam in hoc voto posse Regulares dispensare.

QVÆSTIO XCV.

An possit Episcopus dispensare in iuramento, aut voto ingrediendi Ordinem Militum Maltensium, siue Sancti Ioannis?

AFfirmare possent, qui existimant, prædictos Milites non esse propriè Religiosos. Hi sunt Graffis, Gonzalez, Sarmiento, & alij apud Dianam infrà.

Sed vt quid certissimum Respondeo non posse. Quia certissimum est, prædictos Milites esse verè, & propriè Religiosos, cùm tria vota solemnia paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittant: sed vota veræ Religionis non sunt dispensabilia ab alio quam à Sum. Pontifice; ergo nequibunt ab Episcopo dispensari, nec commutari, vt diximus *1.p. tract. 5. disp.* 14. *q.*120. Sic Sanchez *de matrim. lib.*8. *disp.*9. *num.*16. *& lib.*4. *Decal. cap.* 40. *n.*73. Diana *1.p. tract.*11. *resol.*77. Fagundez *lib.*2. *cap.*43. *num.*11. Nauarr. Candid. Lugo, Rodrig. à nobis, vbi suprà citati. Basseus *tom.*2. *votum* 2. *n.*16. Ascanius *tom.*2. *de iure Abbat. disp.*19. *q.*10. *n.*24.

QVÆSTIO XCVI.

An saltem possit dispensari ab Episcopo iuramentum, seu votum, ingrediendi Religionem Militum Alcantaræ, Calatrauæ, D. Iacobi, S. Stephani, vel S. Mauritij?

NEgat expresè Lopez, & negare possent, qui existimant dictos Milites esse rigorosè, & verè Religiosos; vt sunt Couarr. Sanchez, Ramirez, Greg. Lopez, Minchaca, Ayala, Vega, Mota, Sancius, Basilius, & Diana citati à nobis *1. p. tract. 5. disp.*14. *q.*121.

Sed probabiliter Respondeo, posse dispensari. Quia probabile est (licèt probabilius oppositum) Milites prædictorum ordinum, non esse in rigore Religiosos, vt defendunt, Molina, Valentia, Sayro, Alcozer, Azor, Aragon, Nauarr. Trullench. Ludou. à Cruce, Bossius, Moneta, Sanctarellus, & Barbosa à nobis vbi suprà adducti: sed sic est, quod ad hoc, quod possit dispensari, aut mutari votum aliquod, sufficit quod sit sub opinione, an sit reseruatum, nec non: ergo. Sic Sancius, Diana, Trullench. Sotus, Candidus, & debent docere omnes DD. qui affirmant, dictos Ordines Militares non esse propriè Religiones, vt sunt Molina, Valentia, & alij nuper citati. Lege me ipsum loco citato, & Basseum, suprà, & Ascanium dicentem etiam in hoc voto posse Confessarios Regulares dispensare.

QVÆSTIO XCVII.

An possit Episcopus dispensare in iuramento, aut voto, quod fœmina emisit; assumendi habitum earum, quas vulgò Beatas *vocant?*

REspondeo posse. Quia hic status, non est status Religionis. Sic Sanchez Henriquez, Viuald. Aragon,

Aragon,Rodrig. Suarez,Sayrus, Trullench. Candidus,& Fagundez, citati à nobis 1.p. tract.5. disp.14. q.122. Vbi diximus idem dicendum de iuramento, aut voto ingrediendi Religionem non approbatam à sede Apostolica. Et in hoc voto etiam Confessarij Regulares possunt dispensare.

QVÆSTIO XCVIII.

An, possit dispensare Episcopus iuramentum, aut votum ingrediendi Religionem approbatam, ad probandum, num sibi placeat?

REspondeo non posse. Quia id, verè, & propriè est votum Religionis veræ; vt probauimus tract. 5. disp. 14. q. 123. ex Candido disquisit.25. art.14. dub.15. ergo nequit ab Episcopo dispensari.

QVÆSTIO XCIX.

An, vota paupertatis, & obedientiæ in sæculo, vel in Religione non approbata emissa; possit dispensare Episcopus?

REspondeo posse. Quia non sunt vota Religionis, nec statui Religioso annexa; cum sint facta extra statum verum, & approbatum: ergo poterit Episcopus illa dispensare. Sic Lessius, Suarez, Nauarrus, Henriquez, Trullench. Candidus, Sanchez, Malderus, Filliuc. Bossius, & Mendo, quos citauimus 1.p.loco cit. quæst.124. Basseus tom.2.votum 2.n.16. Ascanius loco cit. n.28. Et in hoc etiam possunt Confessarij Regulares dispensare, vt ait cum communi Ascanius.

QVÆSTIO C.

An possit dispensare Episcopus, votum aut iuramentum ingrediendi Religionem strictiorem; vt relicta ista, Religionem laxiorem ingrediatur?

NEgant Nauarr. & Lopez citati à nobis 1.p.loco cit. q.125. Quòd existiment id Summo Pontifici reseruari.

Sed probabiliùs, Respondeo posse. Quia id non est dispensare in iuramento, aut voto reseruato, cum vouens maneat obligatus ad ingrediendam Religionem; sed tantùm in quadam eius circunstantia, seu excessu vnius ad alteram, qui non est Pontifici reseruatus. Sic Sanchez de matrim.disp.9.num.17. & lib.4.Decal. cap.40.n.74.& apud ipsum,Rodrig. Henriq. P. Ledesma, Sayrus, Azor, Lessius, Trullench, Fagundez, & Mendo, quos omnes citatos inuenies à me 1.p. tract.5. disp.14. q. 125. & tenet nouissimè Tamburinus lib. 3. Decal. cap. 16. §. 4. n.28. Basseus tom.2. votum 2.n.16. Ascanius tom.2. disp.19. q.10.num.25. Vbi benè dicit, in hoc voto etiam posse dispensare Confessarios Regulares.

QVÆSTIO CI.

An, iuramentum, seu votum pœnale castitatis, vel Religionis absolutè emissum, sit dispensabile ab Episcopo?

REspondeo quod non. Quia talia vota in se absoluta sunt, cum ex nullo euentu pendeant: ergo reseruata: ergo indispensabilia ab Episcopo. Sic Sanchez lib.8. de matrim. disp.10. num. 9. & lib.4. Decal. cap. 40. n. 87. Suarez lib.6. de voto, cap. 23. num. 11. Trullench, & Bossius citati à nobis 1. p. loc. cit. quæst. 126. Secus dicendum quando tale votum est pœnale conditionatum, iuxta dicenda infrà quæst.103.

QVÆSTIO CII.

An, sit saltem dispensabile ab Episcopo iuramentum, aut votum castitatis, seu Religionis, emissum in pœnam peccati mortalis, quod quis heri admisit, vel nunc proponit admissurum?

REspondeo quod non sit. Quia tale iuramentum, aut votum est verè absolutum: ergo reseruatum Pontifici. Antecedens probatur. Quia conditio de præterito, aut de præsenti, si vera sit, non suspendit consensum: ergo non impedit votum verè esse absolutum. Sic Sanchez lib.8. de matr. disp.10.n.14. & lib.4. Decal. cap.40.n.88. Sic Suarez, Trullench, Bossius, Bonacina, Mendo, & alij, citati à nobis, vbi suprà, q.127. Quibus nunc addo Ascanium disp.19. cit. q.10. num. 37. Qui id probat ex l. cum ad præsens, ff. si cert. pet. sic ibi, & num.38.

QVÆSTIO CIII.

An, ad minus, sit dispensabile ab Episcopo iuramentum, seu votum pœnale Religionis, aut castitatis, emissum cum conditione, vt; Si lusero iuro, aut voueo Religionem, aut castitatem?

NEgant absolutè quidam, quos tacito nomine refert Philiarcus de officio Sacerdotis tom. 1. par.2. lib.3. cap.22. Et ipse censet æquè probabilem, ac duas statim referendas.

Negant, & alij non absolutè, sed sub distinctione, dicentes, esse dispensabile ab Episcopo tale iuramentum, aut votum, ante impletam conditionem: non verò post. Quia tunc cum sit impleta conditio, & incursa pœna, obligatio ad Religionem, vel castitatem est omnino absoluta, & independens à futuro euentu: atqui in his votis absolutis nequit Episcopus dispensare: ergo. Sic Sotus, Couarru. Azor, Lessius, Angles, Gutierrez, Rodriguez, Basilius quos refert Sanchez, infrà, & nos retulimus 1.p.tract.5. disp.14. q.128. Quibus adde Montesinos 1.2.d.23.q.7.n.124.

Sed ego probabiliùs Resp. esse tale iuramentum, seu votum dispensabile ab Episcopo, non solùm ante impletam cõditionem, & pœnam nondum incursam, sed etiã post impletã conditionem, & incursam pœnam. Ratio est: quia huiusmodi vota pœnalia, & conditionalia

ditionalia de futuro, non censentur reseruata à Pontifice; cum reuera non sint emissa, ex amore, & deuotione Religionis ingrediendæ, aut castitatis seruandæ, sub qua ratione solum ea reseruat Pontifex, vt benè probat Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 10. num. 8. & lib. 4. Decal. cap. 40. num. 91.* Et ideo ipse hanc tenet sententiam. Et apud ipsum, Henriquez, Molina, Lopez, Viualdus, Aragon, Beia, Anton. Gomez, Vega, Sà, Toledo, Sayrus, Ledesma, Suarez. Sic etiam, Nungus, Ioan. de la Cruz, Moure, Villalobos & Diana, Ludou. à Cruce, Trullench, Candidus, & alij, quos citatos inuenies apud me *1.p.* vbi suprà. Sic tandem Bruno de priuileg. *tract. 5. cap. 5. propos. 1. & 2.* Vnde etiam in hoc voto possunt Regulares dispensare, vt ait Ascanius *disp. 19. q. 10. num. 39.* Vbi nostram tenet sententiam.

QVÆSTIO CIV.

An possit Episcopus dispensare cum illo, qui promisit Religionem, aut castitatem, si pater suus obierit?

REspondeo vt certum: non posse. Quia huiusmodi promissio, seu votum, est reuera absolutum, & solum apparenter conditionatum. Facit enim hunc sensum: quando pater meus obierit executioni mandabitur ingressus Religionis, quem ex nunc pro tunc absolutè voueo. Sic Sanchez *disp. 10. cit. de matrim. num. 13. & cap. 40. cit. n. 82. & 93.* Suarez, Trullench. Petr. Ledesma, & Candidus citati à nobis *1.p. tract. 5. disp. 14. q. 129.* Quibus nunc addo Ascanium Tamburin. *tom. 2. de iure Abbatum, disp. 19. q. 10. num. 34.* & Bonacinam apud ipsum.

QVÆSTIO CV.

An ad minus, possit dispensare Episcopus, cum illo, qui v.g. morbo oppressus, dixit; Iuro, aut voueo Religionem, aut castitatem, si incolumis euasero?

NEgant aliqui Doctores, dicentes, minimè posse dispensare Episcopum in tali iuramento, aut voto, nec ante, nec post impletam conditionem, hoc est, nec ante obtentam sanitatem; nec post. Fundamentum eorum est; quod hæc vota verè emittuntur ex affectu, & amore Religionis, & castitatis: ergo. Ita Sotus, Nauarr. Corduba, Azor, Rodrig. Lopez, Valentia, Vega, Aragon, & alij, quos refert Sanchez *disp. 10. cit. n. 11.* & remissiuè *cap. 40. num. 97.* & nos *1.p. loco cit. q. 130.*

Alij, sub distinctione respondent, posse Episcopum dispensare in tali iuramento, & voto, ante impletam conditionem; non verò post. *Prior* pars probatur. Qui vota merè conditionalia, ante impletam conditionem, non habent perfectam, & omnimodè absolutam rationem voti; si quidem votum perfectum statim obligat, ac obligant præcepta omnia affirmatiua: ergo. *Secunda* verò pars probatur. Quia adueniente conditione, æquè obligant vota conditionalia, ac absoluta. Ita apud Sanchez, Perez, Rodrig. Vega, Lessius, Suarez, Sayrus, quos vnà cum aliis, citauimus *1.p. tract. 5. disp. 14. q. 28. & 30. & 31.* Quibus nunc addo Ascanium *tom. 2. de iure Abbat. disp. 19. q. 10. n. 33. & 34.* licèt contrarium teneat, *n. 38.*

Sed ego probabiliùs Respondeo: posse dispensare Episcopum in dicto casu in votis Religionis, & castitatis, ante, vel post conditionem impletam. Quia id potest in omnibus iuramentis, & votis Religionis, & castitatis merè, & verè conditionalibus, non pœnalibus etiam. Quod possit dispensare ante impletam conditionem, iam manet probatum ab Authoribus secundæ sententiæ. Quod verò, etiam post impletam, possit adhuc, probatur. Quia, quamuis prædicta iuramenta, & vota eorúmque obligatio, finita conditione, iam sint absoluta, tamen quia initium, origo, & radix illius obligationis fuit imperfecta voluntas, à futuro euentu pendens, quæ semper in ipsa obligatione, quasi imbibita manet; sèper enim est verum dicere; ortam esse eam obligationem, ex consensu quodam imperfecto, hinc est, quod Episcopus possit in his iuramentis, & votis Religionis, & castitatis, etiam post impletam conditionem dispensare. Sic Sanchez *locis citatis*, & ego *1. p. q. 131. cit.* Toletus, Anton. Gomez, Petr. de Ledesma, Diana, Trullench. Candid. Faustus, Sanctarellus, Leo, Malderus, victoria, Mendo, & Quintanaduenas, apud nos locis citatis. Sic etiam, vt probabile, & tutum defendit Tamburinus *lib. 3. Decal. cap. 16. §. 4. num. 32.* & alij quos adhuc infrà de hac re tractantes *disp. 46. q. 4.* citabimus. Et nota quod in hoc voto, etiam Confessarij Regulares dispensare possunt, vt rectè docet Ascanius, vbi suprà.

QVÆSTIO CVI.

An possit Episcopus dispensare votum disiunctum, cuius sola altera pars est reseruata: vt si quis v.g. voueat, castitatem, vel ieiunium.

NEgat Ludou. Beia *1.p. Responsi. casu 28. vers. vnde huiusmodi votum.*

Sed longè multò probabiliùs Respondeo: posse, saltem re integra, & antequam vouens eligat materiam reseruatam. Quia tale votum tunc non esse reseruatum, constat: quia libertas, quam habet vouens eligendi partem non reseruatam, facit, vt totum eius votum absolutè à reseruatione sit liberum: ergo potest illud Episcopus dispensare. Sic Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 14. & lib. 4. Decal. cap. 40. num. 42.* & ex illo, ego *1.p. tract. 5. disp. 14. q. 141.* & Azor, Sayrus, Lessius, Suarez, Reginal. Molfes. Filliuc. Diana, Trullench, Candidus, Bossius, Basilius, Leo, Lauorius, Bonac. Layman, Malderus, Tamburinus, Fagundez, & alij communiter. Lege denuò Thom. Tamburinum *loco cit. n. 30.* & Palaum *disp. 2. punct. 11. n. 6.* Basseum *tom. 2. votum 2. n. 16.* Ascanium *q. 10. citata, num. 5.* Et nota, quod in hoc voto possint Confessarij Regulares dispensare iuxta nostram sententiam.

QVÆSTIO CVII.

An etiam possit dispensare Episcopus in dicto voto disiuncto, casu, quo pars non reseruata effecta sit impossibilis, ita vt nequeat vouens illam adimplere, sed tantum partem reseruatam?

NEgat (vltra Ludouicum citatum) Bonacina *in 2. præcep. Decal.* (non *tract. de legib.* vt apud me infrà citandum legi) *disp. 4. punct. 7. §. 4. n. 18. vers. octauò.* Quia inquit, materia illa reseruata, est in eo casu adimplenda ex vi voti: ergo nequit illud Episcopus dispensare. Idque esse probabile affirmant Leo, & Filliuc. loquendo de commutatione, vt notauimus *1. p. tract. 5. disp. 14. q. 142.*

Sed probabiliùs Respondeo etiam tunc posse dispensare. Quia tale votum nunquam obligauit ex se, & ex natura sua vouentem ad partem reseruatam. Sic Suarez, Sanchez, Trullench, Lodou. à Cruce, Diana, Layman, & alij citati à nobis vbi suprà, loquendo de commutatione votorum ex vi Bullæ. Currit enim in hac materia eadem ratio. Sic etiam Palaus, *vbi suprà.* Et etiam in hoc possunt Regulares vt ait Ascanius *num. 5. citato.*

QVÆSTIO CVIII.

An item, casu, quo quis voueat (aut iuret) castitatem, aut ieiunium disiunctiuè, & vouens eligat efficaciter castitatem seruare; possit tale votum Episcopus dispensare?

NEgant tunc posse Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 14. & lib. 4. Decal. cap. 40. n. 43.* Suarez, Filliuc. Trullench. Azor, Sayrus, Layman, Fagundez, Candidus, & alij citati à nobis *1. p. tract. 5. disp. 14. q. 143.* Quibus adde Palaum *disp. 2. punct. 11. n. 6. fine.*

Sed probabiliter certè Respondeo, adhuc posse dispensare tale votum; dummodo vouens non promittat de nouo illam partem, quam elegit. Quia probabile est, quod possit vouens, adhuc in hoc casu, voluntatem mutare, & alteram partem, nempe ieiunium eligere: ergo & Episcopus dispensare. Sic Malderus, Diana, Bossius, vbi suprà citati. Sic etiam Thom. Tamburin. *lib. 3. Decal. cap. 16. §. 4. num. 30. & 31.* Vbi doctrinam à nobis tribus quæstionibus datam, iis verbis breui comprehendit: quid de voto disiuncto? Si quis v.g. vouit vel castitatem, vel ieiunium? Dico non esse reseruatum: quia libertas, quam is habet eligendi partem non reseruatam, facit, vt totum absolutè à reseruatione sit liberum. Quid si pars non reseruata reddatur illi impossibilis, vt si dictus vouens in grauem infirmitatem incidat, vnde ieiunare non possit? Adhuc dico partem non re manere reseruatam: quia per accidens est, alteram eligi non posse. Quid denique, si is elegerit partem reseruatam? hæc post electionem, erit ne reseruata? Dico si elegisti per nouum votum, reseruata vtique erit, vt ex se patet: at si elegisti absolutè, sine nouo voto, puto non esse reseruatam; quia sic remanet in sua primæua natura. Sic Doctus Pater. Et nota, quod iuxta hanc nostram sententiam, possunt Regulares etiam in hoc voto dispensare.

QVÆSTIO CIX.

An, possit dispensare Episcopus in voto, ac iuramento triplicis peregrinationis, Romanæ, Hierosolymitanæ, & compostellanæ emissis, non animo inuisendi ea loca, sed alio fine?

NEgatiuam sententiam innuit Basilius *lib. 8. de matrim. cap. 8. num. 27.* dum contrarium solum dicit probabile, sed longè multò probabilius.

Respondeo posse. Quia votum visitandi dicta loca alio fine, quàm deuotionis causa, non est reseruatum: ergo. Antecedens constat ex Extrauag. *Et si Dominici*, in qua non cuiuslibet dictarum peregrinationum votum reseruatur: sed solum illud, quod emittitur ex deuotione illorum locorum. Vnde si quis iuret, aut voueat Romam ire ad salutandam imaginem Sanctæ Mariæ Maioris, aut ad osculandos pedes Pontificis, &c. tunc tale votum minimè est reseruatum, & sic optimè poterit dispensari ab Episcopo. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 40. n. 77.* Fagundez *lib. 2. cap. 43. n. 14.* Tamburinus *loco cit. num. 26.* Palaus *disp. 2. de voto, punct. 11. numer. 3.* Basseus *tom. 2. votum 2. num. 16. & tom. 1. votum 7. num. 13.* Ascanius *tom. 2. disp. 19. q. 10. num. 31.* vbi benè docet, posse in hoc voto Regulares dispensare.

QVÆSTIO CX.

An possit Episcopus dispensare in qualitate dictis peregrinationibus adiuncta?

REspondeo posse. Quia tunc non dispensat in voto, & iuramento, sed in circunstantiis per accidens illis adiunctis. Sic Sanchez, & Fagundez vbi suprà. Et Tamburinus *n. 28.* ibi: Idem dic de quibusdam circunstantiis voto reseruato à se annexis, v. g. de voto illarum trium peregrinationum *pedibus*; vel de voto Religionis, *statim*; vel de voto Religionis *strictæ*; non enim sunt reseruatæ illæ conditiones, *pedibus, statim, restrictæ*, quare poterunt dispensari ab Episcopis remanente tamen substantia dictorum votorum, quæ certè reseruata est. Sic ille. Basseus *tom. 2. votum 2. num. 16.* Ascanius *q. 10. cit. num. 26.* & penes ipsum Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 13. num. 105.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 4. num. 21.* & alij. Et sic etiam Regulares possunt in hoc voto dispensare.

QVÆSTIO XI.

An, votum, seu iuramentum non petendi dispensationem voti, aut iuramenti facti, ab alio, quàm à Romano Pontifice, possint Episcopi dispensare?

REspondeo vt certum: posse. Quia certum est, tale votum, & iuramentum non esse reseruatum. Quia non est ex quinque numeratis, quæ solummodo Pontifici reseruantur. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 40. num. 13. & 79.* Azor, *tom. 1. lib. 11. cap. 19. q. 15.* Sayrus *lib. 6. cap. 11. n. 67.* Suarez *lib. 6.*

de

*de voto, cap.*21. *n.*15. Basil. Legionen. *lib.*8. *de matrim.cap.*8. *n.*6. *fine.* Palaus *disp.*2. *punct.*11. *fine.* Fagundez *lib.* 2. *cap.*43. *num.*16. Bonac. *disp.* 4. *q.*2. *punct.*7. §.4. *n.*19. Ascanius *q.*10. *cit. num.*32. vbi consequenter ait, etiam in hoc voto posse Regulares dispensare.

QVÆSTIO CXII.

An, in dubio, votum, vel iuramentum, reseruatum sit; iudicandum sit, non reseruatum?

REspondeo ita iudicandum esse. Nam, cum reseruatio in dispensationibus, sit diosa, vt suprà est habitum, restringenda est ad casus certos, & indubitatos. Dubij enim casus non comprehenduntur, sub reseruatione, vt docent Sanchez *lib.* 8. *cap.*40. *n.*80. Suarez *lib.*6. *cap.*26. *n.* 6. Fagundez *loc. cit. n.*16. Tamburin. *loc. cit.n.*32. *fine, & lib.*1. *cap.*3. §.7. *num.*15. Vbi ita inquit: si dubites vtrum voueris absolutè castitatem v.g. ad honorem Dei, an sub aliqua conditione, vel pœna, *si sanitatem receperis*, vel, *si luseris*; potes tibi persuadere, sub conditione, vel sub pœna vouisse; atque adeo ex sententia probabili infrà dicenda, votum tuum non est reseruatum, id enim certè minus est. Sic ille.

QVÆSTIO CXIII.

An quando Sum. Pontifex vota, & iuramenta sibi reseruata, commutat in alias pias actiones, v.g. votum castitatis in aliqua ieiunia; tunc opus subrogatum, putà, ieiunium, sit reseruatum?

AFfirmant quidam. Probantque id ex illa Regula iuris, *subrogatum sapit nuturam eius cuius loco subrogatur, l.vnica, C. de rei vxoriæ actione.* Ita Azor *lib.*11. *cap.* 18. *q.*11. Zanard. Archidiacon. Bellamera, & alij Neoterici citati à nobis 1.*p. tract.* 5. *disp.*14. *q.*44.

Sed probabiliùs Respondeo tale opus subrogatum non esse reseruatum: & ideo posse ab Episcopo dispensari, vel commutari in aliud. Ratio est: quia vota illa, ac iuramenta reseruata, non sunt per se reseruata, sed solùm ratione materiæ dumtaxat: ergo sublata ea materia reseruata, & in aliam non reseruatum translata, cessat reseruatio: ergo optimè poterit hæc ab Episcopo dispensari, vel commutari.

Nec obstat regula *subrogatum*, quia illa habet verum in fauoribus, non in odiosis, qualis est reseruatio. Sic Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*9. *n.*20. & *lib.*4. *Decal.cap.*40. *n.*46. & apud illum, Henriquez, Sà, Aragon, Rodrig. Sayrus, Lessius, & Suarez, quos citatos, inuenies apud nos 1.*p.* vbi suprà. Vbi adhuc inuenies, Filliuc. Dianam, Trullench, Villalob. Ludou. à Cruce, Ioan. Sancium, Fagundez, Bossium, & Mendo. Quibus nunc addo Thom. Tamburinum *lib.*3. *Decal. cap.* 16. §.4. *num.* 33. & 34. Cast. Palaum *disp.*2. *de voto, punct.*11. *n.*5. Basilium *lib.*8. *de matrim. cap.* 8. §. 2. *n.*24. Layman *lib.*4. *sum. tract.*4. *cap.*8. *n.*13. Ascanium Tamburin. *tom.*1. *disp.*19. *q.*10. *n.*11. Qui consequenter ait, etiam in hoc voto posse Regulares dispensare.

QVÆSTIO CXIV.

An, ieiunium voto castitatis perpetuæ à Pontifice subrogatum; cesset peruenientе anno sexagisimo ætatis?

NEgarunt quidam Theologi, quos tacitis nominibus, refert Tamburinus *lib.*4. *Decal.cap.*5. §.7. *n.*10. *Primò.* Quia subrogatum debet sapere naturam rei, cui subrogatur: atqui perpetuum erat votum castitatis: ergo & perpetuum debet esse ieiunium voto subrogatum. *Secundò*: quia incongruum videtur, gaudere quem voti dispensatione, castitatem non seruando; & negligere opus loco castitatis impositum: ergo.

Affirmarunt, apud ipsum Tamburinum, alij existimantes; cessasse ieiunium subrogatum peruenientе anno sexagesimo, etiam casu, quo dispensatus in voto haberet vires ad prosequenda iniuncta à Pontifice ieiunia. *Primò* quia Pontifex prout est legislator vniuersalis non astringit Fideles ad ieiunandum post annum sexagesimum, etiamsi vires validas habeant, vt nos diximus *part.*3. *tract.*5. *disp.*8. *quæst.* 17. ergo non est præsumendum plus velle obligare in hoc casu dispensatum. *Secundò*: quia nunquam præsumitur adesse præceptum obligans, nisi de obligatione constet: at dubium saltem est, an hæc obligatio vrgeat dispensatum: ergo illum non obligat. Neque dicas præualere præceptum, quod possidet: dico enim ego præualere libertatem, & exemptionem senectutis, quæ est certa; dubitari autem de præcepto, an scilicet, hoc dictam ætatem comprehendat. Hæc ex Tamburino, qui concludens dubium ait: hanc vltimam sententiam esse intra probabilitatis terminos admittendam.

Ego autem non solùm probabilem esse hanc secundam sententiam Resp. sed probabiliorem prima, iuxta dicta à nobis 3.*part. loco citato.* Addo tamen, quia neutrius sententiæ Doctores negabunt ieiunium subrogatum voto castitatis, posse ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente commutari in aliud opus pium; veluti in effundendas aliquas preces, elargiendam aliquam eleemosynam, vel aliud simile, quod cum ætate sexagenaria compatiatur.

---

§. IV.

De casibus, in quibus Prælati inferiores possunt dispensare in dictis iuramentis, & votis reseruatis Pontifici.

QVÆSTIO CXV.

An de facto sit concessa alicui Prælato facultas in quinque prædictis votis, aut iuramentis, dispensandi?

RESp. tamquam certum. Quod non. Sic Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*9. *num.*25. & *lib.*4. *Decal. cap.*40. *n.*14. Vbi ita dicit. Prædicta autem quinque vota, sunt adeo Pontifici reseruata, vt nec Legatus à latere, absque speciali Pontificis priuilegio possit in eis dispensare. Quia Legatus à latere in solis votis Episcopo concessis dispensare potest.

Sic ille. Et vt ipse ait, id in propriis terminis, non solùm loquentes de voto Hierosolymitano in eius loci subsidium (vt ait Sanchez,) sed de aliis tribus ad minus, docent Abbas *in cap. ex multa, de voto, n.* 4. & Angelus, qui eũ citat, *votum.* 4. *n.* 6. ita scribens. Quis est Superior, cuius auctorite vota possint commutari? Resp. quod quoad quatuor vota, solus Papa dispensat, scilicet, in voto Religionis; in voto Hierosolymitano: voto Sancti Iacobi; & voto visitandi limina Apostolorum Petri, & Pauli. Et sic seruatur in facto; licèt nullo iure inueniatur expressum, nisi de voto pro subsidio Terræ Sanctæ; vt *in cap. Ex multa, de voto.* Vbi tenet Panorm. quod etiam Legatus de latere non potest dispensare; cum requiratur specialis Delegatio, vt in d. cap. *Multa*, patet. Hæc Angelus. Palaus etiam *disp. 2. de voto, punct. 12. n. 1. vers. Primus est.* Vbi attentè e st legendus, ob omissionem alicuius verbi factam à Typographo. Peyrinus *tom. 2. tract. de Prælato, q. 3. cap. 3. fine*, qui loquendo de dispensatione horum votorum, ita ait. Non potest tamen Prælatus in iis dispensare; quia sunt Papæ reseruata: & talis potest as illi necessaria non est, cum possit alia viâ, nimirum per irritationem bono suæ Religionis regimini prouidere.

QVÆSTIO CXVI.

An, nihilominus de facto possint Episcopi, & alij Prælati similem iurisdictionem habentes, in aliquo euentu dispensare, vel saltem cõmutare, vota, & iuramẽta Papæ reseruata?

Respondeo tanquam certum: posse, præcipuè in quatuor casibus, qui ortum habent à necessitate; ab imperfectione voluntarij, à consuetudine, vel à priuilegio. De quibus omnibus singulariter agemus. Sic omnes. Lege Tamburinum *lib. 3. Decal. cap. 16. §. 4. à n. 36.* Palaum *disp. 2. de voto, pun. 12.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 42. à n. 28.* & me ipsum *2. p. tract. 9. de matrim. disp. 24. q. 21.* Basseum *tom. 1. votum 7. n. 15.* Suarium *lib. 6. de voto, cap. 26.* Sanchez *lib. 4. cap. 40. à num. 34.*

QVÆSTIO CXVII.

An, in casu magnæ necessitatis possit Episcopus dispensare in voto castitatis perpetuæ, aut Religionis?

Negat Rodriguez *in Bullam Cruciatam. §. 9. dubit. 1.* cui fauet Lodou. Lopez *2. p. instructor. vbi de clauibus*, dicens, solùm in remotissimis Indiæ partibus, id licere Episcopo.

Sed longè multò verius, imo vt certissimum mihi Respond. posse Episcopum dispensare in dictis votis quando vrget magna necessitas dispensationis, nec Pontificis responsum expectari potest, absque graui periculo corporis, vel animæ. Quia non est credendum velle Pontificem in hoc casu reseruare sibi hæc vota, eorumque dispensationem; sed potius Prælatis inferioribus concedere, eo quod id rectæ gubernationi conueniat. Sic communiter Doctores. Legantur Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 9. n. 22. & lib. 4. Decal. cap. 40. n. 34.* (non 44. vt legi apud Palaum) Lessius, Petr. Ledesma, Suarez, Nauarr. Henriq. Basilius, Trullench. Diana, Fagundez, & alij citati à nobis *tract. 9. de matr. disp. 24. q. 21.* Palaus *loco cit. n. 4.* Basseus *loco citato*, & Tamburinus *n. 37.* sed vt scias, quibus in specie casibus, adsit hæc magna necessitas; sit.

QVÆSTIO CXVIII.

An possit dispensare Episcopus, cum iuuene, qui voto castitatis, aut Religionis astrictus, virginem violauit, & grauidam effecit?

Respondeo vt certum: posse dispensare, si fama, & honor dictæ virginis nequeat aliter, quàm eam ducat iuuenis, reparari; & simul sit periculum in maiora; quia si dispensatio Pontificia expectaretur; vel impediretur matrimonium à consanguineis iuuenis, qui illi repugnabant; vel timeretur aliud grauè damnum scandali, ex dilata dispensatione, tunc enim ex præsumpta Pontificis voluntate potest Episcopus dispensare in dictis votis castitatis, & Religionis. Sic tenent omnes Doctores nuper citati, de quo casu etiam egimus *2. p. disp. 24. q. 21. citata.*

QVÆSTIO CXIX.

An item possit dispensare Episcopus in voto castitatis, aut Religionis; in casu, quo quis morti proximus, nisi fœminam duceret, relinqueret filios illegitimos?

Respondeo etiam posse. Quia ex dilata dispensatione Pontificia, sequeretur magnum damnum scandali, vel damnum magnum tertiæ personæ, nempe, filiis, igitur, ne sequantur, optimè poterit Episcopus, in eo euentu, in dictis votis dispensare. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 40. num. 36.* Palaus, *disp. 2. de voto, punct. 12. n. 4. fine.* Tamburin. *n. 37.* & Suarez *lib. 6. de voto, cap. 27. n. 13.* Vbi obseruat, quod cùm hæc sententia, & doctrina, fundetur in quadam pia interpretatione, non sit extendenda vltra id, quod in toto rigore exigit moralis necessitas: vt si necessitas sit (inquit) contrahendi matrimonium statim, & sine mora, ne sequantur scandala, vel grauis infamia nobilis fœminæ; vel ne quis moriatur infecto matrimonio sine legitimatione filiorum, & fortasse cum animæ periculo, vel similia: tunc non est simpliciter auferendum votum Religionis, sed solùm cum limitatione ad semel conttahendum, cum tali persona, & ad talem finem; & non alio modo; & si fuerit votum castitatis, cum eadem limitatione, & prætereà relicta obligatione seruandi castitatem coniugalem, & sic de aliis. Quia hoc modo satisfit necessitati, & seruatur reseruatio, quantum fieri potest. Hæc Suarius, & Trullench. *loco cit. num. 39.* quod amplius mox explicabo.

QVÆSTIO CXX.

An, in prædicto euentu, quo Episcopus dispenset cum habente castitatis votum, vt ineat matrimonium ad legitimandos filios; possit & dispensare, vt mortua illa vxore, ineat cum alia?

Resp. dicendum. Quod non. Constat ex ratione allata quæst. præcedenti ex Suario. Cui consentit Tamburinus loco cit. vbi loquendo de

casu

casu proposito, ait, quod in illo possit Episcopus id dumtaxat, quod necessitas postulat, & non amplius. Quare mortua illa vxore non licebit marito habenti votum castitatis aliam ducere; atque si idem fornicetur; si se polluat, si adulteret, addet huiusmodi peccatis peccatum contra Religionem, idest, contra proprium votum, quia hoc non fuit dispensatum, nisi ad effectum illius peculiaris matrimonij. Sic Tamburinus. Palaus etiam, *n.* 6. Sanchez, Nauarr. Lessius, Layman, Basilius, apud ipsum.

QVÆSTIO CXXI.

An item possit dispensare Episcopus in voto castitatis, casu, quo vouenti immineat periculum, seu, rationabilis timor, sæpè violandi votum, si Papæ expectetur dispensatio?

RESp. etiam tunc posse. Quia si potest, quando imminet aliquod damnum corporale, vt nuper diximus, multò magis poterit si immineat aliquod damnum spirituale. Sic Tamburinus *loco cit. num.* 40. & Palaus *disp.* 2. *punct.* 12. *n.* 4. ibi; Quod non solum habet verum, quando est graue periculum spiritualis salutis, scilicet, violationis voti, si differatur dispensatio; sed etiam quando timetur scandalum in fama, &c. Sic ille.

QVÆSTIO CXXII.

An, deinde, liceat Episcopo dispensare, vrgente necessitate, in triplicis peregrinationis reseruatæ votis?

RESpondeo etiam posse. Si enim vrgeret necessitas postulans dispensationem, nec præ paupertate, aut alia causa, posset adiri Pontifex, posset benè Episcopus dispensare. Sic Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *n.* 23. Vbi adducit Palacium absolutè dicentem, quod in omnibus votis Papæ reseruatis, possit Episcopus dispensare, si impotentia adeundi Papam præcesserit; *& lib.* 4. *Decal. cap.* 40. *n.* 37. vbi adducit Petrum de Ledesma, 2. *tom. sum. tract.* 10. *cap.* 8. *in* 3. *p. in* 4. *dicto*, & Suarium *lib.* 6. *de voto, cap.* 26. *n.* 10. Qui optimè aduertunt, rarò, aut nunquam euenturum, hunc necessitatis dispensandi casum. quia necessitati occurrenti potest subueniri, non dispensando in voto, sed eius executione suspendendo, quod potest in ea necessitate efficere Episcopus.

QVÆSTIO CXXIII.

An in dicto casu necessitatis, possit Episcopus in dictis votis, & iuramentis dispensare, si potest adiri Nuncius Apostolicus?

NEgant Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *col.* 8. & Rodriguez *tom.* 2. *sum. cap.* 100. *n.* 3. fine, ibi: *Es de notar que en los votos reseruados à su Santidad, puede algunas vezes el Obispo dispensar, auiendo vrgente necessidad; i no se pudiendo con facilidad acudir al Papa ò al Nuncio, como despues de Sylueſtro lo tienen Soto* lib. 1. de iust. q. vltima, art. vltimo, *Nauar.* cap. 12. n. 76. *& Corduba* lib. 2. qq. q. 11. Hæc Rodriguez.

Sed multò longè probabilius, imo vt mihi certum, Resp. posse in dicto casu, dispensare Episcopum in votis Papæ reseruatis, etiamsi facilis sit recursus ad Nuntium Apostolicum. Ratio est: quia Nuntius, quamuis Legatus à latere sit, tãtum potest, vi suæ dignitatis, circa dispensationes in tota sua Prouincia, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi, vt sup. *q.* 53. est habitum: ergo cùm maiore potestate non gaudeat circa materiam dispensationum, quam Episcopi, parum refert possit adiri Nuntius, vel ne, nisi fortè aliàs haberet speciale priuilegium ad dispensanda hæc vota, de quo *quæst. sequenti* agemus. Sic Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *n.* 25. vbi ait oppositum carere fundamento. *Et lib.* 4. *Decal. cap.* 40. *n.* 38. vbi citat Auilam *de censur.* 2. *p. cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. *notab.* 4. & Suarium *lib.* 6. *de voto, cap.* 26. *n.* 15. Nec oppositum docent Sotus, Nauarrus, vel Corduba. Nam locis citatis à Rodriguez, minimè illam limitationem insinuant. Legantur. Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. *n.* 6.

QVÆSTIO CXXIV.

An etiam casu, quo Nuntius (vel quiuis alius) haberet ex priuilegio potestatẽ dispensandi in dictis quinque votis, vel iuramentis, & commodè possit adiri; posset nihilominus Episcopus dispensare, vrgente causa, in illis?

AFfirmant, adhuc posse Episcopum dispensare in illis, nonnulli Doctores. Quia, inquiunt, per accidens est, quod eiusmodi potens Nuntius, vel Delegatus præsto sit; nec inde tollitur ab Episcopo potestas, qua valdè ampla gaudet in casibus hisce necessariis. Ita Henriquez *lib.* 8. *de pœnit. cap.* 10. *n.* 1. *& lib.* 12. *de matrim. cap.* 3. *n.* 1. Auila *de censuris* 2. *p. cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. *notab.* 4. Quorum sententiam, vt probabilem sequitur Tamburin. *lib.* 3. *Decal. cap.* 16. §. 4. *n.* 38.

Sed multò probabiliùs Respond. tunc non posse. Quia Episcopus solùm potest in hoc casu dispensare ratione necessitatis vrgentis, atqui quando adest Nuntius, aut alius potens ex priuilegio dispensare, ad quem facilè confugi potest, necessitas cessat: ergo tunc non poterit Episcopus. Sic Nauarr. *in sum. cap.* 22. *num.* 85. fine. Ludouic. Lopez, Rodrig. & Vega quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 40. *num.* 8. *lib.* 8. *disp.* 9. *num.* 25. *& lib.* 4. *Decal. cap.* 40. *num.* 38. Vbi adducit Suarium *lib.* 6. *de voto, cap.* 26. *num.* 15. & Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 106. *& in* 2. *edit. dub.* 18. *n.* 127. Quibus addi possunt Basilius Legion. *lib.* 8. *de matrim. cap.* 9. *num.* 1. Layman *lib.* 4. *sum. tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 17. Palaus *disp.* 2. *de voto, puncto* 12. *n.* 5. Trullench. *num.* 6. *citato*. Qui tamen malè citat pro hac parte Henriquez. Lege me ipsum 2. *p. tract.* 9. *de matrim. disp.* 24. *q.* 21. *fine.*

QVÆSTIO CXXXV.

An, si hæc quinque vota, aut iuramenta reseruata Pontifici, emittantur ab his, qui sub dominatiua potestate viuunt, possint tunc ab Episcopo dispensari?

AFfirmat Gutierrez cum aliis *lib.* 2. *Canonic. qq. cap.* 21. *n.* 49. Vbi docet, quod quando vota castitatis, aut Religionis emissa sunt à personis alterius potestati subiectis, vt à coniugata, seruo, vel filio, sine licentia viri, domini, vel patris; tunc possit Episcopus in eis dispensare. Quia si vir, dominus, & pater possunt hæc vota irritare, vt suprà

habitum est : à fortiori poterit Episcopus in eis dispensare; non enim est credendum Pontificem talium votorum dispensationem sibi reseruare voluisse, cum facilè possint irritatione solui.

Sed omninò Resp. negatiuè. Quia opposita sententia nullo firmo fundamento nititur. Quia potestas irritandi, diuersa est à potestate dispensandi, & ideo non valet illatio vnius ab alia. Sic Suarez *lib.6.de voto, cap.26.num.2. & 3.* Qui id probat clarè. Nam licèt parens, vel maritus possit irritare vota filij, vel vxoris; non tamen potest in illis dispensare : ergo ex eo quod pater possit irritare hæc vota filij impuberis, non rectè colligitur, posse Episcopum illa dispensare, vel commutare. Sic ille. Et ex illo Sanchez *lib.8. de matrim.disp.9. num.4. & lib.4. Decal. cap.40.num.28.* Palaus *disp.2.punct.12.num.12.* Tamburin. *lib.3.cap.16. §.4.n.41.*

QVÆSTIO CXXVI.

An possit Episcopus dispensare in votis reseruatis, casu, quo vouens expressè voluerit ad solam venialem culpam se obligare?

Resp. posse. Quia cum reseruatio sit odiosa debet intelligi de voto integrè, & perfectè facto, & intentione proportionata materiæ reseruatæ, quæ est grauis. Sic Sanchez *lib.4. cap.40. num.47.* Palaus *disp.2.punct.12. n.2.* Trullench. *lib.2.cap.2.dub.39. n.14.* Basseus *tom.2.votum 2.num.16.*

QVÆSTIO CXXVII.

An, quando dubium est, an votum sit reseruatum; possint Episcopi, & alij Prælati habentes similem iurisdictionem, in eis dispensare?

Resp. posse. Quia reseruatio, vtpotè odiosa, strictè interpretanda est, ac proinde ad solos casus certos extendenda. Sic Sanchez *cap.40.cit.n.26.* his verbis. Quoties de voti valore fuerit morale dubium, siue sit dubium iuris, siue facti; & siue sit negatiuum propter coniecturas, quæ non sufficiunt ad determinandum iudicium; siue sit positiuum ex opinionibus probabilibus contrariis, id votum, cuiuscumq; materiæ reseruatæ, non est reseruatum, sed potest Episcopus in eo dispensare. Sic ille ex Suario *lib.6.de voto, cap.26.n.6.* sic etiam Basilius *lib.8.de matrim.cap.9. n.14.& 16.* Layman *lib.4.tract.4.cap.8. n.14.* Quos sequitur Palaus *disp.2.pun.12.n.8.* Diana *p.4.tract.3. Resol. 59.* Bonac. & alij, quos amplectitur Trullench. *cap.39. cit.num.4.*

QVÆSTIO CXXVIII.

An, quando hæc iuramenta, & vota reseruata, emissa sunt, metu cadente in virum constantem, possit Episcopus in eis dispensare?

Resp. vt certum : posse. Quia si potest, adhuc quando sunt emissa, metu leui, vt suprà *q.94.* cum communi diximus; à fortiori poterit, quando emissa sunt metu graui. Immò in hoc casu, vt verius dicamus, nulla est opus dispensatione, cum verior opinio habeat, talia vota esse irrita, & nulla. Sic Suarez *lib.6.cap.26. n.5.* Sanchez *lib.4.cap.40. n.31.* Basilius *lib.8. de matrim. cap.9. n.15.* & licèt Suarez & Basilius censeant valere prædicta vota, sed conueniunt, ea non esse censenda reseruata.

QVÆSTIO CXXIX.

An, si consuetudine sit præscriptum; possint tunc Episcopi, & alij Prælati inferiores Papa, in iis votis, aut iuramentis reseruatis dispensare?

Respondeo vt certum posse. Quia consuetudo iurisdictionem præbet. *cap.8.de matr. disp.12.* (non *cap.12.* vt legi apud Palaum) *n.4.* Lessius *lib.2. cap.4.dubit.18.n.125.* Basilius *lib.8.de matrim.cap.9. n.2.& sequent.* Palaus *puncto 12.citato n.9.* Tamburin. *lib.3.cap.16. §.4. n.42.* & alij, inter quos solum est difficultas, in quibus euentibus, Prælati inferiores, vi consuetudinis, facultatem dispensandi in his votis obtinuerint, pro qua soluenda, proponam quæstiones sequentes. Sit ergo.

QVÆSTIO CXXX.

An, Episcopi, vi consuetudinis obtinuerint, facultatem dispensandi, ad effectum contrahendi matrimonium, cum eo, qui castitatis votum emisit?

Affirmandum videtur. Quia id non est in voto castitatis absolutè dispensare, sed ad quemdam solum effectum, nempe contrahendi matrimonium. Constat; quia talis coniux, non obstante hac dispensatione, sacrilegus esset fornicando, nec posset, eo matrimonio soluto, ad aliud migrare.

Sed vt quid certum Resp. non obtinuisse, & sic non posse. Quia reuera dispensaret in voto castitatis, quoad effectum, quo obtento, obseruari nequit. Sic Sanchez *lib.8. de matrim. disp.12. n.4.* dicens nullum, oppositum concedere. Tamburin. *lib.3.Decal. cap.16.§.4.n.43.* his verbis : Dico primò, ei, qui cum sit solutus emittit castitatis votum, nullus, nisi summus Pontifex dispensare votum potest, nec absolutè, nec ad effectum contrahendi matrimonium. Sic ille, & Palaus *disp.2. punct.12.num.10.* sic : Si ante contractum matrimonium emiseris votum, nulla adest in Prælatis inferioribus consuetudo, vt dispensare possint ad contrahendum, nisi grauis necessitas vrgeat, grauiaquè mala immineant ex dilatione dispensationis Pontificiæ. Sic Palaus.

QVÆSTIO CXXXI.

An saltem possit, ex vi consuetudinis, dispensare Episcopus ad petendum debitum, cum illo, qui non obstante voto castitatis simplicis, non obtenta dispensatione, nihilominus (certè cum peccato) matrimonium contraxit?

Resp. tunc posse dispensare Episcopum ad petendum debitum, manente voto firmo, quoad cætera alia, vt ad non fornicandum, ad non se polluendũ, ad castitatem seruandã, mortuo coniuge, &c. Sic Tambur. loco citat. dicens, quod hic est casus, qui consuetuedine concessus est Prælatis Papa inferioribus, ex omniũ sententia. Palaus loc. cit. dicens, id etiã

esse

esse verum, estò matrimonium non consummauerit vouens. Legantur Sanchez *lib.8.de matrim.disp.12. n.4. & 6.* Basilius *lib.8. cap.9. num.4.* Lessius *lib.2. cap.40. dubit.18. n.125.* & alij. Lege me ipsum *1.p. tract.9.disp.24. q.18.* Lessium *lib.2.dub.18. n.125.* Basseum *tom.1. votum 7. num.15.*

QVÆSTIO CXXXII.

An etiam possit Episcopus dispensare, ad petendum debitum, ei, qui post contractum matrimonium, votum castitatis emisit, sine licentia coniugis?

RESp. vt certum posse dispensare, non vi tantùm consuetudinis, sed vi propriæ iurisdictionis, ac iuris proprij. Quia tale votum non est castitatis integræ, totalis, sed partialis, nempe, non petendi debitum: nam, vt suprà est habitum, coniugatus nequit validè emittere votum absolutum, & integrum castitatis; cum is reddere semper debitum, ex obligatione iustitiæ teneatur. Sic Authores nuper citati.

QVÆSTIO CXXXIII.

An, item possit Episcopus (aut alius Prælatus inferior Papa) dispensare ad petendum debitum, cum coniugatis, qui, mutuo consensu, idem votum castitatis absolutum emiserunt?

NEgant aliqui posse Episcopum dispensare: eo quod coniuges tunc teneantur non cohabitare simul, & ideo non habent periculum incontinentiæ, quæ est radix prædictæ consuetudinis, quam Episcopi ad dispensandum in hoc habent. Ita Sanchez *lib.8.de matrim.disp.11.à n.10.* Lessius *lib.2.cap.40. dub.18. num.126.* & Layman. *lib.4. tract.4. cap.8. n.15.* quos citat, & sequitur Palaus *disp.2.n.10.* Quibus adde Basseum *tom.1. votum 7.n.16.*

Alij tamen contrà censent, nempe, posse tunc Episcopum dispensare ob imminens periculum incontinentiæ. Sic Basilius *lib. 8. de matrim. cap.9. n.2.* vbi statuit vniuersè, quod siue hoc votum absolutum castitatis, sit emissum ab vno tantum coniuge de consensu, aut sine consensu alterius; siue ab vtroque coniunctim, aut seorsim, vel per modum contractus, si adest periculum incontinentiæ, dispensare possit Episcopus ad petendum, & reddendum debitum. Sic ille. Qui id latè probat. Sic etiam ante illum, Rossella, Maior, Angelus, & Sà, quos pro hac parte citat Lessius loco cit. *n.126. vers. Aduerte tamen.* dicens, id esse probabile. Tenet vt tale, etiam Tamburin. *lib.3.cap.16.§.4. n.45.* Tum (inquiens) quia viuente coniuge, quamuis in alia domo, semper subest incontinentiæ periculum. Tum, & multo magis, quia estò hoc periculum fuerit radix, tamen occasione illius, inducta est absoluta consuetudo, quia in coniugatis possit modo prædicto ab Episcopo dispensari, patet quia si esset, ob solum, præcisumque periculum, non esset diuersa hæc potestas consuetudine inducta, ab ea, quam, vrgente necessitate spirituali, habent Episcopi, de quo diximus *n.40.* Hæc omnia Tamburinus.

Ego autem Resp. vtramque sententiam esse satis probabilem: secundam verò, vbi viget dicta consuetudo, certam.

§. V.

De potestate, quam habent dispensandi in votis, & iuramentis Prælati Regulares, quoad personas sæculares, nec non, & sibi subditas?

QVÆSTIO CXXXIV.

An, Prælati Regulares, vi suorum priuilegiorum, possint dispensare in votis, & iuramentis reseruatis. v.g. in voto castitatis absolutæ, vrgente necessitate, in quo casu, vt nuper habitum est, possunt Episcopi?

AFfirmat Crousers *in Regul.S. Francisci cap.7. lect.29. fol.785.* eo ductus fundamento, quod mendicantes possunt virtute suorum priuilegiorum dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, vt cum communi docet Sanchez *lib.8. de matrim. disp.16.n.1.* Sed Episcopi possunt dispensare, vrgente magna necessitate, in voto absoluto castitatis, & Religionis, & hoc iure ordinario, cum ad similes casus, non sit à Pontifice sublata potestas, quam ante reseruationem, habebant Episcopi iure ordinario ad dispensandum in omnibus votis per suas Diœceses, sicut Pontifex, vt suprà est habitum: ergo mendicantes in eodem casu necessitatis, dispensare per sua priuilegia valebunt. Ita ille, qui latè id probat, & eius verba refert Diana *part.6. tract. 6. Resol.50.* nec improbat, & merito, quia vt aliàs dixi, meo iudicio, illius sententia non est improbabilis. Præcipuè cum præter illum Authorem, illam sequantur Bordonus *Resol.15.n.13.* quem citat, & sequitur Marcus Vitalis in suis inquisitionib. *tract. de voto, inquisit.3. n.76.* Bruno Chassaing, *in priuileg. Regul.tract.5.cap.5.propos.2.* quorum sententia valde placet Basseo *tom.1. votum 7.n.29.* eo quod anno 1629. in Consistorio sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinal. visa, & tolerata fuerit, licèt ipse oppositum teneat.

Sed multo probabiliùs Resp. iterum: non posse. Quia multo probabilius est, quod Episcopi in præfato casu necessitatis, non habeant facultatem dispensandi in voto absoluto castitatis, aut Religionis per se, aut iure Ordinario, sed ex benigna solum voluntatis Pontificis reseruantis interpretatione: ergo multò probabilius est, quod in præfatis casibus nequeant Religiosi in dictis votis dispensare: patet consequentia, quia Religiosi, solùm possunt dispensare cum sæcularibus in votis omnibus, in quibus, iure Ordinario, potest Episcopus. Sic egomet *2.p.tract.9. disp.24.q.22.* sequutus Sanchez *lib.4. Decal.cap.34. n.7.* Henriq. *lib.9. de pœnit. cap.14.n.7.* Rodrig. Suarez Fagundez, quos citat, & sequitur Diana vbi suprà, Basil. Legion. *lib.8. de matrim. cap.10. n.11.* Trullench. *lib.2. Decal.cap.2.dub.44.n.2.* Quibus nunc addo Ludou. Mirandam *tom.1. Man.Prælator. q.48.n.4.* Barbosam *2.p.de potest Episcopi, alleg.37. n.14.* Palaum *disp.2. punct.12.n.7.* Tamburin. *lib.3. cap.16.§.4.n.46.* ibi. Ex priuilegio posse mendicantes, quique eorum facultatis sunt participes, vota omnia sæcularium ad se accedentium, præter illa quinque reseruata, dispensare, vel commutare, notum est omnibus. Sic ille ibi, *n.49.* Basseus *loco. cit. & tom.2.votũ 2.n.15.* sed ad maiorem abũdantiam, sit,

QVÆSTIO CXXXV.

An, Religiosi mendicantes habeant de facto, priuilegium ad dispensanda omnia vota sæcularium, non reseruata Pontifici?

NEgat haud obscurè P. Ioan. Martinez *tom.2. cap.31. de voto, q.14.§.8.* vbi rara sollicitudine obscurare satagit omnia priuilegia, quibus mendicantes gaudent, circa vota sæcularium dispensanda. Et ideo,*n.79.* qui est vltimus, sic concludit quæstionem. Et ideò in re tanti momenti optarem, quod hæc potestas indubitata esset, vel adeo probabiliter constaret, quod absque scrupulo posset practicari. Interim consulerim, quod vtamur sola facultate vota commutandi, quæ est certa, & abstineremus ab vsu potestatis dispensandi in votis, quæ non extat, nisi cum tot limitationibus. Hæc ille. Sed certè nimis scrupulosus de probabilitate oppositi; trepidat enim timore, vbi nullus est timor, vt euidenter constabit, vnde.

Non solùm probabilius longè, sed tanquam ferè certum Resp. dicendum, quod mendicantes de facto habent priuiligium ad dispensanda omnia vota sæcularium, non reseruata Pontifici.

Probatur *Primò* auctoritate ferè omnium Doctorum, qui sine hæsitatione quasi, hanc tenent partem. Sic apud ipsum Pradum, Nauarr. *cap. 12. num. 29.* sed ibi hic Author nihil dicit. Rodriguez *tom.1. qq.Regul. q.63. art.3.* Miranda *tom. 1. q.48. articulo* 3. Aragon 2.2.*q.88.art.12.concl.6.* Ludouic. Lopez *1.p.cap.50.* Sayrus *in claui Reg. lib.6.cap.11. dub.17.n.95.* Sanchez *lib.4. Decal.cap.43.n.4.* Castro Palao *tom.3. tract.15. disp.2.* (quam non citat Prado) *punct.13. num.7.* Barthol. à S. Fausto *lib.3. Thesauri, quæst. 173. vsque ad* 181. Candidus *disquisit.27. art.vnico, dubit.2.* Ioan. à Cruce *in Epitome lib.2. cap.6. dubit.8. concl. 1.* Villalob. *2.p. tract.34. diff.29. n.2. & 3.* Trullench. *lib.2.Decal. cap.2. dub.44. num. 2.* Mendo *disp.26. in Bullam Cruciat.cap.2.n.34. & 35.* Bassæus *v. votum 7.n.10.* Quintanaduenas *tom.2. tract.5. singul. 15.n.5.* Martinus à S. Ioseph. *in explicat. Reg. S. Francisci.* & Diana *p.6. tract.6. Resol.50.* His ego addo Tamburinum *lib.3. Decal.cap.16.4. num.46.* Vbi dicit, id esse notum omnibus. Pellizzar. *in Man. Regul. tract.8.cap.3. per totum.* Basilium *lib.8.de matrim. cap.10.n.9.* Fagundez *lib.2.Decal.cap.45.à num.11.* Lessium *lib.2. cap.40. dub. 18. in 2.edit.num.134.* Machado *lib.5.part.3.tract.3.docum.1.n.1.* Brunum *in priuileg.Regul.tract.5.cap.5. Propos.2.*

Secundò probatur exhibendo aliqua priuilegia concessa Regularibus. Nam in primis Innoc. VIII. concessit Mendicantibus, posse dispensare in omnibus votis in quibus possunt Episcopi, exceptis votis peregrinationis vltra duas dietas. Sunt autem, duæ dietæ, Viginti Leucę, secundum Rebuffum de *priuileg.Scholast.priuil.161.* Azeuedo *lib.1.Recopil.tit.7. l.20.n.2.* Rodrig. *in Bull.Cruciat.§.9.n.141.* (quamuis *2.tom.sum.cap.100.n.3.* dicat, esse quatuordecim leucas. Sed, vt notat benè Sanchez, hic error fuit Typographi, quia refert se ad prædictum §. Bullæ, vbi ait, esse viginti leucas.) Hoc priuilegium referunt Rodrig. Thom. Sanchez, Basil. Legionen. Tamburinus, & communiter alij DD.

Respondet Prado, hanc concessionem Innocentij VIII. fuisse solum viuæ vocis oraculum, & non authenticum. Sed hæc euasio facile præcluditur; primò, negando esse viuæ vocis oraculum. Secundò, dato, & non concesso, quod tale fuerit; iam transisse in priuilegium bullatum, vigore Bullæ Pij V.

Secundum priuilegium & magis amplum, est Martini V. qui sine vlla restrictione concessit Benedictinis, posse dispensare in votis etiam Episcopo reseruatis. Idemque concessit per Bullam Eugenius IV. Qua facultate gaudent omnes, qui eorum priuilegiis communicant. Hæc priuilegia referũt Rodrig. *tom.2. qq. Regular. q. 63. art. 3.* & Compendium Societ. IESV *v. dispensatio,* §.10. ibi. *Per facultatem Benedictinis concessam à Martino V. possunt nostri Confessores deputati dispensare etiam in votis Episcopo reseruatis.* Sic referunt Sanchez, Tambur. & Pellizz. vbi suprà.

Respondet Prado *loco cit. num.74. vers. præterea,* quod non sibi constet, an priuilegium illud Martini V. concessum sit per Bullam, an vero viuæ vocis oraculo, & ita consulendum esse, ab hac facultate abstinendum. Sed quid, quia sibi non constat, abstinendum est à facultate dispensandi? Hoc verum, si aliis Doctissimis, & versatissimis in materia priuilegiorum viris, etiam minimè constaret. At constat, vt vidimus. Credat ergo Prado illis, vt ego libentissimè credo; & firmissimè teneo posse dictos Regulares dispensare in omnibus votis, exceptis illis quinque reseruatis, sicuti possunt Episcopi; cum aliqua tamen differentia, quam sequentibus quæstionibus signabo. Sit ergo.

QVÆSTIO CXXXVI.

An in potestate dispensandi in votis, sit discrimen aliquod, inter Episcopos, & Religiosos?

REspondeo esse aliquod discrimen. Nam Religiosi nunquam possunt, propter vrgentem necessitatem, dispensare in aliquo ex quinque votis reseruatis; iuxta longè probabiliorem sententiam habitam suprà: at benè Episcopi, in omnibus quinque, vrgente necessitate, & si aditus ad Pontificem non sit: quod constat ex dictis quæst. 134.

Deinde Religiosi possunt dispensare cum quibuscumque fidelibus, ex quacumque Diœcesi ad se venientibus, agunt enim Summi Pontificis nomine; & ideo sine limitatione ad fideles talis dumtaxat Diœcesis: at vero Episcopi, qui per suam iurisdictionem agunt, extra suos Diœcesanos, se extendere nequeunt.

Præterea Episcopi possunt suam potestatem dispensandi, vel commutandi aliis delegare; quia in ipsis hæc potestas est ordinaria: at Mendicantes non item; quia delegatus non potest subdelegare, si eius sit industria electa, (secùs alias, vt dicemus *q.143.*) Possunt nihilominus Religiosi in commutatione hac vti forma cum suo Pœnitente: *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designauerit, cuius sententiæ volo te stare:* quia hoc non est delegare; sed prudentia alterius vti ad statuendam materiam subrogandam. Sic ex Castro Palao *disp.2. de voto, punct.13. num.8.* Pellizzario *tract.8. cap.3. n.143.* Laymano *lib.4.tract.4. cap.8. num. 27.* docet Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap.16. §.4. num.49. vsque ad 51.* Sic etiam Sanchez *lib.4. cap.43. num. 15.* Basilius *lib.8. de matrim. cap.10. num. 10.* Lege me ipsum. *1.p. tract.5. disput.14. quæst.138.*

QVÆST.

QVÆSTIO CXXXVII.

An, sicut possunt Episcopi dispensare, vel commutare vota, vel iuramenta Deo facta, extra Sacramentum Confessionis; ita & possint Religiosi?

NEgant aliqui Authores, eo quod dispensationes committantur Religiosis, vt sunt Iudices in foro interno: at Confessor non est Iudex in foro interno, nisi audiat Confessionem: ergo. Ita Sayrus, Corduba, citati à Sanchez infra. Et pro eadem sunt omnes DD. dicentes idem de priuilegio commutandi vota per Bullam, vt sunt Moure, Rodrig. Vega, Beja, Peregrin. & alij, quos retulimus 1. *p. tract. 5. disp. 14. q. 97.*

Sed probabiliùs Respondeo, posse, sicuti Episcopi dispensare vota, vel iuramenta extra Sacramentum Pœnitentiæ. Quia in præfato Religiosorum priuilegio, nulla extat quoad hanc partem limitatio. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 43. num. 17.* Palao *disp. 2. pun. 13. n. 8.* Basilius *lib. 8. cap. 10. n. 10.* Tamburinus *lib. 3. cap. 16. §. 4. n. 52.* his verbis: Conueniunt tamen, Episcopi, scilicet, & Religiosi, quod vtrique possunt vota commutare, vel dispensare extra Sacramentum Confessionis; immo & absentibus: quia nec pro Episcopis à iure vllo, nec pro Religiosis à clausula vlla exercitium huiusmodi potestatis ad forum sacramentale restringitur. Sic ille. Et tenent omnes citati à nobis 1. *p. loco citato.* & nouissimè Bruno *de priuileg. tract. 5. cap. 5. proposit. 5.*

QVÆSTIO CXXXVIII.

An item sicut potest Episcopus dispensare omnia vota conditionalia, & pœnalia, iuxta supra dicta: sic & possint Religiosi?

REspondeo: sic omninò posse. Quia talia vota non censentur reseruata, vt habitum est supra §. 3. *q.* 103. & sequentibus: ergo illa omnia sicuti ab Episcopis suo iure; sic à Religiosis, per sua priuilegia, possunt dispensari, vel commutari. Sic colligitur clarè ex doctrina nuper tradita; & expressè docet Tamburinus *loco cit. n. 53.* & Bruno *cap. 5. citato.*

QVÆSTIO CXXXIX.

An Regulares possint, sicuti Episcopi, dispensare votum castitatis coniugati ad petendum debitum?

NEgant aliqui Doctores apud Tamburinum loco *cit. n. 54.*

Sed probabiliùs cum ipso Respondeo Posse, sicuti possunt Episcopi. Quia Regulares habent (vt *q.* 135. diximus) priuilegia dispensandi ea, quæ potest Episcopus iure ordinario: atqui Episcopi possunt dispensare votum castitatis coniugati, vt habitum est *q.* 133. ergo & poterunt Regulares.

Nec obstat, si dicas, quod Episcopus non dispensat in hoc ex iure ordinario, sed ex consuetudine, vt loco citato diximus: quia priuilegium Mendicantium dicit, posse eos dispensare in votis, in quibus potest Episcopus: atqui omnia rectè declaramus, in quibus potest ex vi iurisdictionis, nec solum ex vi necessitatis vrgentis, quando non ex vi suæ ordinariæ iurisdictionis, sed ex præsumpta voluntate Pontificis, vt diximus quæst. 134. At Episcopus, posita dicta consuetudine iam ex vi ordinariæ iurisdictionis acquisitæ per consuetudinem dispensat: ergo poterunt Regulares. Consuetudo enim dat iurisdictionem ordinariam, vt probatum habes supra §. 4. *q.* 129. Sic Tamburinus *lib. 3. cap. 6. §. 4. num. 54.* ex Sanchez, Henriquez, Corduba, Hurtado, & Quintanaduenas. Sic tandem Bruno *tract. 5. cap. 5. Proposit. 5.* & alij, apud ipsum.

QVÆSTIO CXL.

An item possint Regulares ab ordinario approbati, ex commissione suorum Prouincialium, dispensare ad petendum debitum cum coniugibus, qui inter se affinitatem contraxerunt?

NEgarunt Corduba, Ortoz, & Diana *par. 6. tract. 8. resol. 32.* vt retulimus 1. *p. tract. 5. disp. 24. q. 16.*

Sed iterum, vt mihi certissimum Respondeo, posse. Quia ad id habent priuilegium Bullatum, vt latè probaui loco cit. Et tenent Miranda, Portel, Rodrig. Sanchez, Ioan. à Cruce. Hieron. Rodrig. & alij. Legantur ibi, *q. 16. & q. 17.* dictæ & Bruno, *loco citato.*

QVÆSTIO CXLI.

An Religiosi possint vti prædicta facultate dispensandi in votis sæcularium, si hi non habeant Bullam Cruciatam?

NEgat Trullench, *lib. 1. expos. Bullæ, §. 9. dub. 3.* & *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 44. fine.* Quia priuilegia inquit, Regularium, quoad sæculares suspenduntur per Bullam, & per eam reualidantur. Ita ille. Et hanc sententiam ante docuerunt Nauar. *lib. 5. consil. tit. de priuileg. consil. 16.* Ludou. Lopez 2. *p. Instructor. cap. 2. de clauib. col. 10.* Rodrig. *in Bulla Cruciata §. 12. n. 4.* Fundanturque in quadam clausula Bullæ, in qua datur facultas commissario suspendendi omnes gratias, & facultates concessas quibusuis Monasteriis, &c. & commissarius suspendit.

Sed longè multò probabilius Respondeo posse vti. Quia probabilius longè est, non suspendi priuilegia Regularium, quoad sæculares, per Bullam Cruciatam, & ideo non esse ad vsum illorum, necessariam Bullam in sæcularibus. Quia cum hæc priuilegia sint adeo fauorabilia, & non vni, vel alteri Monasterio concessa, sed toti Religioni, & adeo cedant in commune bonum, non videntur suspendi per verba adeo generalia, sed opus est specifica mentione

Et ideo clausula illa Bullæ intelligitur de gratiis, quæ conceduntur particularibus Monasteriis, quales sunt, qui visitauerint tale Monasterium, consequãtur indulgentiam plenariam: his enim priuilegiis non fruuntur sæculares carentes Bulla. Sic omnino Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 54. n. 62.* & penes ipsum Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dubit. 12. n. 60. in 1. edit.* & Rodriguez mutans sententiam, *in addit. ad Cruciat. §. 12. num. 4.* & *qq. Regul. tom. 1. q. 61. art. 12.* dicens, multos viros doctissimos ita sentire. Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 16. n. 7.* & *lib. 7. de Indulgen. cap. 48. n. 7.* vbi in Glossa *lit. Z.* refert multos viros doctissimos ex Dominicana, & Franciscana Religione, qui ita senserunt.

QVÆSTIO CXLII.

An, Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare in iuramentis & votis; sicut potest Episcopus cum suis?

NEgant quidam, ducti ex eo, quod talis potestas esset superflua. Patet, quia vota dispensanda, aut sunt emissa ante Professionem, aut postea: si ante, extinguuntur per Professionem; si postea, tunc per irritationem potest Prælatus ea extinguere: ergo superfluit potestas dispensandi. Ita Palud. *in 4. d. 38. q. 4. art. 4. concl. 7. n. 45.* & D. Antonin. *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9. vers. Item Abbas.*

Sed tanquam certum Respondeo dicendum, quod Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare in iuramentis, & votis, sicut potest Episcopus dispensare in illis, cum suis subditis. Quia certum est, quod huiusmodi Prælati Regulares habent iurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem, in vtroque foro, ratione sui muneris, vt optimè probat Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 9.* & *lib. 4. Decal. cap. 39. n. 3.* ergo possunt dispensare cum suis subditis, sicut Episcopus cum suis. Neque hæc dispensandi potestas est superflua in illis, in quibus est potestas dominatiua, quia sunt potestates diuersæ rationis; cum illa sit dominatiuæ, quæ potest esse in mulieribus; hæc autem spiritualis. Et aliquando iudicabit Superior esse expedientiùs dispensare, quàm irritare; & præcipuè, quia sunt aliqua vota, quæ irritare nequit, & potest in illis dispensare. Sic Sanchez *loc. citatis.* & penes ipsum, Nauarr. *cap. 12. num. 75.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 10. numer. 14.* & *sequent.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 107.* Rodrig. *in qq. Reg. tom. 1. q. 25. art. 7.* Ricard. Gabriel, Siluest. Angel. Sotus, Aragon, Valentia, & alij. Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 38. numer. 15.* & *dub. 44. num. 1.* Prado *cap. 31. de voto, q. 14. §. 7. numer. 65.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 45. numero tertio.* Bruno *de priuileg. tractat. 4. cap. 3. Proposit. 3.* Caietanus, & Cruz, apud ipsum.

QVÆSTIO CXLIII.

An dicti Prælati Regulares possint delegare hanc dispensandi facultatem aliis?

REspondeo tanquam certum: Posse. Quia hæc potestas cum sit officij, & illi perpetuò adnexa, est potestas ordinaria, vt diximus: ergo potest ab his Prælatis delegari. Sic Suarez *loco cit. n. 14.* Sayrus *in Claui Reg. lib. 6. cap. 11. n. 105.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. numer. 4.* Fagundez *cap. 45. numer. 4.* Sic intelligе dicta supra *quæst. 136.*

QVÆSTIO CXLIV.

An hæc potestas dispensandi in votis, & iuramentis, non solùm competat Generalibus, & Prouincialibus; sed etiam Prælatis Conuentualibus?

REspondeo vt certum: Etiam his Conuentualibus Prælatis competere. Quia etiam hi sunt veri Prælati gaudentes iurisdictione Episcopali, vt latè probat Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 9.* Et cõstat ex dictis à nobis suprà §. *2. q. 64.* & *sequent.* Sic Sanchez *lib. 4. cap. 39. n. 5.* Sotus, Graffis, Sayrus, Suarez, & Aragon apud ipsum. Fagundez *n. 5.* Trullench, *num. 15.* Prado *num. 15.* Verum est, vt omnes notant, quod competat his Prælatis, huiusmodi potestas, cum quadam subordinatione; ita vt Superiores Prælati possint Prælatis inferioribus reseruare aliquorum votorum dispensationem. Lege Brunum *de priuileg. tract. 4. cap. 3.* & dicta supra *disp. 16. §. 3. q. 16.*

QVÆSTIO CXLV.

An etiam hæc facultas dispensandi competat secundariis Prælatis, vt Vicariis, Superioribus, &c.

REspondeo etiam competere, quando plenè Prælatorum vicibus funguntur, habentes plenam Conuentus curam. Sic Sayrus, Azor & Sanchez *num. 6.* Et constat ex dictis de potestate irritandi, *supra disp. 16. §. 3. q. 16.*

QVÆSTIO CXLVI.

An Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in illis quinque votis (de quibus supra) reseruatis Papæ?

REspondeo vt certum. Quod non. Tum quia nec possunt Episcopi, nisi in casibus supra assignatis. Tum & fortius: quia inutilis esset talis potestas respectu Religiosorum. Constat, quia certè respectu votorum Religionis, & Castitatis, inutilis est; cum hæc sint ab ipsis indispensabilia: respectu verò voti triplicis Peregrinationis, impertinens sanè; cùm istud votum non possit fieri à Religiosis, nisi de licentia Prælati, & ideo, si ipse illam concedat, tenet votum; si vero neget, non tenet: ergo impertinens est talis dispensandi potestas respectu horum votorum in Religiosis. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. n. 10.* vbi ait, quod in rigore loquendo, dicendum sit, non posse Prælatos talia vota dispensare, cum nec iure communi, nec ex aliquo

aliquo priuilegio id habeant, & *lib. 6. de voto, cap. 26. num. 2.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. n. 4. & lib. 4. Decal. cap. 40. n. 28.* Palaus *disp. 2. de voto, pun. 12. n. 12.* Bonac. *q. 2. de voto, pun. 7. §. 4. n. 11.* Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 49.* Quos omnes citat, & sequitur Prado *tom. 2. cap. 31. de voto, q. 14. §. 7. numer. 66.*

QVÆSTIO CXLVII.

An Prælati Regulares possint dispensare in votis, & iuramentis emissis à subditis cum sua licentia?

REspondeo tanquam certum. Posse, quia licèt in opinione sit positum, an hi Prælati irritare valeant vota, suâ licentiâ, emissa à Religiosis, vt vidimus supra *disp. 16. §. 3. quæst. 41.* at certum est, posse eos in dictis votis dispensare. Quia siue ea licentia præiudicet potestati dominatiuæ, siue non, nullatenus tamen præiudicat spirituali, à qua dispensatio dimanat. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 42. n. 4.* Suarez *tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 10. n. 17.* Angel. Syluest. Tabiena. Caiet. & Aragon, apud ipsos. Prado *cap. 31. de voto, q. 14. §. 7. n. 67.* Fagundez *lib. 2. cap. 45. num. 6.* & communis.

QVÆSTIO CXLVIII.

An Prælatus inferior possit dispensare in votis, & iuramentis emissis cum licentia Prælati maioris?

NEgandum videtur. Quia Prælatus inferior nequit irritare vota, aut iuramenta de licentia Superioris Prælati emissa, vt habitum est supra *disp. 16. §. 3. q. 37.* ergo nec dispensare. Et ideo ita sentit Ricardus cum aliis in *4. d. 38. art. 4. q. 3.*

Sed vt certum Respondeo posse. Quia licèt per licentiam Prælati Superioris extrahatur votum, aut iuramentum, à potestate dominatiua Prælati inferioris; non tamen extrahitur à iurisdictione voluntaria, ad quam pertinet dispensatio: & ideo non extrahitur à iurisdictione Prælati inferioris. Sic Suarez *lib. 6. de voto, cap. 10. num. 19.* (non 18. vt citant Sanchez & Prado) Sanchez *loco cit. num. 5.* Prado *n. 67.* Rodrig. *lib. 2. cap. 89. n. 7.* Fagundez *lib. 2. cap. 45. n. 7.* his verbis: Deducitur tertio: posse Prælatum inferiorem in votis, & iuramentis promissoriis Deo præstitis, de licentia maioris Prælati emissis dispensare; non tamen posse ea irritare. Quia cùm irritatio ad dominatiuam potestatem pertineat, aduersatur dominio Superioris, maiorisque Prælati, cuius licentia votum, aut iuramentum emissum fuit: at dispensatio, cum ad potestatem spiritualis iurisdictionis spectet, quæ ex officio inferiori Prælato competit, minimè iurisdictioni maioris Prælati præiudicat, nisi ipse ea vota, aut iuramenta sibi reseruet. Sic Fagundez. Qui tamen malè citat Ricardum pro hac parte.

QVÆSTIO CXLIX.

An, possit Prælatus dispensare in votis, at iuramentis suorum subditorum, non committendi aliquod peccatum?

NEgat Caiet. *2. 2. q. 88. art. 8. in solut. ad penult.* quem citat, & sequitur Angles *q. vnica de voto, art. 7. diff. 2. concl. 3.* Qui quamuis concedant, talia vota, & iuramenta posse commutare Prælatum; non tamen irritare, aut dispensare. Ratio, inquit Angles, est: quia potissima causa, propter quam Prælatus vota subditorum potest irritare, esse dicitur, propterea quod est Dominus operationum subditorum, potens illas concedere, aut prohibere; & cum non possit prohibere quæ lege diuina præcipiuntur, vel concedere, quæ eadem lege prohibentur, non erit illarum operationum Dominus, nec in illis dispensare valebit. Ita Angles.

Sed vt certum Respondeo, posse. *Primò.* Quia Episcopi possunt cum suis subditis dispensare in hoc voto, vt supra *§. 3. quæst. 77.* ergo & Prælati Religionum id poterunt cum suis subditis. *Secundò.* Quia etsi Religiosi non subdantur Prælatis, quoad obligationem vitandi illius peccati, subduntur tamen quoad nouam voti, & iuramenti obligationem, quam de nouo suscipiunt: explicatur amplius, nam per dispensationem, non aufertur obligatio superaddita, quæ est quid supererogationis, vt de se patet: ergo hanc nouam obligationem optimè possunt Prælati per dispensationem tollere. Sic Aragon *2. 2. q. 88. art. 8. dub. 1. concl. 4.* Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 89. n. 5.* Sayrus *lib. 6. cap. 10. n. 8. fine*, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. cap. 42. numer. vltimo.* Fagundez *cap. 45. cit. numer. 8.* Prado *q. 14. cit. §. 7. numer. 67.*

QVÆSTIO CL.

An, Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in votis, aut iuramentis transeundi ad strictiorem Religionem?

NEgandum videtur. Quia huiusmodi Prælati non possunt irritare huiusmodi vota, & iuramenta: ergo nec poterunt illa dispensare.

Sed tanquam certum Respondeo posse. Quia possunt Episcopi cum suis subditis in eo voto, aut iuramento dispensare, vt supra *q. 100.* est habitum: ergo & Prælati regulares poterunt cum suis. Nec obstat, hos Prælatos non posse irritare huiusmodi votum, aut iuramentum; quia quoad hunc transitum non subditur Religiosus Prælato suo, vt Domino subiectione propria, cum huiusmodi transitus non includatur in his rebus, quæ ad obedientiæ votum pertinent: at subditur quoad dispensationem; subditur namque illi, vt suo spirituali Prælato; sicut subditi sæculares Episcopo suo subduntur: ac proinde ita poterit Prælatus Regularis cum suo subdito dispensare, sicut Episcopus cum suis. Sic Fagundez *lib. 2. cap. 45. n. 5.* omninò ex Sanchez (quem non citat) *lib. 4. Decal. cap. 42. n. 2.* & apud ipsum, D. Thom. *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. dub. 2. col. 5.* Nauarr. *in commentario 4. n. 22. de Regularib. & lib. 3. consil. tit. de voto, consil. 40. num.*

num.3. aliàs consil. 30.n.3. Henriquez *lib.7. de indulgent. cap.22. numer.7.* Aragon *2. 2. q.88.art.8. dub.1. concl.5.* Rodrig. *2. tom.sum.cap.89.num.4.* Lessius *lib.2. cap.40. dubit.13. n.107.* Azor *tom.1. lib.11.cap.22.q.12.* Suarez *tom.2.de Relig. lib.6. de voto, cap.10.n.16.* Sayrus, Sà, Petr. Ledesma, & Angles. Sic etiam Diana *3.p.tract.2. resol.91.* Lezana *tom.1.cap.18. num.50.* & Prado *cap.31. de voto, q.14.§.7.num.68.* Qui benè notant, requiri ad hoc causam rationabilem, qualis esset, si quis verè & prudenter existimet, se melius posse seruire Deo in illa Religione, quam in alia, quam vouerat.

QVÆSTIO CLI.

An, Prælati Regulares possint dispensare, aut relaxare essentialia, & substantialia Religionis vota, nempe obedientiam, paupertatem, & castitatem?

REspondeo tanquam quid certissimum, minimè posse. Quia id expressè habetur in Concil. Trident. *sess.25. cap.1.* vbi agens de his votis, dicit; compertum esse, quod ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, non possunt per Superiores relaxari: & rationem reddit, inquiens: *Etenim, si illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, & custodita, totum statim corruat ædificium, necesse est.* Sic Concilium. Et sic omnes. Legantur statim citandi.

QVÆSTIO CLII.

An saltem possit Generalis dispensare in aliquibus votis specialibus, quæ fiunt in aliquibus Religionibus, v.g. in votis vitæ Quadragesimalis minimorum; non ambiendi Prælationes intra Ordinem, nec acceptandi extra Ordinem; quod faciunt Religiosi discalceati, nostri Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum, &c.

AFfirmat Miranda *tom.1. Man. Prælator.q.9. art.6. concl.1. & 3.* vbi expressè docet in supradictis votis, nempe vitæ Quadragesimalis, posse Generalem dispensare. Probat, quia omnia, quæ non sunt de substantia vitæ regularis, possunt per Superiores relaxari, atque in eis dispensari, vt colligi potest ex loco Concilij nuper adducto: sed prædicta vota non sunt de substantia aut essentia vitæ Regularis, si quidem sine illis aliæ Religiones reperiuntur: ergo.

Sed vt certum Respondeo *primò* dicendum, quod prædicta vota non potest Generalis Religionis dispensare, relaxare, aut commutare. *Primo.* Quia, licèt dicta vota non sint de substantia Religionis, sunt tamen illis accessoria ex constitutionibus Apostolicis, illisque annexa; & ideo sequi debent naturam principalis.

Secundò. Quia Vrbanus VIII. in constitut. *Honorum*, edita *16. Februar.1643.* declarauit, quod votum non ambiendi, nec acceptandi Dignitates extra Religionem, vt fit in nostra Religione Discalceatorum, cum clausula, *Nisi adstringar præcepto eius, qui mihi de iure potest præcipere*; non possit dispensari, aut relaxari, nisi à Romano Pontifice pro tempore existenti, sublata facultate id faciendi omnibus, & quibuscumque Superioribus, Nuntiis Apostolicis, Legatis, etiam de latere: sublatis quoque quibuscumque priuilegiis, indultis, & facultatibus in contrarium. Sic referunt Lezana (apud Pradum *cap.31. de voto*) *q.14.§.7.n.69.* necnon Pellizzar. *tom.1. man. Regul. tract.4. cap.1. sect.1. q.16.n.25.* vbi aduertit, quod solùm veniat intelligendus Pontifex per illa verba, *præcepto eius, qui mihi de iure præcipere potest.*

Tertiò Quia loquendo de voto non ambiendi, quod nos in Professione facimus, id expressè declarat Paulus V. *in constit.16.* expedita *die 10. Februarij 1610. vbi §.4.* dicitur: *Super huiusmodi voto, dispensari minimè posse, neque illud commutari, non secus ac cætera substantialia vota Religionis.* Idcóque hanc sententiam communiter tenent Doctores. *in Conciliis Regul. resol.14.n.24.* Portel. *v. voti irritatione, num.68.* Tamburin. *de iure Abbat. tom.3. disp.4. q.8. cap.2. dub.32. n.7.* Palaus *tom.3. tract.15. disp.2. de voto, pun.8. num.3.* Layman. *lib.4. tr.4. cap.7. n.6. assert.5. fine,* Diana *p.6. tract.8. resol.34.* Lezana *tom.1. cap.18. n.54. & tom.4. v. votum, num.10.* Prado, & Pellizzarius, *locis citatis.* Sanchez *lib.4. Decal. cap.33. n.5.* & demùm Sapientissimus Suarius *tom.4. de Relig. lib.2. cap.12. à num.28.* vbi *num.39.* hæc notanda scribit: Sequitur præterea ex dicta resolutione, idem dicendum esse, de quocumque statu Religioso habente votum aliquod ex peculiari ratione talis status, præter tria vota communia: nam tale votum indispensabile est per Prælatos Religionis, propter rationes factas, quæ generaliter procedunt ex natura status Religiosi, & conditione talis voti; & ideo punctum hoc non reseruauimus in peculiarem tractatum de Societate, quia de se commune est. Ita ergo censeo de Monialibus S. Claræ, quoad votum clausuræ, non enim possunt in illo dispensare Prælati minores, quia non possunt votum illud, vel obligationem eius auferre. Idem est de voto non comedendi carnes, quod Religiosi Minimi emittunt: nam per eorum Superiores tolli, seu dispensari non potest, ob easdem rationes. Nec refert, quod Prælatus possit aliquando dare licentiam egrediendi, aut comedendi, &c. Nam, supposito voto, hoc tantum fieri poterit, vel interpretandum casum esse talem, in quo votum non obliget, quod non est dispensare (vt *tr. de voto, lib.6. cap.9.* dixi) vel subtrahendo materiam voti; quia nimirum in ipso emittendo, vel expressè, vel secundùm regulam includitur conditio non faciendi hoc vel illud, nisi approbante, vel ordinante Superiore. Tunc enim dum ipse ordinat, vel dat facultatem, non dispensat, sed facit, vt cesset materia voti. Hac autem integra manente, indispensabilia esse existimo talia vota per inferiores Prælatos, etiam per Episcopos: quia ex vi status, cui sunt annexa, sunt alterius ordinis, & habent quasi peculiarem modum reseruationis, vt explicatum est. Hæc Suarius. Et ex illo Diana, *loco citato.*

QVÆSTIO CLIII.

An, Supremus Religionis Prælatus, nempe Generalis, possit committere alicui, vt secum dispenset in votis, in quibus ipse cum aliis dispensare potest?

AFfirmare aliquos probabiliter, aiunt Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 52.* & Prado ex illo, *cap. 31. de voto, q. 14. §. 7. n. 70. Tum*, quia hoc est conforme intentioni Pontificum concedentium Religionibus priuilegia, & exemptiones. *Tum*, quia cùm Prælatus Superior sit ex numero Religiosorum exemptorum, debet comprehendi in illis, quæ iure communi aliis conceduntur, aliàs esset peioris conditionis cæteris. Ita Prado, qui citat Suarium *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 14.* Sed an bene, mox videbis. Idem docet Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 38. num. 17.* ibi: Probabile etiam est, posse Prælatum committere suo Confessario, vt secum dispenset, vt tenet Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. n. 10. & 12.* & *lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 5.* Bonacina *de voto, disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 4. n. 31.* contra Suarium *lib. 6. de voto, cap. 11. n. 5.* Ita Trullench.

Alij contrà negant, posse dictum Prælatum committere alteri, vt secum dispenset. Ita Suarez *loco cit. n. 5.* ibi: Igitur, si sæcularis Prælatus fuerit, & immediatè subiiciatur Papæ, ad illum recurrat necesse est, vt ab eo dispensetur. Si verò fuerit Regularis Prior, Guardianus, & similes, à Prouinciali; hic à Generali, vel commissario (si eum habuerit) & denique inferior à Superiore dispensandus est: quia Superior habet in inferiorem Prælatum iurisdictionem, & non è conuerso, neque idem in se ipsum. Prælatus autem supremus Religionis, vt Generalis, à tota Religione, quæ illi Superior est, potest habere designatam personam ad hoc munus, vel potestatem eligendi Confessorem cum tota hac potestate, quam tunc non eligens, sed Religio, in virtute Bullarum Pontificiarum, confert. Hæc Suarez. Et antea collector priuilegiorum Mendicantium, *v. accedere ad Monasteria monialium, q. vltima*; & ibi Corduba *in addit. in fine.* Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 45. art. fin.* Et loquendo de omnibus Prælatis inferioribus Papa, id sentiunt, Angel. Siluest. Rossella, Tabiena, Palud. Henriquez, Azor, & alij, quos citat, & non sequitur, Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. numer. 5.* Sic etiam Sayrus *lib. 6. cap. 11. num. 107.*

Sed probabilius multò Respondeo posse Prælatum Superiorem Religionis, nempe, Generalem, committere suo Confessario, vt cum illo dispenset; & posse etiam secum dispensare in votis, iuramentis, & aliis casibus, in quibus ipse potest cum suis subditis. Et idem omninò dicendum est de aliis Prælatis, nempe Prouincialibus, Conuentualibus, &c. Ratio est, Quia hi omnes iurisdictione quasi Episcopali funguntur: sed Episcopi possunt secum dispensare in votis, & iuramentis, & committere Confessario, vt id cum illis faciat: ergo. Sic vt quid probabilius tenet Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. n. 11. & 12.* & *lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 8. concl. 3. & 4.* & penes ipsum, Armilla *v. Monachus, n. 9.* Molina *tom. 1. de iust. tr. 2. disp. 247. vers. Religiosus tamen.* Sà *verb. Religiosus*, (mihi *v. Religio*) *n. 47.* his verbis: Prælati in Religione possunt secum dispensare, sicut cum subditis. Vide D. Thom. 2. 2. *q. 88. & 181. & 186.* Expedit vero id facere per suum Confessorem. Azor *lib. 7. instit. Moral. cap. 29. q. 6.* & alij. Sic etiam absolutè tenet Bonacina *loco pro 1. sententia adducto, num. 31.* Qui & citat Rodriguez *2. p. sum. cap. 30. n. 4.* & Henriquez *lib. 14. fine.*

QVÆSTIO CLIV.

An Prælati Regulares possint in nouitiorum votis, & iuramentis Deo præstitis, dispensare?

NEgant multi, eo quod Prælati Regulares non habent in nouitios iurisdictionem simpliciter; sed solùm regimen pro tali tempore, & pro tali fine: ergo nequeunt in eorum votis, & iuramentis dispensare. Ita apud Sanchez, tenent Angles *q. vnica de voto, art. 8. diff. 10. dub. 3.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 19. q. 21.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 6. de voto, cap. 11. n. 9.* Sayrus *lib. 6. cit. cap. 11. n. 92.*

Sed probabiliùs Resp. posse. Quia probabilius est, quòd Prælati Regulares, quamuis careant potestate dominatiua in nouitios, vt supra *q. 27.* est habitum, habent tamen in illos iurisdictionem spiritualem, & quasi Episcopalem: ergo possunt illorum vota, & iuramenta dispensare, & à fortiori commutare. Deinde, quia Nouitij gaudent priuilegiis Religionis: ergo, sicut possunt dispensari, & commutari vota, & iuramenta Religiosorum à propriis Prælatis; ita & poterunt vota, & iuramenta Nouitiorum. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. num. 17.* & apud ipsum, Henriquez *lib. 7. cap. 22. n. 7.* Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 25. art. 8. & tom. 2. sum. cap. 89. num. vltimo.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dubit. 13. n. 10.* & *in 2. edit. dub. 18. num. 133.* Angel. & Siluest. Quibus addo Dianam *par. 3. tract. 2. Resol. 71.* & (apud ipsum) Faustum *in Thesauro Relig. lib. 3. q. 27.* Mirandam *tom. 2. q. 32. art. vltimo*, Bartholom. de Vecchis, *in Praxi Nouitior. disp. 10. dub. 6. n. 2.* Tamburin. de iure Abbat. *tom. 2. disp. 18. q. 3. n. 2.* & Portellium *in dub. Regular. v. dispensare, n. 13.* Addo item Castrum Palaum, *disp. 2. de voto, pun. 10. n. 3.* Ægidium Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 38. n. 18.* Bonac. *disp. 4. cit. q. 2. pun. 7. §. 4. n. 27.* Pellizzarium *tom. 1. Man. Regul. tract. 2. cap. 7. q. 16. num. 38.* Lezanam *tom. 1. cap. 18. n. 47.* Bordonum *de Profess. Relig. cap. 12. q. 16. num. 36.* Brunum *de priuileg. tract. 4. cap. 3. Propos. 2.* qui id latè probat.

QVÆSTIO CLV.

An item, sicut potest Prælatus Regularis in votis & iuramentis Nouitiorum dispensare, & ea commutare, sic & possit Episcopus?

REspondeo vt certùm: sic posse. Quia cùm nouitij nondum plenam exemptionem, & subiectionem Prælato Regulari adepti sunt, possunt licitè se Episcopo subiicere, vt cum ipsis dispenset, aut eorum vota, iuramenta vè commutet. Sic Sanchez *loco cit. n. 18.* Henriquez *lib. 7. cap. 22. n. 7.* Pellizzarius *num. 39.* Qui addunt id licèt posse vt aliqui probabiliter

biliter putant,siue Nouitius accedat ad Episcopum loci,in quo peragit Nouitiatum;siue ad priorem propriæ habitationis, ad vtrumque enim potest Nouitius accedere,licèt probabilius putet Sanchez *n.*20. quod debeat adiri Episcopus Diœcesis,in qua fit Nouitiatus.

QVÆSTIO CLVI.

An Abbatissa possit dispensare, vel commutare vota, seu iuramenta Deo præstita suarum Monialium?

REspondeo vt certum;Non posse:Quia est incapax, saltem sine speciali Pontificis commissione, iurisdictionis spiritualis,ad quam hæc dispensandi potestas pertinet. Sic communis. Sanchez *lib.* 4. *Decal.cap.*39.*n.*7. Rodrig. *in qq. Regul.tom.* 1. *q.* 25. *art.*7. Lessius *lib.*2.*cap.*40.*dub.* 13. *in* 1. *edit. n.* 107.Sayrus *lib.*6.*cap.*11.*n.*94. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.*10.*n.*15.Trullench,*lib.*2.*cap.*2.*n.*38.*n.*15. Pellizzar.*tom.*3.*tract.*10.*sect.*2.*subsec.*2.*q.*11.*n.*134. Lezana *tom.* 1.*cap.*26.*n.*15. Tamburin. *de iure Abbatiss. disp.*22.*q.*7. Bonac. *disp.*4.*q.*2.*pun.*7.§.4.*n.* 29. Sotus, & Reginald.apud ipsum. Lege me ipsum 3.*p.tr.*5.*disp.*10.*q.*18. vbi diximus,fœminas esse incapaces iurisdictionis spiritualis,quod intelligi debet, loquendo de iure humano,vt mox dicemus.

QVÆSTIO CLVII.

An saltem de potestate absoluta Papæ possit conferri Abbatissæ iurisdictio spiritualis, ac per consequens potestas dispensandi in votis cum suis Monialibus?

NEgant,qui existimant incapacem esse fœminam iurisdictionis spiritualis,de iure diuino.Et idcirco, non posse concedi talem potestatem à Pontifice, etiam de potestate absoluta,tenet Barthol. de Ledesma, Victoria,& Auila apud Bonac. *de legibus disp.*1. *q.*1.*pun.*3.*n.*35. vbi id innuit esse satis probabile.

Sed probabiliùs Respondeo : Posse de potestate absoluta , licet non de ordinaria. Quia probabilius est, quod fœmina non sit incapax iurisdictionis spiritualis, iure diuino, sed iure humano, & canonico:ergo cum in hoc possit Pontifex dispensare , poterit consequenter talem iurisdictionem fœminæ conferre:ergo & potestatem dispensandi. Sic Bonac. *loco cit.* iuncta doctrina , quam tradit. *disp.* 4. *cit. q.* 2. *pun.*7. §.4.*n.* 30. & penes illum , Palud. Nauarr. Vgolinus, & alij. Tamburin. *q.*7. *cit. n.*2. Sic etiam Pellizzar. *tom.*1. *Man. Regul.tract.*4.*cap.*4.*sect.*4.*q.* 26.*n.*143. *& tom.*3.*tract.*10.*cap.*10.*sect.*2. *subsec.* 2. *num.*118.Sanchez *lib.*4.*cap.*39.*n.*7.*&* 6.*Moral.cap.* 1.*n.*23. lege me ipsum, *p.*4.*tract.*1.*disp.*2.*q.*31. vbi vt quid probabilius docuit,posse fœminam ex commissione sum.Pontificis ferre censuras, & idem docui *tract.*2.*disp.*17.*q.*3. cum aliis.

QVÆSTIO CLVIII.

An, non solum ex commissione Pontificis; sed etiam ex Ordinarij, vel Prælati Regularis commissione, possit Abbatissa vti hac dispensandi in votis facultate?

AFfirmant Henriquez (citatus à nobis 3. *p. tract.* 5. *de ieiunio disp.*10. *q.*18.) nempe *lib.* 6.*cap.*2.*n.*3. Sotus *in* 4. *dist.*20. *q.* 1. *art.* 4. & Layman apud Pellizzarium , vbi supra , *tract.* 10. *cit. num.* 118.

Sed vt quid certissimum iterum Respondeo , non posse, Abbatissam vti tali potestate dispensandi , ex commissione, quæ illi fiat ab Ordinario , vel à Prælato Regulari , provt alterutri illorum respectiuè subiicitur ; sed tantum ex commissione , quæ illi, de potestate absoluta , ac de plenitudine potestatis , à Papa fiat. Quia fœmina est incapax spiritualis iurisdictionis iure canoninico : atqui solus Papa potest in illo dispensare: ergo. Sic Sanchez *lib.* 6. supra citato , quem , locis citatis , refert , & sequitur Pellizzarius.

QVÆSTIO CLIX.

An de facto concesserit Pontifex hanc potestatem iurisdictionis spiritualis alicui fœminæ?

NEgant Sanchez *lib.*4.*cap.*39.*n.*7. & Trullench *lib.*2.*cap.*2.*dub.*38. *n.*15. dicentes , talem iurisdictionem , hactenus concessam fœminæ à Pontifice non fuisse.

Sed oppositum tenet Pellizzarius *tom.*1.*tract.* 4. *cap.*4.*sect.*4.*q.*26.*n.*243. vers. *Dixi.*per hæc verba: Imò ex litteris P. Honorati Nicqueti, è Societ.Iesu, Galli viri doctissimi (qui Historiam Ordinis Fontis Ebrardi *anno* 1641. edidit) ad me rescriptis, nouissimè accepi, in Francia Abbatissam Ordinis præfati Fontis Ebrardi habere iurisdictionem spiritualem in omnes Religiosos sui Ordinis , idque ex Bulla Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. Gregorij XV.& Vrbani VIII. ibique eandem iurisdictionem competere etiam aliis Abbatissis ex variis Bullis Pontificiis. Et quidem Abbatissa Fontis Ebrardi ex Bulla Clementis VII. data *anno* 1523. singulis triennis eligit vnum,aut duos Visitatores,seu Vicarios in spiritualibus ex suis Religiosis , qui authoritate ordinaria ipsius Abbatissæ, censuras Ecclesiasticas decernunt in visitatione Monasteriorum. Quod si potestas ferendi censuras potest delegari à fœmina , ab ea poterit & exerceri : sic ea poterit facere formalia præcepta obedientiæ, vtpotè habens spiritualem iurisdictionem , quæ sufficit ad imponenda dicta præcepta. Hæc Pellizzarius. Vt desinas mirari,quod ego dixeram 1.*p. tract.*5. *disp.* 11.*q.* 46. Abbatissam Monasterij Burgensis habere speciale priuilegium à summo Pontifice eligendi sibi , aut Monialibus Confessarium , imo , & sæcularibus sibi subditis , sine confirmatione Episcopi,cui subiectæ sunt. De potestate quam habent Prælati Regulares ad dispensandum cum suis subditis in ieiunio diximus 3.*p.*

tract.

tract. 5. disp. 10. & ad dispensandum in recitatione officij diuini *part. 6. disp. 5.*

DISPVTATIO XVIII.

De commutatione votorum, & iuramentorum Deo, aut Sanctis emissorum.

§. I.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit commutatio in communi: quidque commutatio voti, vel iuramenti?

RESPONDEO, quod commutare in communi, nil aliud sit, quàm vnum pro alio mutare, *Trocar vna cosa por otra.* Vnde commutatio voti, vel iuramenti, nil aliud erit, quam *mutatio obligationis alicuius voti, vel iuramenti, circa vnam materiam facti, in aliam materiam meliorem, vel æqualem, vel minorem*; de quibus infra. Sic S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 75. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 49. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 48. Castro Palao *tom.* 3. *Disp.* 2. *de voti relaxatione, à puncto* 14. Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *à dub.* 45. Thom. Tamburin. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 16. §. 5. Basseus *tom.* 1. *votum* 6. *num.* 1. March. *verbo, voto, resol.* 450. *n.* 1. qui id colligit, ex *cap. Peruenit* 2. *de iureiurando.*

QVÆSTIO II.

An, vt validè, & licitè fiat commutatio, necessaria sit iusta causa?

RESpondeo vt certum: Quod sic. Quia, vt constat ex supra dictis, in hoc differt commutatio, & dispensatio, ab irritatione; quod illæ semper iustam causam requirunt; hæc verò nullam, præter nudam, & solam voluntatem potentis irritare. Sic omnes. D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. Caiet. & alij interpretes ibi. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 65. Fagundez *loco citato.* Palao *loco cit. punct.* 15. *n.* 1. Qui notat commutationem à pura dispensatione in hoc differre, quod commutatio tollat vinculum, & obligationem voti, non simpliciter, & purè, sicut dispensatio; sed sub onere noui vinculi & obligationis prioris subrogatæ. Lege Sanchez *loco cit. cap.* 50. & nos infra.

QVÆSTIO III.

An, omnes Prælati commutandi voti, vel iuramenti, potestatem habeant?

RESpondeo, quod habent sine dubio hanc potestatem. *Primò*, Summus Pontifex tanquam Supremus totius vniuersalis Ecclesiæ Prælatus. *Secundò* omnes Episcopi, & Superiores Prælati. *Tertiò* omnes Superiores iurisdictione Episcopali, seu quasi, potentes, inter quos numerantur Regulares. Et *Quartò* omnes Confessarij per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum electi, de quibus abunde egimus 1. *parte, tract.* 5. *disp.* 14. *per totam.*

QVÆSTIO IV.

An omnes qui habent potestatem ordinariam dispensandi censeantur habere potestatem commutandi?

RESpondeo tanquam certum, quod sic. Quia vtrumque pertinet ad potestatem iurisdictionis spiritualis, quæ residet in iis, qui verè sunt Prælati, iuxta dicta *q.* 3. & amplè disput. antecedenti. Sic omnes. Legantur Fagundez *lib.* 2. *Decal. c.* 50. *n.* 7. Diana 2. *p. tract.* 5. *resol.* 25. & *p.* 8. *tract.* 3. *resol.* 43. & alij multi, quos sequutus fuit 1. *p. tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 152. fine, & tenent omnes DD. præcipuè mox pro vtraque sententia citandi. Sit ergo.

QVÆSTIO V.

An etiam, qui ex delegatione, v. g. qui vi Bullæ, aut Iubilei, habet potestatem ad vota dispensanda; habeat & ad illa commutanda?

NEgant Nauarr. Azor, Ludou. à Cruce, Valentia, Beja, Sanchez, Moneta, Lauorius, & Malderus, quos citaui 1. *p. q.* 152. *citata.*

Sed probabilius Respondeo quod sic. Quia qui potest maius, potest & minus, sub maiori contentum: at commutare est minus, quàm dispensare; & continetur sub maiori, nempe dispensatione: ergo. Minor probatur, nam dispensatio tollit omnino obligationem voti; commutatio verò minimè, sed in parte tantùm, nempe in quantum talem obligationem in aliam commutat. Sic tenent Siluest. Sotus, Sà, Toletus, Lessius, Trullench, Suarez, Filliuc. Bonac. Layman, Basilius, Barbosa, Sayrus, Conrado, Aragon, Henriquez, Bossius, & Fagundez, quos omnes citaui 1. *p. q.* 152. citata. Quibus addo Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 25. Basseum *tom.* 1. *votum* 6. *num.* 6.

QVÆSTIO VI.

An item, qui vi Bullæ, aut Iubilei, potest vota, & iuramenta commutare; possit & illa dispensare?

AFfirmare videntur Siluest. Tabiena, Toletus, & Sotus, vt diximus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 151.

Sed iterum, ferè vt quid certissimum Respondeo: Non posse. Quia, vt ex nuper dictis constat, maioris facultatis est dispensare, quàm commutare: ergo non eo ipso, quod concedatur potestas ad commutãdum, conceditur ad dispensandum. Sic Suarez, Couarru. Angles, Sayrus, Lopez, Trullench, Fagundez, Moure, Portel, Villalobos, Diana, & alij, quos citauimus 1. *p. loco cit.* Quibus nunc addo Pradum *cap.* 31. *de voto, q.* 15. *n.* 2. Tamburinum *lib.* 3. *cap.* 16. §. 5. *n.* 2. Castro Palao *disp.* 2. *de voto, pun.* 14.

QVÆSTIO VII.

An, vnuſquiſque vouens, vel iurans, poſſit ſua vota, & iuramenta promiſſoria, Deo, aut Sanctis emiſſa, ſua propria authoritate, in id quod euidenter eſt melius, commutare?

NEgant id poſſe; ſed, neceſſariò requiri ad hanc commutationem aliquam Prælati authoritatem, exiſtimant, Innocent. Ioan. Andreas, Hoſtienſ. Anton. Abbas, Henricus, Bellamera, Felinus, Alex. de Neuo; D. Bonau. Ricard. Silueſt. & alij, quos ex Sanchez retulimus, *1. p. tract. 5. diſp. 14. q. 153.* Fundamentum eorum eſt; quia votorum, & iuramentorum commutatio, eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis, vt ſupra eſt habitum: ergo nequit conuenire niſi Prælatis.

Sed iterum longè multò probabiliùs Reſpondeo. Poſſe vnumquemque ſua propria authoritate id facere. Quia tunc ſolùm requiritur Superioris determinantis authoritas, quando non conſtat quid Deo gratius, & acceptius ſit: ſed manifeſtè conſtat Deo gratius, & acceptius eſſe, id quod euidenter præſtantius eſt: ergo. Sic Nauar. Caiet. Aragon, Azor, Sayro, Valentia, Suarez, Petr. de Ledeſma, quos, & alios vſque *ad* 36. Doctores refert, & ſequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 49. n. 4.* Trullench, Diana, Boſſius, & Fagundez citati à nobis *1. p. q. 153. citata.* Quibus nunc addo Thom. Tamburinum *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 5. n. 3.* ibi: Quia melius bonum Deus acceptat loco minoris, vtpotè ſibi gratius. Certè id non accidit in hominibus, quibus non eo ipſo, quod aliquid melius eſt, placet magis. Sic ille ibi, & latiſſimè *cap. 17. per totum.* Palaum *diſp. 2. de voto, pun. 15. n. 2.* Angelum Mariam Verricelli *in qq. moralib. tract. 5. q. 5. n. 284.* Baſſeum *tom. 1. votum 6. n. 1.*

QVÆSTIO VIII.

An etiam poſſit vnuſquiſque, propria authoritate vota, aut iuramenta ſua, in minus notabiliter bonum commutare?

NEgat Tamburinus *loco cit. §. 5. n. 8.* per hæc verba: Nullus niſi, qui poteſt diſpenſare, poteſt vota, ſiue reſeruata, ſiue non reſeruata, in notabiliter minus commutare (ſi enim ſit in paulò minus, cum parum pro nihilo reputetur, non minus, ſed æquale moraliter reputabitur) Ratio dicti eſt clara, quia tunc admiſcetur remiſſio partis voti, atque adeò diſpenſatio. Ita ille.

Sed ego clariùs Reſpondeo dicendum, quod non ſolùm nequeat quis propria authoritate commutare ſua iuramenta, & vota, in notabiliter minus, vt benè probat Tamburinus; ſed neque in paulò minus bonum, ac eſt votum, aut iuramentum. Quia neque in æquale bonum poteſt vouens, propria authoritate, ſua vota (aut iuramenta) commutare, vt infra dicemus: ergo multo minus poterit in minus, etiam ſi paulò. An verò commutatio quæ fit vi Bullæ, aut Iubilei, poſſit fieri in minus bonum, dicemus infrà.

QVÆSTIO IX.

An ad minus, poſſit vnuſquiſque, propria authoritate, vota ſua, aut iuramenta Deo facta, in bonum euidenter æquale commutare?

AFfirmant Metina, Henriquez, Bonac. & alij citati à nobis *1. p. tr. 5. diſp. 14. q. 154.* & præter illos, id nouiſſimè affirmat Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 5. num. 14.* Quia (inquit) etiam homini per æquale ſatisfit debito, ſi ipſe inuitus non eſt: at inuitum non eſſe Deum, in opere æqualiter bono, ſatis ob ſuam benignitatem præſumere debemus. Ita ille, & Angelus Maria *loco citato n. 284.* Villalob. *tom. 2. tract. 34. difficul. 31. numer. 8.* Ioan. Sanchez in ſelectis *diſp. 14. num. 13.* (& id eſſe probabile fatetur Boſſius *tom. 1. votum 6. ſub num. 1.*) Diana *2. p. tract. 2. Miſcel. reſol. 7. & p. 3. tract. 5. reſol. 25.* & March. *v. voto, reſol. 450. num. 2.* Layman, Ludouicus à Cruce, & alij apud ipſum. Qui tamen malè inter illos, citat Leſſium pro ſe.

Sed iterum probabilius Reſpondeo: Nec id poſſe. Quia non eſt certum acceptari à Deo illam commutationem, cùm nulla vtilitas in ea acceptatione eluceat. Sic, præter Suarium, Sancium, Sayrum, & alios plurimos, quos adduxi *1. p. loco cit.* tenet Caſtro Palao *diſp. 2. de voto, pun. 15. numero quarto, & ſequent.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 16. numer. 105. in 2.* editione. Prado *cap. 31. de voto, q. 15. §. 2. numer. 21.* & penes ipſum, Barnabas Gallego & Bartholom. à S. Fauſto, & Tannerus *2. 2. diſp. 5. q. 4. dub. 5. n. 81.* Miranda *in Man. tom. 1. q. 20. art. 9.*

QVÆSTIO X.

An, commutare votum, aut iuramentum, propria authoritate, in bonum æquale; ſit mortale?

AFfirmant Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 12. diſp. 5. n. 7.* Caſtro Palao *diſp. 2. de voto, pun. 17. n. 6.* qui addunt pro ſe Sanchez *lib. 4. cap. 50. n. 8.* & Suarium *lib. 6. cap. 19. num. 14.* Quos omnes citat, & ſequitur Prado *loco cit. n. 26.*

Sed probabiliùs iterum Reſpondeo non eſſe, niſi veniale. Quia in hoc caſu, cum ſeruetur æqualitas, defectus qui in tali commutatione inuenitur, eſt leuis. Sic Trullench, quem citaui *1. p. diſp. 14. cit. q. 163.* Quibus nunc addo Sanchez (ſibi contrarium) *cap. 51. num. 16.* Petr. de Ledeſma *tract. 10. cap. 8. poſt 3. concl.* Gallego *in Bull. Cruc. cap. 9. Clauſula 9. p. 3. in fine.* Candidum, *diſquiſ. 25. art. 3. dubit. 4. concl. 9.* Dianam *par. 2. tract. 16. reſol. 8.* & Mendum *in Bull. Cruciata diſp. 26. cap. 3. n. 45.*

QVÆSTIO XI.

An saltem, commutatio voti, aut iuramenti, possit fieri in æquale bonum, authoritate priuati Confessarij.

AFfirmant, & à fortiori, Authores pro prima sententia adducti *sup. q. 9.* Quibus adhærent, pro hoc casu, Lessius, Viualdus, & Diana citati à nobis *1.p. tract. 5. disp. 14. q. 155.*

Sed iterum probabiliùs Respondeo: Adhuc non posse. Quia iurisdictio ordinaria Confessoris, solùm extenditur ad forum pœnitentiæ, ad quod nec dispensandi, nec commutandi potestas pertinet. Sic Authores pro mea sententia *q. 9.* adducti: Lege Sanchez *lib. 4. cap. 49. n. 13.*

QVÆSTIO XII.

An ad minus commutatio facta, vi Bullæ, aut Iubilei, possit fieri non solum in bonum æquale; sed etiam in minus bonum?

NEgant posse fieri licitè talem commutationem in minus bonum, sed semper debere fieri, adhuc vi Bullæ, aut Iubilei, in æquale, Nauarr. Silueſt. Couarru. Sotus, Suarez, Sayrus, Azor, Sanchez & alij adducti à nobis *1.p. tract. 5. disp. 14. q. 156.* Quibus addo Pradum *q. 15. cit. num. 29.* Palaum *disp. 2. pun. 16. n. 2.*

Sed iterum æquè probabiliter Respondeo: Posse fieri in paulò minus bonum. Quia talis præsumitur & voluntas Dei creditoris, qui liberalissimus, & benignissimus est, & intentio concedentis facultatem commutandi. Sic Aragon, Metina, Toletus, Sà, Henriquez, Lessius, Rodrig. & alij plures allegati à nobis *q. 156.* citata (lege illam) Quorum ratio est, quia tunc moraliter fieri commutatio in bonum æquale, est censenda. Nam quod parum ab æqualitate distat, nihil distare videtur, sed moraliter æquale est. Sed nostra ratio sit illa, quam assignauimus.

QVÆSTIO XIII.

An qui, promittit aliquam Religionem ingredi, possit, propria authoritate, aliam æqualem intrare?

AFfirmabunt existimantes, posse quemlibet suum votum, in rem æqualem commutare, quos retulimus *q. 9.*

Sed, iuxta nostram sententiam, Respondeo non posse id facere propria authoritate. *Tum* propter rationem ibi assignatam. *Tum*, & fortiùs, quia difficilius est vouenti de hac æqualitate iudicare. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 49. n. 15.* Qui secus dicet, si votum, aut iuramentum feciſſet de peculiari alicuius Religionis Monasterio ingrediendo, quia tunc liceret ei, propria authoritate, aliud eiusdem Religionis ingredi. Quia inter ambo est sola distinctio quasi materialis, & determinatio illius fuit accidentaria; atque in eo voto non intenditur Religionis commodum, sed spirituale vouentis, quod in vtroque idem est, & eiusdem rationis, & ideo votum in propria specie impleri censetur. Sic ille ex Suario *lib. 6. de voto, cap. 19. num. 11.* Qui hoc posterius membrum limitat, nisi in obseruantia regulari sit magna disparitas inter vtrumque Monasterium: vel (addit Sanchez) nisi aliqua peculiaris ratio diuini seruitij induxerit vouentem, ad id determinatum Monasterium promittendum; vt id remotum esse à propria patria, & consanguineorum familiaritate, vel aptius ad superiorem vitam, &c.

QVÆSTIO XIV.

An, promittens dare rem, quæ vsu consumitur, v. g. quantitatem vini; possit dare similem, v. g. eamdem quantitatem olei?

REspondeo posse. Sic Sanchez *loco cit. n. 16.* ita dicens: in rebus, quæ vnico vsu consumuntur satisfit voto non dando rem determinatè promissam, sed aliam similis bonitatis, vt in vino, oleo, &c. nisi peculiaris ratio obstaret. Quia non est moralis mutatio inter hæc, sed quasi idem reputantur. Quod secus contingit in aliis, quæ non vnico vsu consumuntur: vt si promisi Ecclesiæ seruum, non satisfacio dando valorem: Nec si promisi pecuniam, satisfacio dando Calicem valoris eius pecuniæ. Quia cum hæc non eidem vsui deseruiant, nec inter illa sit tam facilis transmutatio, & possit materia promissa esse vtilior, aut commodior, non impletur votum in propria specie, & ideo commutari nequit propria authoritate, in id æquale. Sic Sanchez ex Suario *cap. 19. n. 12.*

QVÆSTIO XV.

An, qui vouit tradere filium determinatum Religioni, satisfaciat voto, tradendo alterum, sine Papæ authoritate?

NEgant D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 8. Notabili 4.* & Silueſt. *votum 4. dicto 6.* Ita dicens: Qui vouit vnum filium suum determinatè tradere Religioni, non potest sine authoritate Superioris, alium tradere, secundum Pet. de Palud. Nec similiter, si vouit in se, intrare, aut adire Terram Sanctam, non potest alium supponere loco sui, sine licentia Papæ.

Sed clariùs ad quæsitum Respondeo dicendum, quod minimè satisfaciet voto, tradendo alterum filium: nisi casu, quo filius pro alio traditus, sit melior illi Religioni, cui fuit oblatus, omnibus circunstantiis pensatis. *Prima pars* constat. Quia tunc commutatio esset in rem æqualem: at hæc nequit propria authoritate fieri, vt supra *q. 9.* est habitum: ergo. *Secunda verò pars*, etiam in nostra doctrina est nota; Quia illa commutatio esset in melius: ergo potuit fieri propria authoritate à vouente. Præsertim, quod filius promissus minimè tenebatur intrare Religionem; vtpotè, quia paterno voto ligari nequiit, nec ipse vouit. Sic Sanchez *num. 17.*

QVÆSTIO XVI.

An, votum alicuius rei consecratæ, v.g. Calicis, possit quis propria authoritate, in melius commutare?

NEgatiuam partem videntur docere D. Thom. 2.2 q.88. *art.*10. *ad* 1. & Abulens. *Numer.*30. *q.*102. & *cap. vlt. Leuitici, q.*33.

Sed Respondeo dicendum: Posse. Quia etsi calix consecratus non possit in alienos prophanos vsus, quantumuis meliores, conuerti, (quod solum voluit D. Thomas) id non est ratione voti, sed ratione consecrationis: ergo sublata ista per fractionem, poterit fieri commutatio. Deinde, quia calix voto promissus, licet consecratus, potest alteri Ecclesiæ applicari per voti commutationem. Sic Suarez *lib.6. cap.*18. *n.*12. Sanchez *lib.*4. *cap.*49. *n.*18.

QVÆSTIO XVII.

An etiam votum, aut iuramentum reseruatum, possit quis, propria auctoritate, in rem euidenter meliorem, vel in aliud votum ex reseruatis euidenter melius, commutare?

AFfirmat Aragon 2.2. *q.* 88. *art.*12. *dub.*1. *dicto* 3. His verbis: Ex dictis infertur, quod in voto castitatis, & Religionis, nunquam potest fieri cõmutatio, sine auctoritate Prælati. Nihil enim his votis potest esse melius, vt constat ex illo *Prouerb.* 16. *omnis ponderatio non est digna animæ continentis.* De voto autem Peregrinationis, in Hierusalem, etiam dicit Soto *lib.*7. *de iust. q.*4. *art.*3. quod in nullam aliam rem poterit commutari, sine auctoritate Papæ. Quia Sum. Pontifex in cap. *Multa, de voto, & vot. red.* eius commutationem sibi reseruat. Cæterum verius erit dicere, quod si constat rem, in quam fit commutatio, esse meliorem, non esse necessariam Prælati auctoritatem. Quia Papa, quando sibi reseruat alicuius voti commutationem, intelligendus est, dummodo res sit dubia: nam si certum est, esse meliorem, benè poterit fieri commutatio priuata auctoritate. Ita Aragon. Cuius sententiam esse satis probabilem, ingenuè fatetur Raph. de la Torre 2.2. *q.*88. *art.*12. *disp.*5. *n.*5. *pag.*730. Mendo *disp.*26. *in Bull. cap.*3. *n.*48. & March. *v. voto, resol.*450. Qui & citat pro hac sententia Valentiam 2.2. *disp.*6. *q.*6. *pun.*7. & benè, nam illam docet ibi, *col. mihi* 1642. *vers. Hac ipsa ratione.* citans pro se Caietanum *in sum. v. votum.*

Sed ego, tanquam ferè certum, Respondeo, *Primò* sic. Nullus potest, propria auctoritate, cõmutare votum, quodcumque sit, reseruatum, in aliquod opus non reseruatum, etiam euidenter melius. Patet. Quia aliàs, quilibet habens vota Pontifici reseruata, facilè posset, sine authoritate Pontificis, se ab illo onere liberare, si prius votum illud in aliquid euidenter melius commutaret, quod non esset circa materiam Põtifici reseruatam, & postea ab inferiori Prælato dispensationem, vel commutationem peteret: at hoc vergere in magnam Pontificiæ authoritatis perniciem, nulli potest esse dubium: ergo. Sic tenent Authores mox citandi.

Respondeo *secundò* tanquam quid longè probabilius. Nec in aliud opus, aut votum reseruatum, etiamsi melius sit, potest quis propria authoritate commutare votum reseruatum. Quia id est prohibitum *in Extranag. Et si Domini.* per Pontificem. Quod quidem potest commutationem in melius prohibere, ne quis illam, etiam in melius, propria auctoritate faciat, vt benè probat Suarez, mox citandus. Itaque nullus poterit propria authoritate, commutare votum S. Iacobi, in votum S. Petri: vel hoc, in votum Hierosolymitanum, vel hoc, in votum Castitatis, etiam si commutatio horum sit in melius: Sic Suarez *lib.6. de voto, cap.*18. *n.*14. fine. & latiùs *cap.*21. *n.*17. Sanchez *lib.*4. *Decal. cap.*52. *n.*5. Raph. de la Torre *loco cit.* Prado *cap.*31. *de voto, q.*15. *n.*12. 18. 19. & 20. Palaus *disp.* 2. *de voti relaxat. pun.*15. *n.* 2. & Layman apud ipsum Tamburin. *lib.*3. *cap.*16. §. 5. *num.*4. & alij. Solùm potest esse dubium de voto Religionis, an in illud alia possint commutari, pro quo dissoluendo sit.

QVÆSTIO XVIII.

An, omnia prædicta vota, nempe, castitatis, & triplicis Peregrinationis; possit quis, propria auctoritate, commutare in votum, aut statum Religionis?

REspondeo vt certum, posse cætera vota reseruata commutare, propria auctoritate, in votum constitutiuum Religionis; non in votum promissiuum Religionis. Respondeo clarius. Potest quis commutare in votum Religionis, quod in Professione emittitur; non verò in votum simplex ingrediendi Religionem, aut assumendi statum Religiosum. Nam cùm omnibus compertum sit, nihil gratius Deo statu Religioso offerri posse, noluit Pontifex hanc perfectissimam commutationem interdicere; sed potius illam approbare in cap. *Scripturæ, de voto.* Vbi expresse dicit: licitum esse, quodcumque temporale *votum, in perpetuam obseruantiam Religionis commutare.* Vnde hæc commutatio potiùs dicenda est, ex vi iuris fieri, quàm ab homine. Sic Suarez *lib.6. de voto, cap.*19. *n.*18. Sanchez *loco cit. n.*6. Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dubit.*16. *n.* 106. *in* 2. *edit.* Palaus *n.* 2. *cit.* Tamburin. *n.* 4. *citato.*

QVÆSTIO XIX.

An votum factum in fauorem Tertij, ab ipso tamen non acceptatum; possit commutari à Prælato in aliud opus melius, absque illius Tertij consensu?

NEgant multi, ducti quòd ex eo voto ius acquiratur illi tertio: ergo absque eiusdem consensu non potest tale votum commutari à Prælato. Ita D. Anton. 2. *p. tit.*11. *cap.*1. §. *vltimo.* Rosella *verb. votum* 5. *numer.* 6. Raynerius, Directorium, & Sarmiento, quos refert Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 41. *numer.* 1. Quibus fauent qui dicunt, fauore causæ piæ valere donationes, & promissiones in absentia factas, & absque acceptatione acquirere ius illas causas pias. Sunt autem Couarru. Molina, & alij, quos refert

refert Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 6. *numer.* 10. & 16.

Sed multò probabilius Respondeo: Posse commutari à Prælatis Ecclesiæ, absque consensu tertij, in cuius fauorem fuit emissum votum. Ratio est. Quia cum huiusmodi vota fiant principaliter Deo, & in eius honorem, ipsi acquiritur obligatio, & ipse est propriè creditor; & Tertius v.g. Ecclesia, vel pauper, tantum designatur materia, circa quam, is cultus est Deo exhibendus: ergo ad illa reuocanda per dispensationem, vel commutationem, solus Dei, & Prælatorum, eius vices gerentium, consensus exigitur, sicut in aliis votis in nullius fauorem cedentibus. Sic omninò Sanchez *lib.* 4. *cap.* 41. *n.* 7. vbi respondet ad fundamentum contrariorum, multo probabilius esse, non acquiri ius locis piis ad promissiones, & donationes ipsis factas, donec acceptent. Sic apud ipsum tenent Nauarr. *cap.* 12. *n.* 78. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 11. *n.* 90. & *cap.* 42. *dub.* 12. *n.* 58. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 15. *à num.* 3. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. *num. vltimo*, Azor, Henriquez, Viuald. Rodrig. Angles, Silueſt. Armilla, Tabiena, & alij.

QVÆSTIO XX.

An item, prædictum votum factum in fauorem tertij, & ab ipso non acceptatum, possit commutari in melius, etiam vouentis propria authoritate?

NEgant Henriquez *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 20. *n.* 3. *in comm. lit. S.* & *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *n.* 5. & Silueſt. *votum* 4. *q.* 7. *dicto* 4. his verbis: Votum factum Deo intuitu certæ personæ, vel loci, putà de dando aliquid tali pauperi, vel tali Monasterio, commutari non potest à vouente, propria autoritate, licet persona sit malæ vitæ, vel Ecclesia malè officiosa; quia quod semel placuit, ampliùs displicere non potest. *De regul. iuris lib.* 6.

Sed adhuc multò probabiliùs Respondeo posse commutari, etiam vouentis propria authoritate. Quia cum per tale votum, nullum ius tertio, nempe, pauperi, vel Monasterio, acquiratur ante acceptationem, vt habitum est; de illo voto est iudicandum perinde ac de votis, in Dei solius honorem factis: atqui huiusmodi possunt propria authoritate, in melius à vouente commutari: ergo & illud. Sic Suarez *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 11. Lessius *cap.* 40. *cit. dubit.* 11. *n.* 90. Sayrus *loco nuper citato.* Graffis, & Viualdus, quos omnes citat, & sequitur Sanchez vbi supra, *num.* 18. Tamburinus *lib.* 3. *Decal. cap.* 16. §. 5. *n.* 6. ibi: Quid si votum eiusmodi acceptatum non fuerit? Aio posse cõmutari, vt ex dictis supra manifestum est. Nam propterea, si Calicem huic Ecclesiæ pauperi vouisti, nec ipsa, vel eius Rector aliusvè legitimè acceptauit, potes pauperiori dare. Sic ille. Palaus *disp.* 2. *pun.* 15. *num.* 2. Lessius *vbi supra in* 1. *edit.* & *in* 2. *cap.* 40. *dubit.* 16. *n.* 104. Basil. Legion. *lib.* 8. *de matrim. cap.* 8. *n.* 15.

QVÆSTIO XXI.

An deinde, si quis vouit aliquid in fauorem Tertij, v.g. dare huic pauperi determinato eleemosynam decem aureorum, & ipse acceptauerit; possit nihilominus, talem eleemosynam in melius opus, v.g. in Missas, commutare?

AFfirmatiuam partem esse probabilem ingenuè fatetur Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 49. *n.* 10. & Tamburinus *lib.* 3. *Decal. cap.* 16. §. 5. *n.* 5. & *cap.* 17. §. 2. *n.* 15. Vbi ita ait: Denique, non prætermittam aliud magis amplum hîc adnectere. Nam non ignobilium Doctorum est etiam opinio, posse commutari votum, vel iuramentum pium in honorẽ Dei emissum, etiamsi Ecclesia, vel Pauper, in quorum vtilitatem cedit, acceptauerit: Audi ex Fagundez aliqua, id tanquam probabile excipiente. Tertia opinio (inquit) docet iuramentum pium, etiam post acceptationem Rectoris Ecclesiæ, cui facta est promissio, & votum etiam post acceptationem pauperis, cui propter Deum, voto, aut iuramento promissa res fuit, posse non solum authoritate Superioris, & Episcopi, sed etiam authoritate propria vouentis, ac promittẽtis in melius commutari, dando, scilicet, rem promissam alteri Ecclesiæ pauperiori, aut Pauperi egentiori.

Primò. Quia hæc vota & iuramenta principaliter, & vltimatè in Deum diriguntur; tanquam finem *Cuius*, & solum Pauper est finis *cui*, atque adeo accessorius, & minus principalis: cum ergo accessorium sequatur principale, si potest votum propter respectum ad principale commutari in melius, propria authoritate, nihil obstabit acceptatio eius, quæ fuit finis accessorius.

Secundò. Quia etiamsi dirigas intentionem ad hunc peculiarem pauperem, id fit propter Deum, & sic tota ratio promissionis est Deus, & per accidens est, quod pauper acceptauerit; vnde & quod ius aliquod acquisierit, acquisiuit enim dependenter à beneplacito Dei, cui non potest non esse gratius, quod melius est. Vnde facta commutatione non poterunt illi ad quos vtilitas voti, & iuramenti spectabat, officium Iudicis implorare, quia vouentes, & iurantes obligationi suæ iam satisfecerunt.

Tertiò. Quia in omni voto includitur illa conditio, *Voueo hoc, nisi in melius voluero hoc votum commutare*, quam conditionem, alterius minus principalis acceptatio tollere, nullo modo valet.

Quartò. Quia is, qui in aliqua Religione profitetur, iam Religio acceptat; & tamen potest ad meliorẽ transire, petita, & non obtenta venia à suo Prælato, atq; adeo inuita Religione, iuxta Sacros Canones cap. *licet, de regul.* Cuius rei rationẽ reddens Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *vers. ad huius euidentiã.* dicit, in eo capite nihil noui iuris statui, sed declarari naturã ipsius voti, nempe, posse quempiam votũ suum, etiã acceptatũ, in melius sua propria authoritate cõmutare: Et ratio, cur possit in tali casu præiudicari Prælatis, & Religioni priori, est (inquit Caietanus) quia non propter illos, sed propter Deũ, Prælatis, & Religioni data est Religiosi persona, & propter hoc solius Dei ratio habetur in huiusmodi commutatione.

Quintò. Quia cessãte fine præcipuo, & vltimato voti, & iuramẽti, cessat eius obligatio: ergo cũ facta cõmutatione in meliorẽ Dei cultũ, cesset finis voti præcipuus, cessabit & obligatio. Hãc sẽtẽtiã videtur apertè

sequi Caietan. *loc.cit.* & Nauarra *lib.2.de Restit.cap. 1. in noua edit. dub.3. n.14.* Hæc Tamburinus ex Fagundez, in substantia, non ad literam. Qui vt dixi, hanc sententiam probabilem reputant. Et merito.

Sed multò probabiliùs Respondeo: Non posse in assignato casu, vouentem, aut iurantem, commutare, etiam in melius, votum aut iuramentum, sine consensu illius, cui fuit factum, & ab ipso acceptatum, nec authoritate propria, nec Episcopi. Ratio est, quia post acceptationem promissionis, voto aut iuramento firmatæ, iam huiusmodi votum & iuramentum transeunt in contractum, & acquiritur ius illi tertio, v.g. pauperi acceptanti, quod, ipso inuito, remitti nequit. Sic tenent Sanchez *lib.4.Decal.cap.41. n.13.* Suarez *lib.6.de voto, cap. 15. num. 2.* Sayrus *lib.6. cap. 11.n. vlt.* Nauarrus *cap.12.n.78.* vbi ait, id esse iuxta mentem D. Thomæ *lib.4.sent.d. 38. q. 1. art.2.* Lessius *lib.2. de iust. cap.40. dub.11. n.90.* & *cap.41. dubit.12. n.58.in 1. edit.* Siluest. Armilla, Tabiena, Angel. Lopez, Angles, Viuald. Graffis, & alij, quos citat, & sequitur Fagundez *loco cit. num.11. iuncto num. 4.* Qui & *num. 12.* respondet ad fundamenta oppositæ sententiæ, dicendo, quod non sit legitima ratio, quæ assignatur, cur transitus ad strictiorem Religionem, petita, & non obtenta facultate liceat: sed ea est, quia in obligatione Professionis inest tacita conditio, *Nisi eligero strictiorem Religionem*, iure ita statuenti *in d. cap. licet, de Regular.* quæ conditio non videtur inesse in aliis votis, & promissionibus acceptatis, quamuis illis insit ante acceptationem.

Nec ratio finis principalis, & vltimati, in qua cætera omnia fundamenta opinionis contrariæ innituntur, videtur multum conuincere: quia non cessat ille finis, nisi legitimè facta commutatione, vel dispensatione; hoc enim est, quod inquirimus, & disputamus; an possit legitimè fieri, post prædictam acceptationē, quando votum, & iuramentum primò, & principaliter fit, propter Deum; secundariò vero propter hominem, hoc est, propter hunc pauperem, & propter hāc Ecclesiam, post acceptationem pauperis, & Rectoris ipsius Ecclesiæ. Et cum Doctores hoc non audeant concedere, non videtur esse à nobis concedendum. Hæc Fagundez *n.12.* Tenent rursus nostram sententiam Tamburin. *lib.3.in Decal. cap.7.n.3. & 4. & cap.16.§.5.n.5.* Palaus *disp.1.de voto, pun.16. numer.7.*

QVÆSTIO XXII.

An, in aliquo casu possit Pontifex remittere obligationem iuramenti, aut voti facti in commodum tertij, & ab ipsomet acceptati?

Respond. Posse in duplici casu. *Prior est*, quando ea boni communis iusta causa concurreret, vt integrum esset Pontifici, cogere priuatum ad cedēdum iuri suo, vel illum bonis suis priuare. Sic Suarez *lib.6.de voto, cap.15.n.7.* ibi: Quando tanta est necessitas, & causa dispensationis, vt possit Pontifex cogere priuatum, vt cedat iuri suo, vel illum inuitum priuare propter commune bonum. Sic ille & Angel. Siluest. quos sequitur Sanchez *cap.41.n.16.*

Posterior est, quando promissio facta est alicui Ecclesiæ, & Præfectus illius est dispensator bonorum & iurium talis Ecclesiæ, & ex iusta causa potest remittere, vel compositionem facere in debitis eiusdem Ecclesiæ, vt maximè est Papa, vel interdum Episcopus. Sic Armilla *v. dispensare, n.21.* Tabiena, *dispensatio, q. 12. n.14.* Ludou. Lopez *1.p.instruct.cap.49. vers. penult.* Suarez, & Sanchez citati. Qui benè addunt, in hoc casu, non fieri propriè exceptionem à regula supra posita; quia iam consentit creditor, cui facta est promissio.

QVÆSTIO XXIII.

An, ad quamcumque commutationem faciendam requiratur aliqua causa?

Respondeo quod non. Nam quando commutatio fit in euidenter melius, tunc nulla causa exigitur. Quia valdè sufficiens causa est, quod opus subrogandum sit Deo gratius. Sic communis Doctorum. De hac materia latè egimus *1.p.tract. 5. disp. 14. à quæst. 158.* in qua vt probabilius defendimus, commutationem vi Priuilegiorum Regularium, alteriusvè delegatæ facultatis factam etiam in æquale bonum, requirere iustam causam. Et in *q. 159.* vt quid etiam probabilius diximus, non requiri ad commutandum, causas easdem ad dispensandum requisitas. Et *q.160.* probabilius esse sufficere leuissimas causas ad vota cōmutanda. Vbi notauimus, nunquam deesse causam in commutatione votorum. Et quod licèt commutatio fiat in paulò minus, sit sufficiens causa ad commutandum, vel vouentis inconstantia, vel leuitas, inconsideratio, vel molestia in adimplendo, vel magna fragilitas in voto frangendo, vel repugnantia viri, Parētis, &c. Et in *q.161.* quod ad cōmutanda vota, vi Bullæ, aut Iubilei nō requiratur alia causa, quàm habere Bullam, & conferre eleemosynam in illa præscriptam; vel exequi opera in Iubileo mandata. Et in *q.162.* quod commutans (iuxta aliquorum opinionem probabilem) vota propria in euidenter æquale, auctoritate propria, indigeat causa, licet leuissima, lege hæc omnia ibi, si placet.

QVÆSTIO XXIV.

An commutatione voti, vel iuramenti facta; liceat vouenti, omissa commutatione, seruare primum votum?

Negant multi, licitum id esse vouenti, casu, quo votum commutatum sit in melius bonum: benè verò, quando in minus. Sic Suarez, Reginald. Raph. de la Torre, & Filliuc. citati à nobis *1.p.disp.14.cit.q. 149.* Quorum sententiam, vt probabiliorem, videtur sequi Basseus *tom.1.votum 6.n.8.*

Sed iterum probabilius Resp. Quod semper liceat. Quia cōmutatio voti, semper fit in fauorem vouentis at vnicuique licet suo fauori cedere: ergo. Sic Sanchez, Azor, Sayrus, Lessius, Diana, Fagundez, Candid. & Quintanaduenas citati, vbi supra. Ex his, legatur præcipuè Sanchez *lib.4.Decal.cap.55.n.26.* vbi latè hanc sententiam probat; licèt *n.27.* eam limitet his verbis: Si Acceptans commutationem in melius bonum, id efficeret consulto ad maiorem Dei cultū augendū, & ad id eligens materiam illam meliorem loco prioris, nullatenus posset ad priorem materiam redire. Quia ea cōmutatio non in sui, sed in Dei fauorem est facta. Secus autē crederē, si in hoc euentu cōmutatio facta esset in bonū prorsus æquale. Quia ea totali æqualitate existēte, æquè colitur vtraq; Deus, & aliquantulū excedit materia prima promissa: cedit enim in voti fauorem, vt priùs in propria materia, quā in alia æquali, impleatur. Hæc ille. Est etiā pro nostra

sententia

sententia Tamburinus *lib. 3. cap. 16. §. 7. n. 4.* vbi docet, id licere vouenti, siue res subrogata sit minor, siue maior, siue æqualis. Quia etsi prius votum fuerit extinctum; tamen ex benigno, & interpretatiuo consensu benignissimi Dei, qui est creditor voti, & vt fideles ad vouendum alliciantur, præsumimus hanc libertatem nobis Deum concessisse.

QVÆSTIO XXV.

An, quando votum commutatur in aliam materiam, transferatur eademmet obligatio in materiam subrogatam?

REspondeo tanquam certum. Transferri: & ideò materiam subrogatam obligare, sub eodem voto. Quia commutatio non est nisi translatio materiæ voti in nouam materiam. Nam Prælatus commutans, non condonat, nomine Dei, priorem obligationem, sed solùm mutat materiam, ea lege, vt loco illius acceptet vouens aliam, extincta prima, sub eiusdemmet voti obligatione. Sic S. Thom. *in 4. d. 88. q. 1. art. 4. quæst. 3.* Caiet. 2. 2. *q. 88. art. 10. & 12.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 4. art. 1.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 1. num. 1. & 10.* Sayrus, Leffius, Henriquez, & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 55. num. 2.* Sic etiam Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 7. n. 1.* Castro Palao *disp. 2. de voti relaxat. punct. 18.* Vbi *n. 1.* ita ait: Commutatione ritè facta extingui prioris materiæ obligationem, ferè omnes Doctores sentiunt apud Sanch. *lib. 4. cap. 55. n. 2.* Quia commutatio est translatio obligationis in nouam materiam, ac proinde, est antiquæ exinctio, & nouæ susceptio. Cui extinctioni non obstat, quod possit vouens (si placuerit) omissa materia subrogata, suscipere priorem; quia id ex benigno, & interpretatiuo consensu Dei creditoris fit. Sic ille. Et post illum Tamburinus, vt nuper vidimus.

QVÆSTIO XXVI.

An saltem casu, quo materia subrogata fiat inutilis, vel impossibilis, reuiuiscat prioris obligatio; ita vt, teneatur vouens redire ad prius votum?

AFfirmant aliqui, præcipuè casu, quo materia subrogata facta sit inutilis, vel impossibilis culpâ vouentis. Ducuntur. Quia facta commutatione, potest licitè vouens redire pro libito ad priorem materiam, vt habitum est, *q. 24.* ergo signum est, obligationem prioris materiæ non esse omninò extinctam, sed mutatam, ita vt, quæ prius erat determinata, facta sit per commutationem, indeterminata, & sub disiunctione vnius, aut alterius materiæ. Ita Rodriguez *in addit. ad Bull. Cruciat. §. 9. n. 117. & 118.*

Sed multò probabilius Respondeo, non reuiuiscere priorem obligationem; & consequenter, non teneri vouentem ad redeundum ad prius votum; etiamsi materia in qua fuit subrogatum, facta fuerit inutilis, vel impossibilis culpâ ipsius vouentis. Ratio constat ex dictis. Quia per commutationem, verè extinguitur prioris materiæ voti obligatio, & introducitur obligatio nouæ materiæ; vt ferè omnes Doctores fatentur: sed obligatio semel extincta non reuiuiscit *l. qui res, §. aream. ff. de solution.* vbi cum aliis Glossa. Quod in obligationibus propriâ voluntate assumptis, quales sunt iuramenti, & voti, clarius patet. Semel enim horum ablata obligatio, nequit redire, nisi iterum iuramentum, aut votum emittatur. Appono exemplum, quod affert Tamburinus. Commutatur (inquit) oratio S. Ignatio promissa in ieiunium eius Vigiliæ: si in Vigilia, propter infirmitatem, ieiunare tibi non datur, vel cum peccato non ieiunasti, ad orationem non teneris; quia votum de oratione iam extinctum, per commutationem fuit. Sic ille, *lib. 3. cap. 16. §. 7. num. 1.* Et anteà Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. n. 21. & lib. 4. Decal. cap. 55. num. 15.* & penes ipsum Graffis *1. p. lib. 2. cap. 30. num. 3.* Sayrus *lib. 6. clauis Reg. cap. 12. num. 24.* Viuald. *3. p. Candel. cap. 14. num. 27.* & Sanchez *lib. 6. cap. 20. à num. 9.* His addi possunt Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 28.* Palaus *disp. 2. punct. 18. n. 2.* Ludou. à Cruce *de Bulla Cruc. disp. 1. cap. 6. dub. 16. num. 12.*

QVÆSTIO XXVII.

An, ad minus reuiuiscat obligatio votorum emissorum in sæculo, quæ fuit commutata in Professionem Religiosam; si vouens, ex dispensatione Pontificis, redeat ad sæculum?

AFfirmant tunc reuiuiscere obligationem votorum sæculi, Graffis. *1. p. decis. lib. 2. cap. 30. n. 3.* & Viuald. *in Candel. 3. p. cap. 14. num. 28.* vbi limitat doctrinam traditam superiori quæstione, vt scilicet, intelligatur, quando commutatio fit ab homine; secus de facta à iure, qualis fit in Religionis ingressum *cap. Scripturæ, de voto.* Accipe verba Viualdi: secunda responsio intelligenda est, quando commmutatio non fit à iure. Si enim à iure fiat commutatio voti, & talis commutatio non impleatur, reuiuiscit prima voti obligatio. Vt si votum Hierusalem commutet quis in votum Religionis, & tamen culpâ suâ redeat ad sæculum, tenetur adimplere primum illud votum. Palud. *in 4. d. 38. q. 4. art. 4. col. 3. & ex cap. Scripturæ, de voto,* & ex S. Thom. *2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. & in 4. d. 39. q. 1. art. 4. in corp. art.* facit Sotus *lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. vers. Quod Dominus.* Huc vsque Viualdus.

Sed omnino Resp. neque in hoc casu reuiuiscere priorem votorum obligationem. Quia commutatio in Professionem Religionis, nobilior est omnibus aliis, quæ ab hominibus fieri possunt: ergo efficacior debet esse ad extinguendam priorum votorum obligationem: ergo si contingat postea Professum à Religione eiici, non reuiuiscent vota. Sic Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. n. 21. & lib. 4. Decal. cap. 55. n. 16.* Suarez *lib. 6. de voto,* (non 9. vt leges apud Palaum) *cap. 20. n. 11.* Sayrus *lib. 6. cap. 12. n. 24.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 29.* Palaus *loco cit. n. 4.* Tamburinus *lib. 3. cap. 16. §. 7. n. 1.*

QVÆSTIO XXVIII.

An, si quis Religionis assumendæ votum simplex emittat in sæculo; & iam ingressus, post professionem eiiciatur; reuiuiscat prius votum, & teneatur aliam Religionem ingredi?

AFfirmant aliqui, ex eo quod votum illud, ante professionem emissum, non fuit determinatæ Religionis, vt supponimus, sed indeterminatæ, & vagæ: ergo sicut hic non satisfeciſſet voto, si petens in aliqua Religione admitti, non admitteretur, sed teneretur alias Religiones procurare, ita non satisfaciet, si expulsus à Religione in qua professus est, aliam ingredi non intentet. Ita Sotus *lib.7.de iust. q.2. art.1. in solut. ad 3.vers. Quod si.* Aragon *2.2.quæst.88. art.3. in solut. ad 2.in fine.* Graffis *1.p.decis.lib.2.cap.30.n.3.* Rodrig.*in addit. ad Bullam. §.9. n.117.*& *118.* Vega *tom.2. sum. capit.127. casu 79.* Conradus *1.p. responsion. q.285.* Quos omnes refert Sanchez *lib.8. de matr. disp.9. n.21.* & *lib.4. Decal. cap.55.n.17.*

Sed multò probabiliùs Resp.non reuiuiscere prius votum, & consequenter, non teneri aliam Religionem ingredi. Ratio est; quia omnia vota, ante professionem facta, commutantur in ipsam, ac per eam extinguuntur ex cap. *Scripturæ, de voto*: at obligatio semel extincta non reuiuiscit, vt suprà est habitum: ergo. Et hinc patet ad fundamentum contrariorum. Nam votum Religionis indeterminatæ assumendæ, non extinguitur ex hoc quod vouens petens aliquam determinatam, non admittatur in eam, sicut extinguitur in Professione. Sic Sanchez *loco citato, de matrim.* & *cap.55. citato n.18.* (non 48. vt leges Palaum) Sayrus *lib.6. cap.9. fine.* Lessius *lib.2.de iust. cap.41. dubit. 15. num.111.* Layman, & Palaus, vbi suprà.

QVÆSTIO XXIX.

An etiam votum ingrediendi Religionem factum, sub conditione, aliam ingrediendi, casu, quo à semel assumpta, vouens eiectus sit; maneat Professione extinctum?

NEgant apud Palaum, Sanchez *loco cit. n.19.*& Lessius *n.111.* Quia (inquiunt) huiusmodi votum, non est in Professione commutatum, nam executio eius non concurrit cum Professione, sed potius sub cessatione illius assumitur: ergo non manet extinctum.

Affirmat verò, vt verius, Palaus loco *cit. n.4. vers. solum votum.* Quia estò executio illius non concurrat cum executione Professionis,non inde fit, quod virtute illius, quodlibet votum non commuteur: quia non commutatur, ob hanc impossibilitatem; sed ob excellentissimã illius actus perfectionem; aliàs nec propria voluntate posset commutari, quod Sanchez negat. Deinde, non solum votum ingrediendi Religionem, sed ieiunandi, recitandi, aliudvè opus pium faciendi, casu, quo à Religione fueris expulsus, non erit commutatum, quod à Doctoribus non admittitur, cùm nulla sit specialis ratio pro voto Religionis, quæ in aliis non procedat. Sic ille.

Sed clariùs Respondeo dicendum. *Primò* sic. Certum est, quod si vouens velit commutare prædictum votum conditionatum in professionem, tunc maneat per illam extinctum, & sic non obligari ad aliam Religionem, casu, quo à prima electa eiiciatur. Sic expresè tenet Sanchez *n.19. citato*, vt fatetur ipse Palaus.

Respondeo *secundò*. Probabilius est,quod etiamsi id expresè nolit vouens, maneat adhuc, ex vi iuris, tale votum extinctum per Professionem; quia, ex *cit.cap. Scripturæ, de voto*, constat manere per illam commutatum, ac proinde per illam extinctum; & ideo licèt expellatur iam professus, non reuiuiscet votum,nec tenebitur ad amplius. Sic Palaus.

QVÆSTIO XXX.

An, quando Pontifex, aut summus eius Pœnitentiarius, dispensat, aut commutat votum castitatis, & Religionis alicuius,ad tempus, ad effectum nubendi, per subrogationem alicuius pij operis, teneatur, finito tempore, votoque iterum redeunte, ad illud opus subrogatum?

AFfirmat Sanchez *lib.4.cap.55. n.21.* docens, quod quando Pontifex, & summus Pœnitentiarius dispensant cum aliquo ad effectum semel nubendi, in voto castitatis, aut Religionis, per subrogationem aliquorum piorum operum, v.g. ieiunij singulis hebdomadis, confessionis menstruæ, &c. eo matrimonio soluto, & redeunte votorum castitatis, & Religionis obligatione, teneatur nihilominus ad exercenda illa opera subrogata, nempe, ad prosequenda ieiunia, faciendam confessionem menstruam, &c. Quia (inquit) ex tenore Breuis Pontificij, quo conceditur Confessario facultas ad hæc vota commutanda in ieiunium singulis hebdomadis,& in frequentiam Confessionis sacramentalis singulis mensibus, indicant quamdam perpetuitatem.

Sed probabiliùs Respondeo, non teneri tunc ad opus subrogatum exercendum, & prosequendum. Quia cum, mortua vxore, redeat priorum votorum obligatio, longè est à benignitate Ecclesiæ,vt remaneant in suo vigore,etiã opera subrogata;nam grauaretur vouens duplici onere, altero, videlicet, voti castitatis, aut Religionis; & altero, operis subrogati. Addo, quod regula generalis est, & ab ipsomet Sanchez *n.21.* admissa, quod voto principali redeunte, pereat subrogatum: ergo, & redeunte voti castitatis, aut Religionis obligatione, necesse est, vt pereant opera subrogata. Nec certè Pontifex hæc vota speciàliter excipit in suis litteris, vt probat Palaus. Sic iste, *disp.2. de voto, punct.18. num.6.* Tamburinus *lib.3.in Decalog. cap.16. §.7.n.3.*

QVÆSTIO XXXI.

An, quando, quis materiam voti, à se propriâ auctoritate, subrogatam, implere non potest, potest tamen prius votum; teneatur redire ad istud?

REspondeo teneri. Quia per commutationem, propria authoritate factam, non transfertur vinculum ad rem subrogatam; sed solum per æquipollens satisfit benignissimo Domino. Cum ergo ipsi satisfieri per materiam subrogatam, quæ tibi impossibilis est reddita, iam non posse supponas, consequenter sequitur vrgere vinculum voti, quod à suo robore per tuam commutationem, nunquam cecidit; quod tamen cecidisset, si per legitimam iurisdictionem concessa fuisset commutatio. Itaque si quis v.g. votum recitandi Rosarium commutauit in ieiunium, & hoc exhibere iam non potest, possit tamen recitare Rosarium, tenetur tunc ad hoc votum redire. Sic Tamburinus *lib. 3. Decal. cap. 16. §. 7. n. vltimo*, ex Ludou. à Cruce in *Bull. Cruc. disp. 1. cap. 6. dub. 16. num. 2.*

---

§. II.

De aliquibus rebus in commutatione votorum, & iuramentorum seruandis?

QVÆSTIO XXXII.

An, præscribi possit certa regula, qua seruari queat æqualitas in commutandis, votis & iuramentis?

REspondeo vt certum: quod non possit præscribi certa regula, eo quod innumera sunt vota, & iuramenta, & cum innumeris circunstantiis concurrentibus: & sic nulla alia potest dari, quàm prudens arbitrium Confessarij, qui omnibus circunstantiis expensis, æqualitatem, vel quasi æqualitatem in Domino constituat. quas, vt prudenter expediat, sequentia illi prælibabo. Lege Nauarr. *in sum. cap. 12. num. 77.* Suarium *lib. 6. de voto, cap. 19. n. 21.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 5.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 6.* Trullench. *lib. 1. Bullæ, §. 7. cap. 3. dub. 18.* Mendo ibi *disp. 26. cap. 21.* Villalob. *2. p. tract. 34. diff. 33.* Prado *cap. 31. de voto, q. 15. §. 6.* Bardum *in Bull. Cruc. parte 2. tract. 7. cap. 3. sect. 1.* Basseum *tom. 2. votum. 2. n. 17.*

QVÆSTIO XXXIII.

An, grauitas materiæ voti, vel iuramenti, sit ex se, præscindendo à vinculo voti, vel iuramenti, consideranda?

REspondeo vt certum. Quia sic. Ratio est; quia in commutatione verè remanet vinculum voti, & iuramenti, & solum transfertur in opus subrogatum, vt suprà satis est habitum: ergo cùm hoc non sit relaxandum, non est ad illud attendendum. Sic Sanchez *n. 2.* ex Caiet. Soto, Valentia, & Rodriguez. Tamburin. *loco cit. num. 2.*

QVÆSTIO XXXIV.

An, spectanda sit materia subroganda, iuxta excellentiam virtutis, quam habet; an potius, quid vtilius sit vouenti, aut iuranti?

REspondeo quod non sit spectanda excellentia virtutis, sed potius, quod vtilius sit hîc, & nunc ipsi vouenti. Quia cùm vota tendant in Dei obsequium à vouente exhibendum, nec semper sit Deo gratius, vouentem facere quod per se est excellentius, sed quod pro tempore, & loco, & vouentis dispositione, magis congruit eius saluti spirituali, ideo non semper reputatur melius, aut æquale, quod suaptè natura est tale, sed quod hîc & nunc est gratius, aut æquè gratum à vouenti præstari. Vnde in commutandis votis, aut iuramentis maximè spectanda sunt spiritualis vouentis vtilitas, & finis voto, vel iuramento intentus. Vt si quis ad domandas carnis illecerbras, vouit, aut iurauit ieiunare; aut ad auferendam auaritiam, eleemosynam; non rectè fiet commutatio in opera alia ex se excellentiora, quæ ei fini assequendo, non ita apta sunt. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 56. num. 6.* ex Suario *lib. 6. de voto, cap. 18. num. 8.* & *cap. 19. n. 21.* Azorio *1. p. lib. 11. cap. 18. q. 1. & 13.* Lessio *lib. 2. cap. 40. dub. 11. n. 87.* Sayro *lib. 6. cap. 12. n. 5. & 6.* Sic etiam Tamburin. *loco citato, n. 3.* Vbi ita concludit: si flagellationem v.g. ad domandam carnem vouisti, melius erit, si illud commutes in ieiunia, quàm in orationes: quia ieiunium, magis quàm oratio, licèt hæc sit excellentior, ad carnis mortificationem conducit. Sic ille.

QVÆSTIO XXXV.

An, omnia vota, vel iuramenta commutare in frequentiam Sacramentorum; sit tutius, & sanius consilium?

REspondeo vt certum: esse. Quia certum mihi est, quod Sacramenta ad bonum vouentis meliora, & vtiliora sunt, quàm cætera opera. Sic Tamburin. *n. 3. cit.* & Sanchez *n. 7. fine*, & *n. 8.* ita dicens: immo, existimo, tutiorem cæteris commutationem esse in Sacramentorum frequentiam, si eam facilè pœnitens acceptet, spereturque fore vt impleat. Quòd per hæc facilius, & citius peruenitur ad rei promissæ æqualitatem, cum per hæc communicentur maximè merita Christi, remittantur peccata, augeatur gratia, deseruiantquè summoperè emendandæ vitæ, & peccatis cauendis, & viribus spiritualibus augendis ad Legem Dei obseruandam. Sic ille. Bardus etiam *cap. 3. cit. sect. 1. num. 4.* Reginald. Clauis Reg. & Lessius, quos citat, & sequitur Basseus *tom. 2. votum. 2. n. 17.*

QVÆSTIO XXXVI.

An opus sit ad rectam commutationem, vt votum personale commutetur in aliud personale; & votum reale in aliud reale?

REspondeo *primò*, vt certum; quod non sit opus, vt votum personale commutetur in aliud personale, & reale in aliud reale, sed potest reale in personale, & personale in reale optimè commutari. Id constat ex *cap. 2. de voto*, vbi votum personale peregrinationis Hierosolymitanæ commutatur in eleemosynam, quæ quid reale est. Sic Suarez *cap. 19. cit. num. 16.* Sanchez *n. 24.* Tamburin. *num. 5.* Prado *cap. 31. de voto, q. 15. §. 6. n. 84.* Trullench. *lib. 1. in Bullam. §. 7. cap. 3. dub. 18. n. 16.* Basseus *tom. 2. votum 2. n. 19.* & omnes.

Respondeo *secundò* etiam vt certum, quod congruentius sit, si commode fieri potest, & non sit molestum vouenti, quod votum personale commutetur in personale, & reale in reale; quia sic maior proportio seruatur in commutationibus. Sic Authores citati. Quibus adde Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 12. disp. 5. num. 9.* vbi citat Nauarrum *cap. 12. n. 78. §. octauò*, & Caietanum *in sum. v. votorum dispensatio.*

QVÆSTIO XXXVII.

An necessum sit, vt votum perpetuum, commutetur in materiam perpetuam?

REspondeo vt certum: quod non, sed potest commutari in materiam temporalem. Quia hęc potest dari æqualis diuini obsequij, (licèt inæqualis sit in duratione) in quam valide, & licite valeat commutari. Verum est, quod de consilio melius erit, quod materia subrogata æquetur cum voto in perpetuitate. Sic Suarez *lib. 6. de voto, cap. 19. num. 21.* ibi. Si votum sit diuturnæ obligationis, commutari facilius poterit, si in aliud onus æquè diuturnum transferatur obligatio: non est tamen id necessarium, sed ex qualitate, & grauitate operis, breui tempore expediendi, poterit illa diuturnitas compensari. Vt si quis promisit dare singulis annis tantam eleemosynam per totam vitam, posset redimi obligatio, data tunc simul aliqua magna quantitate in eleemosynam, quæ iudicio prudentis viri adæquationem faceret. Sic ille. Sanchez etiam *num. 27.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 12. num. 101.* Prado *num. 86.* Tamburinus *num. 5.* Henriquez, mox citandus. Basseus *num. 19. citato, vers. sexta regula.* Villalob. *in Bullam. claus. 9. p. 7. tract. 27. §. 3. n. 34. March. v. voto, Resol. 451.* & alij.

QVÆSTIO XXXVIII.

An, votum, seu iuramentum, certâ die implendum; debeat necessariò commutari in opus eadem die exequendum?

REspondeo etiam vt certum: quod non. Quia potest esse maioris, aut æqualis obsequij diuini, exequi opus subrogatum altera die. Sic Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 10. num. 6.* in fine, ibi: Dum fit commutatio voti, aut ieiunij, non oportet rem subrogatam impleri eodem tempore; & ieiunium totius diei commutari potest in eleemosynam, quæ breui tempore datur. Sic ille. Et ex illo, Sanchez *n. 28.* Prado *n. 86.* Tamburinus *n. 5. cit.* qui omnia dicta, iis verbis constringit. Non est opus, vt votum personale commutetur in actionem personalem, vel reale in realem; neque vt actio subroganda sit æqualis in duratione, vel numero, vel vt certo die fiat: possunt enim hæc aliunde compensari. Lege me ipsum *1. p. tract. 5. disp. 14. q. 157.*

QVÆSTIO XXXIX.

An differre votum, vt non fiat destinata die, sed altera; debeat suppleri cum aliquo onere superaddito à commutante?

NEgat March. *loco cit. num. 2.* dicens. *Que puede cada vno de porsi comutarse el voto como esta dicho. De donde infiere Cornejo, que elque hizo voto de recar cada dia vna pare del Rosario, puede por via de comutacion transferir la obligacion*, seu onus diei, *para el dia siguiente*: ita March.

Sed melius Respondeo. *Primò*, si hæc dilatio fiat propria auctoritate à vouente ipso, necessum erit, vt fiat sub aliquo onere superaddito; vnde obligatus recitandi Coronam B. Virginis, non potest hodiernam obligationem in sequentem diem transferre, nisi addatur aliquid aliud propter dilationem ipsam. Sic docuimus contra nonnullos DD. *1. p. q. 157. cit.* Basseus *loco cit. n. 21.*

Respondeo *secundò*, si talis dilatio fiat authoritate Superioris, tunc probabile est, quod possit fieri sine nouo onere; quamuis probabilius contrarium. *Prima pars* constat ex fundamento adducto *1. p. loco cit. quæst. 157.* pro prima sententia, cui nouissimè adheret, nullo citato pro se Authore, Tambur. *lib. 3. Decal. cap. 16. §. 6. n. 6.* ibi ita ait. Quando dilatio nihil minuit de voto, nec multum interest implere votum die destinata, modica commutatione suppleri potest. Certè ego petenti commutari ieiunium huius diei in alium, præscindendo ab aliqua peculiari circunstantia, facile concederem sine alio supplemento: quia tunc dilatio parum, aut nihil demit de obsequio Dei. Sic ille. *Secunda verò* pars, ex dictis *1. p. q. 157. citata*, tibi probabilior videbitur.

QVÆSTIO XL.

An, quando commutatur votum, & iuramentum simul eiusdem rei, debeat esse maior materia subrogata?

REspondeo quod non. Quia in hac commutatione neutrius vinculi est ratio habenda, sed solius materiæ promissæ, & ideo non opus est maiori materia subrogata. Sic Sanchez *cap. 56. cit. numer. 4.*

QVÆSTIO XLI.

An ad maiorem commutationem faciendam, sit habenda ratio maioris dignitatis intenti per votum, aut iuramentum?

REspondeo quod sic. Quia dignitas materiæ promissæ augetur ex digniori fine, & ita maiori commutatione indigebit. Vt si quis vouit non ludere, gratia vitandi blasphemias, & periuria; maiori commutatione opus habet, quàm si finis solus esset vitare prodigam pecuniæ iacturam. Quare examinandus est vouentis finis, tum ad considerandam maiorem materiæ promissæ dignitatem; tum etiam ad perpendendum, an materia subrogata conducat magis illi fini assequendo. Vt si quis ad consequendam castitatem promisit peregrinari, magis ad illam conducent ieiunium, & oratio. Sic omnino Sanchez *loc. cit. n. 9.* Bard. *in Bull. p. 2. tract. 7. cap. 3. sect. 1. n. 4.* Trullench. *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 18. num. 7.* Basseus *tom. 2. votum 2. num. 18.*

QVÆSTIO XLII.

An item ad minorem commutationem faciendam, spectandum sit, an materia per votum promissa sit aliàs præcepta?

REspondeo vt certum: quod sic. Quia tunc minor exposulabitur commutatio, eo quod vouens per commutationem non eximitur ab obligatione materiæ de qua erat votum. Vnde votum vitandi alicuius peccati, v.g. non fornicandi, non furandi, leuiori indiget commutatione, cæteris paribus, quàm votum alterius rei non præceptæ. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 56. num. 3.* Bard. *loco cit. n. 7. & 8.*

QVÆSTIO XLIII.

An, si sit vnum votum alicuius rei, & simul alterum non petendæ illius commutationis, tunc debeat maior fieri commutatio?

REspondeo vt certum: quod sic. Quia tunc plura concurrunt vota, licet circa eamdem materiam: ergo materia subrogata debet esse æqualis vtrique vinculo. Sic Sanchez *n. 5.* Bard. *n. 8.*

QVÆSTIO XLIV.

An item, in commutatione votorum attendenda sit ratio difficultatis, & oneris implendi rem promissam, & subrogatam?

REsp. quod sic. Quia difficultas, & onus, quod passurus est vouens in executione voti, ac materiæ subrogatæ, auget meritum. Ex quo principio colligunt Doctores, quod votum ieiunij à paupere emissum, si in eleemosynam commutetur, possit in minorem commutari, quàm si diues illud emisisset. Quia pluris Deus facit paucas pauperis pecunias, iuxta eius indigentiam, quàm multas diuitis, vt constat ex Lucæ *cap. 21.* Deinde pauciora ieiunia debent iu eiusdem voti commutatione imponi hominibus laborantibus, cholericis, & debilibus; quàm otiosis, phlegmaticis, & robustis. Quia pauciora in illis, æquiualent pluribus horum, ratione maioris difficultatis, & laboris in illis perferendis. Sic Sanchez *n. 10.* ex Suario *lib. 6. de voto, cap. 1. num. 16.* Nauarro *cap. 12. n. 77.* Hostiensi, Angelo, & aliis. Sic etiam Basseus *tom. 2. votum 2. sub n. 18.*

QVÆSTIO XLV.

An, in commutatione voti peregrinationis, considerandi sint labores itineris, & expensæ, quas vouens in itinere erat facturus?

REspondeo vt certum quod sic. Quia id constat ex cap. *Magnæ, de voto*, vbi harum expensarum, & laboris itineris rationem habendam esse, Pontifex iis verbis pronunciat: *Tibi, pro te, & famulis tuis licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, vt expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui Religioso committas, &c. laborem etiam laboribus recompenses.* Hæc Pontifex. Sic docent omnes. Legantur Suarez *lib. 6. de voto, capit. 19. num. 19.* Sayrus *lib. 6. cap. 12. num. 20.* Sanchez *lib. 4. cap. 56. num. 11.* Prado *cap. 31. de voto, q. 15. §. 6. num. 87.* Nauarrus *cap. 12. num. 77.* & alij plures, apud Sanchez. Qui vt certum supponunt excipiendas esse expensas, quas vouens domi erat facturus. Quia cùm illæ essent, cessante ea peregrinatione faciendæ, non sunt Deo dicatæ per votum. Sic etiam Basseus *loco citato.*

QVÆSTIO XLVI.

An in commutatione talis voti computandæ sint expensæ, quas iuxta decentiam sui status, facturus erat vouens?

NEgant quidam, existimantes non esse habendam rationem expensarum, quas homo nobilissimus, & diues facturus esset in comitatu equorum, & famulorum, eo quod hæ per accidens se habeant

ad

ad votum, & eundo, absque tanto comitatu illo voto satisfiat. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 5.* Sayrus *n.20. citato*, Aragon 2.2.*q.*88.*art.*2. *dub.*2. *corollar.* 2. P. de Ledesma *tom.*2. *tract.*10. *cap.*8. & Rodrig. *tom.*2. *sum. cap.*100. *n.*5. qui docent hunc vouentem, solum teneri ad computandas expensas, quas faceret solus, aut cum vno, aut altero socio.

Sed probabiliùs Respondeo computandas esse expensas, quas iuxta decentiam sui status, & moralem ipsius vouentis consuetudinem, in simili itinere facturus erat: quamuis in rigore expresè non promiserit hoc, sed tantum ire, atque ita voto satisfaceret si solus peregrinaretur: & res æstimandæ sunt moraliter, & prout in re ipsa futuræ sunt, & ideo dicendum hæc esse implicitè volita ab ipso vouente. Confirmatur, quia aliàs dicendum esset, nullas expensas computandas; quia etiam satisfaceret, si pedester, & mendicans illud exequeretur. Sic Suarez *lib.6. de voto, cap.*19. *n.* 20. dicens esse omnium, & oppositum esse contra rationem. Sanchez, vbi suprà *num.*14. Barth. à S. Fausto *lib.*4. *thesauri q.*89. Moneta *in com. vlt. volum. cap.*7. *num.*415. Bardus *in explicat. Bull. Cruc.* 2. *p. tract.*7. *sect.*1. *n.*18. Prado *q.*15. *cit. n.*88. Palaus *disp.*2. *punct.*16. *n.*4. Qui secus dicunt, de expensis, quas vouens vanæ ostentationis causa facere vellet in comitatu equorum, famulorum, in ornatu vestimentorum, &c. de his enim non esset habenda ratio.

QVÆSTIO XLVII.

An item, in commutatione dictæ peregrinationis voti, computandæ sint expensæ, quæ in reditu faciendæ sunt?

NEgant nonnulli Doctores: eo quod votum solùm fuit de eundo, non de redeundo, vnde plenè satisfiet voto, non redeundo: ergo sicuti reditus per accidens se habet ad votum, ita etiam expensæ eiusdem reditus. Ita sentiunt Henriquez & Rodriguez vbi suprà. Angles 2. *p. q. vnica de voto, art.*8. *diff.*6. *propositione* 3. Graffis *lib.*2. *decis. cap.*30. *n.*10.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo dicendum, computandas esse expensas reditus. *Primò*: quia *in cap. magnæ, de voto*, expresè expensæ reditus computantur, vt constat ex verbis textus relatis suprà *q.*45. *Secundò*: quia etsi vouens redire non promiserit: at cùm votum seu promissio intelligatur morali modo, prout res se habitura sit, tacitè claditur huiusmodi reditus in voto. Sic Suarez *n.*20. *cit.* Rodrig. mutans sententiam *in addit. ad Bull.* §.9. *n.*108. Host. Henricus, Palud. Rosella, Angelus, & Ludou. Lopez, quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib.*4. *cap.*56. *n.*16. Bardus *in Bull. Cruc. p.* 2. *tract.*7. *cap.*3. *sect.*1. *n.*18. Prado *loco citato, n.*90. Palaus *num.*4. *cit.* Addit tamen Sanchez *n.*17. Quod casu, quo vouens peregrinationem, de facto peregrinaretur ad locum destinatum, ac mutata voluntate, nollet redire, tunc nulla expensarum reditus computatione indigeret, quia reditum nequaquam vouerat, & solum ante voti executionem, tenebatur eas computare, vt accessorias voto: ergo cum iam votum expleuerit, ad eas non tenebitur.

QVÆSTIO XLVIII.

An deinde in commutatione dicti voti, sint consideranda itineris pericula, tributa soluenda, &c.

REspondeo vt certum quod sic. Quia hæc omnia vouens Deo obtulit, & augent meritum, & voti æstimationem. Sic Rodrig. *tom.*2. *cap.*100. *n.*5. *documum.*5. Sanchez *loco cit. n.*19. Bardus *cod. n.*19. vbi ita ait: Infertur tertio, pericula itineris, tributa soluenda in transitu, damna, quæ vouens passurus est ob absentiam à propria domo, si præuisa fuerint tempore emissionis voti, debent spectari in commutatione, quia augent dignitatem, & æstimabilitatem voti: secus si non fuerint præuisa, & consequenter neque volita: quia cum non sint onera per se, & inseparabiliter connexa cum executione voti, & merè per accidens ad votum se habeant, debent esse præuisa, ad hoc, vt volita votum æstimabilius reddant. Sic ille.

QVÆSTIO XLIX.

An rursus computandæ sint expensæ quas facturus esset vouens in commorando in peregrinationis loco?

NEgant quidam, quos refert, sed non citat, Palaus infrà.

Sed Resp. vt certum: quod sic. Quia sic habetur expresè *in d. cap. magnæ, de voto*, vt constat ex habitis *q.*45. Sic ex Hostiensi, Henrico, & Rossella, tenet Sanchez *loco cit. n.*20. Palaus *disp.*2. *punct.*16. Qui notant non oportere eleemosynam, in quam illæ expensæ fortè commutantur, mitti in fauorem illius loci pij, in quem peregrinatio promissa est.

QVÆSTIO L.

An votum peregrinationis Hierosolymitanæ sit commutandum in eleemosynam mittendam in eius loci subsidium?

AFfirmare videtur. Quia sic Pontifices obseruarunt. Constat ex cap. *Magnæ, de voto*, vbi votum Hierosolymitanum cuiusdam Episcopi commutatur, vt expensas eundi, redeundi, ibique cõmorandi, integrè in subsidium Terræ Sanctæ mittat, laboremque itineris compenset sollicitius, instando Vigiliis, orationibus, & ieiuniis, & idem habetur *in cap. Quod super his, & cap. Ex multa, eod. tit.* ergo ex iuris præscriptione, eleemosyna in quam tale votum commutatur, in subsidium Terræ Sanctæ mittenda est.

Resp. dicendum, quod ex vi iuris, sic esset redimendum huiusmodi votum, vt probant textus allati: & olim sic commutabatur: quia vrgebat necessitas succurrendi expeditioni bellicæ in illius terræ subsidium: quæ cum hodie illa necessitas prorsus cessarit, non est necessaria ea voti commutatio; & ita instar aliorum commutari potest, vel iuxta tenorem priuilegij concessi ad talem commutationem faciendam. Sic Suarez *lib.6. de voto, cap.* 19. *num.*17. Sanchez *lib.*4. *cap.*56. *n.*26.

QVÆSTIO LI.

An, in voto conditionali pœnali, sit expendenda in commutatione illius vtraque materia, voti videlicet, & pœnæ?

REspondeo distinguendo sic. Si commutatio istius voti petatur, & facienda sit post impletam conditionem, hoc est post ludum (in casu, quo quis *vouit non ludere, & si luderet, vouit dare quandam eleemosynam*) tunc vtriusque, nempe bonitatis non ludendi, & bonitatis eleemosynæ ratio habenda est. Quia ex vna parte, *non ludere*, fuit res per votum directè promissa, ex alia vero parte, ipsa eleemosyna, purificata conditione, hoc est, posito ludo, ea transiit in rem absolutè promissam: ergo.

Si verò commutatio talis voti petatur ante impletam conditionem. Tunc aliqui dicunt, non esse attendendam pœnam, hoc est, eleemosynam: quia illa nondum est promissa, cum non sit purificata conditio. Alij contrà dicunt, esse attendendam, non ratione sui, sed ratione bonitatis directè promissæ. Sic Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 6. n. 9.* qui id probat sic. Votum non ludendi, est grauius, si referatur ad pœnam illam dandi eleemosynam, quàm si ad talem pœnam non referatur: grauius est enim sic promittere: *Voueo non ludere, quod si lusero, voueo eleemosynam:* quàm solum sic. *Voueo non ludere*: ergo non est mirum esse expendendam illam pœnam, vt videatur grauitas totius voti. Addit tamen huiusmodi pœnam, nempe (in casu dicto) eleemosynam non esse accipiendam secundum totam suam grauitatem: quia cum nondum sit incursa, sed à voluntate vouentis, quoad futurum euentum, adhuc pendeat, multum à sua grauitate deficit. Hæc omnia Tambur. Et certè probabilissimè. Legantur de hac re Sanch. & Suarez, *locis citatis.*

§. III.

Proponuntur aliquæ peculiares votorum commutationes pro recta aliorum commutatione facienda.

QVÆSTIO LII.

In quod opus commutari potest, votum perpetuò ieiunandi, singulis sextis feriis, aut diebus sabbathi?

REspondent aliqui, posse commutari in Confessionem, & Communionem per annum integrum, decimoquinto die, & in tria sacra facienda, aut in recitationem Rosarij, & eleemosynam modicam, sexta feria, aut sabbatho perpetuò faciendam. Sic aliqui, apud Sanchez *lib. 4. cap. 5. num. vltimo.* Qui addit sibi hanc commutationem non videri æqualem, nisi ea triennio duraret, aut adderetur recitatio quotidiana, eo anno, calculorum virgineorum.

Alij tale votum ita commutant, vt vouens perpetuò Rosarium Virginis genuflexus recitet semel in hebdomada; vel eleemosynam aliquam tribuat semel item in hebdomada, addita Corona Domini flexis genibus recitanda. Sic Ludou. à Cruce, Tamburin. & alij; necnon Bardus *2. p. in Bull. Cruc. tract. 7. capit. 3. sect. 2. §. 10. num. 66.* vbi ita ait: Si ieiunium sit perpetuum, v.g. singulis sextis feriis, aut die sabbatho, tunc commutabitur in Rosarium Beatæ Virginis, genibus flexis recitandum, vel in recitandos septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & subsequentibus precibus, eadem feria vel vel sabbato aut qualibet alia die hebdomadæ. Et si tale ieiunium fuit promissum pro anima alicuius defuncti, commutatio poterit fieri in recitandum Officium defunctorum; vel in Confessionem, & Communionem, vel in eleemosynas erogandas pro anima illius defuncti. Sic ille.

QVÆSTIO LIII.

In quod opus potest commutari ieiunium vnius diei?

REspond. quod potest, vel in gestationem vnius cilicij, vel in verberationem corporis moderatam; vel in Rosarium recitandum flexis genibus, vel in aliquam eleemosynam elargiendam. Constat ex dictis, & docet Bardus *n. 65.*

QVÆSTIO LIV.

In quod opus commutabitur ieiunium in pane, & aqua?

REspondeo, quod in recitationem integri Rosarij flexis genibus, addita verberatione corporis: vel in eleemosynas competentes facultatibus vouentis; vel melius in Confessionem, & Communionem. Sic ex Bardo *loco cit. n. 66.* docet Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 6. n. 12.*

QVÆSTIO LV.

In quod poterit commutari votum erogandæ eleemosynæ?

REspondeo, quod in seruitium in Xenodochio, aut Hospitali tot dierum, quot iudicantur sufficientes ad compensandam quantitatem eleemosynæ promissæ. Sic Bard. & Tamburin. *locis citatis.* Et è contra votum inseruiendi in xenodochio, commutabitur in eleemosynas erogandas, iuxta mensuram, & proportionem obsequij præstandi.

QVÆSTIO LVI.

In quod commutabitur votum confitendi, & communicandi, tali die, v.g. sabbato?

REspondeo, quod in actum contritionis, vel amoris Dei super omnia, & ieiunium, & Rosarium, aut Coronam B. Mariæ Virginis. Sic Bardus, & Tamburin. *locis citatis.*

QVÆSTIO LVII.

In quod commutabitur votum celebrandi Missam?

REspondeo in Communionem, & in recitationem Rosarij, aut Officij B. Virginis; vel eleemosynas, aut ieiunium. Sic Bardus, & Tamburin. vbi suprà.

QVÆSTIO LVIII.

In quod commutabitur votum recitandi singulis feriis sextis perpetuò, septem Psalmos Pœnitentiales?

REspondeo, quod in hoc, quod in eadem die sexta, vel in alia, semel in hebdomada, perpetuò ieiunetur. Sic Ludou. à Cruce, quem citat, & sequitur Tamburin. *lib.3.cap.26.§.6.n.21.*

QVÆSTIO LIX.

An, per assumptionem ad Episcopatum, valeat commutari ad æqualitatem, votum ingrediendi Religionem?

AFfirmãt multi DD. quia status Episcopalis perfectior est statu Religioso, vt habetur cap. *licèt. de Regular. &* cap. *veniens, de iureiurando*: ergo votum de hoc secundo, plusquam ad æqualitatem commutatur in statum illum. Ita Abbas, & alij apud Suar. *tom.3.de Relig.lib.1.cap.19.n.1.* Rodrig. *tom.2. sum.c.6. n.6.* Henriq. *lib.10.cap.32.n.5.* Viuald. *1.p. Candel. de matrim.* vbi *de impedim. voti, num.89.* Sà verb. *Episcopus, n.2.*

Sed longè probaliùs Resp. non benè commutari, quia longè probabilius est, quod per assumptionem ad Episcopatum, non dissoluatur obligatio voti ingrediendi Religionem; ac per consequens habentem tale votum, non posse facere commutationem vnius in aliud. Probatur id ex cap. *Per tuas. De voto.* Vbi Innocent. III. consultus ab Episcopo Gratianopolitano, qui ante susceptum Episcopatum, votum ingrediendi Religionem emisit, respondet: *Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ, & reddas Altissimo vota tua.* Ex quibus Pontificiis verbis, apertè colligitur, per assumptionem ad Episcopatum, non satisfieri voto Religionis. Ideo hanc partem tenent S. Thom. *2.2.q.189.art.3. ad 1.* Caietan. ibidem, Suarez, vbi suprà *n.3.* Sanchez *lib.4. Decal. cap.17. num. 5.* Lessius *lib.2. cap.40. dub.10.n.103.* Fagundez *lib.2.Decal.cap.44.n.21.* Layman *lib.4. tract. 5. cap.6. q. vltima.* Castro Palao, *tom.3. tract.16. disp.1.punct.6. n.2.* Azor *1.p. lib.11. cap.16.q.2. & cap.22. q.vltima.* Quos omnes refert, & sequitur Bardus *in Bull. Cruc.p.2. tract.7. cap.3.sect.2. §.9.n.52.* Qui *n.61.* ad argumentum contrariæ sententiæ respondet, quod licèt status Episcopalis si perfectior statu Religioso; nihilominus in ordine ad propriam personam, vtilior, & securior est status Religionis; quia status Episcopalis multa inuoluit pericula, & excitamenta ad malum, ratione, bonorum, diuitiarum, &c. quorum occasione facile homo potest allici ad ambitionem, nimiam pecuniarum auiditatem, &c. Quibus omnibus status Religiosus est liber; immo habet excitamenta ad oppositas virtutes, nempe ad humilitatem, paupertatem, &c. Legantur Suarez *tom.3.de Relig. lib.1.cap.18.* & Lessius *n.18.citato.*

QVÆSTIO LX.

An, votum ingrediendi Religionem arctiorem, æqualiter commutetur in votum profitendi, & perseuerandi in laxiori?

NEgant aliqui Doctores, existimantes, non esse licitam talem commutationem. Quia (inquiunt) Religio laxior minus bonum est, minusque Deo gratum, quàm strictior. Quare, vt sit licita, vel miscèri debet talis commutatio cum dispensatione, vel addi aliqua alia opera, vt sic suppleatur excessus ille, quem suprà laxiorem, habet strictior Religio. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. cap.9. num.2.* Quem citat, & sequitur Tamburin. *lib.3.in Decal.cap.16. §.6.n.16.*

Sed probabilius Resp. æqualiter commutari, ac proinde licitam esse talem commutationem. Ratio est, quia maius bonum est, gratiusque Deo, profiteri in Religione laxiori, quàm simpliciter ingredi in strictiorem: ergo commutatio huius voti in illud, non solum erit in quid æquale, verùm etiam in melius. Sic *lib.4. Decal. cap. 16. n.17. fine*, & latius *n.20.* D. Anton. & Palud. apud ipsum. Sylvest. *votum 4.q.7.* Ludou. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap.6. dub. 12. n. 4.* Trullench. *lib.2. Decal. cap.18. n.6.* Barthol. à S. Fausto *lib.4.thesauri, q.37.* Bardus *in Bull.2.p.tract.7. cap.3.sect.2.§.6.n.38.* Qui aduertit, hanc sententiam esse intelligendam, si in Religione illa, quæ est laxior, & in quam fit commutatio, vigeat regularis obseruantia; aliter si sit collapsa, commutatio in illam, non erit licita, nec valida. Quod antea notauit Sanchez *cap.16. cit. n.13.* Quia rursus addunt, prædictum votum ingrediendi Religionem arctiorem, commutari benè possit in votum profitendi in Religione Canonicorum Regularium, eo quod hi in communi viuant, & sint veri Religiosi. Legantur Sanchez *n.12.* Trullench. *dub. 18. num. 2.* & alij.

QVÆSTIO LXI.

An, votum simplex & absolutum castitatis, possit pura omnino commutatione tolli?

NEgant aliqui Doctores, existimantes huiusmodi votum, non posse per meram commutationem tolli; & ideo dicunt, admiscendam esse dispensationem aliquam, ab eo; qui potestatem habet dispensandi. Ita Sanchez *lib. 4. capit. 56. num. 41.* citans pro se Sotum *lib. 7. de iust. q. 4. artic. 3. vers. at verò*, & Aragon. *2.2. quæst.88. artic.12. dub. 1. in Corollar. 1.* quod infert ex dicto 3. Probant ex eo quod nil castitate sit melius, iuxta illud *Prouerb. 16. Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.* Citat Prado pro hac parte Trullench. *lib.1. Bullæ, §.7.cap.3. dub.18. n.25.* docentem cum Sanchez, se non inuenire qualiter hoc votum possit commutari in aliquid æquale.

Sed

Sed melius Resp. posse pura commutatione tolli, vel immediate à summo Pontifice, vel à Confessario, virtute delagata ab illo. Quia reuera aliquæ inueniuntur virtutes, quæ fine excedunt continentia, vt castitas, & contemplatio, &c. Nec locus Prouerb. obstat, quia sensus illius est, multa auri talentia, non esse comparabilia cum castitate, seu nil esse in opibus, & thesauris huiusmodi, quod cum anima pura, & casta comparari possit. Sic Bard. *loco cit.* §. 2. Prado *cap. 31. de voto, q. 15. §. 6. n. 92. & 93.* Qui dicit id communiter Doctores supponere, nempe hoc votum & omnia alia posse à Papa pura commutatione tolli. Sic videtur etiam sentire Tamburin. *loco cit. n. 15.* dum referens dicentes, votum absolutum, tum castitatis, tum Religionis non posse propriè commutari; ait, sibi hoc difficile dictum videri. Tenent etiam alij Doctores mox citandi.

QVÆSTIO LXII.

In quod igitur votum castitatis absolutum commutari poterit?

REspondet Mag. Prado *n. 92.* sufficienter videri posse commutari respectu quorundam, in id, quod assignant Medina *in sum. lib. 1. c. 14. §. 7. regul. 3.* & Sayrus *lib. 6. cap. 12. num. 21.* nempe, quod vouens ieiunet sextis feriis; sumat Eucharisticam decimoquinto die per totam vitã, vel saltem, semel in mense; recitet quotidie Rosarium B. Virginis, aut septem Psalmos, & eleemosynam quotidie faciat, prout facultas permiserit. In aliis vero opus erit addere maiorem eleemosynam, & fortè orationem per horam quotidie. Hæc Prado. Sed certè Medina, & Sayrus solum loquuntur de commutatione voti Religionis, nec meminere castitatis. Vnde loquendo de hoc voto, de quo solum impresentiarum.

Melius respondet Bardus faciendam esse commutationem in hoc vt vouens teneatur seruare castitatem coniugalem, & vt singulis mensibus Confiteatur, & Communicet; eroget stipem ad celebranda singulis annis decem Sacrificia; recitet quotidie, aut tertiam partem Rosarij, aut septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & precibus; ieiunet singulis sextis feriis, & quid simile.

Si autem velit vouens, vt sibi absolutè commutetur totum votum castitatis, ita vt teneatur sub voto, non accedere ad alienam mulierem, vel ad non committendum peccatum contra virtutem castitatis, tunc debet Confessarius id commutare, addendo aliud ieiunium, & frequentiorem receptionem Sacramentorum Confessionis, & Eucharistiæ, attentis conditionibus ipsius vouentis. Sic Bardus *in Bull. 2. p. tract. 7. cap. 3. sect. 2. §. 2. num. 26.* ex Ludou. à Cruce *in Bull. Cruc. disp. 1. cap. 7. dub. 5. num. 2.* & Trullench. *lib. 1. Bullæ, §. 7. cap. 3. dub. 18. n. 27. fine.*

QVÆSTIO LXIII.

In quod item commutaretur licitè votum solius castitatis coniugalis?

REspondeo: quod debet regulariter commutari, in ieiunium semel in qualibet hebdomada; & in Confessionem, & Communionem perpetuò singulis mensibus, aut quid simile, secundum statum vouentis. Sic Bardus *loco cit. §. 3.*

QVÆSTIO LXIV.

In quid rursus commutabitur votum non contrahendi matrimonium?

REspondet Sanchez *lib. 4. Decal. cap. vltimo n. 42.* quod potest commutari in Confessionem singulis mensibus biennio faciendam, aut triennio, & in nouem Sacra. Ita ille, & alij docti Neoterici.

Sed hæc aliis minora videntur. Et ideo Bardus *loco citato*, ait, quod possit commutari in Confessionem, & Communionem singulis mensibus faciendam per triennium, & per idem tempus in nouem sacra facienda, hoc est nouem, pro vnoquoque anno ex tribus. Additquè ex praxi Sacræ Pœnitentiariæ, iniungendum esse aliquod opus pium in perpetuum, arbitrio Confessarij; veluti, vt vouens singulis hebdomadis recitet integrum Rosarium, vel quotidie dicat septem *Pater*, & *Aue*, aut quid simile. Sic ille ex Ludou. à Cruce *loco cit. dub. 5. n. 4.* Sed certè, vt aduertit Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 6. n. 17.* hoc additum de iniungendo opere in perpetuum, ex se non est necessarium, vt suprà diximus.

QVÆSTIO LXV.

An, votum absolutum Religionis sit commutabile?

NEgant aliqui. Quia (inquit) quæcumque opera pia præscribuntur semper & eadem, & excellentiora inueniuntur in Religione; vt sunt, abstinentiæ, macerationes carnis, paupertas, obedientia perpetua, oratio, vigiliæ nocturnæ, aliæque multæ preces, &c. Ita Sanchez *cap. vltimo libri 4. num. 41.* Trullench. *in Bull. Cruc. loco cit. n. 18.*

Sed melius Respondeo, esse commutabile, sicut diximus, esse votum castitatis. Sic Sayrus, & Medina citati suprà *q. 62.* Pater Suarez, Ludou. à Cruce. Tamburin. Bardus, & Prado mox citandi.

QVÆSTIO LXVI.

In quod igitur potest huiusmodi votum commutari?

REspondeo, quod iuxta sententiam Medinæ, Sayri & Pradi potest commutari in opera assignata à nobis suprà *q. 62.* Sed dicta onera aliquibus videntur inæqualia, cùm onera Religionis sint multò maiora.

Alij dicunt, commutandum esse, vel in statum Sacerdotalem, vel saltem in castitatem coniugalem, deinde in obligationem recitandi quotidie Horas canonicas, vel Rosarium integrum B. Mariæ Virginis, rursus in ieiunia, quæ seruantur in Religione de qua est votum. In Confessionem, & Communionem decimoquinto die. Et in aliquas eleemosynas faciendas singulis annis in honorem, & cultum illius, qui fuit primus Institutor talis Religionis, si fuerit Sanctus, aut Beatus. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 4. n. 9.* Bard. *loco cit. §. 10. n. 34.* & alij. Qui omnes

notant, tutius esse in hoc casu recurrere ad Pontificem, vel ad alium, qui ex delatione, habeat potestatem dispensandi, vt misceat dispensationem cum commutatione huius voti in opera prædicta. Nota ex dictis, quod huiusmodi votum absolutè emissum, solùm à Pontifice potest commutari, nisi alias aliquis habeat ab ipso delegatam potestatem: secus dic de huiusmodi voto non absolutè, sed sub conditione emisso. Lege Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 34. & March. v. *voto, Resol.* 451.

QVÆSTIO LXVII.

In quod potest commutari votum assumendi Sacerdotium?

REspondent aliqui docti Neoterici apud Sanchez *lib.* 4. *cap. vltimo, n.* 48. quod possit commutari in recitationem quotidianam septem Psalmorum Pœnitentialium cum Litaniis, vel Officij Beatissimæ Virginis, vel calculorum virgineorum, & in Confessionem, & Communionem decimo quinto die faciendam; & in faciendum celebrari Sacrum singulis mensibus, & vt voueat castitatem in statu sæculari. Quod si nolit castitatem seruare, sed transire ad nuptias, huius loco, ieiunet omnibus sextis feriis. Sed hæc commutatio valde minor videtur Sanchio, & Tamburino, & ideo dicunt, quod vel addatur aliud, vel immisceatur dispensatio. Sic etiam sentit Bardus *loco cit.* §. 4 *num.* 30. & ideo addit, quod vt securiùs Confessarius procedat, possit loco septem Psalmorum, vel Officij B. Virginis, &c. imponere vouenti onus recitandi quotidie Horas Canonicas, vel addere frequentiorem Sacramentorum receptionem, & aliquot sacrificiorum celebrationem suo sumptu faciendam.

DISPVTATIO XIX.

De interpretatione iuramenti, & voti, in ordine ad inducendam obligationem.

QVÆSTIO PRIMA.

An, quando de intentione iurantis, aut vouentis non constat, interpretandum sit iuramentum, & votum, vt quoad minus fieri possit obligationem inducat?

RESPONDEO, tanquam quid certum: quod sic. Sic Palaus his verbis: Si de intentione iurantis, aut vouentis, constat, nulla indiget iuramentum (aut votum) interpretatione: at si hæc intentio manifesta non est, semper interpretandum est iuramentum (seu votum) vt seruata proprietate verborum quoad minus fieri possit, obligationem inducat. *Prior pars* ex terminis liquet, cùm intentio, vel restrictio iuramenti (aut voti) ex intentione iurantis (aut vouentis) desumenda sit. *Secunda pars* probatur: quia creaturam liberam astringi, & obligari ad aliquid determinatè faciendum, vel omittendum, odiosum illi est, & graue: ergo est facienda stricta interpretatio. Sic ille *disp.* 2. *de iuram. punct.* 14. *n.* 1. & *disp.* 1. *de voto, punct.* 12. *n.* 1. & constat ex cap. *Ad nostram, de iureiurando, & cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & *ex l. Quid quod astringendæ, ff. de verbor. obligat.* Sic & omnes. Legantur Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de iuram. cap.* 32. *num.* 7. Tamburin. *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. §. 4. *n.* 1. Vbi sic ait: Si de intentione iurantis constet, non est opus interpretatione, secus interpretari debet iuramentum, vt seruata proprietate verborum, quanto minor potest obligatio inducatur: quia semper præsumitur iurans, (aut vouens) minus voluisse suam libertatem lædere. Sic ille ibi, & *cap.* 15. §. 6. *n.* 1. Legantur Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 9. *n.* 11. & *lib.* 3. *Decal. cap.* 17.

QVÆSTIO II.

An iuramentum, seu votum, restringendum sit, iuxta naturam actus, super quem cadit?

REspondeo: quod sic. *Quia accessorium*, quale est iuramentum, seu votum, *sequitur naturam principalis*, cui adiungitur, iuxta Reg. iuris 42. *in* 6. Nec certè iurans, aut vouens, præsumitur alio modo se obligare voluisse. Sic communis. Legantur Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 4. *à num.* 1. Gutierrez 1. *p. de iuram. confirmatorio, cap.* 37. *num.* 2. & 3. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 13. Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 31. *numer.* 2. & *lib.* 4. *de voto, cap.* 7. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 42. *dubit.* 4. *n.* 22. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 16. Palaus *disp.* 2. *de iuram. punct.* 14. *n.* 4. Tambur. *lib.* 3. §. 4. *num.* 3. & *cap.* 15. §. 6. *num.* 1. & alij.

QVÆSTIO III.

An, iuramentum, & votum, ita debeant restringi; vt non censeantur facta in tertij præiudicium?

REspondeo: quod sic. Quia sic habetur in cap. *venientes, cap. cum tuis, & cap. cùm contingat, de iureiur.* & *cap.* 2. *eod. tit. in* 6. & *cap. Quamuis pactum. De pactis lib.* 6. & Ratio est: quia iuramentum factum in præiudicium tertij, est illicitum: ergo non potest obligare. Sic Palaus loco *cit. n.* 28. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 4. *n.* 7.

Ex his tribus regulis præmissis interpretabimur aliquorum iuramentum, & votorum obligationem. Sit ergo.

QVÆSTIO IV.

An vouens, aut iurans, recitare Rosarium absolutè; teneatur recitare integrum Rosarium?

REspondeo, quod non teneatur, nisi ad recitandam tertiam partem. Quia secundum communem vsum loquendi, hæc Rosarium appellatur: igitur nisi aliud expressè intenderit vouens, sufficit illi

si

si tertiam partem recitet. Sic Sanchez *lib.4. Decal. cap.13. n.15.*Palaus *disp.1.de voto, punct.12.num.5.* Tamburin. *lib.3. Decal. cap.15.§.5. n.5.* & Suarez *lib.4.de voto, cap.8.n.5. in fine*: ibi: Si quis vouit quotidie dicere Rosarium, dubitat autem postea, an per Rosarium intellexerit integrum Rosarium, vel tertiam partem eius: in hoc casu credimus, posse eligere tertiam partem, quando non potest pro altera parte ferre determinatum iudicium probabile,quia tunc potest interpretatione facere sibi fauorabilem, & quia in obligatione dubia, est melioris conditionis. Sic ille. Prado *cap.31. q.6.§.2.n.11.*Diana *3.p. tract.6. resol.50. & p.4. tract.3. resol.10.* & Thom. del-Bene, *tract.3.dubit.15.num.3.*

QVÆSTIO V.

An, qui voto, aut iuramento promisit recitare Rosarium; satisfaciet recitando alternatim cum socio?

NEgant aliqui. Quia Rosarium, communi vsu, & consuetudine, non recitatur alternatim: ergo votum, aut iuramentum de illius recitatione non est præsumendum fieri de recitatione, extra vsum,& consuetudinem. Ita Palaus *disp.1.de voto,punct.12. n.5.*citans pro se Nauarrum *cap.quando,de Consecr. d.5.cap.10. à n.22.*& Sanchez *lib.4.Decal.cap.11. num.38.*

Sed probabiliùs Resp. dicendum quod verè satisfaciet. Quia hic iam est vsus apud nos,vt alternatim recitemus Rosarium.Quapropter *1.p.tract.5.disp.9. q.70.*diximus, contra eundem Sanchez, cum Nauarro,& aliis, posse recitare Rosarium cum socio,illum, cui iiunctum est pro Pœnitentia. Et ita hanc nostram sententiam tenent Azor *lib.10.instit.moral. cap.7.q.2.punct.6. n.27.* Tamburinus *lib.3. cap.15. §.5.n.5.* Prado *cap.31. de voto,q.6.§.2. n.13.*Diana *p.9.tract.8.resol.6.* Suarez *lib.3.de orat.cap.9.n.14. & 15.*Bonac.*de voto, punct.6.n.27.Candid.disp.25. art.22.* & alij communiter.

QVÆSTIO VI.

An etiam satisfaceret prædicto voto, & iuramento; si sola mente, & non voce, Rosarium promissum recitaret?

NEgant præfati Doctores. Quia credendum est, de recitatione vsitata quæ est vocalis, votum fuisse emissum. Ita Sanchez *loco cit.n.36.* Palaus & Tamburin. *locis citatis.*

Sed probabiliter Resp. quod etiam satisfaceret, casu tamen dumtaxat, quo certò constaret vouenti expedientius esse suæ spirituali saluti, orare mente, quàm voce. Quia in tali casu satisfacere pœnitentem recitando mente Rosarium sibi in pœnitentia impositum, diximus, vt quid probabile *1.p.loco cit. quæst.37.* Fauet hinc nostro placito Palao *loco cit. n.12.* dicens quod si aliquis consuetudinem haberet de recitando Rosario mentaliter, satisfaceret voto mente totum percurrendo, cum finis institutionis Rosarij sit meditatio mysteriorum nostræ Redemptionis, quæ sola mentali oratione perficitur.

QVÆSTIO VII.

An, qui vouit, aut iurauit, audire Missam quotidie; satisfaciet diebus festiuis vnam audiendo?

REspondeo dicendum: quod sic. Quia intentio vouentis videtur solum fuisse nullum transire diem sine Missa. Sic Palaus *loco cit. n.6.* Tamburin. *n.4.* Suarez *lib. 4. de voto, cap.7. n.14.* fine, ita dicens: si quis autem vouet audire Missam in die festo, non intelligitur, vouere aliam Missam, præter eam, quam ex præcepto audire tenetur, quia ex vi talis materiæ id non sequitur:quia de ratione Missæ non est,quod fit,vel non fit præcepta.Sic Suarez.

QVÆSTIO VIII.

An, puella, quæ virginitatem perpetuam vouit; solùm obligetur ad recusandum primum actum turpem?

REspondeo vt certum: obligari, non solùm ad recusandum primum actum turpem,sed & omnes deinceps (nisi expresè aliqua limitatio addatur) quia ex vsu, & modo loquendi, illud, *voueo virginitatem,*(etiamsi non addatur,*perpetuam,*perpetuam castitatem significat; ideóque amissa virginitate,per primum actum,adhuc obligatur ad respuendos omnes actus, tum externos, tum etiam internos, contra virtutem continentiæ. Secus vero dicendum esset, si expresè intenderet vouens, se solum obligare ad vitandum primum actum venereum, vt virgo permaneret, & non, nisi secundariò, & consequenter ad abstinentiam ab aliis actibus: tunc enim amissa virginitate per primum actum cessaret penitus votum. Sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 33. n.7.* & *lib. 4. Decal. cap. 21. num. 22.* Suarez *lib. 4. de voto, cap.7. num.5. & 7.* Valentia *2. 2. disp.6. quæst.6. punct.4. vers. secundum, quod notari debet.* Palaus *disp. 1. de voto, punct. 12. numer.7.* Tamburin. *lib. 3. capit.15. §. 5. num.2.*

QVÆSTIO IX.

An, vouens peregrinationem absolutè; satisfaciat peregrinando equester?

REspondeo dicendum quod satisfaciat, etiamsi tempore emissionis voti cognouerit pedester peregrinari. Quia equestris peregrinatio, in omni rigore, peregrinatio est. Nec cogitatio tempore voti concepta inducit obligationem, quia non ex cogitatione, sed ex promissione obligatio nascitur. Sic Palud. *in 4.d.38. q.4.art.1. n.7.* quem citat, & sequitur Sanchez *lib.4. Decal. cap.11.n.33.* Bonac. *disp. 4. q.2. punct. 6. num.15. & 16.*Palaus *disp. 1. cit. punct.12. n.9.* Tamburin. *n.3.*

QVÆSTIO X.

An, qui votum peregrinationis emisit, satisfaciat, si mercede conductus, aut causa alterius negotij, aut curiositatis, vel vi coactus, peregrinationem suscipiat?

NEgat Sanchez *lib.4.cap.11. n.68.* Quia, qui emisit hoc votum, verè vouit peregrinationem voluntariam, religiosam, & piam: sed peregrinatio assumpta per vim, non est peregrinatio voluntaria, & religiosa, & multo minus, quæ solo titulo curiositatis, aut alterius negotij profani assumitur: quæ vero ob mercedem, non tam est peregrinatio ex pietate, quàm ex iustitia: ergo in iis casibus, non satisfaciet vouens peregrinationis voto.

Sed probabiliùs Resp. quod verè vouens satisfacit suæ promissioni, in omnibus illis casibus, dummodo habeat intentionem satisfaciendi voto. *Et primò*, si vis illata non tollit vouenti integram libertatem, estò illam diminuat, voto satisfaciet, sic coactus peregrinando; quia absolutè peregrinationem piam voluntariè suscipit. *Deinde* expeditio alicuius negotij, aut curiositas, solum potest impedire voti satisfactionem, quando solus ille finis peregrinationis adesset: secus si cum illo adesset voluntas inuisendi Sanctas Reliquas: nam tunc iam esset peregrinatio religiosa, saltem quoad substantiam actus, vt consentit Sanchez. Nec tandem obstat quod peregrinatio fiat ob mercedem; quia obligatio voti, & iustitiæ in eamdem materiam cadere possunt, vt benè probat Palaus *loco cit. n.10.* Qui hanc nostram doctrinam tenet. Cui addo Tamburin. *lib.3. Decal. cap.15. §.5. num.3.*

QVÆSTIO XI.

An, vouens Religionem ingredi, aut Ordines sacros suscipere; teneatur, ex vi talis voti castitatem seruare, antequam talem assumat statum?

REspondeo tanquam certum: Non teneri, nisi id specialiter à vouente intendatur, etiamsi votum Religionis esset non tantum ingrediendi, sed etiam profitendi ac perseuerandi perpetuò in illo statu. Ratio est: quia votum ingrediendi, aut profitendi Religionem non habet pro materia castitatem, sed statum in qua vouenda est castitas, sicut & paupertas, & obedientia: ergo ex vi talis voti non extenditur ad talem castitatis materiam. Sicut votum assumendi Ordinem Sacrum est votum assumendi statum, in quo vouetur castitas, dum talis status assumitur. Sic optimè Caiet. 2.2. *q.88. art.3.* Suarez *lib.4. de voto, cap.7. n.15.* Qui benè aduertit, quod tale votum Religionis, vel Ordinis sacri, nunquam obliget ad castitatem, etiam post Professionem factam, vel Ordinem susceptum: nam licèt sic vouens factus Religiosus, vel Sacerdos fornicetur, non peccat contra prius votum simplex, sed contra solum solemne, quod in Professione, vel Ordinatione emisit. Valentia 2.2. *disp.6. q.6. punct.4.* Palaus *pun.12. citato n.8.* Tamburin. *lib.3. cap.15. §.5. n.6.* & nos item *1.p. tract.5. disp.14. q.119.*

QVÆSTIO XII.

An saltem, casu, quo quis promittat, se vouere castitatem infrà annum; teneatur, ex vi, huius voti seruare castitatem, saltem post annum completum?

REspondeo vt certum: Adhuc non teneri, ex vi talis voti, seruare castitatem non solum durante anno (quod est clarum) sed etiam post illum completum, si de facto non voueat castitatem, etiam frangendo prius votum. Quia licèt in hoc peccet, de facto tamen non vouit castitatem, quæ fuit finis prioris voti, non materia. Sic Suarez *n.15. cit. fine.* Legatur. Nos specialiter de aliquibus in specie votis, latius per singulas disputationes agemus. Sit ergo.

DISPVTATIO XX.

De voto, aut iuramento ieiunandi: Non bibendi vinum: Abstinendi à carnibus, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

An votum ieiunandi, obliget eo modo, quo obligat ieiunium Ecclesiasticum?

RESPONDEO vt certum: quod sic. Quia votum est quædam lex priuata, quam sibi vouens sua sponte imponit: ergo mensuranda est huius legis priuatæ obligatio, cum obligatione Legis cõmunis de eadem materia, ex quo colligitur, quod vouens ieiunium, obligetur omninò à carnibus abstinere, & à repetito prandio: quia hæc ad minus, sunt de essentia Ecclesiastici ieiunij. Sic omnes. Legantur Suarez *lib.4. de voto, cap.7. num.9.* Sanchez *lib.4. Decal. cap.11. num.31.* Tamburin. *lib.3. cap.15. §.5. num.11.* Palaus *disp.2. de voto, punct.12. num.11.* Prado *cap.31. q.6. §.3. num.19.*

QVÆSTIO II.

An, qui vouit in vigilia Natiuitatis Domini ieiunare; possit vesperi longam refectiunculam sumere; vt alij, qui ex præcepto Ecclesiæ, iuxta consuetudinem, sumunt?

NEgant Rodrig. *tom.1. sum. cap.23. num.10.* & Petr. Ledesma *relati* à nobis *3.p. tract.5. disp.4. q.24.*

Sed iterum probabiliùs Resp. posse consuetam cum aliis collationem sumere, nisi aliàs habuerit expressam

expressam intentionem abstinendi ab ampliori collatione. Quia præsumendum est voluisse vouentem exercere ieiunium, secundum consuetudinem Ecclesiæ,& conditionem ieiunij. Sic Sanchez *lib.4.Decal. cap.11.n.65.& lib.5.consil.cap.1.dub.26.n.3.* Barthol. à S. Fausto,& Pasqualigus,quos citauimus *1.p. q.24.cit.* Quibus nunc addo Tamburin.*lib.3.Decal. cap.15.§.5.n.13.* Pradum *cap.31.de voto,q.6.§.3. n.17.* Palaum *disp.2.de voto,pun.12.num.11.*

QVÆSTIO III.

An vouens ieiunare, extra Quadragesimam; possit ouis, & lacticiniis vesci?

REspondeo posse. Quia non est credendum, quod vouens ieiunium, se voluerit obligare ad strictiorem ieiunij formam, quàm alij seruent: atqui, nec iure,nec consuetudine sunt interdicta oua, & lacticinia in ieiuniis, extra Quadragesimam, vt cum communi Doctorum docuimus *1.p.tract.5.disp.14. q.61.* ergo. Sic Palaus,Tamburin. Prado & alij.Qui idem dicunt, loquendo de ieiuniis quadragesimalibus,casu,quo vouens habeat Bullam Cruciatam.Lege me ipsum *1.p.loco cit.q.60.*

QVÆSTIO IV.

An ad minus teneatur abstinere ab ouis, & lacticiniis, qui vouit ieiunare in Quadragesima, & non habet Bullam Cruciatam?

AFfirmant quidam. Quia qui vouit ieiunare in Quadragesima censetur votum emisisse de ieiunio,sub illa forma,quam seruat Ecclesia, nempe, abstinendo à lacticiniis, & ouis: ergo. Ita Corduba sum. *q.168.* Ludou. Lopez *2.p. instructorij, vbi de ieiunio,fol.714.* Azor, *1.p. lib.7.cap.10.q.2.& lib.11.cap.10.q.6.* Suarez *lib.4.de voto, cap.7.n.9.* quos sequitur Palaus *disp.1.de voto, pun.12.n.18.* & licèt satis probabiliter, vt constat ex dictis *1.p. loco cit.q.62.*

Sed non minùs probabiliter Respondeo: Non teneri abstinere,ex vi voti ab ouis, & lacticiniis.Quia sic vouens solum obligatur ad seruandum ieiunium, eo modo, quo ab Ecclesia institutum est: atqui non est minus probabile, quod præceptum ieiunij quadragesimalis, non obligat ad abstinentiam lacticiniorum, sed hoc præcipiat Ecclesia alio distincto præcepto, quod obligat etiam à lege ieiunij excusatos: ergo ad abstinentiam horum,non debet censeri obligatus vouens ieiunium quadragesimale. Igitur quamuis peccaret contra præceptum Ecclesiæ prohibentis lacticinia edere, non tamen contra votum, si ieiunaret illis vescendo. Sic Sanchez *lib.4.cap.11. n.53.* Lugo, & Ludou. à Cruce citati à nobis *1.p.* vbi supra.Legatur Tamburin *lib.3.cap.15.§.5.n.11.* vbi ait vtramque sententiam esse probabilem.

QVÆSTIO V.

An, qui vouit ieiunare certis diebus, per totam vitam; teneatur ad id, adhuc post annum sexagesimum?

NEgant Sanchez, Pasqualigus, & alij à nobis adducti *3.p.tract.5.de ieiunio,disp.8.q.21.*

Affirmant contrà Layman, Leand.de Murcia, & alij,quos loco citato adduximus.

Sed ego iterum Respondeo non teneri, ex vi voti ieiunare, post annum sexagesimum,nisi alias vouēs expresse voluerit, se obligare etiam in senectute,quia tunc votum obligaret; quamuis deobligari adhuc posset ex alio capite, nempe ex nimia debilitate vouentis,&c. Sic diximus *q.21. citata.* Lege illam. Et tenet nouissimè Prado *cap.31. de voto,q.6. §.3. num.19.* & me citato Diana *p.10.tract.16.resol.50.* Ex quo colligitur, quod Religiosi Professi, minores vigesimo primo anno, teneantur seruare ieiunia Regulæ, vt diximus,contra aliquos *3.p.tract.5.disp.8.* (non 6.vt citat Prado) *q.9.* vbi pro hac parte refero tringinta quatuor Doctores. Quibus addo amicum Pradum *cap.31.de voto,q.6.§.3.n.19.* & Dianam, *loco citato.*

QVÆSTIO VI.

An, vouens ieiunare non determinans dierum numerum; satisfaciat vnico ieiunio?

REspondeo,quod sic.Quia, vt supra est habitum, voti interpretatio strictè facienda est,vt in quātum fieri potest, minus obliget: atqui vnicum ieiunium, est minimum, sub eo voto comprehensum: illo ergo satisfiet voto ieiunandi. Sic Sanchez *lib.4. cap.13.n.15.* Qui idem dicit de voto recitandi, non determinata quantitate, illi enim satisfieret (inquit) recitata semel aliqua quauis oratione, vt Angelica; quando Prudentis arbitrio consideratis circunstantiis voti, non censetur maior quantitas promissa. Sic ille. Prado etiam *loco cit.n.15.* Lege Dianam *part.9.tract.8. resol.6.*

QVÆSTIO VII.

An item, qui vouit ieiunare aliqua, seu plura ieiunia, non determinando certum numerum; satisfaciat duobus diebus ieiunando?

REspondeo dicendum: quod sic. Quia pluralis locutio, duorum numero est contenta,*Reg.pluralis. de regul. iuris in 6.* ergo illo numero res promissa per votum saluatur. Sic Sanchez, & Prado *locis citatis.* Qui benè notant, id esse intelligendum, quando res est dubia, secus aliàs. Quia sicut ridiculum esset,quod si Rex pro obtinenda victoria promisit eleemosynam, intelligeretur satisfacere voto,datis duobus dispendiis: ita qui ad carnem domandam voueret ieiunare pluribus diebus, præsumi deberet,

intendisse ieiunare plures, quàm tres, aut quatuor. Vnde in his, & similibus casibus, confugiendum est ad viri prudentis arbitrium, qui attentis circunstantiis, determinabit.

QVÆSTIO VIII.

An qui vouit ieiunare per totum mensem, teneatur ieiunare diebus Dominicis ipsius?

AFfirmat Layman, *lib.4.tract.8.cap.2.num.9.* fine, & apud ipsum, Bellarminus.

Sed multò probabilius Respondeo non teneri; nisi alias ad id expresse se obligauerit. Quia intelligitur hoc votum, iuxta morem Ecclesiæ emissum fuisse, à quo Dominici dies semper excipiuntur. Sic Tabiena, & Armilla, quos sequitur Sanchez *lib.2. Decal.cap.37. num.20.* Tamburinus *loco cit.n.11.* Diana *p.10. tract.16.resol.50. fine.* & antea *part.9.tract.8.resol.6.* Prado *num.16.* Qui propter eamdem rationem dicunt, quod ille, qui vouit ieiunare in vigilia alicuius Sancti, quando hæc incidit in Dominica, potest, imò præstat ieiunare die Sabbati: quia hæc translatio est de more Ecclesiæ. Sed de hoc addito habebimus specialem quæstionem *tract.2.de voto, disp.4.q.45.* & in sequentibus, alias, quæ hîc desiderari possunt.

QVÆSTIO IX.

An qui vouit pro aliqua die non comedere carnes; toties peccet, quoties eas comedit?

NEgant Pasqualig. Palud. D. Anton. & Tabiena citati à nobis *3.p.tract.2.disp.2.q.39.*

Sed iterum, vt longè probabiliùs Respondeo dicendum, quod toties peccet, quoties carnes comedit. Quia hoc votum est negatiuum, & obligat pro semper. Sic Nauar. Suarez, Angel. Sanchez, Diana, & alij à me citati, vbi supra *q.39.* Et idem dico de voto non bibendi vinum in aliquo certo die, vt infra dicam *q.16.* legatur iterum, me citato, Diana *part.10.tract.14.resol.32.*

QVÆSTIO X.

An item qui vouit certa die ieiunare, toties peccet quoties carnem illa die comedit?

AFfirmant Azor, & Suarez citati à me *3.p.tract.5. disp.2.q.40.* Quibus nunc addo Palaum *disp.1.de voto, pun.12.n.15.* Palud. & Silueſtrum, apud Pradum, mox citandum.

Sed iterum probabilius Respondeo, non peccare, nisi prima vice. Sic Sanchez, Layman, Diana, Barthol. à S. Fausto Ghilinus, Pasqualig. quos citaui pro me, vbi supra: Quibus nunc addo Pradum *num.22.* & Tamburin. *n.12.* Quia abstinentia à carnibus erat (inquit) debita ex vi solius voti ieiunij, & accessoriè ad illud, non vero per se, vt per distinctum præceptum iubetur in diebus ieiunorum Ecclesiæ: ieiunio igitur impossibili, per primam comestionem carnium, reddito, abstinentia ab illis non amplius vrgebit vouentem.

QVÆSTIO XI.

An, qui vouit ieiunare omnibus sextis feriis; si in illa incidat Natalis Domini, excusetur à ieiunio?

AFfirmant plures, eo quod hic sit mos Ecclesiæ. Ita Ioan. *in cap.vltimo, de obseruat.ieiunij.* Azor, *lib.11.cap.20.q.3.* Rodriguez *tom.3.cap.25.num.8.* (quamuis contrarium teneat *tom.3.qq.Regul.q.43. art.3.*) Fagundez *de præcep. Eccles. tract.4. lib.1. cap.6.n.6.* Diana *1.p.tract.9.resol.6.* & *p.9.tract.8. resol.22.* Villalob. *tom.2.tract.34 diff.34.n.3.* & vt probabilem sequitur Tamburin. *lib.3. Decal. cap.15.§.5.n.13.*

Alij contrà negant excusari à ieiunio. Eo quod sic colligatur ex *cap.fin. de obseruat.ieiunij*, in quo absolutè dicitur, quod *Qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt astricti, in sexta Feria, si Festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter Festi excellentiam, vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis.* Sic Textus: ergo qui voto sunt astricti ad ieiunandum feriis sextis, illa die ieiunare tenebuntur. Sic Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. cap.20. n.7.* Sanchez *lib.4. Decal.cap. 11. n.61.* Vasquez *1.2. disp.20. cap.4. n.26.* & alij plures, quos refert Diana, vbi supra. Quibus addo Pradum *cap.31. de voto, q.6.n.27.*

Ego autem Respondeo, vt certum apud omnes, *primò.* Si quis vouit expresè ieiunare omnibus sextis feriis, etiam si in illa inciderit Natalis Domini; tunc illum teneri ad ieiunium. Sic omnes vtriusque sententiæ Doctores; idem affirmantes de illis, qui ex Professione Religiosa ad id sunt adstricti.

Respondeo *secundò* licèt probabilis sit prima sententia, probabilior tamen mihi est secunda, ob authoritatem ex iure adductam, & Doctorum, qui sequuntur illam. Sunt enim plures multo, & excellentiores.

QVÆSTIO XII.

An votum non bibendi vinum, obliget ad non bibendam ceruisiam?

AFfirmat Caiet. *2.2.q.150. art.1.* eo quod loco vini sumatur; ac instar illius inebriet.

Sed multò probabilius Resp. nõ obligare, etiãsi votum emissum fuerit ad euitandam ebrietatem. Quia ceruisia non est vinum: & finis extrinsecus, sub voti obligationem non cadit. Sic Sanchez *lib.4. cap.11. n.44.* dicens, quod sententia Caietani sit vera, quando vouens intenderet se eo voto ad euitandam ebrietatem obligare, & solius exempli gratia vinum expressit: secus autem esset, quando etsi intenderit se non inebrierare, ad solius vini abstinentiam vouit, nec illud gratia exempli in voto adhibuit. Sic etiam Palaus *disp.1.de voto, pun.12.n.21.* Tamburin. *lib.3. Decal.cap.15.§.5.num.14.*

QVÆSTIO XIII.

An, votum non bibendi vinum, violetur sumendo vinum in prima, & secunda Missæ ablutione?

REspondeo vt certum: Non violari. Quia id votum non intelligitur, vt sit contra præscriptionem Missalis Romani, iuxta quam tenentur Sacerdotes, vino in prima ablutione, & in secunda, vino, & aqua vti. Sic Paludan. *4.d.38.q.3.art.4.n.27.* & ibi Palac. *disp.1.fol.838.col.2.* Azor, *1.p.lib.11.cap.20. q.7.* Quos sequitur Sanchez *lib. 4.cap. 11.n.43.*

QVÆSTIO XIV.

An votum ieiunandi in pane, & aqua; obliget sub mortali, ad nil aliud comedendum, vel bibendum?

REspondeo vt certum: obligare. Vnde hoc ieiunium vouens, peccabit mortaliter comedendo pisces, legumina, & similia; aut vinum bibendo, nisi id faciat in paruitate materiæ. Sic Palaus *loco cit. num.19.* Tamburin. *n.25.*

QVÆSTIO XV.

An, votum ieiunandi in pane, & aqua; frangatur vinum semel bibendo?

AFfirmat Castro Palao *disp.1.de voto, pun. 12.n. 19.* ibi: Difficultas est, an circunstantiâ illa violata, eo quod semel vinum biberis, possis sæpius bibere, absque voti transgressione, &c. Sed *num.21.* sequenti, oppositum videtur planè asserere, dum ait: votum abstinendi à vino, *obligare sub graui culpa, ne bibatur in ea quantitate, quæ vino temperatè vtẽtibus, sufficeret pro vna comestione:* quasi ad minorem non obligetur grauiter. Sed hoc secundum, nimis laxè dictum videtur Tamburino, & meritò; quia ex illo sequitur, quod si quis quater bibat vinum aqua de more mixtum in prandio, temperatè bibet, ac proinde consequenter, quod is, cui non liceret vinum propter votum bibere, posset sine graui culpa bibere bis, vel ter: quod non credo.

Igitur ad quæstionem Respond. dicendum, quod tale votum non frangeretur grauiter, semel bibendo vinum: benè tamen si pluries sumeretur. Sic Tamburin. *lib.3.Decal.cap.15.§.5.n.15.*

QVÆSTIO XVI.

An, qui semel violauit votum non bibendi vinum; possit iam illud sæpius bibere, absque voti transgressione?

AFfirmat Sanchez *lib.4. citato cap. 11.num. 45.* apud Palaum, eo quod iam sit impossibile eam circunstantiam seruare.

Negat contrà Palaus *loco cit. n. 19.* eo quod intentio vouentis videtur astrinxisse ieiunio, abstinentiam vini pro singulis horis totius diei.

Sed clariùs ego Respondeo. Si votum fuit ieiunandi in pane & aqua, violato semel voto non bibendi vinum, tunc licitum erit vouenti, sine nouo peccato vinum iterum, iterumque potare, posito quod aliud in contrarium expresse non intenderit; quia per potationem vini, semel violata circunstantia voti ieiunandi in pane, & aqua, redditur pro illo die impossibilis dicta abstinentia. Si verò votum fuit abstinendi eo die, à vino, tunc etiam semel voto violato, non poterit vouens sine nouo peccato iterum bibere. Sic Tamburinus *lib. 3. Decal. cap. 15. §. 5. n. 17.* his verbis: Ego assentior Sanceo, si sermo sit de voto ieiunandi in pane & aqua: Castro Palao autem, si de voto abstinendi eo die à vino. Nam in his duobus votis, licèt videatur magna affinitas: quia tamen in altero est negatio bibendi vinum, quæ est malignantis naturæ; in altero est affirmatio bibendi aquam, videtur adesse non spernenda diuersitas, quã pro Doctioribus innuisse sit satis. Sic Tamburinus. Et benè, sed nihil aliud docet quàm docet Sanchez *num.45. citato.* Nam in principio sic ait: Qui vouit ieiunium cum pane, & aqua, est voti reus bibendo vinum: at eo bibito, in ea quantitate, vt soluat ieiunium, non est amplius peccatum id bibere, &c. Sic ibi. Et infra sic: Secus esset, si quis promisisset se solum (*sic lege*) panem, & aquam comesturum, tunc enim quoties biberet vinum, vel aliquid aliud comederet, peccaret contra votum. Hæc Sanchez.

QVÆSTIO XVII.

An, vouenti ieiunium in pane & aqua, licitum sit manducare pastillos esculentos; Italicè, macherones?

AD hanc quæstionem sic respondet Tamburinus. Qui vouit ieiunium in pane, & aqua, potestne comedere pastillos esculentos, quos Itali macherones, vel vermicellos appellamus? Nam si in illos, dum coquuntur parum olei, & amaraci pauculæ frondes infundantur, gratos se pallato exibebunt. Cumque ex alia parte concedamus omnes, solùm esse veniale, propter paruitatẽ materiæ, tam exiguam additionem, non violandum mortaliter sic esse ieiunium videbitur alicui. Quid si neque hæc addantur, sed meri vermicelli, & similes, aqua cocti comedantur?

Respondeo, quamuis hoc posterius sit concessu facilius, tamen vtrumque puto esse contra eiusmodi votum. Ratio ducitur ex intentione communi sic vouentium, qui dum ieiunium vouent in pane, & aqua, solo pane se fore contentos promittunt, nisi expresse aliud intendant: at illa, quamuis ex simili farina, qua panis, compacta edulia, longè aliud sunt in vsu humano, quàm panis. Illud facile indulgeo, vt panem possit quis aqua coquere: quia sic non se extrahit ab vsitato pane; quare sicuti posset illum ad prunas assare, assatoque tunc vesci, quod nemo negat; sic poterit aqua elixare, elixatumque comedere. Hæc omnia ille, *lib. 3. Decal. cap. 15. §.6. num.20.*

Sed ego Respondeo *primò.* Certum est, quod licitum sit vouenti ieiunium in pane & aqua, panem ad prunas assare, & assato sic vesci, vt in hoc benè, cum communi omnium, dicit Tamburinus: & ex se patet.

Respondeo *Secundò*, etiam vt mihi certum, quod

quod licitum sit illi, nisi aliud expresse intenderit, panem aqua coquere, illumque sic manducare; quia per hoc non se extrahit ab vsitato pane.

Respondeo *Tertiò*, probabile mihi est, quod etiam sit licitum huiusmodi vouenti, edere vermicellos aquâ tantummodo coctos, nisi aliud expresse voluerit. Quia nec in hoc casu, se extrahit à manducatione veri panis, licèt non ita vsitati. Nec obstat argumentum Tamburini, quod scilicet, contrarium colligatur ex intentione communi sic vouentium, qui dum ieiunium vouent in pane, & aqua, solo pane se fore contentos promittunt: Quia hoc argumentum etiam militat contra ipsum concedentem, licitum esse vouenti, manducare panem aqua coctum, & elixatum: aut ergo potest vtrumque; aut nullum.

Respondeo *Quartò*, minimè erit licitum vouenti ieiunium in pane, & aqua, manducare pastillos esculentos, vel vermicellos coctos aqua, cum oleo aliquo infuso, & aliquibus frondibus amaraci. Quia revera huiusmodi edulia aut esculenta non veniunt nomine panis solius, vt constat. Non nego, posse ex paruitate materiæ, solum esse venialem talem ieiunij fractionem.

QVÆSTIO XVIII.

Ad quid tenebitur vouens, qui ex vna parte, promisit Deo, per omnes sextas ferias, solùm panem comedere; & ex alia, in vigilia S. Ioannis panem non comedere, sed alias res, vt pisces, fabas &c. in anno in quo incidat vigilia Sancti, in sexta feria?

Respondet quidam apud Tamburinum, tunc teneri vouentem, ieiunare sine pane, edendo pisces, & alia, sine illo. Quia in hoc casu, inquit, tenetur vouens ad eligendum id, quod Deo gratius existimabitur: sed sic est, quod ieiunium sine pane, est gratius Deo; eo quod in genere abstinentiæ, rigidius sit, quàm ieiunium cum solo pane: ergo.

Ipse verò Tamburinus putat, debere in eo euentu, ieiunare in solo pane. Quia è contrà existimat, rigidius esse ieiunium in ceteris. Nam ego (ait) potius eligerem, siue ad incitandum palatum, siue ad nutritionem, comedere pisces, ciceres, lentes, pultes varias, variaquè sacaro condita, fructusque cum libertate diuersos, præsertim pro vno tantum die, quàm vnum aridum, siccum, insipidum, nullo obsonio associatum panem. Meritò ergo assero, gratius esse Deo ieiunium in solo pane, quam ieiunium cum libertate in cæteris. Sic ille, *lib.3. Decal.cap.15.§.5. n.18.& 19.*

Ego autem in hac difficultate, vt certum suppono; debere in eo casu vouentem ponere id, quod Deo gratius existimabitur, vt concedunt vtriusque partis Doctores. Sed quid in casu contingenti, Deo erit gratius, non erit mihi facile decidere. Potest certè contingere, quod aliquando rigidius sit, ieiunare sine pane, edendo fabas, lentes, & alia huiusmodi; aliquando verò contrà, rigidius sit, ieiunare in solo pane, quàm in cæteris. Si quis enim non haberet ad manducandum, nisi fabas, aut lentes, & huiusmodi; haberet tamen panem recentem, album & gustui delectabilem, tunc certè rigidius esset, & consequenter Deo gratius, ieiunare, sine pane, in cæteris, vt vult primæ sententiæ Author. E' contrà vero, si quis (vt ait Tamburinus) haberet pisces optimos, pultes varias, variaque saccaro condita, fructusquè diuersos; panem verò aridum, siccum, & insipidum; tunc rigidius esset, & Deo consequenter gratius, ieiunare in solo pane. Igitur quid gratius Deo, quodque ieiunium ex his duobus eligendum in casu occurrenti, ex circunstantiis illorum iudicandum est.

QVÆSTIO XIX.

An, qui vouit, aut iurauit abstinere à carnibus; possit licitè comedere oua, & lacticinia?

Respondeo vt certum: Quod sic; quia hæc non veniunt in communi loquendi more, nomine carnium. Sic communis. Lege Tamburinum *lib.3. Decal.cap.15. §.5.n.21.* & me ipsum *3.p.tract.4. disp.2.q.2.* Vbi id latè, ex iure ipso, probo.

QVÆSTIO XX.

An etiam, qui vouit, aut iurauit, abstinere à lacticiniis; possit vtiquè vesci carnibus?

Negat Tamburinus *lib.3. Decal.cap.15. §.5. n.21.* Quia (inquit) ex communi hominum existimatione, qui à se prohibet lacticinia, prohibet & carnes, seu supponit carnium prohibitionem. Et certè mirum esset, hominem tunc non posse comedere oua, posse Gallinam. Tacitè igitur (nisi expresse contrarium intendatur) in voto abstinentiæ à lacticiniis, inuoluitur promissio abstinentiæ à carnibus, non vero contrà. Ita ille. Qui nullum pro se citat Authorem, posset tamen citare Tabienam, *v. ieiunium q.10.n.10.* Beiam *in suis respons. 2. p. casu 3.* Quia (dicunt) abstinentia à lacticiniis includit carnium abstinentiam, eo quod illa sint carnium pars, vtpotè, quæ ab illa sementinam originem trahunt *cap. Denique, dist.4.*

Sed longè multò probabilius Respondeo dicendum, quod talis vouens, possit licitè vesci carnibus. Quia cùm abstinentia lacticiniorum sit rei minoris, minusquè dilectæ, non extenditur ad rei maioris, magisque dilectæ abstinentiam. Nec certè lacticinia sunt carnium pars, vt probauimus *3.p.tract.5. disp.2.q.4.* Sic optimè Sanchez *lib.4.cap.11.n.46.* Sà *verb. votum, n.25.*

QVÆSTIO XXI.

An, qui vouit abstinere ab ouis, teneatur etiam à lacticiniis?

Respondeo non teneri. Quia hæc sunt verè diuersa, nec vnum in alio includitur. Sic Sanchez *loco cit.n.47.* Sic dicens: Nec qui vouit abstinentiam ab ouis, tenetur à lacticiniis abstinere, nec è contra, qui à lacticiniis, tenetur ab ouis: Nisi in vtroque casu constet de expressa vouentis intentione vtramque abstinentiam comprehensam esse. Sic ille. Nec obstat id quod diximus *3. part. tract. 5. disp.*

disp. 2. q. 32. nempe, quod cui ex dispensatione conceditur facultas edendi ova in Quadragesima, licitum sit illi & comedere lac. Quia in vtroque casu, sequimur partem in fauorem dispensati, & vouentis.

QVÆSTIO XXII.

An, qui vouit, aut iurauit abstinere à carnibus, obligetur abstinere à iure, quo coctæ sunt?

REspondeo vt certum: obligari, nisi aliàs expressè intentionem habuerit ad id non se obligandi. Quia certum est, quod hoc votum, aut iuramentum absolutè emissum obligat instar præcepti Ecclesiastici carnes interdicentis: at hoc interdicit ius, quo coquuntur, vt satis probaui *3. p. tract. 5. disp. 2. q. 8.* ergo, &c. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 11. num. 48.* Legantur Bonac. Trullench, Pasqualig. & alij vbi supra à nobis citati.

DISPVTATIO XXI.

De voto, aut iuramento ingrediendi Religionem.

QVÆSTIO PRIMA.

An, votum de Religione intranda, sit laudabile & pium?

RESPONDEO vt de fide certum: Esse laudabile & pium. Et ideo qui vouit ingressum in Religionem, intrare tenetur illam. Iuxta illud *Ecclesiastici 5. Quod vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Sic tenent omnes Catholici. Legatur D. Thom. 2. 2. q. 88. (non 89. vt legi apud Pradum) *art. 1. & 2.* & ibi omnes eius Interpretes. Prado *cap. 31. de voto, q. 7. num. 1.* & alij cum Pellizzario *tom. 1. Man. Regul. tract. 4. cap. 1. sect. 2.* Basseo *tom. 2. votum 1. n. 40.*

§. I.

De aliquibus modis emittendi votum, aut iuramentum, Religionis intrandæ.

QVÆSTIO II.

An, verè vouеat Religionem, qui dicit: Ego promitto Religionem, nisi Deus aliud de me disposuerit?

REspondeo dicendum, quod hæc forma vouendi (nisi aliud de speciali vouentis intentione non constet) duplicem habere potest sensum. Prior est, *voueo Religionem, nisi Deus ratione morbi, aut alicuius alterius obstaculi, ingressum impedierit,* in quo casu, est verè votum, & obligat ad Religionem, eo impedimento non existente. Posterior est, *voueo, aut promitto Religionem, nisi Deus aliud, quod spirituali meæ saluti expedientius sit, disposuerit.* Et tunc tenetur vouens prudentes, proboſque viros consulere, qui iudicent, attenta inclinatione, aliisque peculiaribus circunstantiis, expediatne magis Religionis ingressus, & si iudicent magis expedire, voto astringi; si vero oppositum, non teneri. In dubio verò vtrum illorum magis expediat, tunc melius est commutationem aut dispensationem impetrare. Sic Corduba in *sum. q. 39. fol. 95.* quem citat, & sequitur Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 95. n. 9.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 16. numer. 2.* Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 17. num. 2.* Pellizzarius *sect. 2. cit. num. 40.*

QVÆSTIO III.

An, verè teneatur Religionem ingredi, qui dixit: Promitto me ingressurum Religionem, si possum?

REspondeo dicendum, quod huiusmodi votum, verè est conditionale, vt notat illa particula, *si possum.* Vnde, quando vouens nescit explicare suam intentionem, quæ ante omnia semper est expectanda, conditio illa, *si possum*, non est intelligenda de potentia physica, nec absoluta morali; quippe hanc omnes se habere norunt, nec frustra apponere illam conditionem præsumuntur: sed de morali quadam potentia, nempe de commodè, & sine magna difficultate adimplendi: Ita vt sensus illius promissionis sit; *ego promitto me ingressurum Religionem, si commodè, & sine difficultate magna possim.* Quod si ita potest, verè tenetur: Secus, si aliàs. Sic Sanchez *loco cit. n. 5.* Trullench, *num. 3.* Legantur & Suarez *tom. 4. in 3. p. q. 85. art. 1. disput. 3. sect. 3. n. 5.* Pellizzarius *num. 40. citato.*

QVÆSTIO IV.

An, verè vouеat Religionem, qui dicit: Promitto me ingressurum hanc Religionem, si quam ingrediar?

NEgant aliqui Neotherici, apud Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 8. num. 46.* existimantes, tale votum, sub dicta verborum forma emissum, esse irritum: nisi alias de intentione speciali vouentis contrarium constet.

Sed in hac difficultate clariùs sic; Respondeo *Primò.* Probabilius omninò est, quod hæc verba: *Promitto me ingressurum hanc Religionem, si quam ingrediar, aut intrauerim,* faciant hunc sensum: *Promitto, quod si aliquam Religionem ingressurus sum, nullam aliam ab hac, vel, nisi hanc, vel quàm hanc, vel præter hanc, ingrediar.* Sic latè Sanchez cum aliis, *lib. 1. de matrim. disp. 19. n. 8. & 10. & lib. 4. Decal. loco cit.* Trullench ex illo *lib. 2. c. 2. dub. 17. n. 3.* Pellizzar. *loco cit. q. 2. num. 41.*

Respondeo

Respondeo *Secundò*. Prædicta verborum forma, nullam obligationem, Religionem ingrediendi inducit; sed liberum vouenti manet ingredi: obligat tamen ad ingrediendam hanc, sub conditione, nempe, si Religionem ingredi velit ille. Sic Trullench, *n.5.cit.* & Sanchez *locis citatis*, præcipuè *de matr. disp.19.n.5.* ibi: si quis promittat nullam se Religionem, nisi Cartusiam professurum, nemo affirmabit teneri Cartusiam ingredi, sed tantum teneri alias Religiones non ingredi, & liberum sibi esse Cartusiam eligere, & tantum, supposita Religionis electione, teneri Cartusiam ingredi. Sic ille & Pellizzarius *loco citato.*

Respondeo *Tertiò*; probabilius omnino est, validum esse votum per prædicta verba conditionalia factum. Quia principaliter includunt hoc bonum, quod est, ingredi hanc Religionem, & si non purè sed sub conditione. Sic ex Paludano, D. Antonino, & Siluestro docet Sanchez *lib.4. Decal.cap.8.n.47.* Trullench, *n.3.cit.*

Vnde rectè hi colligunt, idem prorsus dicendum de his votis: *Promitto me non recitaturum calculos Virgineos, nisi genibus flexis*; vel, *nisi meditando mysteria.* Vel, *Promitto non erogaturum eleemosynam minorem centum aureis*: vel, *quoties erogauero, daturum centum aureos.* Quia omnes huiusmodi vouendi formæ, non obligant ad recitandum, nec ad vllam eleemosynam, sed ad eum modum seruandum, casu, quo vouens recitare voluerit, aut eleemosynam largiri. Legatur Sanchez *n.48.*

QVÆSTIO V.

An, votum faciat Religionis, qui dicit: Voueo nullam personam fore mihi obstaculo quo minus Religionem ingrediar: *Hispanè*, Prometto que nadie a deser parte, para que no entre en Religion?

Respondeo quod non faciat votum Religionis per dicta verba, nisi aliud constet de speciali vouentis intentione. Quia sensus illorum verborum est; non omittam ingredi Religionem precibus alicuius ductus: quare spontanea voluntate posset ille talem ingressum omittere: nec adhuc reus esset voti, si importunè rogatus omittat, non ob illas preces, sed, quia aliàs mutauit voluntatem, ob alias rationes. Valebit tamen votum id non omittendi ob preces importunas alterius: quia etsi ex mera voluntate possit id omittere, non tamen parum deseruit obsequio Dei, non posse à bono proposito ingrediendi videlicet Religionem, desistere, ob importunas cuiusuis preces. Sic Sanchez *lib.4.Decal.cap.16.num.7.* Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 17. numer.4.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 4. cap. 1. sect. 2. q. 2.n.41.*

Quisecus dicunt de illo, qui diceret: *Voueo nihil fore impedimento, quo minus Religionem ingrediar*: quia tunc verè facit votum Religionis, cum sensus verborum sit, nullam rem esse sufficientem ad retrahendum me à Religionis ingressu: ergo cum omne obstaculum excludatur, absolutum est Religionis votum. Ex coniecturis autem colligi potest, quisnam horum verborum sensus sit. Legantur dicti DD.

QVÆSTIO VI.

An teneatur ad ingressum Religionis, qui facit votum volendi Religionis ingressum?

Respondeo vt certum: Quod non. Quia votum volendi Religionis ingressum, non est votum Religionis. Quia huiusmodi vouens non promisit Religionem ingredi; sed tantum se aliquando in animo habiturum Religionem ingredi. Vnde cum ea voluntas bona sit, quæ obiectum illius voti est, obligabit votum ad habendam aliquando eam bonam voluntatem. Satisfiet tamen voto, habita semel ea firma voluntate; nec obstabit matrimonio ineundo: quia cum eo inito, non sit impossibilis Religionis ingressus, sed possit esse de licentia alterius coniugis, aut diuortio perpetuò celebrato; potest, adhuc matrimonio inito, haberi ea voluntas, & sic voto satisfieri. Sic Nauar. *lib.3.consil.tit.de voto, consil.6.aliàs* 10. Azor *tom.1.lib.11.cap.22.q.11.* Quos citat, & sequitur Sanchez *lib.4.Decal. cap. 16.n.8.* Trullench, *lib.2.cap.2.dub.17.n.5.* Pellizzarius *n.41. citato.* Basseus *tom.2.votum 1.num.42. vers. votum autem.*

QVÆSTIO VII.

An, votum nolendi in sæculo viuere; sit votum Religionis?

Respondeo quod non. Vnde huiusmodi vouens non tenebitur Religionem ingredi, vi huius voti; sed solum obligabitur ad non eliciendum hunc actum, volo in sæculo viuere. Quare satisfaciet voto, habendo se negatiuè, nempe, nec eliciendo actum volendi viuere in sæculo, nec contrarium. Et ideo poterit matrimonium inire: vt benè probat Sanchez *loco cit.* Sic ipse, ex Nauarro & Azorio, vbi supra, & Trullench.

QVÆSTIO VIII.

An emittat votum Religionis, qui promittit, se moriturum in Religione; seu, se extra Monasterium non moriturum?

Respondeo vt certum: Quod sic. Quia tacitè his verbis, Religionis votum continetur, perindèque fit, ac si vouerit se Religiosum futurum. Ratio patet: Quia non potest quispiam in Religione mori, nisi illam ingrediatur, in eaque perseueret. Vnde tale votum non solum est ingrediendi, sed etiam perseuerandi, & profitendi in Religione. Sic Nauar. *lib.3. consil.tit.de voto, consil.7. aliàs 23.* Azor, *q.11.citata.* Rodrig. *tom.2.sum. cap. 95. num. 2.* Sanchez *cap.16.citato, n.9.* Trullench, *dub.17.citato num.6.* Pellizzarius *tom.1.tract.4.cap.1.sect.2. q. 2. n. 40.* Basseus *loco citato num.42.*

QVÆSTIO IX.

An, qui vouit se moriturum in Religione; ita statim teneatur ad ingressum Religionis; ac tenetur, qui promisit, aut vouit absolutè Religionem?

AFfirmandum videtur. Quia (vt nuper est habitum) huiusmodi, verè vouit ingressum Religionis, imò & perseuerantiam in illa: ergo obligabitur ad illius ingressum, eodemmet tempore, quo obligatur qui votum absolutum ingrediendi Religionem emisit. Hæc pars est probabilis, vt innuit Sanchez, & illam tenet Basseus *num.* 42. *fine.* ibi: Hoc votum, secluſa peculiari vouentis intentione, videtur eo tempore obligare, quo obligaret votum absolutè emissum ingressus Religionis.

Sed probabiliùs Respondeo non ita statim, obligari. Quia verè, qui ita vouit, non vouit absolutum ingressum Religionis, sed solum, ante mortem: & ideo solum obligabitur ad ingrediendum, intra tempus, in quo sit possibilis ingressus, & Religioni vtilis, ac ille habeat vires ad Religionis onera sustinenda. Sic Trullench, *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 17. *num.* 6. qui citat Sanchez, vbi supra *num.* 10. & Azorium, & Rodriguez vbi supra. Sed Pater Sanchez id docet *numer.* 9. & Azor, & Rodriguez nil de hac difficultate tractant; benè tamen de illa, quam *quæst.* 8. egimus. Vnde etiam illos male citat pro se Basseus.

QVÆSTIO X.

An, votum vitæ Heremiticæ, & solitariæ sit obligatorium?

NEgandum videtur. Tum quia huiusmodi votum, non est Religionis, vt omnes fatentur. Tum etiam: quia à sæculari vita, immediatè ad heremiticam transire, absque specialissimo Dei instinctu, est res periculosissima, vt communiter docent Patres: ergo non est apta materia voti. Hæc pars etiam videtur probabilis Sanceo; cum oppositam sibi magis placere solùm fateatur. Cum ipso igitur.

Probabilius Respondeo tale votum esse obligatorium, & validum; præsertim si emittatur à persona orationi debita, & in rebus spiritualibus exercitata. Quia, etsi prædictum votum non sit Religionis, est tamen religiosum, & pium; cum contineat obligationem abstinendi in perpetuum à matrimonio, & manendi in statu Cœlibum, & solatiè vacandi Deo. Sic Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *numero decimo*, Trullench, *numero septimo.*

§. II.

De vouente, aut iurante absolutè, ingressum Religionis in communi.

QVÆSTIO XI.

An, qui vouit absolutè Religionem, satisfaciat voto, assumendo habitum Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & Monteiæ?

AFfirmat Basilius Pontius *tract. de impedim. matrim. causa* 27. *q.* 2. §. 4. *& lib.* 9. *de matrim. cap.* 7. *numer.* 6. Vbi docet, votum de suscipienda Religione, satis adimplere illum, qui Ordinem D. Iacobi susciperet, & profiteretur in illo. Quia illius Professores, verè, & propriè sunt Religiosi. Hunc Authorem refert Diana 2. *p. tract.* 16. *resol.* 36. De huius sententia hæc verba profert: *Hæc opinio est valde notanda, quia est noua, & à viro sapientissimo emanata.* Propter quod, Hieronim. Garcia *tom.* 1. *Politiæ Regni, tract.* 2. *diff.* 1. *dub.* 7. *pun.* 1. *numer.* 6. hanc opinionem probabilem existimat.

Sed multò longè probabilius, multoque certius Respondeo: Non satisfacere voto assumendæ Religionis, qui habitum dictorum Equitum assumeret. Quia, licèt probabilius sit, quod præfati Equites sint verè, & propriè Religiosi, vt cum multis diximus 1. *p. tract.* 5. *de pœnit. disp.* 11. *q.* 47. & Clariùs *disp.* 14. *q.* 121. *& supra disp.* 17. *q.* 96. nihilominus dicendum est, non satisfacere prædicto voto ingrediendo hanc Religionem. Quia communiter Religionem vouentes, non intendunt hunc habitū Militarem assumere, sed statum Religiosorum viuentium in communi, sub obedientia, Paupertate, & Castitate, & alienum à tumultu, fastu, & curis sæcularibus. Sic sentiunt Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *n.* 11. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 14. Bonac. *disp.* 4. *de voto, q.* 2. *pun.* 5. §. 6. *n.* 5. Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 18. *n.* 2. Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 7. §. 1. quasi per totum, & omnes Doctores, præcipuè illi, qui tenent tales Milites non esse verè & propriè Religiosos. Sic etiam Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *q.* 3. *n.* 42.

QVÆSTIO XII.

An saltem, qui emisit votum Religionis, satisfaciat assumendo habitum Equitum Sancti Ioannis?

AFfirmant plures Doctores. Quia certissimum est vt nos diximus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 120.) prædictos Milites esse verè, & proprie Religiosos, cùm tria solemnia vota paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emittant: ergo eorum Ordo est vera Religio: ergo consequenter qui emisit votum Religionis, satisfaciet voto, si dictum S. Ioannis Ordinem suscipiat. Ideo ita tenent Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. Azor, *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 4. *q.* 4. Rodriguez *tom.* 2.

ſum. cap. 95. num.8. Fernandez *in examin. Theol. Moral. p. 3.cap.9. ſect. 11.§. 18. n. 10.* Regius *in reſolut. caſuum conſc.caſu 53. n.15.* Hieronym.Cenedo, *de Paupert. religioſa dub.10.n.6.* & à fortiori Baſilius ſupra citatus, quos omnes citat, & ſequitur Diana *2. p. tract.16. reſol. 36.* & hanc opinionem, vt probabilem admittunt Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2.dub.18.n.3.* & Candidus *diſquiſit.25.art. 14. dubit.2.& 6.* Suarez *lib.4.cap.2.n.15.* & tenet Sayrus *lib.6.cap.7.num.10.*

Sed probabilius Reſpondeo adhuc iſtum vouentem, non ſatisfacere voto, aſſumendo habitum Equitum S. Ioannis. Quia etſi horum ſit verus Ordo, tamen ex communi omnium æſtimatione, & modo concipiendi, qui vouet Religionem, cenſetur, vt diximus, promittere ſæculum relinquere, & alienum à tumultu, & faſtu ſæculari in communitate viuere. Sic Sanchez *lib.4.Decal. cap. 16.num.12.* Corduba *in ſum. q. 148.* Portel. *in addit.ad dub. Regul. verb. Religioſus, n. 4.* Bartholom. à S. Fauſto *in Theſaur. Relig.lib.1. q. 187. n.3.* Bonacina *diſp. 4. q.2.pun.5.§.6.num.15.* Layman *lib.4.tract.5.cap.6.* Caſtro Palao *tom.3.tract.16.de ſtatu Religioſo,diſp. 1.pun.3. num. 6.* Prado *tom.2. cap.31.de voto,q. 7. §.1. num.11.* & alij.

QVÆSTIO XIII.

An ad minus, adimpleret votum Religionis, qui aſſumeret habitum Clericorum Ordinum Militarium in communi viuentium?

REſpondeo tanquam certum: Quod ſic. Quia huiuſmodi Clerici veram vitam Regularem in cœnobiis, inſtar aliorum Religioſorum ducunt. Sic communis. Sanchez *num.12. cit.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib.4.cap.2.n.14.* Bonacina *n.15.* Palaus *n. 6. cit.* Trullench, *n.3.* Prado, & alij, *locis citatis.*

QVÆSTIO XIV.

An vouens Religionem abſolutè, ſatisfaciat ingrediendo Religionem planè quoad ſubſtantialia collapſam?

REſpondeo vt certum (quidquid dubitet Sà *q.16.* citandus.) Quod non ſatisfaciat. Quia huiuſmodi, ſi quæ eſt, Religio, non meretur nomen Religionis (niſi alias ſpes proximæ reformationis ſit) nec eſt conſilium illam ingredi, ob magnum ex impiorum ſociorum familiaritate peruerſionis periculum. Secus autem dicendum, ſi Profeſſores talis Ordinis, obſeruent ſubſtantialia Religionis, quamuis à priſtino feruore, & perfecta Regulæ Obſeruantia defecerint: Quia horum vita verè ſæculari præfertur. Sic Nauarr. *cap.12.n.46.* Valentia *2. 2. diſp. 6. q.6.pun.4. q.3. verſ. Ratio eſt.* Rodrig. *tom.2.ſum. cap.95. n.3.* Sanchez, vbi ſupra *n.13.* Trullench, *n.4.* Prado *numer. 1.* & alij, qui dicunt tale votum non obligare vouentem in priori caſu.

QVÆSTIO XV.

An, prædictus vouens ingrediens Religionem, quoad ſubſtantialia collapſam; non ſatisfaciat voto, verùm etiam mortaliter peccet?

REſpondeo dicendum: Quod non ſolum non ſatisfaceret voto, ſed quod denuo peccaret mortaliter, ob peruerſionis periculum. Sic Nauarr. *cap.12.cit.n.36.* & *num. 51.* vbi docet, peccare mortaliter Parentes, qui filios, vel filias ſimilibus Religionibus tradunt. Accipe eius verba: vigeſimo, peccat, qui filios, vel filias offert Monaſteriis Religioſis, vbi nimia cum libertate, & licentia viuitur, & promiſſa ſecundum Regulam ſuam, & Religionem non obſeruantur, iuxta mentem Card. Caiet. *2.2. q.189. art. 5.* Quod tamen limitandum eſt procedere, quando filiæ, vel filij traduntur Monaſteriis, in eiſdem educandi, inſtituendiquè, quò in eis fiant Monachi vel Monachæ, & ibi, tam licentioſè viuitur, ac ſupra *eod.cap. n. 46.* dictum eſt: aliàs non eſſet peccatum, ſaltem mortale. Sic meus Nauarrus. Quem refert (ſed non ita clarè) & ſequitur Prado *loco citato, num.1.* Sanchez *loco cit.n.14.* & alij. Quod amplius confirmabitur ex mox dicendis.

QVÆSTIO XVI.

An, votum ingrediendi certam Religionem, obliget, caſu, quo talis Religio ſit, quoad ſubſtantialia collapſa, nec ſit ſpes proximæ reformationis?

NEc affirmare, nec negare audet Sà, *verb. votum, n.11.* vt per hæc verba fatetur: Quidam putant, votum Religionis, vbi Regula non ſeruatur, non tenere: nec qui Religionem vouit, debere ingredi eam, ſi ibi pro libito viuitur. Ego neutrum affirmare auſim. Ita Sà.

Sed vt certum fere Reſpondeo ex dictis, non obligare. Quia tunc, vt nuper eſt habitum, materia voti eſt illicita, ob peruerſionis periculum. Secus ſi ſubſtantialia ſeruentur: quia tunc iam materia eſt licita. Sic Sanchez *loco cit.n.14.* ex Caietano, Nauarro, Petro Ledeſma, Lopezio, & aliis.

QVÆSTIO XVII.

An vouens ſtrictiorem Religionem; ſatisfaciat voto ingrediendo laxiorem?

REſpond. tanquam certum: Non ſatisfacere voto ingrediendo laxiorem, & conſequenter peccare mortaliter, quamuis ſi in laxiori profiteatur, profeſſio erit valida, & manebit liber à voto ſtrictioris. *Prior pars* probatur. Quia minus præſtat, quã promiſerit: atqui nullus poteſt, propria authoritate, votũ in rem minorem cõmutare, vt ſupra eſt habitũ: ergo.

Secunda

Secunda verò pars, etiam constat; quia non implere votum in materia graui, qualis est hæc, est mortale. *Vltima verò pars* etiam patet, quia votum solemne, maius, & fortius est voto simplici. Sic habetur expressè in cap. *Qui post votum, de Regularib. in 6.* Vbi dicitur: Qui post votum à se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam etiam laxiorem ingrediatur, & profiteatur in ipsa, potest voto non obstante priori, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum, manere licitè in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda, sic Bonifac. VIII. & docent ex illo omnes. Nauarr. *cap. 12. num. 48.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 16. n. 16.* Palaus *tract. 16. de statu Relig. disp. 1. pun. 3. numero 7.* Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 18. n. 5.* Prado *cap. 31. de voto, q. 7. §. 2. num. 12.* Pellizzar. *tom. 1. Man. Regul. tract. 4. cap. 1. sect. 2. q. 4. num. 43.* Basseus *tom. 2. votum 1. num. 50.*

QVÆSTIO XVIII.

An saltem, satisfaciat voto, maneatque immunis à peccato, si vouens strictiorem Religionem, ingrediatur laxiorem habentem priuilegium admittendi eos, qui strictiorem vouerant?

REspondeo tanquam certum: satisfacere voto, & manere immunem à peccato. Quia hoc potest facere Pontifex in fauorem Religionis, & bonum commune, vt de facto multi fecere. Sic Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 22. q. 12. in principio.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 16. numer. 25. & 94.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. numero octauo* Palaus *disp. 1. cit. pun. 3. numero octauo*, Prado §. 2. *cit. numer. 13.* Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 18. numer. 9.*

QVÆSTIO XIX.

An sint aliquæ Religiones, quæ de facto gaudeant priuilegio admittendi eos, qui strictiorem suâ Religionem vouerunt?

REspondeo quod sic. Nam in primis Eugenius IV. id concessit Congregationi S. Benedicti, vt refertur *in compendio priuilegiorum Dominicanorum, fol. 252.* & *in compen. priuileg. Societatis Iesu, v. commutatio, §. 3.* Subditur tamen limitatio ab Eugenio IV. vt, è laxiori exiens, teneatur ad strictiorem Religionem priùs promissam. De quo Sanchez *lib. 4. cap. 16 num. 94. & 97.*

Rursus Leo X. id ipsum concessit Camaldulensibus, in Bulla quæ incipit, *Et sta summo*, de qua mentionem faciunt Yepes *tom. 1. Historiæ Bened. in Appendice.* Quintanadueñas *tom. 2. tract. 5. singul. 13. numero sexto & septimo*, & Prado *loco cit. num. 13.*

Deinde Societas Iesu habet facultatem commutandi voti arctioris Religionis, in vota biennij, quæ à suis Religiosis, ante solemnem professionem fiunt. Constat ex *compend. Priuil. Societ. v. commutatio, §. 3.* De quo indulto mentionem faciunt Sanchez *lib. 4. cap. 16. n. 94.* Palaus *disp. 1. de statu Religioso, pun. 3. n. 8.* Pellizzarius *tom. 1. tract. 3. c. 4. q. 6. num. 29.*

QVÆSTIO XX.

An, vouens Religionem laxiorem, satisfaciat ingrediendo arctiorem, aut sanctiorem?

REspondeo tanquam certum: Satisfacere. *Primò* quia, vt supra est habitum, quilibet potest, sua propria authoritate, suum votum in euidenter melius commutare. *Secundò*, quia etiam (vt supra est habitum quoque) iure communi licitus est transitus à Religione laxiori ad strictiorem, etiam post Professionem: ergo à fortiori, licitum erit vouenti à Religione laxiore, transire ad arctiorem. Sic omninò Pellizzarius *tract. 4. cap. 1. sect. 2. q. 4. numer. 45.* & Caramuel *in Reg. D. Benedicti disp. 40. numer. 462. concl. 12.* & omnes. Legantur dicta à nobis *disp. 18. de commutatione, q. 7.*

QVÆSTIO XXI.

An item, vouens certam aliquam Religionem, possit propria authoritate, ingredi aliam arctiorem, aut Sanctiorem?

REspondeo dicendum: Posse. Constat, tum ex nuper dictis. Tum etiam, quia alioqui votum esset impeditiuum maioris boni. Sic ex D. Anton. Angelo, & Reginaldo docet Pellizzarius, vbi supra *q. 5. num. 46.*

QVÆSTIO XXII.

An deinde, vouens certam Religionem, possit, etiam sua propria authoritate, ingredi aliam æquè arctam, aut Sanctam?

AFfirmant omnes, qui docent, posse vouentes, ex se, absque alia facultate Superioris, commutare proprium votum, in euidenter æquale, quos retulimus supra *disp. 18. quæst. 9.* Et ita in propriis terminis id docent Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 16. n. 26.* & Pellizzar. *num. 46. citato.* & alij.

Sed probabilius Respondeo non posse. Quia pro probabilius existimauimus, vbi supra, nō posse quem, votum, propria authoritate, in euidenter æquale commutare: ergo. Sic tenent in propriis terminis Nauarrus *in commentar. 4. de Regular. n. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 22. quæst. 12.* & debent tenere omnes Doctores, quos pro nostra sententia adduximus *disp. 18. quæst. 9.*

QVÆSTIO XXIII.

An, vouens ingredi Monasterium magis reformatum, v. g. Fratrum Recollectorum D. Francisci; satisfaciat ingrediendo in minus reformatum eiusdem Ordinis, cuius fratres, Obseruantes *vocantur?*

REspondeo dicendum ex dictis nuper; Non satisfacere: Quamuis sint eædem vtriusque substantiales obligationes, ac transitus de vno in alium. Sic Corduba in sum. *q.* 139. *non* 130. (vt leges apud Rodriguez, vbi, expresse hanc quæstionem tractat) ibi: [Digo que aunque parece, que el Pedro entrando en los Obseruantes professa lo mismo, que los Recoletos, i que assi cumple con su voto. Empero porque quando hizo el voto, tuuo intencion special de entrar i viuir de la manera de aquellos Religiosos, en mayor penitencia que los otros Obseruantes de la misma Orden, i conforme a la tal intencion se ha de iuzgar la obligacion del voto, segun la comun doctrina de los Theologos. Por tanto me parece, que el Pedro es obligado à entrar en aquella Familia, ò Monasterio de Recoletos ala qual tuuo intencion, (sic lege, non, *que no tuuo intencion*) quando hizo el tal voto, &c. Aunque el dicho Pedro, despues de auer alli echo su Profession, bien podria pasarse alos Obseruãtes no Recoletos, de licencia de su Perlado, que tenga auctoridad para ello, como se suelen pasar los otros Recoletos ala dicha Obseruancia, i por la misma causa. Pues no se obligo por su voto à mas de como suelen viuir los dichos Recoletos, en todo ò en parte del tiẽpo de su vida, i con la libertad que tienen para pasarse alos Obseruantes, como ellos la tienen.] Hæc Corduba. Quem citat, & sequitur Rodriguez *tom. 2. c. 95. de voto, n. 3. fine,* Sanchez etiam *lib. 4. Decal. cap. 16. n. 24.* vbi addit, id esse dicendum, quamuis votum perseuerantiæ apud Recolectos emiserit: quia id iam cessauit per Professionem, quod si post illam, emissum sit, poterit à Superiori irritari. Sic etiam Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 18. numer. 8.*

QVÆSTIO XXIV.

An, qui Religionem in communi, vagè & indeterminatè vouit; satisfaciat voto, si non omnes, sed aliquas varias Religiones imploret?

REspondeo vt certum: Satisfacere voto, si solùm aliquas Religiones distinctas exploret, & quærat, in quibus si non admittatur, liber manebit à voto à se emisso. Ratio est: Quia, etsi votum de Religione in communi assumenda, sit votum de assumenda aliqua ex omnibus Religionibus, ac proinde per se obliget omnes Religiones tentare, vt si fortè aliqua sit, in qua mandare votum executioni possit: attamen, quia tentatis aliquibus Religionibus, & ab ipsis repulsus, probabiliter colligitur, ab omnibus esse repellendum, ideo satisfaciet omnino, si plures, non omnes, Religiones ingredi tentet. Sic Palao *tom. 3. tract. 16. de statu Religioso, disp. 1. pun. 3. numer. 6.* ex Suario *tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 2. numer. 16.* Azorio *tom. 1. lib. 11. cap. 22. q. 2.* & Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 16. numer. 44. & 47.* & est omnium; inter quos, solum est difficultas, quot Religiones tentare debeat dictus vouens, vt remaneat à voto liber. Pro qua sit.

QVÆSTIO XXV.

An, vt liber sit dictus vouens à Religionis voto, sufficiat, si quinque, vel sex Religiones quærat, & ab illis sit repulsus?

NEgant aliqui Doctores, existimantes tot Religiones teneri quærere, quot sufficiant ad coniiciendum, quod in nulla alia admittatur. Ita Aragon *2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.* & Rodrig. *in sum. cap. 95. num. 4.*

Castro Palaus verò, *num. 6. cit.* id prudentis arbitrio esse relinquendum docet, his verbis: Quot autem Religiones tentare debeas, vt prudenter iudicare possis, ex illarum expulsa, ab omnibus esse repellendum, prudentis arbitrio mensurandum est, & colligendum ex occasione repulsæ, quæ generalis, & communis aliis Religionibus esse debet. Ita ille. Citans pro se Suarium, Azorium, & Sanchez, sed non multum benè. Vnde.

Clariùs Respondeo. Sufficere, vt liberetur à voto Religionis, si quinque, vel sex Reliones quærat, & tentet, & à nulla sit admissus. Ratio est, Quia, (vt benè Doctores primæ sententiæ) vouens tot Religiones debet tentare, quot sufficiant ad coniiciendum probabiliter, quod in nulla alia foret admittendus: atqui, qui à quinque, vel sex Religionibus est expulsus, probabiliter cõiicere potest, fore vt in nulla alia admittatur: ergo. Sic Azor *lib. 11. institut. Moral. c. 22. q. 2.* ibi: Si Religionẽ vouit generatim, satis est, si quinque, vel sex diuersi instituti Ordines in sua Prouincia constitutos exquirat. Sic ille. Valentia *2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 4. col. penult. notab. 4.* Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tract. 10. cap. 3. dub. 5.* quos citat, & sequitur cum aliqua limitatione, Sanchez *lib. 4. cap. 16. num. 47.* Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 19. num. 1.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 4. cap. 1. sect. 2. q. 6. num. 47.* Candidus *disquis. 25. art. 14. dubit. 22. dicto 33.* Prado *cap. 31. de voto, q. 7. §. 3. num. 33.* Sotus, Suarez, Sà, Toletus, & alij, apud ipsum.

QVÆSTIO XXVI.

An, rursus, vt liber sit à voto dictus vouens, non solum sit necessum, vt tentet quinque, aut sex diuersas Religiones, verum etiam quinque, vel sex Monasteria cuiuslibet Religionis ex his?

NEgat non obscurè Prado loco citato, *num. 33.* dum exagitans hanc quæstionem ita ait: Pro praxi dicendum est, istum non teneri extra proprium Regnum, vel Prouinciam, vel Gentem

suæ

suæ linguæ exire; sed satis erit, quinque Conuentus, vel sex, vel eiusdem Religionis, quando votum est de vna in particulari, vel diuersarum, quando est Religionis indistinctè. Ita ille, citans pro se Sotum, Petr. Ledesmam, Candidum, Ioan. à S. Thoma. Valentiam. Saa, Toletum, Suarium, Palaum & Bonacinam. Sed non omnes benè; citari tamen possunt Azorius, Trullench, Valentia, & Petr. Ledesma.

Igitur probabilius Respondeo necessum esse regulariter loquendo, vt tentet quinque aut sex Monasteria cuiuslibet ex dictis Religionibus, & ab omnibus sit repulsus, vt liber à voto Religionis maneat. Sic in primis tenet Sanchez *n.* 47. *citato ibi:* Quod tamen intelligo, si adeat quinque, vel sex Monasteria cuiuslibet Religionis ex his. Nam perinde se habet hic respectu cuiuslibet Religionis, ac vouens determinatam respectu illius determinatæ: si ergo vouens determinatam tenetur quinque, vel sex illius Monasteria adire; vouens indeterminatam tenebitur totidem cuiuslibet ex illis. Sic Sanchez. Et Candidus sic: Qui Religionem vagè, & indeterminatè vouit, satis sit, si quinque, vel sex varias Religiones exploret in sua Prouincia, vel Regno, quod tamen intelligendum est, si adeat quinque, vel sex Monasteria cuiuslibet Religionis ex his, &c. Sic ille ex Sanchez, quem citat Pellizzarius etiam *q. 6. citata, num.* 47.

Nec Sà assignat quinque aut sex Religiones: vt ait Prado, sed solum dicit aliquot, per hæc verba: Qui vouit Religionem certam, debet quærere aliquot eius Monasteria, vt recipiatur. Qui autem Religionem in communi, aliquot diuersarum Religionum in ea Prouincia. Sic Sà, *v. votum, num.* 12. Nec Palaus assignat quot Religiones debeat vouens quærere, vt constat ex verbis eius relatis *supra q.* 25.

QVÆSTIO XXVII.

An semper, & in omni euentu, sit necessum, vt dictus vouens tentet quinque, aut sex Conuentus cuiuslibet Religionis ex his?

REspondeo dicendum, quod non: nam aliquando sufficiet vnum Monasterium adire cuiuslibet Religionis ex illis quinque, aut sex, quas diximus, quæstione antecedenti, teneri adire. Nempe, quando viri docti, & probi illius instituti iudicant vouentem in nullum suæ Religionis monasterium admittendum. Sic Sanchez *loco cit. n.* 48. vbi, è contra addit, aliquando non sufficere ea quinque vel sex Monasteria adire, videlicet, si ex illis non desumatur cæterorum Monasteriorum iudicium, sed adhuc probabilis spes maneat admissionis in alio loco. At communiter, & in dubio coniectura à nobis quæstione antecedenti tradita, sufficiens est ad libertatem vouentis diiudicandam.

QVÆSTIO XXVIII.

An, qui vouit Religionem in communi, & indeterminate, teneatur ingredi in quamcumque strictissimam, si in aliis minus strictis, non admittatur?

REspondeo non teneri, nisi id expresse vouerit. Quia non censetur vouere, nisi aliquam ex Religionibus, quæ communi hominum naturæ accommodatæ sunt, non quæ indigeant speciali Dei vocatione, & auxilio. Huiusmodi autem Religiones sunt Carthusianorum, Capucinorum, Camaldulensium, vt aiunt Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 49. & penes ipsum, Ricardus, Angel. Sylvest. & Armilla. Sic etiam Palaus *disp.* 1. de statu Religioso, *pun.* 3. *n.* 6. Qui inter dictas Religiones strictissimas enumerat (licet timidè) Religionem Minimorum S. Francisci de Paula, ob votum Quadragesimalis abstinentiæ. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *numero primo.* Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *q.* 6. *numer.* 48.

QVÆSTIO XXIX.

An, qui Religionem vouit in communi; teneatur totum orbem peragrare, vt in aliqua admittatur?

REspondeo vt certum; Quod non, etiam casu, quo vouens promisisset totum orbem peragraturum, donec admittatur. Quia huiusmodi votum esset stultum, & de re impossibili. *Primam* partem docet Angel. *verb. votum* 3. *num* 10. ibi: Nec credo, quod teneatur per mundum discurrere, vt vnam *Religionem* inueniat, quæ eum recipiat; quia nec hoc cogitauit, nec ad hoc verisimiliter se voluit obligare. Sic ille. Et Sylvest. *Religio* 2. *q.* 16. *Secundam* verò, Sanchez, *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *n.* 42. ex Palacio *in* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *post* 4. *concluf. fol.* 827.

QVÆSTIO XXX.

An saltem, si non per totum mundum; teneatur saltem, per maiorem partem eius discurrere, ad inueniendam aliquam Religionem, in qua admittatur?

AFfirmat Abulensis *cap.* 30. *Nauar. q.* 52. fine, docens, teneri huiusmodi vouentem Religionem in communi, non limitando intentionem suam, omnia Religionis promissæ adire. Cui consonat Palacios *in* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *post* 4. *concluf.* quatenus dicit, teneri adire Monasteria vniuersa, quæ potest, iuxta facultatem suam. Ita etiam Nauarr. *in sum. cap.* 12. *n.* 48. *& lib.* 3. *consil. tit. de voto, consil.* 28. (aliàs 2.) *n.* 3. & alij, apud Sanchez *loco cit. n.* 43.

Sed omnino Respondeo dicendum: Non teneri Religionem, extra Prouinciam, seu Nationem, quærere, vt admittatur. Quia nullus Religionem vouens, cẽsendus est, se velle obligare ad Religionẽ suscipiẽdã extra suã propriã Prouinciã, seu Nationem. Ratio est: quia

quia nemo obligatur, niſi ad moralem exequendi voti diligentiam: at non eſt in more, vt quis adeat diſtinctas Prouincias, aut nationes, cauſa ingreſſus Religionis, nec id vouere ſolet: ergo ad id vouens non obligatur. Sic in primis tenet Nauarr. *in ſum. cap. 27. num. 276.* explicans, quod antea docuerat *loco cit.* his verbis: Hoc ipſo die, &c. tactum fuit, an qui Hiſpanus probabiliter ante 20. annos vouerat ingredi Religionem fratrum Minorum Conuentualium, quæ poſtea à fœlicis rec. Pio V. in tota Hiſpania abrogata fuit, tenetur quærere extra illam, vbi non eſt abrogata, Monaſterium in quo reciperetur? Et videtur non teneri, tum per dicta ſuper *cap. 12. n. 48.* Tum, quod actus agentium non operantur vltra fines eorum. *l. Non omnis, ff. de rebus cred.* & orator non intenderat, extra Hiſpaniam. Sic ille. Quia quamuis in vtroque loco loquatur Nauarr. de illo, qui determinatam aliquam Religionem promiſit; idem eſt caſus, & ratio de vouente Religionem indeterminatam, & vagè ſumptam: vt benè Sanchez infrà. Sic etiam Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 2. n. 9. & 10.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 16. n. 44.* & penes ipſum (vltra Nauarrum vbi ſuprà) Aragon 2.2. *q. 88. art. 3. ad 2.* Sà, *v. votum, n. 12.* Azor *lib. 11. cap. 22. q. 1. fine.* Valentia 2.2. *diſp. 6. q. 6. punct. 4. notab. 4.* Toledo *lib. 4. ſum. cap. 17. numero 12.* Rodrig. Petr. Ledeſma, & alij. Sic & Palaus *diſp. 1. de ſtatu Relig. punct. 3. num. 6.* Prado *cap. 31. de voto, q. 7. §. 2. n. 35.* Ioan. à S. Thoma 2,2. q. 88. *diſp. 29. art. 10. concl. 2.*

QVÆSTIO XXXI.

An, vouens Religionem in communi, teneatur ad minus quærere Religiones per omnia loca eidem Regi ſubiecta, etiamſi diuerſæ ſint linguæ?

REſpondeo dicendum: quod non. Sic Sanchez ſuprà *n. 45.* his verbis: Atque idem credo de locis eidem Regi ſubiectis, quando diuerſæ ſunt linguæ, morumque diuerſorum, ac legum. Vt vouens caſtellanus, non tenetur adire Indos, Luſitanos, Valentinos, aut Cantabros, etſi nullibi admitteretur, ac certus eſſet, ſe ibi admittendum. Quod per accidens loca hæc eidem Regi ſubiiciantur, & vtuntur diuerſis moribus, diuerſaquè lingua; & eſt notabiliter difficilius Caſtellano, ibi habitum aſſumere, quàm apud ſuos. Et ita videtur ſentire Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 2. art. 1. ad 3. verſ. Sed eſt dubium*, dicens, non teneri hunc, Religionem procurare, niſi intra Regnum, & linguam. Hæc Sanchez.

QVÆSTIO XXXII.

An, fœmina, quæ vouit in communi Religionem; teneatur, extra ſuam Prouinciam, Religionem quærere; ſi in ſua non admittatur?

REſpondeo tanquam certum: Non ſolùm non teneri quærere Religiones, ſeu Monaſteria, extra ſuam Prouinciam, aut propriam Nationem; ſed nec longè à patria, & loco, vbi ſunt eius Parentes, & cognati. Quia communiter fœminæ in his locis habitum Religionis ſuſcipiunt, non extra. Sic Caiet. 2.2. *q. 88. art. 3. ad 2.* & ex illo Sanchez *loco cit. num. 46.* dicens ſic: Et ita rectè Caietanus dixit, adoleſcentulam, vel viduam, quæ vouit Religionem, & non admittitur in ſua patria, vel propè, & quieſcit patienter, reputando ſibi impoſſibilem rem promiſſam, non teneri alia loca adire, vt recipiatur. Quia ſatis facto ſuo oſtendit, ſe noluiſſe ad alia loca adeunda ſe obligare; Imò, idem credo, etſi illa fortè ſcrupulis agitata, non quieſcat. Quia ex communi vouentium fœminarum vſu colligitur mentem eſſe noluiſſe ſe ad alia loca adeunda obligare; ſed ſub ea tacita conditione, ſi in ſua patria, aut in loco ita patriæ vicino admittatur, vt poſſit dici, admitti in ſua patria. Sic Sanchez, Palaus & Prado *locis citatis*, Bonac. *diſp. 4. q. 2. punct. 5. §. 6. num. 14.*

QVÆSTIO XXXIII.

An, ſi vouens Religionem in communi, in aliis Religionibus non admittatur; teneatur ingredi Religionem militarem, nempe, D. Iacobi, vel Alcantaræ, Calatrauæ, aut D. Ioannis?

AFfirmandum videtur: quia, vt ſæpè diximus, huiuſmodi milites præcipuè hi vltimi, veri Religioſi ſunt.

Sed omnino Reſpondeo dicendum: non teneri vouentem ingredi Religionem aliquam militarem, quia huiuſmodi Religiones non comprehenduntur in communi voto Religionis, vt ſuprà eſt habitum. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 16. num. 51.* Palaus *loco cit. n. 6.* Pellizzar. *loc. cit. q. 6. n. 49.* Qui addunt, ſecus dicendum loquendo de Ordine Clericorum Ordinum Militarium, & Canonicorum Regularium, in quos teneretur vouens ingredi.

QVÆSTIO XXXIV.

An, qui vouit Religionem, ſi adeat Generalem, aut Prouincialem, & ab illis non admittatur; maneat liber à voto?

AFfirmatiuam ſententiam inſinuare Sotum *lib. 7. de iuſt. q. 2. art. 2. ad 3.* ait Azor *lib. 11. cap. 22. q. 2.* Sed Sotus de hac re non agit *art. 2.* ſed *art. 1.* & ibi, aut id non inſinuat, aut longiſſimè.

Igitur Reſpondeo cum diſtinctione dicendum: *Primò.* Si admiſſio Monachi, omnimodè pendet ab immediato Prælato cum ſuo conuentu, tunc vouens Religionem non erit ſolutus voto, per excluſionem ſolius Generalis, aut Prouincialis, vt conſtat, & docent Nauarr. Azor, Sanchez, & alij.

Reſpondeo *ſecundò*, ſi Religio, vbi admittendus eſt vouens, nequeat, ſine Generalis, aut Prouincialis licentia, & conſenſu, admittere Monachum, tunc excluſus ab his, liber manebit à voto. Sic Azor, *cap. 22. citato, q. 2.* Addens idem eſſe dicendum in caſu, quo Generalis, aut Prouincialis iuſtis de cauſis, præcepiſſent Superioribus immediatis, ne aliquos ad ſua Monaſteria admitterent. Sic etiam Sanchez *loco citato, n. 52.* Nauarr. *in ſumma cap. 12. n. 62.* Legatur Pellizzar. *loco cit. q. 6. n. 50.*

QVÆSTIO XXXV.

An, si vouens excludatur ab immediato Superiore Conuentus, sine consensu ipsius Conuentus; maneat liber à voto emisso?

REspondeo, quod sic, etiamsi facultas admittendi, non solum sit penes solum immediatum Conuentus Prælatum, sed etiam vnà cum conuentu. Ratio est, quia non est vouentis, Monasterium cogere ad inuestiganda suffragia Religiosorum, sed Superioris immediati: ergo si hic neget, credere potest vouens, eam esse Conuentus voluntatem. Sic Sanchez, *loco citato.*

QVÆSTIO XXXVI.

An, si qui vouit Religionem, non admittatur ad illam, ob aliquod impedimentum temporale, v. g. quia laborat febri quartana, deobligetur à voto?

REspondeo, vt certum: quod non deobligetur. Quia tunc non denegatur ei absolutè habitus, sed suspenditur: & ideo tenetur expectare donec impedimentum tollatur. Sic Azor *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 5. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. Lessius *lib.* 4. *cap.* 41. *dubit.* 5. *num.* 44. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 53. Palaus *disp.* 1. *de statu Relig. punct.* 3. *n.* 10. Ioan. à S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *disp.* 29. *art.* 10. *concl.* 4. & omnes.

QVÆSTIO XXXVII.

An saltem, deobligetur à voto Religionis à se emisso, qui repellitur absolutè, & in perpetuum, eo quod causa sit perpetua?

NEgant adhuc aliqui existimantes, teneri vouentem ad repetendam diligentiam, & multiplicandam petitionem. Et horum sententiam esse probabilem, clarè innuit Palaus, *loco cit.*

Sed longè multò probabilius Respondeo, omninò manere tunc à voto deobligatum. Quia satis fuit vouenti, si quando petit, admissus & receptus non fuerit: alioqui enim toto vitæ tempore ancipiti, & suspenso animo tenetur. Sic Azor 1. *p. lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 5. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 2. Aragon ibidem, Valentia, Rodrig. & Petr. Ledesma, quos citat, & sequitur Sanchez vbi suprà, *n.* 53. Palaus *loco cit.* Prado *cap.* 31. *de voto*, *q.* 7. §. 3. *n.* 19.

QVÆSTIO XXXVIII.

An, voto Religionis adstrictus, dum eam petit, teneatur manifestare Religiosis suum votum, si probabiliter credat quod hæc manifestatio inducet ad eius receptionem?

AFfirmat Caiet. *loco cit. vers. In eadem responsione.* Quia (inquit) hæc voti manifestatio fortè induceret Religiosos ad illud recipiendum. Caietanum sequuntur Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 6. *n.* 16. & Candid. quos sequitur Prado *loco cit. n.* 21.

Sed probabiliùs longè Respond. non teneri ad manifestandum suum votum, etiamsi sciret, id adiuturum, vt admitteretur. *Primò*, quia ex vi voti, non tenetur ad omne medium, quod iuuare potest ad eiusdem voti executionem; sed tantum ad media communia, & sufficientia. *Secundo.* Quia solùm vouit ingressum Religionis, nec vnquam, se id votum patefacturum, promisit. Sic Azor *loco cit. quæst.* 9. Sanchez *n.* 54. Qui ad rationem primam addit, nec teneri vouentem intercessores quærere vt admittatur, quamuis sciret id adiuturum, eo quod extraordinarium medium sit. Sic etiam Suarez *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 7. Palaus *disp.* 1. *de statu Religioso, punct.* 3. *num.* 13. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 5. Reginald. *lib.* 18. *num.* 379. Basseus *tom.* 2. *votum.* 1. *num.* 43.

QVÆSTIO XXXIX.

An, vouens, qui, à Religione, vel Monasterio, quod promiserat, est absolutè repulsus; teneatur postea ad ingressum illius, si à Monachis inuitetur?

AFfirmant aliqui. Quia votum Religionis non emittitur in fauorem Religionis, vt ipsa Religio possit cedere iuri suo; sed in Dei honorem, & in vouentis vtilitatem; sed quia hic honor, & hæc vtilitas obtineri non potest, conuenienter, absque Religionis consensu, ea de causa Religionis consensus expostulatur: ergo quandocumque hic consensus apponatur, votum obligat. Ita Abulens. *cap.* 30. *Numeror. q.* 53. quem citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *num.* 71. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 4.

Sed probabiliùs Respondeo, non teneri postea ad ingressum. *Tum*, quia, vt suprà *q.* 37. est habitum, quando vouens absolutè, & in perpetuum à Religiosis repellitur, tunc eius votum manet irritum omnino: ergo non potest reuiuiscere, eo quod à Religiosis denuò inuitetur, & admittatur. *Tum* etiam, quia qui votum emittit Religionis, tacitè est sub illa conditione, *si facta diligentia, à Monachis admittatur*; ergo si ab illis non admittitur, votum non suspenditur, sed omnino extinguitur. Sic Aragon, loquens de vouente ingressum certi Monasterij 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 2. loquendo de vouente certæ Religionis institutum, *lib.* 11. *cap.* 22. *quæst.* 5. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. & 20. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 5. *n.* 44. Quos omnes citat, & sequitur Palaus *disp.* 1. *citata punct.* 3. *num.* 10. & 12.

vbi respondet ad fundamenta primæ sententiæ. Pellizzarius *tom.1. Man. Regul. tract.4. cap.1. sect.2. q.6. num.50. vers. Nec placet.* Vbi cum Palao solùm concedit vouentem teneri ingredi, casu, quo sit repulsus, ob falsam alicuius impedimenti informationem, aut apprehensionem, & postea admittatur; eo quod talis repulsa fuerit illegitima, ideóque absolutè non liberet à voto.

QVÆSTIO XL.

An, vouens Religionem cum animo status clericalis; teneatur ingredi, si non admittatur, nisi vt laïcus sit?

REspondeo, vt certum: Non teneri. Quia votum non obligat, vltrà intentionem vouentis, atqui vouens huiusmodi, nec expressè, nec tacitè, intendit ingredi Religionem, tanquam laïcus, (sed potius vt clericus) ergo ad id non debet censeri obligatus. Sic Sotus *lib.7. de iust. q.2. art.1. ad 3. vers. Quid autem si repelleris.* Aragon 2.2. *q.88. art.3. ad 2.* P. Ledesma *tom.2. sum. tract.10. cap.3. dub.7. casu 3.* Rodriguez *tom.2. sum. cap.95. num.10.* Azor *tom.1. lib.11. cap.22. q.4.* Quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib.4. Decal. cap.16. n.55.* Lessius *lib.2. cap.41. num.45.* Suarez *tom.3. de Relig. lib.4. cap.2. num.23.* Reginald. *lib.18. num.381.* Bonac. *disp.4. q.2. punct.6. §.6. n.6.* Portel *de dubiis Regul. v. votum, num.40.* Pellizzarius *tom.1. tract.4. cap.1. sect.2. q.9. num.54.* Palaus *tract.16. disp.1. punct.3. numer.16.*

QVÆSTIO XLI.

An similiter, qui vouit Religionem, vt in illa sit laicus; teneatur ingredi, si non admittatur, nisi vt sit Sacerdos?

REspondeo etiam vt certum: quod non. Quia tale votum non potest obligare, vltra intentionem vouentis. Sic Sanchez *loco citato*, ibi: Et idem credo, si voueret, vt sit laicus, fortè ob maiorem sui submissionem, vel causa vitandi labores studiorum, aut scrupulos, ex auditis confessionibus consurgentes: si enim non admittatur, nisi vt sit Sacerdos, manet à voto liber. Quippè, quia vltra suam intentionem obligari nequit. Sic ille. Pellizzarius etiam ex illo *q.9. cit. n.54.* & Palaus *loco citato.*

QVÆSTIO XLII.

An, qui vouit Religionem nil cogitans de statu; teneatur ingredi ad statum clericalem, vel laicalem, prout Religioni placuerit?

REspondeo dicendum *Primò*, quod regulariter loquendo, non teneatur assumere statum, quem Religioni placuerit. Quia regulariter loquendo, nullus est, qui aliquem ex his statibus non determinauerit; vel formali intentione, quia credidit in statu Sacerdotum, vel laicorum esse recipiendum: vel virtuali, ex qualitate & conditione personæ deducta: atqui facta intentione ad vnum ex his, statum, non tenetur recipere alium, vt nuper est habitum: ergo. Sic cum aliis Palao *n.16. citato.*

Respondeo *Secundò*, dato, quod aliquando contingat, non satis cognosci, quem statum vouens determinauerit, eo quod vtrique aptus sit, nec eius conditio potius vnum, quàm alium expostulat, tunc teneretur admittere illum statum, quem Religio ei concesserit. Quia de voto constat, & impleri potest, iuxta voluntatem vouentis, aliquo ex prædictis statibus; cum nullus ex eius voluntate determinatus sit. Sic ex Azorio *tom.1. lib.11. cap.22. q.4.* Sanchez *lib.4. cap.16. num.56.* Bonac. *num.16. cit.* Pellizzar. *num.54.*

QVÆSTIO XLIII.

An, spurius, qui vouit Religionem ignorans constitutionem Sixti V. qua spurij à dignitatibus expelluntur; teneatur, cognita constitutione, Religionem ingredi?

REspondeo, dicendum, quod non teneatur, si spurius aliàs capax talium dignitatum erat. Quia obligari perpetuò talem ignominiam pati, difficile satis est. Sic Sanchez *lib.4. cap.16. num.59.* Qui idem dicit, de vouente Religionem habentem similem constitutionem, à se tamen ignoratam. Palao *punct.3. citato, fine.* Pellizzar. *tom.1. tract.4. cap.1. sect.2. q.9. num.55.* Sic docens: Addit Sanchez *n.59.* quod si spurius vouens Religionem, tempore voti ignorauit, aut non aduertit constitutionem Sixti V. esse incapacem dignitatum Ordinis; aut etiam per statutum Religionis promissæ à se item ignoratum, & alioqui sit ornatus iis dotibus, vt probabiliter sperare possit, se promotum iri ad Prælaturas Ordinis, nisi obstaret illud impedimentum, non tenetur, ea constitutione, aut illo statuto cognitis, aut postea editis, ingredi Religionem: cum excusetur ex ignorantia notabilis difficultatis à se cognitæ; ipsíque nimis onerosum sit ibi semper carere dignitatibus. Sic Pellizzarius.

QVÆSTIO XLIV.

An, qui vouit Religionem in statu sacerdotali; teneatur discere Grammaticam, si ob illius defectum non admittatur?

REspondeo dicendum, teneri. Quia implicitè promisisse censetur media, quæ ad eum finem, nempe, statum sacerdotalem obtinendum, exigi nouit. Sic Sotus *lib.7. q.2. art.1. ad 3. vers. Quid autem, in fine.* Aragon, Petr. Ledesma, Rodriguez, Azor, & Philiarcus, quos sequitur Sanchez *lib.4. cap.16. num.61.* Suarez *tom.3. de Relig. lib.4. cap.2. num.21.* Bonac. *disp.4. q.2. punct.5. §.6. n.12.* Palaus *disp.1. citata, punct.3. n.14.* Candidus *disquis.25. art.14. dub.29. dicto 44.* Qui *dicto 45.* id limitat, nisi vouens tempore voti putauerit esse necessariam Grammaticam, addiscendam tamen intra Religionem; tunc enim si Religio eum non admittat, nisi

in

in sæculo eam addiscat, non tenebitur eam in sæculo addiscere; quia est notabilis mutatio, & ideo liber manebit à voto. Sic ille; & prius Sanchez (quem non citat,) *numer.* 61. *citato*, vers. *Secunda limitatio.*

QVÆSTIO XLV.

An, si prædictus vouens nolens addiscere Grammaticam; eligat esse laicum, satisfaciat sic voto?

REspondeo, satisfacere voto sumendo statum laicum, si ad eum Religiosi recipiant. Quia assumptione Religionis (inquit Palao) in illo gradu, substantiam voti implet; cum solum accidentaliter differat gradus laicorum à gradu Sacerdotum in Religione, & præterea, propter maiorem illius gradus humilitatem, specialémque mundi contemptum, perfectioni consequendæ fortè aptior est: ac proinde esto promissus non sit, æquiualet gradui promisso. Sille ille *punct. 3. cit. n.* 14. ex Suario *cap. 2. cit. n.* 21. & Sanchez *n.* 61. Hic tamen addit, quod si Religiosi eum nolint ad gradum, vel statum laicorum admittere, tunc teneatur vouens addiscere Grammaticam, vt sic fiat Sacerdos.

QVÆSTIO XLVI.

An, si, vouens in Religione statum sacerdotum, ignorauerit, tempore voti, Grammaticam esse necessariam, teneatur eam addiscere?

REspondeo dicendum: quod non. Quia est notabilis mutatio, ex superuenienti graui, & notabili difficultate ignorata, atqui ignorantia excusat: ergo. Sic Sanchez, *loco cit. n.* 62. addens, nec teneri dictum vouentem ingredi Religionem, vt sit laicus, quia id non vouit. Cum eo sentiunt apud ipsum, Sotus, Aragon, Rodrig. Petrus Ledesma, & Azor. Sic etiam P. Suarez, Bonac. & Palaus *q.* 44. *citati.* Candidus *disquis. 25. art.* 14. *dub.* 30. ita dicens: si is, qui vouit Religionem, proposuit illius esse Ordinis, qui sacris Ordinibus initiantur, bona fide credens, ad hæc non requiri litteras; si id postea requiratur, non tenetur ex vi voti litteras addiscere, si aliàs non admittitur: quia est notabilis mutatio, superueniente magna difficultate ignorata. Nec tenetur ad statum Conuersorum transire, sed omnino liber manet à voto: quia id non vouit, statum scilicet Conuersorum in Religione tenere. Sic Candidus.

QVÆSTIO XLVII.

An, vouens Religionem collocandus in statu Clericorum, & sciens ad hoc requiri Grammaticam, quam moraliter addiscere non potest; teneatur assumere statum laicorum?

AFfirmat Philiarcus *de Officio Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 21.* casu dum taxat, quo tempore voti cognouerit, se ineptum esse ad addiscendum.

Sed absolutè Respondeo dicendum: non teneri ad sumendum statum laicorum, quia hoc excedit suam intentionem, & ideo manebit liber, ratione moralis potentiæ, à voto Religionis à se emisso. Sic Candidus vbi suprà *dubit.* 32. nullum citans authorem, cùm posset citare. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *num.* 61. ibi: Vltima est, si facultas discendæ Grammaticæ suppetat: alias enim excusabitur à voto ratione impotentiæ moralis, dum ea durauerit. Et ita benè limitauit Sotus. Nec hic tenebitur ingredi, vt sit laicus: quia excedit suam intentionem. Similiter dicit benè Philiarcus si adhibita sufficienti diligentia, nequeat discere Grammaticam, liberum esse à voto: quia ad solam moralem diligentiam obligat. Sed limitat quando credebat, tempore voti, se aptum ad addiscendam: nam si se ineptum sciret, cum apposuerit conditionem impossibilem, habetur pro non adiecta, & ita ait, teneri ingredi vt sit laicus. Sed hæc limitatio non placet. Quia in voto non habetur conditio impossibilis pro non adiecta, (vt suo loco agentes de voto conditionali diximus) & ideò si id reputabat sibi impossibile, corruet votum. Huc vsque Sanchez.

QVÆSTIO XLVIII.

An, qui dubius est, an tempore voti sciuerit, vel ignorauerit, scientiam Grammaticæ, vel Artium, ab ingredientibus expostulari; teneatur eam addiscere?

REspondeo teneri, Grammaticam addiscere; secus verò scientiam Artium, vel Theologiæ. Quia præsumendum est à communiter contingentibus, eum sciuisse Grammaticæ cognitionem expostulari: secus Artium, vel Theologiæ: quia ferè nulla est Religio, quæ ignorantes Grammaticam recipiat ad statum sacerdotalem; benè tamen ignorantes Philosophiam, vel Theologiam. Sic Palaus *disp. 1. de statu Religioso, punct. 3. n.* 14. *fine*, & Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *n.* 67. Sic etiam Candidus *disquis. 25. art.* 14. *dubit.* 33. *dicto* 50.

QVÆSTIO XLIX.

An, qui, vouit Religionem sub gradu laicorum, si eum Religiosi nolint admittere, nisi officium aliquod mechanicum discat; teneatur illud addiscere?

REspondeo dicendum ex dictis, quod si tempore, quo emisit votum, sciuit, illud officium esse

esse necessarium; tunc tenetur illud discere: quia tacitè id promisit. Si verò ignorauit, non tenetur addiscere illud ad minus, si sit difficile scitu. Quia notabilis difficultas voti executioni superueniens, nec à vouente cognita excusat. Sic Suarez *tom.3. lib. 4. cap.2. fine.* Sanchez *vbi suprà num. 68.* Sotus, Aragon,& Azor apud ipsum, Palaus *punct.3. cit.n.15.* Candidus *art.14.cit.dub.3.*

QVÆSTIO L.

An, si officium, quod expostulant Religiosi, sit facilè scitu à vouente; teneatur illud addiscere, vt voto satisfaciat?

AFfirmat Sotus *lib.7. de iust. q.2. art.1. col.mihi 14. vers. Quid autem si repelleris*, ibi: Ac perinde, si Religionem vouit laicorum, non tenetur aliquod discere opificium scitu difficile; quia putabat non esse necessarium. Ita ille: ergo è contra est dicendum, si scitu sit facile. Sotum sequuntur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 16. num.68.* Candidus *disquis.25. de voto, art.14.dub.31.*

Negant contrà apud Sanchez, Aragon *2.2. q.88. art.3. ad 2.* & Azor *lib. 22. q. 4.* Quia (inquit) petitio illa Religiosorum, videtur excedere vouentis intentionem.

Sed meliùs cum distinctione Respondeo dicendum, quod teneatur vouens, casu, quo officium, quod Religiosi expostulant, sit scitu facile, & non possit vouens, vtilis esse Religioni, absque illius scientia. Quia ex vi voti, tenetur media facilia executioni voti, per se conducentia, apponere, vt benè Authores primæ sententiæ. Secus verò casu, quo absque illius officij scientia, vtilis Religioni esse possit, aliis muneribus inseruiendo; quia tunc minimè tenibitur tale officium, extra Religionem addiscere: quia per se non est medium necessarium; sed solùm ex voluntate Religiosorum non satis rationabile. Sic Suarez *tomo 3. de Relig. lib.4.cap.2. num.24. fine.* Quem citat & sequitur Palaus *tom.3. tract. 16. disp. 1. punct.3. num. 15.* Qui dicit huic parti fauere Azor vbi supra. Sed certè hic Author, absolutè dicit, talem vouentem non teneri addiscere officium.

---

§. III.

De perseuerantia, quam tenere debet in habitu assumpto, vouens Religionem.

QVÆSTIO LI.

An, qui vouit Religionem absolutè; satisfaciat voto, si ingrediatur, animo exeundi?

AFfirmauit noster Henricus de Gandauo (vt refert Sanchez) *quodlib.3. quæst.19.*

Sed vt quid certum Respondeo, non satisfacere voto, si vouens ingrediatur cum animo exeundi: nisi aliàs in anno approbationis mutet voluntatem, & habeat animum experiendæ Religionis, num eius institutum ei conueniat. Ratio est: quia votum Religionis, non est votum suscipiendi dumtaxat habitum religiosum, sed obsequendi Deo in Religione toto vitæ tempore, mediis votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ: ergo obligat ad professionem faciendam, si Religionis probatæ institutum placuerit. Sic docent communiter omnes Doctores. Legantur S. Thomas *2.2. q. vltima, artic. 4.* Nauarr. *in sum. cap. 12. n.47.* Valentia *2.2. disp.6. q.6. punct.4. q.4.* Azor *tom.1. lib.11. cap.12. q.6.* Sanchez *lib.4. Decal. cap. 16. n.74.* Suarez *tom.3. de Relig. cap.3. numer. 2.* Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct.4. num. 1.* Pellizzarius *tom.1.tract.4. cap.1. quæst. 10. num. 58.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub. 20. num.1.* Basseus *tom. 2.votum. 1.n.45.*

QVÆSTIO LII.

An saltem satisfaceret voto Religionis, si ingrederetur cum illo animo exeundi, simul tamen haberet propositum dandi operam, vt Deus immutaret cor, vt vel sic perseueraret?

REspondeo dicendum, quod tunc iam satisfaceret voto, etiam si postea non potens quiescere, exiret. Quia bona fide, & studiosus fuit ingressus, cum id quod in se est, præstet, quo ille effectum consequatur. Sic Angel. *votum 3. num. 18.* ibi: Immò plus addit Ricard.*4. d.38. art. 8. quæst.2.* quod etiamsi intrauit animo exeundi, cum voluntate tamen dandi operam, vt Deus immutet propositum suum, quod satisfecit voto. Sic ille. Syluester etiam *Religio 2. quæst. 19.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *suprà, n. 75.* Basseus *num.45. citato.*

QVÆSTIO LIII.

An etiam satisfaciat voto ingrediendæ Religionis, qui ingreditur animo non perseuerandi, si tamen postea iusta causâ exeat?

AFfirmandum videtur. Quia tunc vouens iustam causam exeundi habet: ergo censendus est voto satisfeciſse. Ob hoc, id esse probabile affirmat Palacios *in 4.d.38. disp.1. post 12.conclusionem*; licèt posteà dicat, satius esse vouenti, dispensationem voti impetrare.

Sed vt certum Respondeo: Non satisfacere in eo casu, quandiu non expertus est bona fide Religionem, eo prauo animo mutato, iuxta dicta *q.51.* Ratio est: quia cùm substantia ingressus minimè mutata sit, nec illa apta fuerit ad satisfaciendum voto; non censetur illi satisfactum. Sic Sanchez *lib.4. Decal. cap.16.num.76.*

QVÆSTIO LIV.

An, votum ingrediendi Religionem, & statim exeundi, sit irritum, & nullum?

REspondeo vt certum: esse irritum, & nullum; si vtraque pars propositionis promissa est per modum vnius. Ratio est, quia vtraque pars propositionis sic sumpta, est mala, & inepta voti materia, vt benè docet Sanchez *loco citato, n.* 77. cum Angelo, Tabiena, Armilla, Azorio, & aliis. Qui idem dicit, de voto ingrediendi Religionem, cum animo exeundi; si hic exeundi animus, comprehendatur sub voto. Quia talis ingressus est malus, & ideo votum est irritum. Secus autem si non comprehendatur sub voto. Quia tunc cum votum sit ingressus Religionis, qui bonus est, nec circunstantia reddens malum claudatur sub voto, valebit votum, & obligabit ad legitimum Religionis ingressum. Sic ille *loco cit: num.* 78. & Pellizzarius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *q.* 10. *n.* 58. Legatur Basseus *n.* 45.

QVÆSTIO LV.

An, vouens ingredi Religionem, cum expressa intentione gaudendi libertate perseuerandi, vel egrediendi, nouitiis à iure concessa; satisfaciat voto, si egrediatur absque iusta causa?

REspondeo dicendum, satisfacere. Quia in hoc casu, solùm voluit vouens, se obligare per votum à se emissum, ad ingrediendum, bona fide, causa experiendi institutum; nolens nouam perseuerandi obligationem sibi imponere, præter illam, quam, ingredientes sine voto, habent. Sic Sanctus Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 4. *in corp. ibi:* Si autem intendit (*vouens*) se obligare ad ingressum Religionis causa experiendi cum libertate remanendi, vel non remanendi; manifestum est, quod remanere non tenetur. Sic S. Doctor. & idem insinuant Ricard. D. Anton. Abulens. Sylvest. & alij, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *num.* 88.

QVÆSTIO LVI.

An item vouens Religionem absolutè, nihil de exeundi libertate, aut de perseuerantia determinando; satisfaciat voto, ingrediendo bona fide ad Religionem experiendam, & postea ex causa sufficienti egrediatur?

REspondeo vt certum: quod etiam satisfaciat. Ratio est: quia per votum ingrediendi Religionem, non censetur vouens renunciare iuri communi concedenti nouitiis, quod post experientiam Religionis, possint liberè eligere, quod sibi magis expedire iudicauerint. Sic S. Thom. *art.* 4. *cit.* ibi: Si verò in vouendo simpliciter de ingressu Religionis cogitauit, absque hoc, quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligare ad ingressum Religionis secundum formam iuris communis; quæ est, vt ingredientibus detur annus probationis: vnde non tenetur perpetuò in Religione permanere. Hæc S. Thomas. Quem citat, & sequitur Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1 *quæst.* 11. *num.* 59. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4 *cap.* 3. *num.* 1.

QVÆSTIO LVII.

An rursus, prædictus vouens, satisfaciat voto, in assignato casu; si è Religione egrediatur sine iusta causa, ex sola, scilicet, libertate, nouitiis iure concessa?

AFfirmant plures Doctores. Ratio eorum est: quia votum ingrediendi Religionem habet hanc tacitam conditionem; *si facta per nouitiatum experientia, Religio mihi placuerit*; ergo si non placeat, absque violatione voti potest liberè exire, absque iusta vlla Religionis displicentiæ causa: estò possit aliundè peccare, sic temerè deserendo statum Religionis iam assumptum. Ita noster Gandauo *quodlib.* 3. *q.* 19. & *quodlib.* 13. *q.* 15. Nauarr. *lib.* 3. *consil. de voto, consil.* 25. *aliàs* 19. *n.* 1. Palac. *in* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *post.* 12. *concl.* Angelus *votum* 3. *n.* 18. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 6. *fine*, vbi ita ait: demùm quæres, quid amplius præstare debeat is, qui ex voto Religionis antea facto, in eam ingreditur; quàm, qui ingreditur, absque vllo Religionis voto? Caietanus, *loco cit.* ait; Primum illum vi, & ratione voti, ad experiendum compelli, sibinè Religiosa vita expediat; nec ipsi fas esse eam sine iusta causa deserere. Alterum verò, nequaquam astringi ad probationis experimenta, nec peccare saltem grauiter, si absque debita causa recesserit. Sed videtur mihi commodius responderi posse. Primum quoque, si intra probationis tempus, Monasticam vitam expertus, ab eo defecerit, ad priorem reuersus, contra votum non facere, si Religionis institutum minimè ipsi probetur; & satis esse, si sibi displiceat id vitæ genus, tanquam minus gratum sibi, vel tanquam incommodum, aut asperum, & durum, quamuis nulla alia iusta causa, & legitima moueatur: nisi simul etiam vouerit, non se ab incepta probatione recessurum, absque iusta, & debita causa. Nam, vt colligitur *ex cap. Ad Apostolicam. De Regular.* & *cap.* 1. & 2. *de Regularib. in.* 6. annus probationis iure conceditur, vt quis experiatur, ita tamen, vt sua sponte, & voluntate possit à Religione recedere. Huc vsque Azor. Cuius sententiæ fauent Iason, Abulens. Palud. Tabiena, & Lopez apud Sanchez *n.* 89. Et eam sequitur Caramuel *in Reg. S. Bened. disp.* 40. *num.* 460. *concl.* 8. Et ideo probabilis iudicanda est, quidquid contrarium insinuet Pellizzarius, infrà.

Sed tanquam quid probabilius Respondeo prædictum vouentem non satisfacere voto, si absque iusta causa, ex sola libertate nouitiis iure concessa, à Religione recedat. Vnde si prædictus vouens, post sufficientem experientiam, iudicet sibi expedire Religiosum statum, tenebitur sub mortali, vi voti, in Religione perseuerare, & profiteri: & si recedat tenebitur iterum ingredi, ac profiteri. Ratio est: quia

prædictus

prædictus vouens adstringitur ex voto ad ingressum Religionis, eo modo, quo qui sponte, & absque voto illum suscipiunt; at hi ingrediuntur ad perseuerandum, si omnia grata, & sibi expedientia inuenerint, aliàs ingressus esset vanus, & inutilis: ergo ad hunc ingressum adstringit votum. Sic Sanchez *cap. 16. cit. num.90.* Qui ad argumentum contrarium respondet, nil aduersum nos probare: quia talem libertatem concedit ius ingredientibus absque voto: & cùm diuersa omnino ratio sit in astrictis voto, non debet intelligi hoc obligare, cum eamet libertate. Sic ille, & apud ipsum, Caiet. 2.2. *q.vltim. art.4. dub.3.* Sotus *lib.7. de iust. q.2. art.1. ad 3.* Aragon 2.2. *q.88. art.3. ad 2.* Valentia 2.2. *disp.6. q.6. punct.4.* Rodrig. *tom.2. sum. cap.95. n.2.* Petr. Ledesma 2. *tom. summæ tract. 10. cap.3. dubit.7. casu 4.* Toledo *lib.4. sum. cap.17. num.12.* & *cap.18. num. 1.* Armilla, Angles, Ricard. Syluest. & alij. Sic etiam tenent Bonac. *disp.4. q.2. punct. 5. §.6. num.22.* Pellizzar. *tom.1. tract.4. cap.1. q.11. n.60.* Suarez *tom.3. de Relig. lib.4. cap.3. num.1.* Basseus *tom.2. votum. 1. num.* 48. Trullench *lib.2. cap. 2. dubit. 20. num.5.* Lege Dianam *part. 4. tract. 4. Resol. 25.*

QVÆSTIO LVIII.

An, ingrediens Religionem ex voto, possit licitè ab ea exire, interueniente iusta causa?

REspondeo vt certum: posse licitè exire, iusta interueniente causa, hæc autem interueniet, quoties vouens iudicauerit sibi non expedire perseuerare in Religione. Tunc autē potest hoc iudicium ferre; vel casu, quo vouens timeat periculum alicuius grauioris mali, vel damni spiritualis, ob graues tentationes, quas patitur: vel casu, quo non speret, se posse cum gaudio, & animi tranquillitate seruire Deo in eo statu. Item si credat onera Religionis non posse sustinere sine multis dispensationibus. Vel si expertus sit labores, & difficultates esse longè maiores quàm cogitauerit: aut deinde, si videat eum statum non esse sibi commodum, aut gratum. In iis ergo casibus, potest vouens prudenter iudicare sibi non expedire perseuerare in Religione, & consequenter potest licitè ab ea recedere. Quia Ecclesia concedens nouitiis libertatem intra annum probationis, omnes hos casus comprehendit, & ipsa vouentis intentio, non videtur esse, obligare se ad Religionem, nisi cum animi alacritate, ac viribus sufficientibus vt pondus illius integrè valeat sustinere. Sic ex Suario *loco cit. num.5.* docet Pellizzar. *tom. 1. tract.4. cap.1. quæst.11. num.61.* Et antea maior *in 4. d. 38. q.2.* & Couarru. *de pactis 1.p. §. ad finem*, quos refert Sanchez *lib.4. Decal. cap.16. n.90. in fine.*

QVÆSTIO LIX.

An saltem, vouens Religionem vnà cum perseuerantia in ea, seu, cum obligatione profitendi; teneatur ita perseuerare, vt non liceat sibi, neque ex causis iustis regredi; sicut (iuxta dicta) liceret, solo ingressu promisso?

NEgant adhuc teneri huiusmodi vouentem ita perseuerare in Religione, vt non liceat sibi ex iustis causis recedere, omnes Doctores, qui docent, votum perseuerandi in Religione, & in ea profitendi, nihil addere voto ingrediendi Religionem, & ideò vtrumque impleri ingrediendo bona fide, & animo probandi; & postea ex iusta causa egrediendo. Ita tenent Sotus *lib.7. de iust. q.2. art.1. ad 3. vers. Ex hac autem definitione.* Aragon 2.2. *q.88. art.3. ad 2. vers. Est aliud dubium.* Petr. de Ledesma *tom.2. sum. tract.10. cap.3. dub.7. casu 4.* Sà *verb. votum. n.13.* quos pro hac parte refert Sanchez *lib. 4. Decal. cap.16. num.80.* Quibus addit Prado Reginald. *lib.18. num.383.* Villalob. *tom.2. tract. 34. diff.8. n.8.* Ioan. à S. Thoma 2.2. *q.88. disp. 29. artic. 11. notab. vltimo.* Gallego *in Bull. Cruciat. cap.9. dub.163.* Barthol. à S. Fausto *lib.1. q.214. à num.6.* Suarez *etiam tom.3. de Relig. lib.4. cap.8. n.8.* & Castro Palao *tom.3. tract.16. disp.1. punct.4. à num.7.* quos omnes addit pro hac parte Prado *cap.31. de voto q.7. §.4. n.35.* Sed an omnes benè, postea videbimus.

Sed probabiliùs Respondeo: Teneri ex vi voti à se facti, ita perseuerare, & profiteri, vt non liceat sibi ex quacumque iusta causa egredi à Religione. Quod si de facto egrediatur, tenebitur iterum ingredi, ac profiteri. Ratio est: quia vouens in præsenti casu, duo promittit, nempe, ingressum, & perseuerantiam: ergo non satisfaciet solo ingressu, sed tenetur perseuerare, & profiteri. Sic Sanchez *lib.4. Decal. cap.16. n.81.* dicens, hanc sententiam esse verissimam, citatque pro illa D. Thomam 2.2. *q.vltima, art.4. in corp.* & ibi, *dub.1.* Caiet. Nauarrum *sum. cap.12. n.47.* & *lib.3. consil. tit. de voto, in 1. edit. consil.23. num.3. & consil. 26. num. vnico, & cons.27. num.3. & in 2. edit. consil.3. num.3. & consil. 26. n. vnico, & cons.37. num.3.* Valentiam 2.2. *disp. 6. q.6. punct. 4. q.4.* Azorium *lib. 11. cap.22. q.8.* Lopezium *1.p. instruct. cap.45. initio.* Rodrig. *tom.2. sum. cap.95. num.7.* Couarru. *de pactis 1.p. §.3. ad finem*, Hostiens. Henricum, Abulens. D. Anton. Resellam, Angel. Armillam, Sylueſtrum, Palacios, & Philiarcum. Quibus addi possunt Bonacina *disp.4. q.2. punct.5. §.6. num.22.* Trullench *lib.2. in Decal. cap.2. dub.20. n.2.* Candidus *disquis.25. art. 14. dub.26. dicto 21.* Diana *1.p. tract.11. Resol. 79. & 2.p. tract.13. Resol.10. & p.6. tract. 7. Resol. 53. & p.8. tract.3. Resol.53.* cum Texeda *tom.2. lib.3. tract.3. num. 103.* Prado *cap. 31. de voto, q. 7. §. 4. num. 37.* Item Lessius *lib.2. cap. 41. num. 46.* Portell. *de dubiis Regular. v.votum, num.42.* Pellizzar. *tom.1. Regul. tract. 4. cap.1. sect.2. num.62.* Qui pro hac parte refert Suarium *tom. 3. de Relig. lib.4. cap. 4. n.1.* & Palaum *loco cit. n.7.* & certè non malè, vt constabit ex eorum verbis, quæ infrà *q.64.* refero. Sic etiam Layman *lib.4. tract.5. cap.6. n.13.* Basseus *tom.2. votum. 1. n.46.*

QVÆST.

QVÆSTIO LX.

An, si vouens perseuerantiam in Religione, aliquam magni momenti difficultatem in ea experiatur, tempore voti ignoratam; possit licitè retrocedere?

REspondeo posse. Sic Sanchez *loco cit. n.* 82. per hæc verba: Cæterum quamtumuis hic perseuerantiam vouerit, si talis aliquam magni momenti difficultatem in Religione experiatur, quam tempore voti inuincibiliter ignorabat: aut superueniat alia notabilis difficultas, potest licitè egredi. Quia hæc notabilis rerum mutatio excusat à voti obligatione. At cessanti postea eo impedimento, tenebitur iterum illam ingredi, si illam specialiter vouisset. Quod si Religionem in genere vouerit, & in alia non esset ea difficultas, teneretur illam ingredi. Quia votum Religionis quoad perseuerantiam nondum impletum est. Atqui id impedimentum excusat solo tempore, quo durat, & respectu solius Religionis ad quam est. Hæc Sanchez. Et ex illo Pellizzar. & Portellius *locis citatis*. Legantur à nobis dicenda *quæst.* 64

QVÆSTIO LXI.

An, Nouitius ingrediens Religionem ex voto, peccet mortaliter, exeundo absque legitima causa?

REspondeo, quod sic. Quia huiusmodi, verè vi voti ad Professionem obligatur: ergo sub mortali tenetur illam facere; nisi aliàs ad eam deserendam intercedat iusta causa, ex assignatis suprà *q.* 58. Sic communiter Doctores. Caiet. 2. 2. *quæst.* 189. *artic.* 4. *dub.* 3. Philiarc. *de Officio Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 20. *ad finem.* Quos sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. capit.* 16. *num.* 92. (non 22. vt Leges apud Palaum) Layman *libro* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 4. *num.* 12. *concl.* 3. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 5. Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 7. §. 4. *num.* 41. Trullench *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 6.

QVÆSTIO LXII.

An etiam, peccet mortaliter, aut saltem venialiter, qui ingrediens Religionem liberè, & sine voto; illam sine causa deserit?

NEgant peccare necdum venialiter, Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 6. & Palaus *punct.* 4. *n.* 4. his verbis: Existimo namque, nouitium ingredientem sine voto, nullo peccato maculari ex eo quod Religionem deserat motus aliquo honesto fine; tametsi absque causa rationabili; hoc est, absque eo, quod sentiat Religionem sibi esse difficilem, vel incommodam: sufficit, si sentiat minus gratam. Ratio est, quia nullum est præceptum, quod nouitium adstringat ad perseuerandum; cum potius omnia iura clament, liberum esse ad deserendam Religionem. Iure autem naturali (sic Lege, non, *luce autem naturali*) nequaquam obligatur in assumpto habitu perseuerare. Sicut enim pro libito potuit non assumere; ita pro libito potest illum deserere, eo solum, quod minus gratus sit, præcipuè cum illum continuare non possit, quin professione adstringatur. Aliàs omnes incipientes consilium aliquod Euangelicum exercere, v. g. eleemosynam facere, orationes fundere, obligati essent in illo perseuerare in perpetuum, quod non est dicendum. Hæc & alia, Palaus. Legatur.

Sed probabiliùs Respondeo: Peccare, non mortaliter, vt omnes docent; sed venialiter tantum. Sic Prado, qui id probat ex Caietano *in sum. verb. Inconstantia*, vbi docet, peccare venialiter illum, qui inordinatè discistit à bono proposito: ergo multo magis, qui absque rationabili causa deserit Religionem assumptam. Denique quia hæc videtur communis animi conceptio. Et in Hispania, videmus consuetudinem introductam, quod in Collegiis maioribus Complutensi, Salmantinis, & Vallisoletano, non admittuntur vt Collegiales, qui nouitij fuerunt in quauis Religione: quod non ob aliud videtur introductum, nisi quia isti notantur vt inconstantes. Rursus nouitiatus est quasi inchoatio status permanentis, & ideo specialis ratio est de illo, ac de operibus consiliorum aliorum. Hæc Prado *capit.* 31. *de voto, q.* 7. §. 4. *n.* 44. Qui in summario appellat oppositum, *falsum*. Sed immeritò profectò; est enim probabile, & satis, vt conuincit Authoritas Doctorum, qui illud sequuntur. Vt probabilius ergo tenent nostrum placitum Caiet. 2. 2. *q.* 189. *art.* 4. *dub.* 3. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 6. *vers. Si quæras.* Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *n.* 92. *& lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 59. Petr. Ledesma *de statu Relig. cap.* 5. *concl.* 4. *assert.* 2. Bartholom. à S. Fausto *lib.* 1. *q.* 220. Peyrin. *tom.* 2. *de Prælato, quæst.* 3. *cap.* 1. §. 4. *n.* 110. Hieron. Garcia *tom.* 1. *Politicæ Regul. tract.* 2. *diff.* 5. *dub.* 7. *n.* 4. Sylvester, *Religio* 5. *q.* 8. *fine.* Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *q.* 4. *num.* 12. *concl.* 3. Diana 3. *parte tract.* 2. *Resol.* 19. *vers. Vnde patet.* Et *part.* 7. *tract.* 11. (non 9. vt legi *in eius sum. v. nouitius, n.* 5.) *Resol.* 26. Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 20. *num.* 6.

Quod si quæras, ad quam speciem huiusmodi reducatur peccatum? Respondeo quod variant Doctores. Nam alij illud reducunt ad speciem lenitatis, & inconstantiæ. Alij ad speciem temeritatis; alij esse ingratitudinis peccatum affirmant; alij resistentiæ, diuinis inspirationibus. Legatur Prado loco citato.

QVÆSTIO LXIII.

An, eodem modo teneatur perseuerare qui vouit esse Religiosum; ac qui vouit Religionem?

NEgant aliqui Doctores, putantes diuersa esse vota sub his formis emissa, & ideo amplius obligare votum essendi Religiosum, quam votum ingrediendi Religionem. Quippe nullus est Religiosus per ingressum Religionis, sed per Professionem in ea emissam, & ideò hic tenetur perseuerare, at qui vouit Religionem, solo ingressu in nouitiatum, satisfacit tali voto, cum verè ingrediatur Religionem. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 4. *ad* 1. Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 3. *ad finem.* Palac. 4. *d.* 38. *disp.* 1. *post* 4. *concl.* & Armilla *verb. nouitius, num.* 10. *vers. Socrates vouet.*

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod prædicta vota, verè sint æquivalentia, & eundem sensum faciat, & ideo eodem modo obligent. Ratio est: quia votum ingrediendi Religionem, etiam tendit ad statum, & aliquo modo ad illum obligat: & è contra votum essendi Religiosum, licèt magis explicet ipsum statum, intelligitur tamen secundum formam iuris communis, & consequenter non excludit condionem, *Si post sufficientem probationem iudicauero talem statum mihi conuenire.* Vnde fit, vt licèt verba dictorum votorum sint diuersa, res tamen sit eadem, sicque non magis obliget vnum votum, quàm aliud. Sic Suarez monens talem videri communem intentionem vouentium; *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 12. Et ex illo Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *q.* 27. & antea Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *n.* 83. Azor *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 7. & alij.

QVÆSTIO LXIV.

An, si ligatus voto perseuerandi in Religione, ob aliquam iustam causam exeat, aut expellatur; teneatur denuò, ea causa cessante ingredi?

NEgat, ex Suario, Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 4. fine, his verbis: Cæterum satis probabile censeo, in supradicto casu, te voto satisfeciſſe, neque obligatum esse iterum ingredi. Sic docuit Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 15. Et me eius ratio conuincit. Quia vouens profiteri, non debet præsumi, se voluisse obligare omnibus modis, & viis, quibus possibilis est Professio: sed solum præsumi debet, se voluisse obligare ad profitendum, si receptus semel in probatione, per ipsum non steterit: quia hic modus obligationis, benignior est, & Ecclesiæ stylo conformis: ergo assumpta probatione, si iustè egrediatur, vel à Prælato expellatur, voto sufficienter satisfecit. Deinde votum Religionis, & votum perseuerandi in Religione, vota sunt de Professione facienda, & licèt votum perseuerandi amplius obliget, quàm votum Religionis, quia obligat ad grauiores difficultates superandas: at non video, qua ratione obliget ad illas superandas, non solum in vna probatione, sed in omnibus possibilibus. Hæc omnia Palaus.

Sed probabiliùs Respondeo: Teneri denuò ingredi, vt constat ex dictis suprà *q.* 60. Sic Sanchez, Pellizzar. & Portell. ibi citati. Quibus addo Nauarrum *cap.* 12. *n.* 46. Laymanium *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 13. Bonac. *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 6. *n.* 22.

QVÆSTIO LXV.

An, qui ex voto ingressus est Religionem, & ante Professionem, ob iustam causam exiit, aut expulsus est; teneatur ex vi dicti voti, seruare castitatem?

NEgat teneri seruare castitatem, si sine sua culpa vouens expulsus est, Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 7. §. 4. *n.* 45. ita dicens: Vouens Religionem, si sine sua culpa repulsus est, non tenetur in sæculo manens, seruare castitatem: quia hæc non includitur in voto Religionis, nisi emissa Professione. Ita ille.

Sed ego, vt certum Respondeo: Præfatum vouentem non teneri ex vi voti seruare castitatem manendo in sæculo, siue suâ culpâ, siue sine illa exeat, aut à Religione ante Professionem expellatur. Quia, vt benè Prado, castitas non includitur in voto Religionis, ante emissam professionem: ergo si ante hanc, exeat à Religione vouens, siue sine sua culpa, siue cum illa, non tenebitur ex vi dicti voti seruare castitatem. *Confirmatur.* Quia votum Religionis per se non obligat ad castitatem: quia non est votum castitatis, sed votum assumendi statum continentem castitatem: ergo ante illius assumptionem non obligat. Sic docent omnes. Caiet. 2. 2. *q.* 18. *art.* 3. *ad* 2. *dub.* 1. Ioan. à S. Thoma *disp.* 29. *art.* 11. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 111. & penes ipsum, Rossella, Angel. Armilla, Nauarr. Angles, & Azor, Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 11.

QVÆSTIO LXVI.

An, qui in sæculo vouit Religionem, simul & castitatem, teneatur ad castitatem in sæculo seruandam, si in Religione non admittitur, vel ab illa ante Professionem, exit, quacumque ex causa?

REspondeo cum distinctione dicendum, quod verè teneatur, si principaliter vtrumque vouit; secus verò si principaliter vouit Religionem solam, & veluti accessoriè castitatem, quam faciliùs in ea seruare posset. Sic Trullench *loco cit.* his verbis. Si vouens Religionem, vouit etiam principaliter castitatem; tenetur eam in sæculo seruare, etiamsi à voto Religionis liber sit ex quacumque causa. Quia sic castitas est independenter à voto Religionis promissa. Si verò principaliter vouit solam Religionem, & veluti accessoriè castitatem, quam facilius in ea seruare posset, liberatus voto Religionis, liberatur quoque voto castitatis: quia hæc dependet accessoriè à voto Religionis, & cessante principali, cessat accessorium. Sic ille, ex Nauarro *lib.* 3. *consil. tit. de voto, in* 1. *edit. consil.* 4. *n.* 1. *& in* 2. *consil.* 13. *n.* 1. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 113. & Sa, *v. votum, n.* 29. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 91. Qui ait cum Sanchez probabilius esse, votum castitatis factum dependenter à voto Religionis non obligare ante Religionis ingressum: bene tamen ab ipso ingressu etiam pro tempore Nouitiatus.

In casu autem quo vouens dubitet, an vouerit castitatem dependenter à Religione; Tunc dicunt aliqui censendum esse, promissam dependenter à Religione. Alij contrà dicunt, existimandum esse, promissam fuisse principaliter, & independenter à voto Religionis. Alij denique, distinctione vtentes, dicunt, inspicienda esse verba voti. Et ideo, si vtrumque principaliter significant, censetur vouisse castitatem independenter à Religione. Si vero verba significant solam Religionem; tunc, non tenetur vouens ad castitatem ante assumptam Religionem, etiam si dubitet, an voluerit se ad castitatem obligare independenter à Religione: quia tunc possessio stat pro libertate voluntatis. Sic Trullench, loco cit, citans Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 114. & Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 7. (lege tu *q.* 2.) *punct.* 5. §. 6. *n.* 13. Sic etiam Basseus *tom.* 2. *votum.* 1. *num.* 44. *fine.*

QVÆST.

QVÆSTIO LXVII.

An, qui in sæculo, & in articulo mortis, vouit cuidam Priori paupertatem, castitatem, & obedientiam, vt eius Religionis priuilegiis frueretur; teneatur hæc omnia seruare, & etiam Religionem ingredi?

REspondet sapientiss. Nauarrus huic casui, dicendo, quod in primis prædictus vouens non fuerit per prædicta vota factus Religiosus Ordinis Prioris, quia hic non habebat potestatem incorporandi illum suæ Religioni, quod requiritur. Deinde secundo ait, quod prædictus vouens, non est obligatus ad intrandam Religionem; quia non promisit intrare. Rursus tertio, quod teneatur in sæculo ad seruandam castitatem, & paupertatem tanquam vota simplicia; non vero ad obedientiam. Quia id obedientiæ votum, non fuit acceptatum saltem legitimè à prædicto Priori, nec ab eius Conuentu, & ipse non habuit animum obligandi se Episcopo, vel alij Prælato, plusquam erat ante votum. Sic meus Nauarrus *lib. 3. consil. tit. de voto, conf. 9.*

Sed ego Respondeo *Primò*, tanquam certum. Prædictum vouentem, nec esse Religiosum; nec teneri ad intrandam Religionem, ratione votorum, quæ emisit, vt benè probat Nauarrus, cuius dictum in hac parte approbant Sanchez, & Trullench, infra citandi.

Respondeo *Secundò*, probabilius est, quod prædictus vouens, non solum teneatur ad seruandam in sæculo, castitatem, & paupertatem; sed etiam obedientiam à se promissam. Quia sola Religiosi Professio indiget acceptatione, vtpotè, quæ est mutuus contractus. At obedientia in sæculo seruanda, absque vlla ipsius Religionis obligatione, non indiget acceptatione, vt vouentem obliget. Quia id votum, sicut & alia duo paupertatis, & castitatis, emissum est Deo, & in Dei honorem, & non illius Prælati, aut Religionis gratia, aut quasi cum ipsis contrahendo. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 16. n. 16.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 20. n. 21.* Addentes, quod ille, qui vouit seruare in domo sua Regulam alicuius Religionis, teneatur illam seruare; & obedire Prælato illius, vt Regula præscribit. Non tamen teneatur esse sub Episcopi obedientia, eo quod id non promisit.

QVÆSTIO LXVIII.

An, votum simplex castitatis, aut ingrediendæ Religionis, impediat, & dirimat matrimonium?

REspondeo vt quid certum, quod impediat licitè iniri matrimonium: non tamen dirimat, vt iam diximus *2. p. tract. 9. de matrimonio, disp. 23. §. 5. q. 1.* Vbi per aliquas quæstiones, de aliis, quæ ab aliquibus Doctoribus hic tractantur, latè egimus. Legantur Sanchez & Trullench *locis citatis.*

QVÆSTIO LXIX.

An, qui vouit ingressum Religionis; satisfaciat voto, assumptione Episcopatus?

AFfirmant aliqui Doctores: eo quod Episcopatus est status perfectior statu Religioso, vt constat *ex cap. licet. de Regul. & cap. veniens, de iureiurando*: sed sic est, quod infringit votum qui illud in melius commutat: ergo. Ita tenent Abbas, Rodrig. Sà, & alij, quos citauimus suprà. *disp. 18. §. 3. q. 59.*

Sed vt quid longè probabilius, Respondeo, non satisfacere voto Religionis per assumptionem Episcopatus, vt cum multis Doctoribus defendimus suprà, loco citato.

QVÆSTIO LXX.

An, voto Religionis ligatus peccet mortaliter, si Episcopatum acceptet, eo Religionis voto nondum impleto?

NEgant aliqui Doctores docentes, nec venialiter peccare. Ita Henriquez *lib. 10. cap. 32. num.* vltimo ita dicens: si Episcopus ante electionem, aut cõsecrationem votum emiserat intrandi Religionem, intra certum tempus, quod iam completum est, quidam putant declaratione Iuris, & Pontificis obligari, vt priùs impleat votum: quia tutior status Religionis, non impedit statum Episcopi, & Regularis Episcopus ad plura tenetur, nempe etiam, ad vota, habitum, & quasdam Religionis obseruantias. At sanè Pontifex id tantum consuluit, & fortasse homini, quem videbat parum aptum Episcopatui. Cum tamen satis impleri videatur votum Religionis dum commutatur in statum Episcopi de se perfectiorem. Quia votum simplex non debet esse impeditiuum melioris boni: sicut nec Professio impedit eligi, aut consecrari in Episcopum. Quare Episcopus consecratus, non potest occasione voti, transire in Religionem, nisi Papa dispensset: Hæc Henriquez. Quem pro hac parte citat Sanchez infrà. Sed non aduertit, quod in Glossa oppositum doceat Henriquez, dicens, quod prima sententia D. Thomæ, sit communis, tutior, & sequenda in praxi. Citat etiam Sanchez pro hac sententia, & benè, Emman. Rodrig. *in 2. tom. sum. cap. 6. n. 6.*

Sed probabiliùs Respondeo: peccare mortaliter. Quia acceptans Episcopatum, admittit (inquit Sanchez) impedimentum Religionis promissæ, & sic erit voti reus. Quamuis enim non repugnet, vt Religiosus fiat Episcopus, repugnat tamen, vt Episcopus fiat Religiosus; quia vt Episcopus fiat Religiosus, oportet illum prius fieri nouitium, & in operibus humilibus versari, quæ dignitatem Episcopi dedecent: Insuper, oportet, vt omnia, quæ possidet, & Episcopatum renunciet: quod absque Pontificia licentia fieri nequit: At, vt Religiosus fiat Episcopus, satis est eum à suorum Prælatorum obedientia eximi, & subiici soli Pontifici. Sic ille, *lib. 4. cap. 17. num. 5.* & docent D. Thom. *2. 2. q. 189. artic. 3. ad 1.* & ibi Caiet. *dubit. 2. & q. 185. art. 6. ad 3.* Sylueſt. *verb. Religio 2. quæst. 10. & v. votum 3. fine.* Angel. *v. votum 2. num. 12. & votum 3. numer. 15.* Azor *lib. 11. capit. 16 quæst. 2. cap. 22. q. vltima.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 1.*

lib.1. cap.19. num.9. Layman *lib. 4. sum. tract.5. cap.7.q.vltima.* Castro Palao *tom.3.tract.16.disp.1. punct.6. num.5.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.20. in fine.* Pellizzar. *tom.1. tract.4. cap.1. sect.2. q.25. num.86.* Lessius *lib.1. cap. 4. num.89.* Miranda *in Man. tom.1.q.20. art.9.*

QVÆSTIO LXXI.

An, prædictus voto Religionis ligatus, non solùm peccet mortaliter acceptatione confirmationis, seu collationis, qua verè Episcopatus obtinetur: sed etiam acceptatione electionis, qua non Episcopatus, sed ius ad Episcopatum conceditur?

NEgandum videtur, eo quod ius non impedit Religionis ingressum cum propria voluntate dimitti, vt constat ex *cap. Inter corporalia. De translat. Episcop.* & ex illo docet Hostiens. *num. 2. v. Resignes,* & Sanchez *loco cit. num.6.*

Sed adhuc probabiliùs Respondeo, etiam peccare mortaliter, in tali acceptatione. *Tum*, quia exponitur periculo acceptandi confirmationem, & se impeditum reddendi ad exequendum votum Religionis. *Tum* etiam quia inutilis, & irrisoria est acceptatio, & præter voluntatem eligentium, quæ statim ex obligatione dimittenda est. Sic omninò Palaus *num.5. citato.*

QVÆSTIO LXXII.

An, qui ligatus voto Religionis, acceptat collationem, seu confirmationem Episcopatus; teneatur petere à Pontifice licentiam renunciandi Episcopatui, vt votum exequatur?

NEgant aliqui Doctores: eo quod licèt, iure communi attento, talis licentia desideretur: at in casu eius textus *in cap. Per tuas*, eam concessit illi Episcopo, & in eo, omnibus aliis simile votum dignitatem præcedens habentibus: ergo si talis licentia est iam concessa, non erit necessariò denuò exigenda à Pontifice. Et ideò ita tenet Caietan. *2.2. q.189. art.3. ad 1. dub.2.* & Tabiena *v. Episcopus, quæst.7. num.8.*

Sed oppositum omninò Respondeo dicendum, nempe quod dictus Episcopus confirmatus etiamsi nondum consecratus sit, teneatur licentiam petere à Sum. Pontifice renunciandi Episcopatui, vt votum Religionis à se ante emissum exequatur. Ratio est. Quia hæc licentia est medium omnino necessarium ad executionem voti: ergo stante obligatione exequendi votum, stat obligatio apponendi media illius executioni necessaria. Antecedens probatur: quia Episcopus iam confirmatus, est obligatus Ecclesiæ spirituali vinculo, ac veluti matrimonio: atqui hoc vinculum solum est solubile per consensum summi Pontificis, qui solus curam Ecclesiæ plenariè gerit: ergo tenetur ab illo solutionem, & licentiam transeundi ad Religionem petere.

Nec obstat quod contrarij opponunt, nempe, talem licentiam esse iam concessam *in d.cap. Per tuas.* Quia contra est, quod ibi nullum est verbum, ex quo hæc generalis licentia colligatur. Nec certè expediens erat sic concedi: quia sæpè conuenientius est, ob necessitatem Ecclesiæ in Episcopatu assumpto perseuerare, quàm eo dimisso, ad Religionem transire, & ideo in casibus futuris oportet, vt maneat in arbitratu Papæ, re maturè considerata, vel dare licentiam intrandi Religionem; vel, super voto intrandæ Religionis dispensare. Sic Sanchez *lib.4. cap.17. num. 6.* Azor *tom.1. lib.11. cap. 22. q. vltima.* Suarez *tom.3. de Relig. lib. 1. cap. 20. à num. 1.* Layman *tom. 2. lib.5. tract.5. cap.6. fine.* Castro Palao *tract. 16. disp. 1. punct.6. n.5.* Pellizzarius *tom.1. tract. 4. cap.1. sect. 2. q.25. n.86.*

QVÆSTIO LXXIII.

An item qui ligatus voto Religionis acceptat electionem Episcopatus; teneatur etiam exigere licentiam à sum. Pontifice ad renunciandum, vel resignandam electionem Episcopatus?

AFfirmat teneri etiam talem licentiam exigere à Papa, Pellizzar. loco cit. vbi, huic, quam proponit, quæstioni, videlicet: *Ad quid teneatur qui post votum ingrediendi, aut profitendi Religionem, suscipit Episcopatum?* ita respondet. Respondeo, eum non solùm peccare mortaliter contra votum: Sed teneri, vel resignare Episcopatum, si tantum sit electus, idque etiam authoritate Papæ, vel si sit etiam confirmatus, petere à Papa licentiam transeundi ad Religionem. Ita ille.

Sed vt certum Respondeo: non teneri prædictum exigere licentiam à Sum. Pontifice ad resignandam electionem Episcopatus in se factam: quia ipse propria authoritate id potest facere. *Primò.* Quia textus *in cap. inter corporalia, de translat. Episcop.* solùm decernit, quod non possit Episcopus confirmatus, resignare Episcopatum absque Pontificis licentia: ergo non est extendendus ad Episcopum solùm electum. *Secundò*, quia per electionem non acquiritur Episcopatus, sed solum ius ad illum: ergo non requirit eandem licentiam, quam confirmatio, qua verè Episcopatus obtinetur. *Tertiò.* Quia id solùm conuincit ratio pro nostra sententia *sup. q.72.* adducta. Et ideò sic sentiunt Sanchez, ex Hostiensi, *n.6. citato.* Palaus *n.4.* Layman *cap.6. cit. fine.*

QVÆSTIO LXXIV.

An, dictus Episcopus, voto Religionis ligatus, possit voti huiusmodi dispensationem petere; vt Episcopatum retinere liceat?

REspondeo vt certum. Posse talem dispensationem petere, si causa iusta subsit. Quia si ante Episcopatum potest, à fortiori poterit illo assumpto. Sic Layman *tom.2. lib.4. sum. tract.5. cap.6. fine.* & Palaus *punct.6. citato, etiam fine.* Pellizzar. *num.86. citato.*

QVÆSTIO LXXV.

An, talis Episcopus, cum petit licentiam ingrediendi Religionem, teneatur manifestare Pontifici votum à se emissum; si simpliciter petita, non conceditur?

AFfirmant teneri manifestare, si aliàs licentiam obtinere non possit, Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 20. num. 5.* Quem citat, & sequitur Palao *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 6. n. 7.*

Sed probabiliùs Respondeo, non teneri Episcopum votum Pontifici manifestare, dum eam licentiam petit. *Primò*, quia id facere nequit sine detectione proprij peccati, quod in acceptatione eius Episcopatus commisit. *Secundò*, quia, vt suprà diximus, Religiosus emittens votum de re sibi interdicta, licèt teneatur petere licentiam à suo Superiore; non tamen tenetur manifestare votum: ergo similiter nec tenebitur Episcopus. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 17. fine*, Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. fine.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 1. sect. 2. num. 86.*

DISPVTATIO XXII.

De voto aut iuramento Religionis exequendo, ab his emisso, qui debitis, aut ratiociniis reddendis, sunt obstricti.

QVÆSTIO PRIMA.

An, attento iure antiquo, sit valida Professio illius, qui pressus est ære alieno?

NEGANDVM videtur, eo quod profitendo, redditur impotens ad soluendum debita, quibus est pressus.

Sed vt quid certum Respondeo, attento iure antiquo, esse validam. Quia persona debitoris, non est serua creditorum, nec eis debita; quamuis sit obligata ad satisfaciendum: ergo tenebit traditio, quia debitor se Religioni per Professionem tradit, etsi ob aliquam circunstantiam peccet. Sic omnes. Maior *in 4. d. 38. q. 17.* Metina *C. de Restit. q. 3. causa 8. ad 5.* Angles, *florib. 2. p. quæst. Quis teneatur restituere, art. 2. diff. 12.* Nauarra *lib. 4. de Restit. cap. 4. dub. vltimo, in noua edit. n. 77.* Carbon. *de Restit. q. 85. dub. 3.* Quos omnes sic citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 19. n. 2.* Quibus addi possunt Suarez, Portell. Pellizzar. mox citandi, Bordonus *de Professione Regulari, cap. 3. quæst. 29. num. 96.*

QVÆSTIO II.

An etiam sit valida Professio pressi ære alieno; attento iure nouo?

NEgat Sanchez *num. 2. citato*, eo quod existimet, esse nullam talem Professionem, post constitutionem Sixti V. ait namque: quia nullo iure Ecclesiastico ea Professio irritatur ante Sixti V. constitutionem. Hæc Sanchez.

Sed iam, vt certum Respondeo, etiam nunc esse validam talem Professionem. Quia quoad hoc, constitutionem Sixti; moderauit Clemens VIII. vt aduertit Pellizzar. *tom. 1. tract. 2. cap. 4. q. 21. n. 50.* ibi: Vnde, stante hac moderatione, Professio grauatorum ære alieno est valida, etsi illicitè ij alias admittantur, quippe quæ iure communi valebat, & modo per constitut. Sixti V. non irritatur, cùm quoad hoc, ista fuerit reuocata, & ad ius commune redacta. Quod si talis Professio est valida, vtique & valida erit admissio ad nouitiatum, cuius validitas necessariò præsupponitur ad valorem Professionis, vt patet. Et hoc insinuat Suarez suprà *lib. 5. cap. 7. n. 21.* dicens, Bullam Sixti V. moderatam fuisse quoad hoc, vt Professio prædictorum hominum valeret; quoad illicitam eorum exceptionem, & pœnas recipientium, in suo adhuc manisisse rigore. Hæc omnia Pellizzarius. Et tenet etiam Portell. *in dub. Rugul. verb. Nouitij qualitates, n. 19. vers. Aduerte etiam.* Rodriguez, Miranda, Vecchius, Donatus, quos citat, & sequitur Bordonus, vbi suprà. *vers. secundo dubio*, & alij. Nec dissentit Sanchez. Nam oppositum nobiscum sentit esse dicendum post constitut. Clement. VIII. *cap. 19. cit. n. 21.*

QVÆSTIO III.

An, pressus ære alieno, possit Religionem ingredi, si debita, quibus est obstrictus, sint incerta, hoc est, nulli determinato debita, ac proinde pauperibus restituenda?

REspondeo, tanquam certum: posse ingredi (immo, & debere si adstrictus est voto.) Ratio est: quia (hæc obligatio, restituendi), nempe pauperibus; non tam iustitiam, quàm pietatem spectat iure Ecclesiastico potius, quàm naturali exercendam; abundè videtur impleri, si se, suaque omnia Religioni tradat: nam nil magis pium excogitari potest. Sic tenet Pellizzar. *tom. 1. Man. Regul. tract. 4. cap. 4. q. 21. n. 46.* Vbi ita quæstioni propositæ satisfacit: Respondeo distinguendo, vel debita sunt incerta (siue ex parte creditorum, eo quod non constet quinam ij sint; siue ex parte ipsius debitoris, eo quod dubitet, num verè debeat) & non impediunt ingressum Religionis, si ingressurus non habeat vnde soluat; aut certè, vnà cum sua persona, omnia sua bona tribuat Religioni. Nec in casu, quo sit impotens ad soluendum, tenetur prius quærere, aut lucrari, vnde restituat; immo, nec per breue tempus expectare, etsi certò speret se, intra illud habiturum, vnde soluat. Cùm enim restitutio nulli certæ personæ fieri debeat, parum refert creditoribus, etiamsi omittatur, ob præsentem impotentiam. Sic ille. Et antea Aragon *2. 2. q. 88. art. 12. ad 1.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. q. 10. art. 9. notab. 1.* quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 19. num. 4.* Suarez *etiam tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7. n. 1.* Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 1. pun. 7. §. 4. n. 2.* Portel. *in dub. Regul. v. nouitij qualit. n. 19. vers. Notat etiam Rodriguez.* Miranda *tom. 1. Man. Prælat. q. 17. art. 7.* Naldus *v. Religiosus, n. 2.* Peyrinus *de R. S. q. 1. cap. 25. §. 3.* Trullench *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 22. num. 1.* Diana *part. 4. tract. 4. Resol. 82.* Bartholom. de Vecchis in *praxi Nouitior. disp. 2. dub. 13. n. 15.* & alij communiter.

QVÆSTIO IV.

An, etiam possit Religionem ingredi, qui obstrictus est debitis incertis, non solum nomine proprio, sed alieno?

NEgat Sanchez *n.4. cit.* Quia existimat doctrinam, quæstione antecedenti traditam, limitandam esse, vt procedat in debitis, nomine proprio, non alieno. Si enim (dicit) aliquis acciperet à Petro quantitatem pecuniæ pauperibus, vel piis operibus restituendam, & illam consumeret, non posset Religionem ingredi, si breui tempore speraret habiturum, vnde satisfaceret. Quia illud debitum, est debitum iustitiæ, & certæ personæ debitum, nempe, Petro, cuius voluntatem, accipiendo pecuniam, tacitè obligatus fuit adimplere. Sic in substantia Sanchez. Quem sequitur Trullench *loco citato.*

Sed probabiliùs Respondeo, etiam huiusmodi debitorem posse Religionem ingredi. Quia (vt benè Palaus loco cit.) si dictus Petrus, qui nomine proprio incerta debet, non impeditur ob id debitum à Religionis ingressu; neque ille impediendus est, quippe, qui eandem quam Petrus habebat, suscepit obligationem, ipse enim eam in illum transtulit, traditione pecuniæ. Sic Palaus *n.2. cit.*

QVÆSTIO V.

An, qui debitis certis est adstrictus; possit licitè ingredi Religionem, antequam soluat?

REspondeo, vt certum: minimè posse Religionem, antequam debita certa, si possit, soluat. Quia id constat, tum ex iure communi, *cap. 1. de obligatis ad ratiocin.* Tum etiam ex constitut. Sixti V. vbi expresè prohibentur in Religionem recipi, grauati ære alieno. Tum denique, quia cum soluendum sit, tenetur lege iustitiæ, id ita curare, vt Religionis ingressus in creditorum præiudicium minimè cedat. Sic Sanchez *num.3.* & omnes DD. Legantur citati.

QVÆSTIO VI.

An, quælibet debita, etiam leuia, si sint certa, impediant ingressum Religionis?

REspondeo, vt certum: quod non. Quia vt impediant, debent esse ingentia, suprà vires hæreditatis. Vnde si quis habeat parua debita, non prohibetur Religionem ingredi. Quia id denotant hæc verba Sixti, *Non posse recipi grauatos ære alieno, ingenti, suprà vires suas.* Sic omnes. Legantur Portell. *loco cit. num.19.* vers. *Notanda tamen.* Pellizz. *q.21.n.46.* Rodrig. *loco cit.* & alij. Bordonus *n.96. vers. Tertio dubio.* Vbi ait, quod ille dicitur ingenti ære alieno grauatus, qui suprà vires facultatum ita oneratus est vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia iam sit illata, vel inferenda timeatur.

QVÆSTIO VII.

An, qui ingenti ære alieno est obstrictus, impediatur Religionem ingredi; casu, quo de præsenti habeat bona, vnde, soluat creditoribus; neque sperat probabiliter in posterum habiturum?

AFfirmant impediri post Bullam Sixti V. Malderus, & Syluius, apud Dianam infrà.

Sed nihilominus Respondeo, tanquam certum: Non impediri. Quia cum extra Religionem impotens sit ad soluendum; frustra in sæculo, occasione æris alieni soluendi, maneret. Sic Sanchez *lib. 4. cap.19. num.5.* Addens, idem dicendum esse, quando constaret fore, vt intra Religionem, æquè aut melius lucraretur bona, quibus solueret. Sed hoc, vt ipse adiicit, rarissime aut nunquam accidet. Sic etiam Nauarr. *Comment. 1. de Regularib. num. 8.* Portell. *n.19. cit. vers. Nota etiam.* ex Rodriguez *q.10. citata, artic. 9.* Palaus *disp.1. cit. punct.7.§.4. n.1.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub. 22. num.2.* Vbi addit, nec teneri in hoc casu licentiam petere à iudice. Diana *part. 4. tract. 4. Resol. 82.* & alij apud ipsum.

QVÆSTIO VIII.

An item, possit intrare Religionem, adstrictus ingenti debito; casu, quo consentiat creditor, vel quia remittit debitum; vel quia acceptat cautionem, aut alienam conditionem debitoris?

REspondeo vt certum: Tunc etiam posse intrare. Quia tunc verè non manet debitor. Sic Rodriguez, & Portell. *locis citatis.* Sanchez etiam *lib.4. capit. 19.n.3.* ibi: Secundo constat, debitorem iniustè facturum, si cùm bona habeat ad soluendum creditoribus, non soluat ante ingressum Religionis, aut sufficienter disponat, vt tempore statuto, illis satisfiat. Sic etiam Pellizzar. *tom.1. tract.2. cap.4. q.21. n.46.* ibi: Vel debita sunt certa, & hæc sine dubio impediunt debitori ingressum Religionis, si sint ingentia suprà vires hereditatis: aut certè crecreditores non remittant debitum, vel omnino, vel acceptando cautionem, aut aliam conditionem à debitore. Quamquam si debitor sit valdè diues, adeóque habeat vnde soluat abundanter, possit admitti ad Religionem, data cautione supradicta, aut imposita obligatione de soluendo, super bona propria immobilia; cum & creditores sint tuti de solutione; & consequenter, immerito sint inuiti, quoad ingressum Religionis faciendum à proprio debitore. Sic Pellizzar. ex Portellio, Rodrig. Miranda, Peyrino, & Sanchez. Bordonus *q.29. cit. num.96. vers. octauò.*

QVÆSTIO IX.

An qui oneratus est ingenti debito, & de præsenti non habet vnde soluat, probabiliter tamen sperat quod breui tempore, manens in sæculo, acquisiturus sit bona, quibus soluat, ingredi possit Religionem antequam soluat?

AFfirmant nonnulli docentes, non teneri tunc debitorem detineri in sæculo, adhuc pro illo breui tempore ad soluendum creditoribus: sed posse statim in Religionem transire dummodo omnium bonorum suorum cessionem faciat in creditorum fauorem. Quia (inquiunt) persona hominis liberi, non est creditoribus obligata, sed eius bona: ergo illis cedendo satisfaciet: ergo non tenebitur expectare in sæculo, ad acquirendum bona, vt integrè soluat. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 6. *ad* 3. & ibi Caiet. Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 5. D. Thom. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. *fine. & 3. p. tit.* 16. *cap.* 2. §. 3. Rosella *Religio* 2. *n.* 5. *& v. Restitutio* 16. *n.* 1. Angel. *Religiosus, n.* 6. Siluester, *Religio* 2. *q.* 4. *& ibi.* Tabiena *q.* 11. *n.* 12. & Armilla *n.* 5. Viguer. *lib. instit. cap.* 17. §. 1. *ver.* 23. Aragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *causa* 8. *& q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. Pedraza *in sum. præcepto* 7. *in fine, ante vers. la quarta es.* & dicit probabile Sà, *v. Religio, n.* 1. his verbis: Obligatus ad debita, etiam cum iuramento, potest ex feruore charitatis ingredi Religionem, quam profitendo cedit bonis, nec ad aliud tenetur, secundum probabilem quorumdam opinionem. Alij prius soluendum, si possit, differendo aliquantum ingressum: nec posse cum grandi proximi damno, suæ saluti consulere. Hæc Sà. Tenet etiam hanc partem vt probabiliorem Verricellus *tract.* 3. *q.* 50. *num.* 3. citans pro se Sayrum *in Claui Reg. lib.* 10. *tr.* 5. *cap.* 7. *num.* 15. Filliucum *tract.* 32. *cap.* 5. *q.* 8. *n.* 155. & alios.

Sed multò longè probabilius Respondeo non posse prædictum debitorem Religionem ingredi, si breui tempore manens in sæculo, arte aliqua, vel ingenio, & industria, valeat acquirere bona, quibus soluere creditoribus possit. Ratio est: Quia in hoc casu, absolutè censetur debitor potens ad soluendum, cum absque graui difficultate, (vt supponimus) & breui tempore, id facere possit. Nec certè æquitas iustitiæ patitur, ob sequenda consilia, creditoribus grauiter præiudicare, & præcepti naturalis restituendi obligationem, omittere. Sic Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *pun.* 7. §. 4. *n.* 3. ex Nauarro, *comment. de Regular. n.* 8. *ratione* 6. *& solutione ad* 4. Azorio 1. *p. lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 5. Petr. Nauarra *lib.* 4. *de Restit. cap.* 4. *diff. vltima, n.* 78. *&* 79. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 19. *n.* 8. Suario *tom.* 3. *de Religione, lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 2. & Lessio *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 3. *n.* 32. Quibus ego addo Ægid. Trullench, *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 22. *num.* 2. Pellizzarium *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *q.* 21. *n.* 47. *vers. Respondeo adhuc.*

QVÆSTIO X.

An saltem possit statim ingredi Religionem Debitor, casu, quo manens in sæculo, non possit breui spatio temporis, comparare bona, quibus soluendo sit?

AFfirmant multi Doctores, docentes: Tunc posse debitorem Religionem ingredi, modo cedat bonis in fauorem creditorum, & non possit breui tempore, idest, per biennium, aut (ad summum) triennium, manendo in sæculo, acquirere bona, quibus sit soluendo. Probant. Quia persona debitoris pro debitis non ita astringitur, vt ipsa sit debita, & quasi captiua instar seruorum; sed tantùm obligatur ad illis satisfaciendum: sola autem eius bona sunt, priori modo alligata: ergo, si sit moraliter impotens ad satisfaciendum, sufficiet, quod bona, quæ habet, tradat creditoribus: at reputatur moraliter impotens, qui non potest proximè acquirere bona, quibus soluat, aut certè, non sine magna difficultate: vt, vel hinc patet, quod sicut censetur moraliter impotens ad soluendum, qui nequit acquirere, absque iactura famæ; ita, & censeri debet, qui non potest sine notabili difficultate, & maximo detrimento boni spiritualis, quale est diu expectare in sæculo, modo supra dicto. Hæc Pellizzarius pro hac sententia, quam vt probabilem tantum sequitur, *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *q.* 21. *numer.* 47. Et vt probabiliorem, Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 19. *num.* 7. *&* 8. sequutus Nauarrum *Comment.* 1. *de Regular. n.* 8. *specialiter in ratione* 6. & *in solut. ad* 4. Azorium *lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 5. Petr. Nauarra *lib.* 4. *de restit. cap.* 4. *difficult. vltima, num.* 78. *&* 79. & Maiorem *in* 4. *d.* 38. *q.* 17. *concl.* 3. Quibus addi possunt Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dubit.* 8. *n.* 72. *&* 73. & *cap.* 41. *dubit.* 3. *n.* 32. Trullench, *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 22. *n.* 6. Et à fortiori D. Thom. Caiet. Siluest. Aragon, Palud. Angel. Rossella & alij citati pro prima sententia, *quæst.* 9. Ita etiam Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 41. & *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 82. vbi & citat Suarium 3. *p. de Relig. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 2. Lugo etiam *de inst. tom.* 1. *disp.* 21. *num.* 67.

Alij contrà dicunt, minimè posse debitorem Religionem ingredi, si habeat probabilem spem satisfaciendi creditoribus etiam post biennium, aut triennium. Probant. Quia præceptorum naturalium obligatio, omittenda non est, ob opus Consilij, & perfectionis, quale est Religionis ingressus, atqui dum debitor spem moralem habet satisfaciendi, etiam post longum tempus, nempe, post biennium, & triennium, obligatione præcepti naturalis astringitur: ergo omittere illam non potest, ob ingressum Religionis, qui est opus consilij. Sic Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 6. *pun.* 7. *vers. Præter hæc.* Ioan. Metina *C. de Restitut. q.* 3 *tota causa* 8. Carbon. *de Restit. q.* 85. *dub.* 3. & Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 12. apud Palaum.

Horum Authorum sententiam ampliat adhuc Palaus, dicens, quod si debitor habet spem soluendi per dilationem ingressus Religionis, teneatur ille expectare in sæculo, non solum biennio, aut triennio; sed quadriennio, & sexennio. Probat: quia ipsemet Sanchez *n.* 8. fatetur, & benè, si intra biennium potes notabilem quantitatem debiti soluere, te non posse Religionem ingredi. Ponamus ergo intra sequens biennium, aliam notabilem quantitatem te soluere

posse, & tertio biennio integre debito satisfacere: nescio, qua ratione, in huiusmodi casu posses Religionem ingredi. Nam qua parte obligatus fuisti, illo primo biennio expectare, ob soluendam illam notabilem quantitatem videris obligandus secundo, & tertio biennio: ergo debitum, quod intra quinquennium, vel sexsennium solui potest, non præstat facultatem Religionem ingrediendi. Quocirca, vel dicendum est, nullam esse obligationem expectandi, neque vno mense, sed dimissis bonis, te posse statim Religionem ingredi, vel esse obligationem expectandi quadriennio, & sexennio, si intra illud tempus, debito fieri potest satis. Et hoc mihi magis probatur. Hæc Palaus *pun. 7. cit. §. 4. num. 7.*

Sed huius Doctoris placitum, mihi non placet. Quia ex ipsiusmet argumento cõuincitur, quod si debitor tenetur expectare sexsennio, teneatur & amplius sine præfinitione temporis. Nam ponamus, quod debitor possit intra quadriennium notabilem quantitatem debiti soluere, & intra sequens quadriennium, aliam notabilem quantitatem possit, & tertio quadriennio, integram; nescio qua ratione in hoc casu posset Religionem ingredi. Nam qua parte fuit illo primo quadriennio obligatus expectare ob soluendam illam notabilem quantitatem, videtur obligandus, secundo, & tertio quadriennio, immo, & in quarto, & quinto sine termino. Quare vel dicendum est nullam esse obligationem expectandi, adhuc pro breui tempore, vt dixere Authores primæ sententiæ relati à nobis *q. 9.* vel debere omnino expectare etiam per longissimum tempus, vsque soluat integrè debitum, si debitor habeat spem intra illud soluendi: vt docent Valentia, Metina & alij Doctores citati pro secunda sententia. Pro qua omnino est Angles *2. p. vbi de Restitut. quæst. quis à restitutione sit liber. art. 2. diff. mihi 9.* (Suario 12.) *concl. 1. & 4.* & alij.

QVÆSTIO XI.

An ad minus statim possit ingredi Religionem, qui obstrictus est ingenti debito, orto tamen, ex liberali sua promissione?

REspondeo tunc posse statim Religionem ingredi. Quia non tenetur manere in sæculo ad illud debitum soluendum. Ratio est. Quia omnes hæ liberales promissiones, tacitam imbibunt conditionem, *nisi ad meliorem vitæ frugem fecerim transitum.* Sic Sanchez *lib. 4. cap. 19. num. 10. 28. & 31.* Metina *C. de restit. q. 3. causa 8. ad 4.* Azor *1. p. lib. 12. cap. 1. q. 4.* Siluest. *v. Religio 2. q. 4. & 5.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7. numer. 13.* Palaus *tom. 3. tr. 16. disp. 1. pun. 7. §. 4. numer. 6.* Diana *p. 4. tract. 4. Resol. 82.* Vecchius *disp. 2. dub. 13. numer. 15.* Suarez, & Trullench, mox citandi.

QVÆSTIO XII.

An item debitor ex voto, possit ingredi Religionem non soluto debito?

REspondeo etiam posse. Constat ex nuper dictis. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7.* Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 22. n. 1.* Vbi ita ait: si quis debitor sit tantum ex voto, vt si vouit dare Calicem, aut centum alicui Ecclesiæ, potest ingredi Religionem, non soluto eo voto, sed in Religionem commutando; & potest sua bona parentibus relinquere. Hæc ille ibi, *& num. 6.* Quid autem dicendum sit de promissionibus hominibus factis, & ab ipsis acceptatis, infra videbis.

QVÆSTIO XIII.

An deinde, quando debitor ingenti ære alieno adstrictus, est voto Religionis ligatus, & accedit tempus, quo votum obligat; teneatur statim ingredi Religionem; nec possit, ob debita differre eius ingressum?

AFfirmant teneri statim ingredi ratione voti Religionis quo debitor est ligatus, S. Thom. *in 4. d. 38. q. 1. ar. 3. quæst. 1. ad 7.* & ibi Palud. *q. 3. art. 2. num. 15.* D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 1. fine.* Turrecrem. *17. q. 1. in sum. art. 5. numer. 15.* & alij.

Alij negant teneri statim ingredi Religionem; sed potius contrà teneri differre ingressum pro breui saltem tempore, donec soluat, quando est probabilis spes potentiæ soluendi expectato dicto breui tempore, biennio (videlicet) vel triennio, vt quidam volunt; vel vt alij, adhuc quinquennio, & sexsennio, iuxta varias sententias *quæst. 10.* adductas. Quia non obstat votum superueniens ei obligationi, ne expectare teneatur. Quia non licet alicui voto se obligare cum creditorum damno. Et ideò ita tenent Nauarr. Azor, & alij, quos sequitur Sanchez *cap. 19. citato num. 10.* Qui addit idem dicendum casu, quo id votum antecesserat hæc debita. Quia superuenit notabilis mutatio vinculi iustitiæ obligationis soluendi creditoribus, & eorum damni ex ingressu imminentis, quæ iustam differendi ingressus, eo tempore, causam præbent. Nec votum in hoc violatur, sicut præberet magna parentum necessitas superueniens. Sic ille. Et ex illo Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 22. num. 6.*

Sed ego, iuxta doctrinam datam *q. 10.* Respondeo dicendum, verè teneri dictum debitorem differre Religionis ingressum, non solum pro breui, sed etiam pro longissimo tempore, si intra illud, soluendi spem probabilem habeat. Sic conuincitur ex ratione supra data, *q. 10.* & tenent expresè Gerson, *2. p. tract. An liceat grauato debitis intrare Religionem, Alphab. 39. lit. X. & Y.* & Supplementum Gabrielis *in 4. d. 38. q. 1. art. 5. dub. 2.* & alij.

QVÆSTIO XIV.

An, debitor, si neglecta obligatione soluendi debita, profiteatur in Religione; teneatur exire è Monasterio ad illa soluenda?

AFfirmant Medina *C. de restit. q. 3. causa 8. ad 5.* & Angles *2. p. quæst. Quis à restituere sit liber. art. 2. diff. 9. concl. vltima.* Vbi ita ait: Si debitor non potest creditori satisfacere, nisi dimittendo habitum; vt quærat substantiam ad satisfaciendum, deponat habitum, dummodo fiat sine scandalo; vt recedendo ad Indos, vel ad alia longissima loca, atque ita propria industriâ lucretur bona, quibus restituat. Ratio est; quia obligatio ad Religionem, naturalem, & diuinam restituendi obligationem non tollit: alioqui enim Religio, multis peccandi fomitem ministraret: quod absit; nam prius ære alieno grauarentur, & postea, vt liberarentur, Religionem ingrederentur. Ita ibi. & *dub. 6.* Ita. *Quid si Prælatus nolit dare facultatem dimittendi Habitum, poteritnè, illo inuito, dimittere?* Medina negat posse. Conclusio. Poterit quidem dimittere habitum. Ratio est: quia non tenetur obedire, nisi in licitis, & honestis: & Prælatus rem illicitam facit impediendo medium ad restitutionem. Hæc Angles.

Alij contrà omnino dicunt, non teneri huiusmodi Religiosum egredi à Religione ad soluendum debita: Quia estò, quod ingrediendo Religionem grauatus ære alieno peccauerit, iam impotens factus est. Et ideo, nec Prælatus talem licentiam concedere tenetur. Sic Siluest. *Religio 2. q. 4.* Sanchez *lib. 4. cap. 19. num. 15. & num. antecedenti*, vbi plures alios DD. citat.

Alij denique, media via incedendo, sic respondent, dicendum, quod aut debitor licitè fuit ingressus, & professus in Religione, aut illicitè, eo quod grauiter contra iustitiam peccauerit profitendo; eo quod tenebatur expectare in sæculo donec solueret. Si primo modo debitor fuit ingressus, & professus, minimè tenetur postea egredi ad soluendum debitum, nec petere ad id licentiam; immo nec acceptare illam, quamuis offeratur. Nam si à principio, illud debitum non potuit impedire licitam professionem, quomodo poterit obligare postea ad egressum? cum turpiùs egrediatur Religiosus, quàm in sæculo sine professione antea maneret.

Si verò secundo modo, hoc est, illicitè, est ingressus debitor Religionem, tunc dicunt teneri ad soluendum intra Religionem, si possit, vel relicta Religione, si necesse sit, ex facultate Superioris si eam possit obtinere, vel si non possit, etiam sine illa. Quia profitendo intulit iniuriam creditoribus, & non potuit se donare, nisi cum onere, quod tunc habebat: & posterior obligatio cum iniuria facta non potuit præiudicare priori; cap. *veniens*, & cap. *intellecto, de iureiur.* Ita Nauarrus *comm. 1. de Regular. n. 7. & comment. 2. n. 42. &* 47. Palacius, Medina, & Angles. Quos omnes citant pro hac parte Suarez *tom. 3. lib. 6. cap. 10. n. 5. &* Trullench, *lib. 2. Decal. c. 2. dub. 22. n. 18. &* 20. Sed aduerte, quod Angles & Medina, sine vlla distinctione, docent partem affirmatiuam huius quæstionis, vt constat ex verbis relatis Iosephi Angles.

Sed ego absolutè; & sine vlla distinctione Respondeo cum Sanchez, nec teneri dictum debitorem professum, immo nec posse exire è Monasterio ad soluenda debita. Tum ob rationem factam. Tum etiam, quia durissimum, & longè à communi vsu, alienum medium sit hoc. Sic cum aliis Sanchez citatus. Nauarra *lib. 4. de Restitut. cap. 4. fine.* Suarez & Trullench, *locis citatis.*

QVÆSTIO XV.

An saltem dictus debitor professus, teneatur intra Monasterium, manibus laborare, vel alia viâ decenti, bona acquirere, quibus possit creditoribus satisfacere?

AFfirmant quidam ad id teneri, salua Regulæ obseruantia, & de Prælati licentia, quam tenetur sanè concedere. Quia cùm dictus Religiosus commodè id possit præstare, lex naturalis obligans ad soluendum, obligat ad eum laborem assumendum. Ita tenent Medina *C. de Restit. q. 3. causa 8. ad 5.* Nauarr. vbi supra *comment. 1. num. 8.* Angles *art. 2. diff. 9. mihi,* (Sancio 12.) *concl. 3.* Maior *d. 38. q. 17. concl. 4.* Innocen. Hostiens. Ioan. Andr. Anton. Abbas, Cardinalis Astens. Felinus, & alij, quos pro hac parte refert Sanchez *num. 14. iuncto n. 35.* citant etiam Palaus, & Pellizzar. pro hac parte Suarium *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 10. n. 7.* Sed Trullench, pro opposita; casu, quo debitor licitè sit ingressus, & in Religione professus, vt infra.

Alij contrà, negant teneri manibus in Monasterio laborare ad soluendum debitum in sæculo contractum. Quia cùm talis debitor profitendo in Religione, cesserit eo ipso bonis, iam soluendi præcepto liberatus est, vtpotè, quia incapax est aliquid proprium acquirendi, & iam Religionis obsequio, cui se per Professionem tradidit, magis tenetur, quàm creditoribus. Sic Palud. *in 4. d. 38. q. 3. ad 2. n. 15.* D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 1. fine, & 3. p. tit. 16. cap. 2. §. 3.* Rossella *Religio 2. n. 5. & v. Restitutio 16. num. 1.* Angel. *v. Religiosus, n. 7.* Siluest. *Religio 2. q. 4.* Tabiena, *Religio q. 11. n. 12.* Aragon *2. 2. q. 62. art. 8. in casu 8.* Quos omnes refert, ac sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 19. num. 14. fine.* Quia (inquit) extraordinarium medium est & difficile, cogi in Religione bona acquirere ad soluendum creditoribus. Et esto hic ingrediendo peccarit, iam impotens factus est. Et ita nec Superior eam licentiam concedere tenetur. Sic ille. Cui adiungo Palaum *tom. 3. tract. 16. disp. 1. pun. 7. §. 4. n. 8* Pellizzar. *tom. 1. tract. 2. cap. 4. q. 21. n. 49. vers. Porrò.* Dianam *p. 3. tract. 2. resol. 41. in fine.* Bordonum *de Profess. Regulari cap. 3. q. 19. n. 97.*

Alij denique mediam sententiam amplectendo, distinguunt sic. Si debitor licitè fuit Religionem ingressus, & professus, non tenetur manibus laborare, aut aliis mediis licitis procurare, vnde suis creditoribus satisfaciat: secus, si debitor grauiter contra iustitiam profitendo peccauit, eo quod teneretur expectare donec prius solueret: quia tunc tenetur Religiosus soluere debita, meliori modo quo posset, manendo intra Monasterium. Sic docet Trullench, *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 22. numer. 19. &* 21. Vbi pro se citat Suarium, *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 10. num. 4. &* 8. & Villalob. *2. p. tr. 35. diff. 6. num. 6.*

Sed

Sed ego Respondeo dicendum, quod licèt omnes relatæ sententiæ sint probabiles; tamen secunda mihi magis probatur: ob maiorem DD. qui illam sequuntur, authoritatem.

QVÆSTIO XVI.

An, Conuentus, in quo profitetur debitor, teneatur pro eo restituere?

REspondeo vt certum. Non teneri, nisi vel casu, quo Conuentus, ad soluenda debita sui Religiosi, se obligauit: vel item casu quo, dictus Conuentus sit hæres huiusmodi debitoris professi; quia tunc tenetur pro eo restituere, ac debita illius soluere, iuxta vires hæreditatis tantum, seu bonorum, quæ ex illo Religioso acquisiuit. Sic Suarez *tom.3.de Relig. lib. 6.cap.10.num.4.* Sanchez *lib.7.oper.moral. cap.31. num.3.* Trullench, *lib.2.Decal.cap.2.dub.22. n.25.* Lessius etiam *lib.2.cap.41.dubit. 3. n.12. fine.* ibi: Si obstrictus debitis admissus fuerit, non tamen idcirco obligatur Monasterium, nisi quatenus ex ingressu factus est locupletior. Sic Lessius. Cuius sententiam refert Palaus, vbi supra *num.* 8. & transit. Prima autem pars huius Resolutionis infra *quæst.18.* probabitur.

QVÆSTIO XVII.

An deinde, teneatur Conuentus ad soluenda debita sui Religiosi, casu, quo post ingressum, & Professionem illius, hæreditate, legato, aut donatione, &c. dicto Religioso aliquid acquiratur?

NEgandum videtur. Quia hæc non Religioso, sed ipsi Conuentui acquiruntur: quidquid enim Religiosus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit: ergo.

Sed vt certum Respondeo: teneri Conuentum ex bonis, quocumque eorum modorum acquisitis, satisfacere debitis sui Religiosi, ante professionem contractis. Quia cum per Professionem nullatenus iuri creditorum derogatum sit, sicut ante Professionem tenebatur Religiosus dictus, ex his bonis soluere creditoribus; ita Conuentus in ea bona succedens tenebitur.

Nec obstat ratio dubitandi. Quia regula illa: quidquid *Religiosus acquirit, Monasterio acquirit*; intelligitur, nisi alias Religiosus ille, oppressus ære alieno sit ad Professionem admissus: tunc enim, non Monasterio, sed creditoribus acquirit quidquid arte, labore, industria, hæreditate, vel donatione comparat. Sic Sanchez *tom.3.sum.lib.7.cap.31.num.* 4. & apud ipsum, Felinus. *cap.cum I. & A.n.10.de sent. & re iudicata.* Bertrandus *consil.22.n.5.vol.7.* Monaldus *consil.30.n.6.& 8.vol.2.* Azor *tom.1. institut. Moral.lib.12.cap.10.q.8.* Tapia *in Authen.Ingressi. verb. sua, cap.18.n.3.de Sacrosanct. Eccles.* Et Molina *tom.1.de iust.disp.140. col.2.* Sic etiam ex Sancio, Trullench *lib.2.Decal.cap.2.dub.22.n.* 25. vbi citat Nauarrum *comment.2.de Regular.num.* 42. & Azorium *tom.2.lib.12.cap. 10. num.* 48. Sed hunc malè citat. Quia ibi nil agit de hac re: benè tamen loco à Sanchez citato. Tenet etiam Bordonus *de Professione Regulari, cap.20.q.36.*

QVÆSTIO XVIII.

An rursus, Conuentus teneatur ad soluenda debita sui Religiosi, adhuc casu, quo ex dicto Religioso, nulla bona acquisierit?

REspondeo vt certum: Quod tunc non tenetur. Quia, vt ex nuper dictis constat, tota obligatio ad soluenda debita oritur ex bonis, quæ Conuentus acquisiuit: ergo si nulla bona ratione Professionis dicti Religiosi acquisiuit, nulla illius debita soluere tenebitur. Nam cùm Religio nihil debeat, obligatio personæ in illam transire nequit, ex vi solius Professionis: nam delictum personæ, in damnum Ecclesiæ redundare non debet. cap. *Delictum de Regul. iur. in 6.* Sic Suar. *tom.3.de Relig. lib.6.cap.10. n.4.* ex Siluest. *Religio 8.n.3.* Trullench, *numer. 25. cit. fine.* Legatur Sanchez *lib.7.sum.cap.31.* per totum, vbi de hac, & aliis obligationibus Monasterij, occasione Professi, latè agit.

QVÆSTIO XIX.

An possit Prælatus absque consensu Conuentus concedere Religioso grauato debitis, facultatem elaborandi in Conuentu, vt creditoribus satisfaciat?

NEgat Angel. *v. Religiosus, n.7.* ibi: Posset tamen Prælatus cum consensu Monasterij, hoc ei concedere; aliàs verò non.

Sed multò probabilius Respondeo; Posse talem facultatem concedere Prælatum, etiam sine consensu Couuentus. Sic Medina *C. de restitut. q. 3. causa 8. in solut. ad 5.* & Nauarr. *Commentar.1.de Regular.* quos sequitur citatos Sanchez *lib.4.Decal. cap. 19.n.16.* Quamuis contra illos teneat, non obligari Prælatum ad illam concedendam.

QVÆSTIO XX.

An item, possit Prælatus concedere licentiam dicto Religioso, elaborandi extra Monasterium, ad soluenda debita, etiam dimisso Habitu?

AFfirmat haud obscure Angles *2.p.florib.q.Quis à restituere sit liber. art.2.diff. 9. dub. 6.* vbi docet, quod si Prælatus nolit dare facultatem dimittendi habitum, ad dictum finem; quod tunc possit dictus Religiosus illo inuito, dimittere. Supponit ergo Angles, posse Prælatum talem licentiam concedere?

Sed vt certum Respondeo dicendum, quod licèt possit Prælatus concedere dicto Religioso facultatem elaborandi, extra Monasterium, habitu retento; minimè tamen eo dimisso. Quia hoc modo solus potest Pontifex. Nam vt benè Sanchez, præceptum subueniendi Parentibus, vrgentius est, quàm præceptum

ceptum soluendi creditoribus : atqui solus Pontifex potest cõcedere Religioso licentiam, vt dimisso Habitu, sit extra Religionem, vt illis subueniat, vt dicemus *disp.* 23. ergo à fortiori solus ille poterit concedere Religioso, vt dimisso Habitu, sit extra Monasterium ad soluenda debita. Sic ille *lib.* 4. *Decal. c.* 19. *n.* 16. *& cap.* 20. *num.* 22.

QVÆSTIO XXI.

An, dato quod Pontifex, aut alius Prælatus, concedant tali Religioso licentiam elaborandi, Habitu retento, aut dimisso; teneatur talis Religiosus elaborare?

REspondeo quod non. Quia durissimum, & inusitatum medium est huiusmodi, vt soluat Religiosus debita creditoribus. Sic Sanchez, vbi supra cum aliis *n.* 17. Legatur Nauarrus *lib.* 4. *de restitut. cap.* 4. *fine.*

QVÆSTIO XXII.

An, obligatus ad ratiocinia reddenda, stando iuri antiquo, & nouo, impediatur à Religionis ingressu, quousque rationem reddat.

REspondeo vt certum dicendum, quod vtroque iure impediatur. Nam iure antiquo, impeditur in cap. *legem. dist.* 53. (non 35. vt leges apud Palaũ) cap. *vnico, de obligatis ad ratiocinia, & l. officiales. C. de Episcopis, & Cleric.* Iure verò nouo, ex constitut. Sixti V. *edita anno* 1587. (non 3585. vt item inuenies apud eumdem Palaum) Sic omnes DD. Legantur Rosella *v. Religio* 2. *n.* 4. & ibi Sylvester *q.* 6. Armilla *n.* 6. Tabiena *q.* 11. *n.* 12. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 19. *n.* 19. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *pun.* 7. §. 4. *num.* 9. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *q.* 23. *n.* 52. Portel. *in dub. regul. v. Nouitij qualit. n.* 20.

QVÆSTIO XXIII.

An, non solum obligatus ad ratiocinia Reipublicæ seu publica, verum etiam ad ratiocinia priuatorum, impediatur ab ingressu Religionis?

REspondeo vt certum quod (quidquid sit de iure antiquo loquendo) post constitut. Sixti V. vterque impediatur. Constat, nam Pontifex generaliter de omnibus loquitur illis verbis : cum de omnibus dicat, vel *reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne inferatur.* Sic docent omnes Authores, præcipuè nuper citati : inter quos Portel. *n.* 20. *cit.* vbi claritatis gratia, notat, quod obligatio ad ratiocinia, ratione administrationis sit duplex: altera publica, vt Thesaurarius, Publicanus, Depositarius, Procurator Reipublicæ, & similes. Altera est priuata, per quam quis obligatur ad certam personam, vt tutor, curator, executor testamenti, & similes. Hi ergo omnes impediuntur à Religionis ingressu, quousque rationem reddant. Quod si durante hac reddendi rationem obligatione, de facto aliquis istorum ad professionem admittatur, professio erit valida, vt constat ex motu Clementis VIII. *expedito anno* 1602. vbi quoad hanc partem moderauit constitutionem Sixti V.

QVÆSTIO XXIV.

An si credatur, quod obligatus ad ratiocinia reddenda, possit sine lite, grauamine, aut distractione, rationem reddere; possit tunc ad Religionem admitti?

REspondeo vt certum : Posse. Quia Pontifex solum comprehendit eos, qui in reddendis ratiociniis, ita obstricti sunt, vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia iam illata sit, vel timendum sit ne inferatur. Ergo illi, qui absque lite, aut grauamine, aut distractione rationem reddere possunt, optimè poterunt ad Religionem admitti. Sic Pellizzar, *num.* 53. ex Suario *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 21. Palaus §. 4. *citato, fine.* Sic etiam Sanchez *cap.* 19. *citato, num.* 29.

QVÆSTIO XXV.

An, impediatur ab ingressu Religionis ille, qui ante ingressum, sufficientem præstat cautionem, qua alij obligentur ad reddendam rationem pro ipso?

REspondeo : Non impediri. Quia in hoc casu, cessat ratio prohibitionis, quæ est timor litis, molestiæ, grauaminis, &c. Sic Pellizzar. *loco cit. n.* 53. ex Peyrino *de R. S. q.* 1. *cap.* 25. §. 3. & Diaz *in pract. cap.* 2. *num.* 6. Qui addunt, idem dicendum in casu, quo patrimonium illius, qui est obnoxius ratiociniis reddendis, & vult profiteri in Religione, aut illam ingredi, longè superet administrationi præstitæ, & rationes eius, non sint adeò implicatæ vt ei probabiliter credatur, inde inferri posse molestiam; quia tunc poterit hic admitti ad Religionem, & profiteri. Legantur dicta à nobis supra *quæst.* 8.

DISPVT.

DISPVTATIO XXIII.

De voto, aut iuramento, Religionis, exequendo, ab iis, qui Parentes in necessitate existentes habent.

QVÆSTIO PRIMA.

An, filij teneantur omittere, aut differre ingressum Religionis, ob leuem, aut communem parentum necessitatem?

RESPONDEO tanquam certum. Quod non. Quia in hoc casu, necessitas Parentum, quasi nulla moraliter reputatur, comparatione tanti incommodi, quantum est priuari statu perfectionis. Sic omnes DD. Legantur D. Thom. 2.2.*q.* 189. *art.* 6. *& q.* 101. *art.* 4. *ad* 4. *& quodlib.* 16. *art.* 1. Suarez *tom.* 3. *de Relig. cap.* 5. *num.* 3. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *pun.* 7. §. 5. *in fine.* Trullench *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 23. *n.* 2. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *q.* 18. *n.* 39. *fine.* Bordon. *de Profess. Relig. cap.* 3. *q.* 47. *numer.* 134.

QVÆSTIO II.

An saltem, existentibus in extrema necessitate parentibus teneantur filij, Religionem non ingredi?

RESpondeo tanquam certum: Tunc teneri non ingredi: casu, quo in sæculo manentes, non autem Religionem ingredientes, subuenire parentibus possint. Quia præceptum charitatis, & pietatis, in nullo alio casu strictiùs obligare potest. Et in hoc sensu dixit Christus Matt. 9. *Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Sic docent omnes Doctores. Legantur citati.

QVÆSTIO III.

An ad minus possint ingredi Religionem filij, qui in extrema necessitate habent parentes, casu, quo manentes in sæculo illis subuenire non possent?

RESpondeo dicendum ex dictis; Tunc iam posse ingredi. Nam si manentes in sæculo, subuenire eis non possent, frustra manerent: ergo iam possent tunc ingredi. Et à fortiori, si Religionem ingredientes, subuenire possent, tum cessione bonorum, & donatione; tum amicorum auxilio, & alia via, tunc enim non obligarentur à Religione abstinere; cum hæc non solum non est impedimentum satisfaciendi naturali obligationi Parentum; verum potius iuuamen ad adimpletionem illius. Sic Palaus, & Trullench *locis citatis.* Qui idem dicunt de Parentibus comparatione filiorum. Legatur Bordonus *loco citato, num.* 136. *fine.*

QVÆSTIO IV.

An, non solùm, in extrema, sed etiam in graui necessitate, existentibus Parentibus; prohibeantur Filij ad Religionem transire?

NEgant tunc prohiberi, aliqui DD. eo quod existiment, non teneri filios manere in sæculo, nisi quando necessitas Parentum est extrema, aut speratur fore, ingresso filio in Religionem. Probant; *Tum,* quia *Matth.* 10. *& Lucæ* 14. dicitur, non posse esse Discipulum Christi, qui amore sui, Parentes non odit. *Tum etiam,* quia D. Hieronym. In Epistola ad Heliodorum ait, *percalcatum patrem pergendum; & summum pietatis genus esse, in hac re crudelem esse.* Propter hoc, ita tenent Alens. 3. *p. q.* 33. *mem.* 4. *art.* 2. Abulens. *cap.* 8. *Matth. q.* 6. Et loquens de adstricto Religionis voto, Altissiodorens. *lib.* 3. *summæ tract.* 22. *cap.* 1. *q.* 2.

Sed tanquam certum Respondeo tunc etiam prohiberi filios ad Religionem transire; si aliunde Parentibus succurri ab aliis non possit, & ipsi differendo ingressum Religionis, eorum grauem necessitatem subleuare valeant. Probatur *Primò* ex textu *in cap. si qui filij,* 30. *dist.* quod est Concilij Gangrens. & approbatur à Leone IV. cap. *De libellis, ead. dist.* Vbi anathematizat deferentes Parentes necessitate pressos, occasione cultus diuini.

Secundò. Quia propter opera Concilij, non debet prætermitti præceptum diuinum, & naturale: at filius tenetur præcepto naturali diuino subuenire Parentibus in graui necessitate constitutis: ergo id omittendum non est, propter consilium ingrediendi Religionem. Sic S. Thomas 2.2. *q.* 189. *art.* 6. *in corp. & q.* 101. *art.* 4 *ad* 4. & ibi Caiet. Noster Henricus de Gandauo, *quodlib.* 6. *q.* 19. Rosella *Religio* 2. *n.* 7. & ibi Siluest. *q.* 7. Nauarr. *cap.* 14. *n.* 14. Toletus *lib.* 5. *sum. cap.* 1. *n.* 5. Sà, *v. Religio, n.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 8. Rodrig. 2. *tom. summæ, cap.* 6. *n.* 4. *& qq. Regul. tom.* 3. *q.* 13. *art.* 5. *dicto* 4. Angel. Tabiena, Armilla, Corduba & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 20. *n.* 3. Sic etiam Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 21. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 3. *n.* 34. Layman *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 2. Palaus *tom.* 3. *tr.* 16. *disp.* 1. *pun.* 7. §. 5. *n.* 5. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *q.* 18. *num.* 39. Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 23. *n.* 4. Villalob. 2. *p. tr.* 35. *diff.* 7. *n.* 8. Bordonus *de Professione Regulari cap.* 3. *q.* 47. *n.* 134. *& sequentibus.*

QVÆSTIO V.

An saltem, casu, quo filius votum Religionis emisisset, tunc posset Religionem ingredi, non obstante graui necessitate Parentum?

AFfirmant expresse Altisidiorens. loco supra citato, & à fortiori alij DD. pro prima sententia adducti.

Sed adhuc tanquam certum Respondeo necdum in hoc casu posse filium Religionem ingredi, siue ille votum Religionis emisisset ante indigentiam parentum; siue post illam, siue illa durante. Ratio est: Quia, si votum fiat à filio post indigentiam Patris, non potest illum obligare, pro tempore illius indigentiæ, quia esset illicitum, vtpote, rei contra præceptum diuinum naturale. Si vero fuit factum antea, etiam non obligat; quia non potest obligare ad rem, quæ ob mutationem rerum, facta est materia illicita, & iniqua: ergo. Sic docent D. Anton. Castro, Silvest. Rodrig. Corduba & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. cap. 20. n. 8.* Suarez *tom. 3. lib. 5. n. 16.* Pellizzar. supra, *num. 42.* & Palaus, *num. 6.* Qui addunt, quod si dubium sit, an necessitas Parentum tanta sit, vt ad illam subleuandam filius obligetur; tunc non possit, propriâ authoritate, voti executionem omittere. Quia obligatio voti est certa, & excusatio necessitatis dubia. Est tamen sufficiens causa, vt ex dispensatione, voti executio differatur. Sic Suarez, Sanchez, & Palaus. Sic etiam Bordon. *de Profess. Regulari cap. 3. q. 47.* & omnes.

QVÆSTIO VI.

An ad minus, casu, quo filius nequiret extra Religionem esse, absque periculo committendi aliquod mortale; tunc posset, non obstante Parentum necessitate, ad Religionem transire?

REspondeo dicendum; quod tunc iam posset. Quia ordo charitatis postulat salutem propriam spiritualem, præferri temporali bono Parentum. Sic S. Thom. *quodlib. 10. art. 9.* Silvest. *Religio 2. q. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 3. n. 34.* Toletus *lib. 5. sum. cap. 1. n. 6.* Corduba *in Regul. D. Franc. cap. 2. q. 6. art. 1.* Sanchez *cap. 20. cit. n. 11.* Suarez *cap. 5. cit. n. 32.* Palaus *num. 7.* Trullench, *numer. 8.* Qui benè aduertunt, id non esse intelligendum, de quolibet probabili periculo; quia aliàs vix vllus esset, qui omissa Parentum necessitate, non posset Religionem petere; cùm rarus sit, qui manens in sæculo, non multis mortalibus maculetur, à quibus liber existeret Religionem ingrediens. Sed intelligi debere, de periculo proximò peccandi, & tale, quod sub reatu mortali obligatus sit filius, vitare, medio Religionis ingressu; aliàs aduersus naturale & diuinum præceptum succurrendi parentibus non prævalebit. Quod vix est moraliter possibile: vt aiunt Suarez & Palaus. Vnde vix potest dari casus huiusmodi, propter quem filius, ob effugiendam occasionem peccandi, transire ad Religionem possit, existentibus in graui nessitate Parentibus. Vnde à fortiori id est omnino tenendum casu, quo Parentes sint, in extrema necessitate: quia id periculum in ea contingere omnino est impossibile, vt dicit Sanchez.

QVÆSTIO VII.

An item, casu, quo parentes filium ad peccatum inducant, & prouocent; possit tunc filius Religionem ingredi, non obstante quacumque Parentum necessitate?

AFfirmant absolutè aliqui. Quod, stante hac inductione, aut prouocatione, adest regulariter filio periculum consensus, ob quod vitandum, & se incolumem reddendum, fugere Parentes potest, immo, & tenetur. Sic D. Thom. *2. 2. q. 101. art. 4. in corp. & ad 1.* vbi ait, si Parentes nostri nos prouocent ad peccandum, & abstrahant à cultu diuino, debemus quantum ad hoc, eos deserere, & odire. Ita etiam Tabiena *v. Pietas, q. 1. num. 2.* & ibi Armilla *num. vnico*, in principio, vbi ita ait: Pietas parentum non potest tenere filios, quin eis inuitis, ingrediantur Religionem: dummodo parentes habeant, vnde viuere possint, & sustentari sine illis: vel quando ipsi traherent filios ad peccatum; & sic ministrando Parentibus, abstraherentur à diuino cultu. Ita ille. Et Bordonus *de Professione Regulari cap. 3. q. 43. n. 138.*

Sed clariùs Respondeo dicendum; *Primò*. Non eò quod filius inducatur, aut prouocetur ad peccandum à Parentibus, tenetur, aut potest, Religionem ingredi, relictis in graui necessitate illis. Patet, quia verè potest filius manere in sæculo à parentibus separatus, & euitare hoc modo periculum peccandi, & subuenire illis: ergo si ingrediendo Religionem id præstare non possit; iniquè ingrederetur deserendo in necessitate Parentes; cum tunc Religionis ingressus non esset medium necessarium ad se securum à peccato seruandum. Sic Palaus *num. 8.* ex Suario *lib. 5. cap. 5. n. 22.* Sanchez *cap. 20. cit. num. 12.* Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 23. sub num. 6.*

Respondeo *secundò*. Tunc licebit filio, relictis in necessitate graui Parentibus, ad Religionem transire, quando alio modo nequit inductionem, aut prouocationem ad peccandum vitare, quàm Religionis ingressu (quod rarò continget) Legantur Sanchez, Suarez, Palaus, & Trullench, vbi supra, qui latè de hac materia tractant.

Respondeo *tertiò*, in casu, quo filius, ligatus Religionis voto, posset licitè deserere Parentes in necessitate, & Religionem ingredi; tunc verè teneretur ad id. Quia cùm in illis, ingressus sit licitus, votum illius obligabit. Sic Sanchez *n. 13.*

QVÆSTIO VIII.

An, filius iam professus, teneatur è Religione egredi, vt extremæ necessitati Parentum subueniat?

NEgant teneri, immò nec posse exire, repugnante suo Prælato, ad subuenieudum necessitati extremæ Parentum, eo quod per Professionem iam mortuus sit mundo; nec est sui iuris, sed Prælati, D. Thom. *2.2.q.101.art.4. & quodlib.3.art.6. & quodlib. 10. art.9.* Caiet. 2.2. vbi supra, Alex. de Alex. *3.p.q. 33. mem. 4.* Quibus adiungi possunt Nicol. de Lyra super *cap. 15. Matth.* Angel. *v. Religiosus, numer. 32.* Siluester *Religio 6.q.9.*

Sed tanquam quid certum Respond. teneri egredi, quantumuis repugnante Superiori, ad subueniendum parentum necessitati extremæ si non sit alius, qui illis subueniat. Ratio est: quia ad subueniendum extraneo in hac necessitate, teneretur quilibet Religiosus, renitente Prælato, claustrum egredi: vt si extraneus in puteum incidisset, cui solus Religiosus subuenire posset. Sic communiter DD. Angles *florib. 2.p.quæst. vnica de voto, art. 2. diff.13.concl.1. & 2.* Metina *C.de restit.q.3.causa 8.* Tabiena *v. Pietas, fine,* & ibi Armilla; Nauarr. *cap.14.n.14.* Corduba *in sum. q. 141. art. 2. opinione 4.pun. 1.* Rodrig. *tom.2.summæ, cap.6.n.4.* Barthol. de Medina *in sum. cap.14.§.14.* Maior, Adrian. Abulens. Corradus, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4.cap. 20. n.14.* Trullench, *lib.2. cap.2.dub.24.* Villalob. *2. p. tract.35.diff.7.* Bordon. *de Profess. Religiosa, cap. 3. q. 50.num.140.* Bonac. & Donatus, apud ipsum.

QVÆSTIO IX.

An, Prædictus Religiosus teneatur, aut possit, dimittere Habitum, ad subueniendum extremæ necessitati Parentum?

NEgant Angles *loco cit. concl. 2.* Quia multò melius (inquit) in quocumque euentu, poterit retento Habitu, Parentibus adiumento esse, siue concionando, siue Confessiones audiendo, siue artem mechanicam, aut laboralem exercendo. Ita ille, & Medina §.14. *citato.*

Sed etiam tanquam certum Respondeo, non solùm posse, sed etiam teneri, etiam dimittere Habitum, si ad subleuandam talem necessitatem opus fuerit. Quia id conuincit etiam ratio facta, & probat Corduba loco citato, *opin. 4.pun. 2.* his verbis. *Y no es el mismo juizio de la necessidad extrema. Porque como está dicho en el primero punto de esta quarta opinion, la extrema no tiene ley: y para su socorro basta muy poco, y poco tiempo. Loqual todo no es reputado ser contra su Regla, ni Profession, ni estado del Religioso. Como es salir sin licencia de presto del Monasterio, y quitarse el Habito, y tomar vna espada para librar à vno que se ahoga, ò que le matan enemigos, ò vnos perros, y tomar dinero el Fraile de S. Francisco, para comprar vn pan, ò vna vestidura para vno que se muere de desño, y peligra si no se prouee desta manera. Y esto se puede hazer como está dicho en el primero punto.* Hæc Corduba. Quem citat, & sequitur Sanchez *num.14. citato.* Fagundez mox citandus. Nam si ius naturale (ait) eis concedit maius, egressum nempe à Religione; cur non etiam minus. Sic ille. Qui omnes benè aduertunt, non facilè Religiosum decipiendum, existimando necessitatem Parentum esse extremam, quæ solummodo est grauis. Deinde quod teneatur Religiosus ad Monasterium redire, cum primum ei necessitati subuenerit. Sic etiam Nauarrus *lib.3.consil. de Regular.consil.3.alias 26.n.vnico.* Trullench, *lib.2.cap.2.dub.24.n.2.* Eagundez *lib. 4. in Decal. cap.2.num.23.*

QVÆSTIO X.

An, Religiosus Professus possit facere contra suam Regulam, ad subleuandam extremam necessitatem Parentum?

NEgat Angles *q. de voto, art.2.diff.13. concl. 2.* ibi: Tenetur enim seruare Regulam, quantum in se fuerit, obedientia dempta. Oppositum tenet Pater Antonius Cordubensis. Ita Angles. Citat etiam Corduba pro hac parte, D. Thomam, & Caiet. *2.2.q.101.art. 4.* Alex. de Alex. *3.p.q.33.mem.4.*

Sed Respond. dicendum, quod etiam possit. Quia necessitas caret lege. Sic Corduba, vt constat ex verbis eius relatis *quæst. antecedenti.* Et antea ibidem vers. *La quarta opinion. fol.mihi 375.pag.2.* Vbi ait id esse commune.

QVÆSTIO XI.

An item, filius Professus teneatur exire è Monasterio ad subueniendum necessitati, non solùm extremæ, (vt habitum) sed graui, Parentum?

AFfirmant aliqui Doctores: docentes teneri filios professos egredi, petita tamen & non obtenta licentia, ad subueniendum graui necessitati Parentum; siue talis necessitas anteceserit Professionem, siue eam subsequeretur. Quia de præcepto, & iure naturali obligantur filij iuuare, ac alere Parentes in graui necessitate positos si possunt: ergo ad id non potest obstare votum Religionis. Ita tenent Ancona *de potest. Papæ q.5. art.1.* Noster Henricus de Gandauo *quodlib. 6.q.9.* Iansen. *in concord. Euang. cap.60.* Viguerius *lib.1.instit.moral.cap.6.§.7.* Corduba *in Regul. D. Franc. cap.2.q.6.art.2.post 4.concluf.* Quos omnes sic referunt pro hac parte Sanchez *lib.4 sum.cap.20.n.15.* & Fagundez *lib.4. in Decal. cap.2.num.24.*

Alij distinguendo dicunt, quod si grauis necessitas Parentum præcessit Professionem filiorum, tunc teneantur filij egredi è Monasterio, vt Parentes graui necessitate oppressos iuuent: secus vero si subsequuta fuit. Ratio eorum est. Quia si Pater ante Professionem erat in illa graui necessitate, iniustè filius professus est: ergo tenetur egredi. Ita Angelus *v. Religiosus, num.31.* Siluester *v. Religio 6. q.9.* Nauarr. *cap. 14. numer. 14. & Comment.3. de Regular. numer. 48.* Anton. Cucus *lib. 3. Institut. Maiorum, tit. 1. numer. 126.* Toledo *lib. 5. sum.*

sum. cap. 1. n. 6. Ludou. Lopez 1. *p. instructorij, cap.* 54. Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 6. n.* 4. & Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 14. Quos omnes referunt pro hac parte Sanchez *n.* 16. nec non Fagundez *num.* 26. Quibus addo Suarium *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap.* 9. Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 24. n.* 3.

Sed clariùs sic tanquam certum Respondeo *Primò.* Filius Professus, nec tenetur, nec potest exire è Monasterio ad succurrendum graui necessitati Parentum, si melius, aut æquè benè, ex illo, quàm in sæculo possit eos iuuare. Sic docent vtriusque sententiæ Doctores. Et constat ex se.

Respondeo *secundò* tanquam quid probabiliùs. Nunquam tenetur Professus Monasterio egredi, absque petita, & obtenta facultate legitima sui Prælati, ad subueniendum graui Parentum necessitati, siue hæc detur ante, siue post Professionem. Ratio est quia per Professionem traditur Religiosus Prælato, & transit in eius potestatem: at res vni tradita nequit auferri ab eo, vt parentibus subueniatur (quando eorum necessitas non est extrema) nisi de eius licentia: ergo. Ita latè Sanchez *lib. 2. cap. 20. num. 17.* & penes ipsum, D. Thom. *quodlib. 3. art. 16.* & *quodlib. 10. art. 9.* & *2. 2. q. 101. art. 4. ad* 4. & ibi Caiet. Lyra *in cap.* 15. *Matth.* Supplem. Gabriel. *in* 4. *d.* 38. *q. 1. art. 5. dub. 2. col. 2.* Armilla, & Tabiena *v. Pietas.* Rosella, *v. Religio 2. n. 7.* Corduba *in sum. q.* 141. *art. 2. in* 4. *opinione.* Angles, *q. vnica de voto, art. 2. diff.* 13. Sà, *v. Religio, n. 2.* Rodrig. *tom. 2. qq. Regul. q.* 57. *art.* 3. Abulensis, Henricus, Turrecrem. D. Anton. & Corradus, & Pasarelus. Sic etiam Fagundez *lib. 4. in Decal. cap. 2. n.* 27. Bordon. *cap. 3. cit. q. 50. num.* 141. Bonac. Megala; & Donatus, penes ipsum.

QVÆSTIO XII.

An saltem dictus Professus, licèt non teneatur, possit tamen licitè, si velit, egredi Monasterio, petita, & non obtenta licentia; ad iuuandos parentes in graui necessitate constitutos?

Affirmat, ex Authoribus negantibus ad id teneri, Fagundez, *loco cit. n.* 27. Vbi citat Sà, & alios pro nobis adductos. Sed non benè. Probat igitur suũ placitum. Quia Prælati in hoc euentu habent iustam causam concedendi Religiosis hanc licentiam, si ab eis petatur, si extra Monasterium parentibus succurrere possint, & intra non possint: ergo iustam causam habebunt tunc Religiosi exeundi, ea petita, & non obtenta, ratione grauitatis, & necessitatis materiæ, quæ est de iure naturæ. Ita ille.

Sed probabiliùs Respondeo non solum, non teneri egredi Monasterio, vt habitum est, sed neque posse licitè, non obtenta prius licentia à suo Prælato. Quia si præceptũ iuris diuini naturalis, nõ adstringit filium, vt sine facultate obtenta à suo Prælato, exeat Monasterio ad iuuandos suos Parẽtes in graui necessitate, vt quæst. antecedenti manet probatum: facilè ex hoc conuincitur, quod nec possit, etiam si velit, ea non obtenta; cùm tunc obstet planè Obedientiæ votum à se emissum. Sic latè Corduba *q.* 141. *citata, §. la duda esta. vers. Y no es lo mismo.* Sanchez *lib. 4. cap. 20. numer. 22.* Bordonus *loco cit. num.* 140.

QVÆSTIO XIII.

An, Prælatus possit concedere licentiam suo subdito, ad egrediendum & viuendum extra Monasterium, vt parentibus graui necessitate laborantibus, subueniat?

Respondeo, posse, casu, quo extra Monasterium possit filius subuenire eis; & intra minimè. Quia adest iustissima causa talem facultatem concedendi, Quod latè, & doctè, vt semper solet, docet Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 71.* aliàs 55. & *tom. 1. Comment. 3. de Regular. num.* 49. Rodrig. 2. *tom. sum. cap. 6. num.* 4. Angles *loco cit. concl. 3.* Sanchez *lib. 4. cap. 20. n. 22.* & omnes communiter.

QVÆSTIO XIV.

An, dictam licentiam viuendi extra Monasterium, solus Pontifex possit concedere?

Affirmare videtur Angles *concl. 3. cit.* Vbi ita (loquendo de casu quæstionis præcedentis) ait: Quando parentes, non extrema, sed magna egestate laborant, ad illos sustentandos Religiosus à Religione recedere non poterit. Propter quod, præceptum eleemosynæ, nunquam nisi in extrema necessitate obligat. Erit tamen sufficiens causa hæc impetrandi dispensationem à Sede Apostolica, vt non obstante obedientia, illis subuenire possit: & hoc erit securius. Hæc Angles.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod non solum Pontifex, verum etiam Generalis, aut Prouincialis, possint talem licentiam concedere dictis Religiosis, vt Habitu retento, viuant extra Monasterium ad alendos suos Parentes: secùs vt Habitu dimisso, quia sic, solus Pontifex potest, vt constat ex dictis supra *q.* 9. Sic Nauarr. Rodrig. & Sanchez supra. Bordonus *loco cit. n.* 143. Peyrin. *de subdito q. 1. c. 9.* Donatus *par. 4. tract. 3. q. 22. n. 7.*

QVÆSTIO XV.

An, in dicto euentu, non solùm possit Prælatus, verum etiam teneatur licentiam Professo concedere, vt extra Monasterium sit, ad succurrendum Parentibus?

Affirmat Nauarrus teneri, quando necessitas Parentum præcessit Professionem filij; secùs quando post Professionem accidit, *Comment. 3. de Regularib. num.* 49.

Sed probabiliùs absolutè Respondeo: In neutro casu teneri Prælatum eam licentiam Professo concedere. Quia in neutro casu tenetur Professus egredi, iuxta nostram sententiam habitam *quæst.* 11. ergo in neutro tenebatur Prælatus illi licentiam concedere. Sic Sanchez *loco citato, num.* 23.

QVÆSTIO XVI.

An mortaliter peccent Prælati inferiores renuentes egressum è Monasterio Professis, qui à Pontifice exeundi licentiam impetrarunt?

REspondeo peccare mortaliter; nisi casu, quo causam non esse veram existimant; aut Professum esse talem, qui minus cautè, quàm par est, in sæculo viuet. Sic Sanchez *lib.4.sum.cap.20.n.* 24. optimè Nauarr. *Comment. 3. de Regular. n.* 49. *vers. quintò facit.* Vbi ita ait: Admoneo tamen, quod facultas manendi foras, Habitu retento, facta à Papa, egrè fertur à Prælatis Ordinis, dicentibus, quod huiusmodi Regulares sæpè fingant huiusmodi causam; & sæpè manentes foris viuunt inhonestè: & quando id faciunt retento Habitu, sæpè sunt graui scandalo, & infamiæ Ordini suo: Et quia Papa non concedit hoc, nisi Habitu retento, & Prælati nolunt admittere nisi Habitu relicto. Sæpè vidi aliquos hoc remedio à se petito, desertos. Et resoluendum videtur, quod absque peccato, & cum merito possent Prælati huiusmodi facultatibus, per huiusmodi supplicationem obiurare, si probabiliter crederent, causam non esse veram; vel Regularem non esse talem, qui sine scandalo victurus esset. Contra verò, quod grauiter peccarent, si credere deberent, causam esse veram, & eum satis modestè victurum. Hæc, & alia Doctus Nauarrus. Et hæc Corduba. *Yo he visto concessiones del Papa, para que algunos Religiosos puedan, estando en su Habito, y à otros, en habito Clerical, fuera de su Orden, en algunas Yglesias, ò Hermitas, procurar limosnas para socorrer à sus Padres, ò Hermanas doncellas. Laqual concession yo la tengo por licita, si fuesse verdadera la relacion, y si della no se siguiesse escandalo, ò otros abusos que se suelen seguir en España; donde los Prelados facilmente dan las tales licencias, quando les consta de la necessidad, y proueen como con mayor religion, y pureza, y mas cumplidamente sea socorrida, sin acudir al Papa.* Sic ille. *in suma q.* 141. *in fine.* Quem refert Sanchez, & sequitur loco citato, *n.* 33.

QVÆSTIO XVII.

An, teneatur Professus, intra Monasterium, succurrere parentibus graui inopia laborantibus?

REspondeo vt certum: Teneri, salua tamen semper obedientia, & Regulari obseruantia. Quia cum filius post Professionem etiam maneat verè filius, perseuerat in eo, erga parentes, pietatis obligatio, quam status Religionis non impedit, sed perficit. Sic Sanchez *lib.4.Decal.cap.20. n.* 18. ex D. Thoma, Caiet. Lyra, Turrecrem. Abulensi, Rossella, Tabiena, Armilla, Sà, Rodrig. Nauarro, & aliis.

QVÆSTIO XVIII.

An, ad succurrendum graui necessitati Parentum, possit filius Professus facere aliquid, contra Regulam, vel Constitutiones?

AFfirmandum videtur. Quia, vt habitum est *q.* 10. id potest facere ad succurrendum parentibus in necessitate extrema: ergo etiam poterit ad succurrendum in necessitate graui.

Sed tanquam certum Respondeo non posse. Quia filius solùm tenetur succurrere parentibus hac graui necessitate laborantibus, secundum suum statum, & non amplius: vt benè docet Caiet. quem citat, & sequitur Corduba *in sum. q.* 141. *cit. art* 2. *opin.* 4. Vbi vers. *la duda està*: sic inquit: *Quando el solo pudiesse remediar la tal necessidad de sus Padres, seria obligado à hazerlo, solamẽte por las maneras que no sean contra su Regla, ò Profession, ni contra la decencia de su estado de su Religion; assi no podra dexar el Habito, ni huyr del Monasterio, ni tomar dineros, si es fraile de S. Francisco, ni hazer otras cosas indecentes à su estado.* Sic ibi. Et infra. *Y no es el mismo juizio de la necesidad extrema; porque como està dicho en el primer punto desta quarta opinion, la extrema, no tiene ley, y para su socorro, basta muy poco, y muy poco tiempo.* Hæc ille. Quem citat, & sequitur Sanchez *cap.20.cit.n.* 19. & Lopez & alij apud ipsum. Et à fortiori, Angles citatus *quæst.* 10.

QVÆSTIO XIX.

An casu, quo Prælatus nollet facultatem concedere suo subdito ad succurrendum parentibus in dicta graui inopia existentibus; posset tunc subditus id occultè efficere?

REspondeo dicendum quod tunc possit id efficere meliori modo, quo possit. Quia cum ea licentia debita sit, poterit Religiosus ea petita, & non obtenta, id efficere. Sic Sanchez *num.* 19. *cit. vers. At si Prælatus.* Quod latiùs explicat Corduba *loco cit. pun.* 3. ita dicens: *Si el Prelado no le quiere dar licencia al subdito, que se la pide con humildad, para socorrer à sus Padres, en el caso suso dicho, y aun le manda, que no lo haga: no obstante el tal mandamiento, aunque sea so pena de descomunion, puede, y deue socorrer los secretamentè, y por las vias, y maneras que no sean contra su Regla, y Profession, y estado de Religion, y sin escandalo: como lo pueden hazer para su Monasterio, de licencia de su Prelado. Mas no puede hazer contra su Regla, y Profession, como no la pudiera hazer de licencia ò mandato de su Prelado para su Monasterio. Ni tan poco lo puede hazer con escandalo. Y assi el Fraile de S. Francisco no podra tomar dineros, contra su Regla; ni salir del Monasterio, contra la voluntad de su Prelado, porque seria escandalo: sino como està dicho.* Hæc Corduba.

QVÆSTIO XX.

An, quæ de Parentum necessitate huc vsque dicta sunt; debeant etiam intelligi de necessitate cæterorum ascendentium; vt aui, Proaui, &c?

REspondeo quod sic. Quia omnes illi reputantur, & habentur vt Parentes; & ita sunt hæredes necessarij descendentium, & descendentes ipsorum, & mutuò sibi alimenta præstare tenentur, si necessitas premat. Sic omninò Sanchez *lib. 4. Decal. c. 20. numer. 28.*

---

§. II.

De voto, aut iuramento Religionis exequendo, à Parentibus Filios in necessitate habentibus.

QVÆSTIO XXI.

An sit integrum Parentibus Religionem ingredi; desertis filiis in graui necessitate?

REspondeo vt certum: Quod non. Ratio est. Quia maior est in hoc genere obligatio patris ad filium, quàm è contra filij ad patrem, vt docet D. Thom. *2.2. q. vltima art. 6. in corp.* Sed sic est, quod filius nequit Religionem ingredi, deserto Patre in graui necessitate, etiam casu, quo votum Religionis emiserit, vt supra est habitum *quæst. 4.* ergo à fortiori nequibit pater. Sic omnes. Legantur D. Thom. *loco citato.* Nauarr. *Comment. 1. de Regular. n. 8.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 20. à num. 34.* Suarez *tom. 3. de Relig. cap. 6.* Trullench *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 23. numer. 9.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 4. num. 46.* Miranda *tom. 2. q. 17. art. fin.* Bordon. *de Profess. cap. 3. q. 49. n. 139.* & alij.

QVÆSTIO XXII.

An, saltem casu, quo Filij non sint in magna necessitate; possint eorum Parentes, illis desertis, Religionem ingredi?

REspondeo adhuc non posse, si filij rebus ad educationem necessariis careant. Quia hæc est differentia inter parentes respectu filiorum, & hos respectu parentum; vt parentibus tanquam principijs, per se, & suapte natura incumbat alere, & instituere filium, & necessaria ad illius educationem prouidere; filiis autem solum per accidens ratione magnæ parentum necessitatis: ergo etsi filius non patiatur magnam necessitatem, minimè erit licitum parentibus ad Religionem transire, relictis filiis, absque rebus ad educationem eorum necessariis. Quod etiam procedit, etsi Parentes votum Religionis emiserint. Sic Nauarr. *n. 8. cit.* Sanchez *n. 35. & 36.* Suarez *tom. 3. lib. 6. cap. 6. n. 2.* Trullench *n. 9. citato.* Bordon. *loco cit.*

QVÆSTIO XXIII.

An ad minus, possint parentes ingredi Religionem, relictis filiis, si hi adulti, non paruuli, sint?

AFfirmat Abulens. *in cap. 8. Matth. q. 68.* docens: posse parentes ingredi Religionem, relictis filiis adultis, non paruulis. Quia hos tenetur prius educacare; vel alij viro probo educandos committere.

Sed clariùs Respondeo adhuc absolutè non posse, etsi filij adulti sint; nisi aliàs, his bona necessaria relinquerent parentes ad eorum educationem; vel filij artem didicissent, qua commodè viuere possent, essentque in ea ætate, vt paterna curâ non indigerent. Sic Sanchez *num. 38.* vbi ex Suario ita ait: Non licet parentibus ingredi Religionem, omissa filiorum cura, idest, non prouidendo prius qualiter educari valeant. Quod generaliter verum est, de filio non emancipato, quandiù est, sub parentum cura; de filio verò emancipato, solùm quando eget parentis cura eum alendi, & instituendi. Sic ille.

QVÆSTIO XXIV

An, si parentes committant filios suos aliis probis viris educandos; possint tunc, illis relictis, Religionem ingredi?

REspondeo tunc iam posse. Quia tunc iam relinquit eos prouisos de rebus ad educationem necessariis. Sic clarè Abulens. *quæst. antecedenti citatus*, Nauar. *Comment. 1. de Regular. numer. 8. vers. Quartum.* Trullench, *num. 9. cit.* ibi: *Dixi, omissa eorum cura:* Nam si sufficienter de rebus necessariis illis prouideat, & per alios, illos instituerit, & prouiderit, vt eorum curam gerere possint, integrum erit illis Religionem ingredi. Tunc enim cessat ratio, & necessitas educationis filiorum. Sic ille.

QVÆSTIO XXV.

An, si relictis filiis sine debita cura, Pater ad Religionem transeat, & in ea profiteatur; sit valida Professio?

REspondeo vt certum: Esse validam. *Tum*, quia nullo iure talis Professio irritatur. *Tum* etiam quia, si filius, relictis parentibus in magna necessitate, in aliqua Religione profiteatur, valida est professio, vt ex dictis §. *antecedenti* colligitur, & probat Sanchez *lib. 4. cap. 20. n. 10.* ergo similiter valebit Professio patris: quia eadem militat ratio: sic communis. Sanchez *loco cit. n. 39.* Bordon. *cap. 3. cit. q. 49. num. 139. fine.*

QVÆSTIO XXVI.

An, pater qui relictis filiis, professus est; teneatur è Monasterio egredi ad subueniendum eorum necessitatibus extremis?

NEgabunt, qui negant filium posse exire, repugnante suo Prælato, ad subueniendum necessitati extremæ parentum. Sunt autem, vt vidimus, *q.* 8. D. Thom. Caiet. Alex. de Alex. & alij, ibi citati.

Sed vt certum Respondeo teneri exire. Quia, vt ibidem diximus cum communi, certum est, quod filius tenetur exire, etiam repugnante Prælato, ad succurrendum extremæ necessitati Parentum: ergo & à fortiori Parentes tenebuntur. Sic Authores ibi adducti.

QVÆSTIO XXVII.

An etiam teneatur Pater professus exire è Monasterio ad subueniendum graui filiorum necessitati?

AFfirmabunt, qui id affirmant de filiis respectu suorum Parentum, sunt autem Henricus, de Gandauo, Iansen. Corduba, & alij citati supra *q.* 11. Negabunt, ex parte dumtaxat, alij relati eadem quæst. pro secunda sententia. Sed iuxta sententiam nostram.

Probabiliùs Respondeo, non teneri exire, absque petita, & obtenta facultate legitima sui Prælati, ad subueniendum graui filiorum necessitati, siue hæc præcesserit Professionem, siue postea aduenerit. Quia probabilius est (vt loco citato diximus) quod filij id non possunt efficere cum suis Parentibus: ergo neque è contra, poterunt patres. Sic Sanchez *sup. n.* 39. ibi: Nec iam professus tenetur egredi ad subueniendum graui eorum necessitati, vel ad curandum de illis; sed tantum tenetur, iuxta suum statum, & salua Regulari obseruantia illis prospicere: sicut diximus de filiis respectu Parentum: & multo maiori iure: quia est magis proprium parentum succurrere necessitati filiorum, quàm è contra. Sic ille. Et alij citati pro nobis dicta *quæst.* 11. & præcipuè Bordon. *cap.* 3. *q.* 51. *num.* 144.

QVÆSTIO XXVIII.

An, idem sit dicendum de aliis ascendentibus; vt auis, proauis, &c. quando descendentes parentibus carent?

REspond. quod sic. *Tum*, quia vt diximus *q.* 20. Filij tenentur subuenire, non solum Parentibus, sed & cæteris ascendentibus, vt auis, & proauis: ergo similiter è contra respectu filiorum tenebuntur non solum Parentes, sed etiam aui, proaui, &c. in defectu illorum. *Tum* etiam, quia antecedentes succeduut parentum loco, cum revera, rationem principij respectu descendentium habeant: ergo succedunt in eadem obligatione. Sic Sanchez *n.* 37. Trullench, *n.* 9. Bordon. *loco cit. q.* 49.

§. III.

De necessitate subueniendi fratribus, & sororibus ab habentibus votum aut iuramentum, ingrediendi Religionem.

QVÆSTIO XXIX.

An, necessitas subueniendi Fratribus, & Sororibus obliget ad differendum Religionis ingrediendæ votum?

REspondeo dicendum, quod absolutè loquendo, non obliget, etiam illum, qui voto Religionis non est adstrictus. Ratio est: quia obligatio succurrendi Fratribus, & Sororibus non oritur ex iustitia, vt est filij ad Patrem, sed ex charitate, quæ etsi maior sit ea, quæ est inter extraneos, est tamen eiusdem generis: at sic est, quod, ob extraneorum necessitatem, nullus tenetur se, longo tempore, Religioso statu priuare: ergo neque ob fratrum, & sororum necessitatem tenetur. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 4. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 20. *n.* 30. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *pun.* 7. §. 5. *num.* 12. Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 23. *n.* 10. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 44. Bordonus *cap.* 3. *q.* 52. *num.* 145. & alij.

QVÆSTIO XXX.

An saltem, teneatur Frater ad differendum ingressum Religionis, ob succurrendum necessitati Fratrum existentium simul cum parentibus?

REspondeo vt certum: Tunc teneri. Quia tunc fratres considerantur, vt pars eiusdem Parentis, & censentur augere necessitatem, & indigentiam eorum: ergo ratione necessitatis parentis, potest frater obligari ad fratres: & ob eorum necessitatem differre ingressum Religionis. Sic ex Suario, loco citato, *n.* 3. Trullench *n.* 9. Qui notant, quod sub necessitate parentum, includuntur omnia, quæ pertinent ad munus, & statum suum; inter quæ, præcipuum locum habet conueniens filiorum educatio. Quapropter, si mater v. g. vidua plures filias virgines habens, sub cura, & obligatione sua, haberet necessaria ad suam sustentationem; non tamen ad conuenientem educationem filiarum, & ad collocandas eas in decenti statu, moraliter censeretur esse in graui necessitate, in qua non posset à filio deseri propter Religionis ingressum, si alioqui posset illi necessitati prouidere. Quod procedit etiamsi frater votum Religionis emiserit. Ita illi. & Palaus §. 5. *citato. numer.* 12.

QVÆSTIO XXXI.

An etiam casu, quo fratres iam sui iuris existant, separati à parentibus, possit aut teneatur quis eorum, differre ingressum Religionis ad subleuandam alterius inopiam?

REspondeo, *Primò* tanquam fere certum, quod non teneatur differre saltem per longum tempus, ingressum Religionis, sed possit licitè statim ingredi. *Probatur*, tum ob orationem nuper assignatam. *Tum* etiam, quia fratres facili negotio possunt sibi prospicere: sic communiter DD.

Respondeo, *Secundò*, quod licèt non teneatur differre ingressum; possit tamen licitè illum per aliquod tempus differre, instante necessitate Fratrum. Immò secundum aliquos ad id obligari. Sic ex Suario *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 6. n. 4.* ait Trullench. Existimo tamen cum Suario, instante necessitate de præsenti, vel ad breue tempus, obligari posse ad differendum ingressum, vt fratribus subueniat; non tamen ad longum tempus: quia moraliter illud nocumentum pro nihilo reputatur. Sic ille *n. 10. citato.* Legantur Sanchez *n. 32. cit.* & Palaus *num. 12.*

QVÆSTIO XXXII.

An saltem, teneatur frater differre Religionis ingressum, casu, quo eius sorores, ob absentiam illius, in magnum, impudicitiæ periculum inciderent?

REspondeo, adhuc, non teneri differre saltem per longum tempus, quia sorores, cum non sint subiectæ fratri; nec commissæ curæ suæ sunt: ergo. Sic Sanch. *n. 30.* & ex illo, Palao *n. 12.* vbi addit, quod licèt ad differendum Religionis ingressum obligatus non sit; negari tamen non possit, laudabile esse ob huiusmodi finem, Religionis ingressum, aliquo tempore differre. Sic ille, ex Azorio *tom. 1. lib. 12. cap. 1. q. 8.* Sed certè hic Author absolutè docet, esse differendum. Ait enim sic: De sororibus videndus, an puellæ sint, & quæ si à fratre dimittentur in impudicitiæ crimen inciderent; aut in illius periculum incurrerent, præsertim cum teneræ adhuc ætatis sunt. Tunc enim charitas suadet, vti earum pudicitiæ consulatur. Quare aut fidei alienæ, & honestæ personæ committi, & commendari debent: aut in Monasterium ingressus ad tempus differendum videtur. Sic Azor. Et etiam Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 23. sub n. 10.* & Sanchez *lib. 4. cap. 20. num. 32.*

QVÆSTIO XXXIII.

An etiam casu, quo huiusmodi frater votum Religionis emiserit; posset adhuc ingressum differre, si instaret periculum impudicitiæ sororis, ratione paupertatis?

NEgat absolutè Suarez *tom. 3. de Relig. cap. 6. num. 5.* dicens, minimè posse tunc ingressum propria authoritate, differre. Quia votum differri non potest, nisi quia non obligat, vel ob incapacitatem materiæ; vel, ob nouam mutationem illi superuenientem, quæ impræsentiarum absunt.

Sanchez verò *lib. 4. cap. 20. num. 31. & 32.* distinguit inter votum Religionis factum pro determinato tempore; vel pro indeterminato. Et affirmat, quod votum ingrediendi Religionem, absque vlla temporis determinatione emissum, differri possit: quia illud, non est censendum obligare, nisi pro eo tempore, quo commodè impleri potest. At si dictum votum, pro determinato tempore factum fuerit, & illud accedat; tunc dicit, quod etiam possit differri, ob periculum impudicitiæ sororum, ortum ex paupertate. Quia cura sororum auxilio destitutarum fratri incumbens, simul cum eo impudicitiæ periculo, præponderat obsequio illi diuino, ingrediendi statim Religionem: & quilibet vir prudens iudicaret maioris obsequij diuini fore, vt differatur ex hac causa. Ita Sanchez. Et Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 23. n. 10.*

Sed probabiliùs Respondeo dicendo. *Primò.* Votum ingrediendi Religionem pro determinato tempore factum, non potest differri, propria authoritate, ob grauem necessitatem sororum. Quia, stante hac necessitate, licitus est Religionis ingressus, vt suprà cum Sanchez diximus: ergo & capax voti obligationis: ergo ex hac parte non est obligatio voti suspensa, sicut nec est, ob nouam difficultatem superuenientem; quia difficultas ex necessitate sororum prouenies, est nimis extrinseca. Sic Palaus (in hoc conueniens cum Suario) *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 7. §. 5. n. 13.*

Respondeo, *Secundò.* Si votum ingrediendi Religionem factum est absque determinato, aut præfixo tempore; tunc, cùm obligatio eius latitudinem habeat, tunc ex circunstantiis extrinsecis restringi, vel ampliari tempus executionis potest. Et ideò ex necessitate præfata sororum, extendi tempus obligationis potest, prudentis arbitrio. Sic Palaus *loco. cit.* conueniens in hoc cum Sanchez, & aliis secundæ sententiæ Authoribus.

DISPVTATIO XXIV.

De potestate, & necessitate voti, aut iuramenti per alium tertium implendi.

QVÆSTIO PRIMA.

An votum personale possit quis per alium adimplere?

RESPONDEO, tanquam certum: quod non. Quia materia voti personalis est actio propria ipsius vouentis: ergo per se ipsum, non per alium adimplere debet: sic omnes DD. Legantur dicta à nobis *p.3. tract. de ieiunio disp.1. q.13.* & Authores statim referendi.

QVÆSTIO II.

An, vouens, qui per se ipsum vota merè personalia adimplere non potest; teneatur per alium adimplere?

REspondeo tanquam certum: non teneri. Ratio est. Quia votum personale est de actione, & opere vouentis: sed actio, seu opus alterius, non est opus, seu actio vouentis: ergo tale votum non obligat ad actum alterius: ergo non obligat, vt per alterum impleatur. Sic tenet communis Theologorum, & Canonistarum sententia *in 4.d.38.* & *in cap. licet, de voto, & cap.1.* Legantur Palud. *in 4. d.38. q.3. art. 3.* Sotus *lib.7. de iust. q. 2. artic. 1.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. cap. 10. n.2.* Sanchez *lib.4. Decal. cap.15. num.3.* Nauarr. *cap.12. n.55.* Bonac. *tom. 2. disp.4. q.2. punct.5. §.3.* Trullench *lib.2. cap.2. dub.14.* & nos *3.p.loco cit. quæst.13.*

QVÆSTIO III.

An saltem possit quis per alium, suum votum personale adimplere?

REspondeo, etiam vt certum: quod non solum non teneatur, vt diximus, sed quod neque possit suum votum implere per alium, nec iure, nec facto. Ratio est. Quia si potest per se ipsum adimplere suum votum, nequit licitè implere per alium, cum sit votum personale. Si verò non potest per se ipsum implere, neque per alterum poterit; quia tunc non faciet quod promisit. Sic Suarez *loco cit. num.4.*

QVÆSTIO IV.

An ad minus, casu, quo vouens, suâ culpâ impotens ad implendum votum suum personale; tunc teneatur per alium adimplere?

AFfirmat Angel. *votum.3. n.7. fine.* Vbi docet, quod si vouens fuit in mora in executione voti, teneatur ad implendum per alium: quia tenetur compensare. Id probat ex *Leuit.23.* vbi (inquit) dicitur: *quod si mortuus fuerit, imputabitur sibi in peccatum*, & ex *l.2. in princ. ff. si quis cautionibus, & cap. fin. de iniuriis.* Sed certè Angelus, malè citat locum, vbi id docet sacra Scriptura: nam non est *Leuit.23.* sed *Deuter.23.* vbi ita habetur: *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus (non mortuus) fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Hæc ibi. Eandem sententiam sequitur D. Anton. *2.p. tit.11. cap.2. §.5.* Et illam sumpsere ex Panormit. *in cap.1. de voto, n.4. & in cap. licet. n.14.* Faciunt pro hac sententia Ricard. *d.38. art. 5. q.1. ad 1.* & ibi Cartusian. *q.2. §. Quæritur.* Vbi dicunt, teneri hunc, ad aliquam compensationem.

Sed multò verius Respondeo adhuc, non teneri per alium tale votum adimplere. *Primò.* Quia in primis falsum est, quod ille, qui transgressus est votum personale, teneatur ad faciendam aliquam compensationem, & quasi restitutionem si factus est impotens suâ culpâ, quia per hoc non aufertur res ex iustitia debita, sed ex religione, cuius transgressio obligationem restituendi non inducit. *Secundò.* Quia vota personalia cum sint de actionibus propriæ personæ, nullatenus possunt per alium impleri. Sic D. Thom. *2.2. q.88. artic.3.* ad 1. Sylvest. Nauarr. Rodrig. Valentia, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.4. Decal. cap.2. numer. 27. & cap.15. num.3.* Suarez *tom.3. de Relig. lib.4. cap.10. num.6.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.14. sub num.2.* Bonac. *tom.2. disp.4. q.2. punct.5. §.3. n.2.* Sayrus mox citandus. *vers. Tertius casus est.*

QVÆSTIO V.

An saltem, teneatur adimplere suum votum personale per alium, si tempore, quo illud emisit, certus erat vouens (aut iurans) fore, vt nunquam posset votum illud, aut iuramentum implere?

AFfirmant multi nunc teneri vouentem suum votum per alium adimplere. Quia tunc (inquiunt) ne votum, aut iuramentum, ridicula, vana, & inutilia sint, & ne vouens censeatur irridere, censendum est, fuisse animum obligandi se ad implendum per alium, nisi aliud de vouentis mente constet. Ita Abbas cap. *licet. de voto, num.* 13. & ibi Hostens. *n.4. & 5.* Angel. *votum.3. num.7.* Sylvest. *votum.2. q.10.* Nauarrus *in sum. cap. 12. num.55.* Rodrig. *tom.2. sum. cap. 99. num. 10.* Quos sequitur Sanchez *lib. 4. cap.2. num.26.* Et tenet Sayrus *in clavi Reg. lib.6. cap.7. dub.5. vers. secundus casus est,*

&

& Lopez apud ipsum. Layman *lib.4. tract.4.cap.3. quæst.5.*

Sed probabiliùs Respondeo, nec tunc teneri adimplere per alium, si id non expresè intenderit. Imò licèt non possit vouens certo scire, se habuisse intentionem non vouendi agere per alium, satis est, quòd non iudicet, se habuisse intentionem ita vouendi, vt non sit obligandus ad implendum tale votum (aut iuramentum) per alium: sed potius iudicandum, tale votum indiscretum, & vanum. Sic Suarez *loco cit. n.7.* cuius sententiam, vt valde probabilem amplectitur Trullench. *num. 2. cit.* Azor *1.p. lib.11. cap.15. q.16.* Bonac. *2.tom. disp.4. q.2. punct.5. §.3. num. 2.* Palaus *punct.15. n.4.* Raph. de la Torre *disp.6. n.3.* Prado *cap.31. de voto, q.10. §.1. fine.*

QVÆSTIO VI.

An, vouens, qui per se ipsum non potest adimplere votum reale; teneatur adimplere per alium.

REspondeo tanquam certum: teneri. Quia vota relia, non tam sunt de actibus dicentibus intrinsecum respectum ad vouentem, quàm de rebus, vel actionibus, quæ per alios possunt executioni mandari. Vt votum eleemosynæ faciendæ obligat ad exhibendam pecuniam: eleemosyna autem ipsa per famulum fieri potest, vt constat: ergo. Sic communis. Suarez *tom. 2. lib.4. cap. 10. n.19.* Sanchez *lib.4. cap.15. n.6.* Bonac. *loco cit. num:3.* Trullench. *n.5.* Qui hinc colligunt, vouentem satisfacere voto reali, si curet pecuniam promissam ab alio suo nomine erogari, siue pecunia sit vouentis, siue erogantis: quia sic verè adimplet rem promissam. Sic etiam Raph. de la Torre *2.2. q. 88. art.3. disp.6.n.4.* & alij.

QVÆSTIO VII.

An, vouens etiam satisfaceret voto; si eleemosyna, aut pecunia promissa, erogata sit nomine vouentis ab alio, inscio vouente?

REspondeo, etiam satisfacere, modo vouens talem eleemosynam ratam postea quocumque tempore habeat. Ratio est: quia tota res promissa erat nomine vouentis impleta, & nihil aliud deerat, præter eius consensum, qui adest per ratihabitationem, nam hæc retrotrahitur & mandato comparatur Reg. *Ratihabitionem, de reg. iur. in 6.* Ergo quocumque tempore accedat ratihabitio, impletum erit votum. Sic ex Abulens. *cap.30. Numer. q.97.* docet Sanchez *n.7.* Bonac. & Trullench. *locis citatis.*

QVÆSTIO VIII.

An item, votum censeatur adimpletum, si inuito vouente, promissa eleemosyna, ab alio, nomine ipsius vouentis, fiat?

NEgat Sanchez *num. 7. citato*, dicens, minimè censeri adimpletum tale votum; etiamsi postea ratam haberet talem eleemosynam. Quia per actum omnino coactum non satisfit voto. Et cùm actus ille satisfaciendi voto, incapax, eo quod inuitus, ex parte vouentis sit, iam transierit, nequit denuò ratus haberi, vt illo votum impleatur. Sic ille.

Sed probabiliùs Respondeo, cum distinctione dicendum; non censeri quidem adimpletum votum, si inuito vouente, eleemosyna fiat ab alio; eo quod ad satisfaciendum præcepto, requiritur intentio faciendi actum præceptum, at hîc defuit intentio, & in hoc benè Sanchez. At verò si vouens ratam habeat postea talem eleemosynam, satisfaciet: quia ad satisfaciendum voto, sufficit traditio pecuniæ, & consensus vouentis: ergo cùm pecunia sit tradita, & accedat iam consensus vouentis, censetur votum adimpletum. Sic Bonac. *tom. 2. disp.4. q.2. punct.5. §.3. n.5. versu Addit Sanchez,* & Trullench. *lib.2. Decal. cap.2. dub.14. n.3.*

Ad argumentum verò Sanchez dicendum: sufficere vouentem, nouo actu approbare, & ratam habere eleemosynam datam nomine ipsius, vt dicatur, non inuitò, sed voluntariè omnino eam vouens elargiri de nouo.

QVÆSTIO IX.

An, vouens carens pecuniis ad votum reale exequendum; teneatur eas ab amicis petere, &c. vt votum impleat?

REspondeo, vt certum: Non teneri ad hoc: quia nulla ratione visus est ad hoc extraordinarium medium se obligare, ad soluendum debitum ex mera liberalitate contractum. Sic Bonac. & Trullench. *locis citatis.* Sanchez *n.8.* & Raph. de la Torre *disp. 6. cit. num. 4.* ibi: Nota tamen non esse nostræ mentis asserere, eum, qui vouit aliquid dare, putà eleemosynam, si fiat pauper, aut aliàs impotens, teneri eleemosynam petere, aut alios rogare, vt pro se det: quia ex vi voti ad hoc non tenetur. Sic ille, & Suarez *cap.10. cit. num.10.* Palaus *tom.3. tract. 16. disp.1. punct. 15. n.6.* dicens, in hoc ferè omnes conuenire.

QVÆSTIO X.

An saltem, teneatur dictus vouens, propriis manibus laborare, vel artem suscipere, quæ suum statum dedeceat; vt tali voto reali satisfaciat?

NEgat absolutè Bonac. *tom.2. disp.4. q.2. pun.5. §.3. num. 5. fine.* citans pro se Sanchez *lib. 4. Decal. cap.15. num.8.* & Filliucium *tract. 26. cap.4. q.3. num.105.*

Sed

Sed clariùs, & distinctiùs sic Respondeo; *Primò.* Vouens aliquam eleemosynam, tenetur (si alia ratione non potest satisfacere) propriis manibus laborare ad votum implendum; si suo artificio viuere solitus erat. Quia ad id se obligare videtur, vtpotè, quod suo statui, modoquè viuendi conforme est. Sic omninò Sanchez vbi suprà. Trullench. *numer.3.cit.*

Respondeo, *Secundò*, nullo modo tenetur vouens ad soluendum debitum ex voto contractum, artem suscipere, quæ suum statum dedeceat: quod probat ratio facta, & adducta quæst. antecedenti. Sic Sanchez & Trullench. *locis cit.* cum quibus, in hoc benè Bonacina. Quamuis non benè, quoad hanc partem, citet Filliucium; nam hic Author, solùm dicit, quod, qui vouit dare eleemosynam, teneatur adimplere de suo: quod si non habeat, non tenetur (inquit) ab aliis petere nomine eleemosynæ. Sic ille, & non amplius.

QVÆSTIO XI.

An ad minus, si dicto vouenti aliquid donaretur, vel largiretur; teneretur illud acceptare, vt votum persoluere posset?

NEgandum videtur. Quia grauissimi Doctores, quos refert Sanchez *lib.6. de matrim. disp. 4. num.9.* affirmant, posse debitorem renunciare hæreditati, ne soluat debita: ergo similiter poterit vouens non acceptare legatum, aut donationem, ad persoluendum votum.

Sed probabiliùs Respondeo affirmatiuè. Sic Sanchez *lib. 4. sum. cap.15. num. 8.* fine. Vbi absolutè dicit: Teneri eum in foro conscientiæ, acceptare, vt voto persoluendo sit, si legatum lucrosum, & vtile sibi esset, nullamque iustam repudiandi rationem haberet. Sic ille. Et sequutus eum Trullench. *lib.2. cap.2.dub.14.n.3 fine.*

Ad argumentum contrarium Respondeo, quod probabilius sit, teneri debitorem in foro conscientiæ acceptare hæreditatem, vel legatum, si hæc sint illi lucrosa, & vtilia. Quia eadem lege iustitiæ, qua debitor tenetur soluere debita, tenetur adhibere media vt soluat, quando media non sunt valde difficilia: at in hoc non potente aliàs soluere (vt supponimus) est medium necessarium, & facillimum, acceptare illam hæreditatem, quando est lucrosa, & expediens: ergo contra legem iustitiæ delinquit non acceptans. Ideóque, sic pluribus relatis, sentit Sanchez, de matrim. loco cit. Si igitur debitor peccat contra iustitiam non acceptando tale legatum vt soluendo dibito sit: similiter peccabit contra Religionem, vouens, qui non admittit illud, vt voto soluendo sit.

QVÆSTIO XII.

An, qui vouit, aut iurauit, agere aliquid per alium; satisfaciat voto, exhibendo actionem accommodatam voto, quam per se ipsum facere potest?

REspondeo vt certum: quod sic. Sic latè Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de voto, cap.10. num.8.* Et ex illo breuiùs, Palaus *tom.3. tract.16. disp.1. punct.15. n.6. in fine*, hæc dicens: Denique, certum esse debet, satisfieri voto reali posse, tametsi fini illius non satisfiat: v. g. Promisisti per alium aliquas Missas, dedisti Sacerdoti stipendium, vt ea Sacra faceret; ipse verò, accepto stipendio, omisit, tu sufficienter voto satisfecisti. Quia tuum votum non fuit, nec esse potuit, de sacris faciendis cum effectu; sed de illis fieri procurandis, medio communiter vsitato, qualis est stipendij contributio. *Item* vouisti mittere aliquem, vt nomine tuo, limina Apostolorum inuiseret; conueniisti cum Petro, vt præstaret hoc officium: Ipse verò, acceptis sumptibus necessariis, omisit. Tu liber manes ab obligatione: quia quantum est ex parte, tua fecisti opus promissum. *Item* cùm sis Prælatus Religionis, vouisti orationes tuorum subditorum: satisfacis, si modo communiter vsitato, eas fieri præcipias. Huc vsque Palaus ex Suario.

QVÆSTIO XIII.

An, votum mixtum, quod coalescit ex personali & reali; possit per alium adimpleri?

REspondeo tanquam certum dicendum, *Primò.* Si votum sit æqualiter, & quasi intrinsecè, reale, & personale; tunc quoad partem personalem non potest impleri per alium, vt manet probatum suprà *quæst.1.* quoad partem verò realem, non solùm potest, sed debet per alium adimpleri, vt habitum est *quæst.6.* In hoc omnes DD. conueniunt.

Respondeo *Secundò*, etiam vt certum. Si votum non sit æqualiter, & intrinsecè reale, & personale; sed reale est tantùm accessorium, tunc vouens, nec tenetur, nec potest per alium adimplere votum. Ratio est: quia principale trahit ad se accessorium, atqui principale est personale, quod non potest per alium adimpleri, vt diximus: ergo neque poterit reale accessorium. Sic communis. Legatur Bonac. *disp. 4. quæst.2. punct.5. §.3.n.6.* Trullench, *lib.2. cap.2. dub.14. num.4.* Raph. de la Torre *2.2. q.88. art.3. disp.6. n.5.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO XIV.

An, qui iurauit, aut vouit absolutè peregrinationem Lauretanam; si postea eam nequeat suscipere; teneatur in eleemosynam dare sumptus, quos feciſſet?

REspondeo vt certum. Quod non. Ratio est. Quia tunc sumptus se habent tantummodo accessoriè, & quasi per accidens ad votum personale peregrinationis: ergo cessante obligatione personali, nempe, pegrinatione, cessabit etiam realis, nempe sumptus; quia accessorium sequitur principale. Sic Bonac. Trullench, & la Torre *locis citatis.* Filliuc. *tract. 26. c. 4. q. 3. dicto 3. n. 106.* Suarez *lib. 4. c. 20. à num. 12.* Sanchez *lib. 4. cap. 15. n. 13. & 29.* Palaus *punct. 15. cit. num. 7.* & omnes.

QVÆSTIO XV.

An saltem, qui iurauit, aut vouit peregrinationem Lauretanam, & dare eleemosynam tali Ecclesiæ; tunc si per se non possit peregrinationem suscipere, teneatur per alium eleemosynam mittere?

REspondeo, vt certum, tunc teneri. Quia huiusmodi votum est æqualiter reale, & personale, & censetur virtutaliter duo vota continere ad inuicem distincta; & ideo quamuis vouens nequeat exequi primum, tenetur secundum, & ideo tenetur mittere eleemosynam. Sic omnes DD. præcipuè citati. Legantur à nobis dicta suprà *disp. 9. de materia voti, & iuramenti.*

DISPVTATIO XXV.

De obligatione, qua adstringuntur hæredes ad vota defuncti explenda?

QVÆSTIO PRIMA.

An hæres teneatur adimplere vota personalia, quæ defunctus non expleuit?

RESPONDEO, tanquam certum: quod non. Quia obligatio votorum personalium, est omnino personalis, tam ex parte personæ obligatæ, quàm ex parte rei promissæ, quæ actio quoque personalis est, vt ex suprà dictis constat: ergo nequit ad hæredes transire. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 15. num. 25.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de voto, cap. 11.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 5. §. 2. num. 1.* Filliuc. *tract. 26. cap. 4. q. 3. dicto 4. numer. 107.* Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 16.* Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 15.* Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 3. disp. 7.* Prado *cap. 31. de voto, q. 10. §. 2. num. 12.* & Luysius *in sum. 1. p. cap. 176. dub. 9.* vbi docet, quod obligatio iuramenti non transit ad hæredes iurantis.

QVÆSTIO II.

An saltem, hæres teneatur ad vota personalia defuncti, casu, quo id ei præcipiat testator?

REspondeo tanquam certum: quod adhuc non teneatur, ex vi talis mandati, nisi casu, quo hæres sponte sua illud acceptet, & faciat suam, promissionem defuncti. Quia sic constat, *tum ex cap. licet, de voto.* Tum etiam, quia hoc onus personale, non est coniunctum cum hæreditate, sed cum persona: ergo non potest testator suo solo arbitrio illud imponere hæredi nolenti illud acceptare. Sic Suarez *cap. 11. cit. n. 2.* Raph. de la Torre *2. 2. q. 88. art. 3. disp. 7. n. 1. dub. 1.* Palaus *punct. 16. cit. n. 1.*

QVÆSTIO III.

An ad minus, casu, quo testator instituat hæredem voluntarium, eique in testamento præcipiat, vt vota personalia ipsius (v. g. peregrinationis,) impleat; ad id teneatur hæres?

AFfirmat Abulens. 3. *Reg. 15. q. 19. & cap. 30. Numer. q. 98.* dicens, teneri tunc hæredem, si adeat hæreditatem, implere talia vota, etiamsi viuente testatore, nihil promiserit, vel acceptauerit: & si nolit, posse per censuras compelli ad implenda illa, vel hæreditatem relinquendam, licèt testator hanc conditionem non expresserit: quia præsumitur ex coniecturata mente illius. Huic sententiæ satis fauet la Torre *loco cit. dicto 2.* cùm illam non impugnet.

Sed tanquam certum Respondeo, nec tunc teneri. Quia ius ad hanc obligationem in hærede contrahendam, voluntariam acceptationem requirit, vt suprà est habitum. Et certè, testatoris solum est de propriis bonis disponere, non de personalibus hæredis actionibus. Nec est, cur præsumatur illa voluntas testatoris; cum nec illam expresserit, nec ad illum rigorem tenetur ex vi voti. Sic Suarez *n. 3.* Sanchez *lib. 4. Decal. c. 15. n. 27.* Prado *cap. 31. de voto, q. 10. §. 2. n. 12.* Qui malè citat Raphaël de la Torre inter Authores impugnantes Abulensem. Palaus etiam *punct. 16. num. 1. fine*, vbi solum ex gratitudine obligari hæredem ad implenda vota personalia, in hoc casu, non ex iustitia, docet.

QVÆSTIO IV.

An denique, si testator relinquat suam hæreditatem hæredi, non necessario, sed voluntario, sub conditione, vt vota sua personalia impleat; tunc teneatur hæres illa adimplere?

REspondeo tanquam certum: tunc iam teneri ad adimplendum prædicta vota, non absolutè, sed vt possit hæreditatem obtinere. Potest námque optimè testator hæredem non necessarium grauare, vt sub conditione implendi ea vota, succedat. Sicut potest grauare eumdem, vt honestum, & statui conueniens matrimonium ineat, & aliter non succedat. Sic omnes. Præcipuè Suarez, Sanchez, la Torre, & Prado, *locis citatis*. Palaus *loco cit. n.* 1. Qui secus dicit, loquendo de hærede necessario, quia hic grauari non potest à testatore in iis, quæ hæreditati coniuncta non sunt. Quod constat ex dictis *q.* 3. Legatur Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 13.

QVÆSTIO V.

An, hæres, siue necessarius, siue voluntarius, teneatur soluere omnia vota realia, quæ defunctus non persoluit?

REspondeo tanquam certum; teneri. Constat id, ex iure. *Text. in cap. Ex parte, de censib. & cap. 1. de solution.* Vbi filius cogitur ad soluenda vota parentum. *Et in cap. si hæres. De testam.* puniuntur hæredes non adimplentes vota defuncti. Idémque est decisum *l.* 2. *ff. de pollicitationib.*

Et Ratio est. Quia defunctus, cùm votum reale emisit, obligatus fuit suis bonis illud exequi: ergo si de facto exequutus non est, hæres quicumque sit in bonis eius succedens, eiusque personam repræsentans, eam obligationem subiit. Sicut enim in iuribus, & actionibus defuncti succedit; succedere debet in oneribus, & obligationibus hæreditati annexis; tametsi nulla res specialiter sit obligata. Sic Palaus omninò, *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *pun.* 16. *n.* 2. Sylvest. *votum.* 2. *q.* 11. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 56. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 65. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 25. Azor *lib.* 11. *cap.* 15. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *de voto, cap.* 11. *n.* 6. Raph. de la Torre 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *disp.* 7. *n.* 4. Abulens. Palud. Sotus, & alij apud ipsum. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 4. *q.* 3. *n.* 107. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 12. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 2. *n.* 4. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 15. *n.* 3. Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 10. §. 2. *n.* 13. Ioan. à S. Thoma. 2. 2. *q.* 88. *disp.* 29. *art.* 12.

QVÆSTIO VI.

An, hæres possit cogi, sub pœna priuationis hæreditatis, ad vota realia testatoris persoluenda?

REspondeo vt certum: posse cogi. Quia id constat ex cap. *licet. de voto*, vbi filius priuatur legitima portione, & primigenio; quia opus pium à Patre sibi iniunctum exequi noluit. Sic docent Sanchez *loco cit. n.* 25. Bonacina, & Trullench *locis citatis*, qui & referunt Suarium, Nauarrum, Sayrum, Azorium; sed ex his solus Azor id tractat. Legatur de hac materia Couarr. *Cap. si hæredes, n.* 9. *de testam.* vbi tractat, an huiusmodi hæres sit tota hæreditate priuandus, & filius legitimâ, eo quod testatoris vota non impleat.

QVÆSTIO VII.

An, non solum possit hæres sub pœnâ priuationis hæreditatis, verum etiam excommunicationis, cogi, ad soluenda vota realia testatoris?

AFfirmant posse casu, quo hæres promiserit sua vota explere; non verò si non promisit. Innocent. *in cap. licet. verbo, promisisti*, & ibi Hostiens. *n.* 7. Ioan. Andr. *n.* 4. & Cardinal. *n.* 3. *notab.* 4.

Sed probabiliùs Respondeo: posse in vtroque casu, non solùm priuatione hæreditatis, verum etiam excommunicatione, cogi hæredem ad soluenda vota realia testatoris. Eo quod obligationem ex hæreditate contractam, non adimpleat. Nec datur aliqua congruens discriminis ratio inter vtrumque casum. Sic Sanchez *n.* 26. *cit.* & apud ipsum Anton. *c. licet. n.* 7. & ibi Abbas. Sylvest. *votum* 2. *q.* 11. *dicto* 2. Palac. 4. *d.* 38. *disp.* 1. *post* 8. *concl.* & Azor *lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 15. *fine.* Quibus addi possunt Bonac. & Trullench, vbi suprà, Sayrus *lib.* 6. *cap.* 7. *fine.*

QVÆSTIO VIII.

An, si testator non iniungat in testamento, hæredes vota eius realia adimplere; tunc teneantur ad illa implenda?

NEgatiuam sententiam tenere Angles *florib.* 2. *p. q. vnica de voto, art.* 2. *post* 13. *difficult. dub.* 4. dicit Sanchez *n.* 28. his verbis: Ex his deducitur primo, minus benè Angles (*loco cit.*) asseruisse tunc hæredem teneri implere vota defuncti realia, quando defunctus ipse hoc in testamento iniunxerit. Sed certè Angles maiori cum distinctione loquitur, non *dub.* 4. *sed dub.* 1. *post* 4. *conclusionem*, vbi post quam in tribus antecedentibus conclusionibus præmisisset, teneri hæredem adimplere vota realia defuncti, post vltimam, hæc addit verba: Hæc sunt vera, si in testamento fuerint relicta, & hæres est necessarius, & non excedant quintam partem bonorum: quia hæres necessarius vltra quintam partem grauari non potest: si autem non fuerit necessarius hæres, tenebitur, omne votum reale defuncti, in quacumque quantitate, soluere: Hæc Angles.

Sed vt mihi certum Respondeo teneri dicta vota adimplere, etiamsi testator id in testamento non iubeat. Quia hoc onere hæreditas affecta est, sicut & soluendi alia defuncti debita: Et quidem vota realia defuncti computari debere inter eius debita, ipsemet Angles fatetur *loco cit. concl.* 1. his verbis, Votum tamen reale defuncti, adimplere tenebitur (*hæres, videlicet*) Ratio est, quia hæres tenetur soluere defuncti debita, & votum reale est debitum Deo persoluendum. Sic ille. Et ideò sic sentiunt Angel. *votum* 3. *n.* 8. Sylvest. *votum* 2. *q.* 11. *dicto* 4. & Sanchez *loco citato.*

QVÆSTIO IX.

An saltem, si testator expressè in testamento dicat, se nolle hæredem ad ea vota realia obligare, tunc deobligetur.

AFfirmatiuam sententiam esse satis probabilem, satis apparet ex argumentis, quæ pro illo conficit Suarez *lib.4. de voto, cap.11. n.13. & cap.17. n.19.* & ideò illam sequuntur quidam (quos, suppressis nominibus, refert Palaus, infra citandus) asserentes, tunc deobligari hæredem ad soluenda vota realia testatoris.

Sed probabiliùs Respondeo, nec tunc obligari hæredem; sed potius teneri ad soluenda dicta vota realia defuncti testatoris. Quia probabilius est, quod testator non possit eximere, aut liberare hæredem ab hac obligatione. Ratio est: quia testator non potest eximere, aut liberare hæredem suum à debitis homini soluendis: ergo neque à debitis soluendis Deo, vtrorumque enim solutioni hæreditas obnoxia est. Igitur licet in voluntate testatoris constitutum sit, hæredem instituere: at illa constitutione facta, & hæreditate adita, non est in eius voluntate obligationem debita realia soluendi impedire. Quia hæc obligatio, ex aditione hæreditatis (iure communi sic disponente) immediate nascitur. Sic Palaus *disp.1. cit. punct.16. num.3.* & tandem, sic sentit Suarez *cap. 16. num. 23.* dicens, hanc partem esse securiorem, & valdè consentaneam rationi. Sanchez *lib.4. cap.15. num.28.* & plures apud ipsum, Bonacina *tom.1. disp.4. q.2. punct.5. §.2. num.12.* Nauarr. *cap.12. n.56.* Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 99. num. 11.* Layman *lib.4. tract.4. de voto, cap.3. q.6. num.12.* Trullench *lib. 2. cap.2. dub. 15. num.8.* Prado *cap. 31. de voto, quæst. 10. §. 2. num. 14. & 15.* Qui benè notant, hanc sententiam procedere, cum votum reale factum est absolutè, absque vlla restrictione temporis. Secus si ad solam vitam vouentis esset factum: vt si vouens diceret: *Promitto in vita mea Ecclesiam ædificaturum, sin autem non fecero, nolo ad hæredes obligationem transire.* Quia tunc, cum morte testatoris extinguitur obligatio.

QVÆSTIO X.

An, hæres teneatur ad vota realia defuncti, etiam ante aditam hæreditatem?

REspondeo vt certum: quod non. Quia solo ad id hæreditario iure tenetur. Immò, hoc est verum, etiamsi hæres promiserit ea implere spe adeundæ hæreditatis. Nam, si mutato consilio, non adeat, minimè ad ea tenetur. Si verò independenter ab hæreditate promiserit, tunc tenebitur vota persoluere, non vi hæreditatis, sed promissionis qua astrictus est. Sic Angel. *votum 3. n.8. & 9.* Syluest. *votum 2. q.11. dicto 5.* Tabiena *votum 3. q.6. n.7.* Hostiens. Henricus, Abulens. & D. Anton. Quos citat, & sequitur Sanchez *lib.4. cap.15. n.25.* Bonac. *loco cit. n.6.* Prado *loco cit. n.16.* Sayrus *lib.6. cap.7. fine.* Trullench *lib.2. cap.2. dub.15. n.5.*

QVÆSTIO XI.

An, hæres teneatur ad vota realia defuncti explenda; etiam vltra vires hæreditatis?

REspondeo tanquam certum: quod non. Quia obligatio ad explenda hæc vota, nascitur ex accepta hæreditate: ergo si hæc non est sufficiens, non tenebitur hæres, vltra vires illius debita persoluere. Sic Angel. Tabiena, Sylvest. Paludan. & alij, quos sequitur Sanchez supra, *n.36.* Bonac. *tom.2. disp.4. q.5. §.2. n.4.* (non 6. vt leges apud Palaum) *versu, observa tamen.* Layman *q.6. cit. n.13.* Palaus *n.4.* Prado *num.16.* Sayrus *lib.6. cap.7. n.15. fine.* Luysius *1.p. sum. cap.176. dub.9. concl.2.*

QVÆSTIO XII.

An saltem, casu, quo hæres inuentarium non fecerit; tunc teneatur ingrè, vltra vires hæreditatis, vota realia exequi?

AFfirmant, teneri ad ea vota tunc exequenda, Paludan. *in 4. d.38. q.4. art.3. n.33.* & D. Anton. *2.p. tit.11. cap.2. §.5. fine.* Quibus adhærent, agentes de debitis defuncti, Federic. & Palud. & alij, quos refert, & sequitur Minchaca, *de successionum creatione, §.1. n.26.* Et loquendo de creditorum debitis, non legatariorum, ita etiam sentiunt Couarru. *cap.1. de testam. n.16.* Valascus *consil.52. n.33. tom.1.* Molina *tom.1. de iustit. disp.217. concl. 1. & 2.* In quorum sententiam magis propendet Gregor. Lopez *l. 10. verb. las mandas, in fine, tit.6. part. 6.* citat etiam Bonacina pro hac parte Sà *v. hæreditas, n.34.* & Reginald. *lib.25. n.627.* Probant id *ex l. finali, C. de iure deliberan.* statuente hæredem non conficientem inuentarium, teneri ad debita defuncti soluenda, vltra vires hæreditatis.

Sed probabiliùs Respondeo minime teneri hæredem, in foro conscientiæ, vota realia defuncti explere, vltra vires hæreditatis, eo quod inuentarium non fecerit. (Et idem dicendum est de aliis debitis, & legatis.) Ratio est. Quia lex illa, quæ præcipit hæredibus inuentarium non conficientibus, vt debita defuncti soluant, vltra vires hæreditatis, fundatur in præsumptione fraudis, quam credit committere inuentarium non conficientes: ergo si hæres, (in quocumque sit casu,) non vtitur fraude, sed revera hæreditas non est sufficiens, non obligabit illa lex in foro conscientiæ, ad soluenda vlla debita, vltra hæreditatis vires. Sic tenent Sotus *lib. 6. de iust. q.1. art.4. ad 3.* Anton. Gomez *l. 3. Tauri num.121.* Matienzo *lib.5. Recopil. tit. 4. l.1. Glossa 10. n. 39.* Nauarra *lib.3. de restit. cap.4. 2.p. dub.9. num.137.* Abulens. Sylvest. Barthol. Alex. Iason, Abbas, Felin. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *n.37.* Bonac. Palaus locis citatis. Nec Sà oppositum docet *loco cit.* cum solùm dicat teneri in foro externo; ibi. Quod si faciat inuentarium, non tenetur ad debita & legata, vltra vires hæreditatis: alioqui tenebitur in foro externo si adeat, sic ille. Imò in hoc sensu videtur loqui etiam Reginald. *n.626. non 627.*

QVÆSTIO XIII.

An ad minus, teneatur hæres ſoluere ea vota realia, vltra vires hæreditatis; ſi ad ea ſoluenda per ſententiam Iudicis condemnetur?

AFfirmat Paludan. *in* 4. *d.*15. *q.*3. *art.* 5. *n.*31. Quia lex ſtatuit hæredem teneri integrè ſoluere in pœnam negligentiæ, non confecti inuentarij: ſed pœna obligat ſequuta Iudicis ſententia: ergo. Hoc idem tenet Molina *tom.*1.*de inſt.diſp.*217. *concl.* 1. & 2. caſu, quo hæres in culpa fuerit, non conficiendo inuentarium. Quia ceſſanti negligentiæ culpa, ceſſat eius pœna. Citat etiam Bonacina pro hac parte Emm.Sà *v. hæreditas, num.* 34. ſed non benè.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Adhuc non teneri, in foro conſcientiæ, ſequuta ſententia condemnatoria. Quia talis Iudicis ſententia, ſicut & lex id ſtatuens, innititur fraudi præſumptæ, hoc eſt, fraudulentæ bonorum occultationi: ergo, cùm ea præſumptio falſa ſit, non ligabit ea ſententia in foro conſcientiæ. Sic Sanchez *num.* 37.*allegato.*Bonac. *tom.*2. *diſp.*4. *q.*2. *punct.*5.§. 2. *num.*4. *verſ.Addo hæredem.* vbi ſe citat, *de contractib. diſp.*3. *q.vltima, punct. vltimo, num.*3. ſed in noua impreſſione, de hoc agit *diſp.* 3. *q.*17. *punct.*7. *num.*3. *verſ. maior difficultas.* Vbi pro oppoſita parte citat Emmanuelem Sà. Sed malè, vt diximus; quia hic Author tantum loquitur in caſu præcedentis quæſtionis, & ſolum dicit teneri in foro externo, vt vidimus.

QVÆSTIO XIV.

An, teneatur hæres ſoluere vota realia teſtatoris, ſi nequeat, ſine præiudicio ſuæ legitimæ?

AFfirmant qui docent, integrum eſſe parentibus vouere quidquid voluerint, in præiudicium legitimæ filiorum. Et qui ſentiunt, vota realia teſtatoris extrahi debere ex toto hæreditatis aceruo, non verò ex ea ſola parte, de qua poterat teſtator liberè diſponere. Et probatur præterea hæc ſententia. Quia poſſunt teſtatores, v.g. parentes, tam in vita, quam in mortis tempore legitimam hæredis minuere votis realibus, aliiſque minutis eleemoſynis, vt docent Nauarr. Ludou. Lopez, Rodrig. Vega, & Corduba, relati à Sanchez *lib.*6. *de matrim. diſp.*36. *num.*3. ergo & poterit poſt mortem teſtatoris, grauare hæredem. *Confirmatur.* Quia debita teſtatoris de toto hæreditatis corpore debent extrahi: atqui vota realia, verè ſunt debita teſtatoris, vt ſuprà eſt habitum: ergo. Propter hæc, ita ſentit Nauarrus *lib.*3. *conſil. tit. de voto, conſil.* 10. *num.* 4. *aliàs conſil.* 13. *eod. num.*4. Angel. & Sylueſt. apud Sanchez *lib.*4. *Decal. cap.*15.*n.*38.

Sed probabiliùs Reſpondeo, non teneri hæredem ſoluere vota realia teſtatoris relicta in præiudicium ſuæ legitimæ. Probatur. *Tum* quia probabilius eſt, talia vota non eſſe extrahenda ex toto cumulo, ſed ex ſola ex parte ſoluenda, de qua teſtator liberè poterat diſponere, v. g. de quinta bonorum parte. *Tum etiam* quia etiam eſt probabilius, non poſſe teſtatorem in præiudicium legitimæ diſponere ad opera pia, vt latè probat Sanchez *de matr. loco citato*, & conſtat: quia licèt hæc vota realia ſint debita, habent tamen ortum à cauſa voluntaria, nempe à liberali promiſſione teſtatoris: ergo legitimam, iure debitam, minuere nequeunt.

Nec obeſt ratio contrariorum: quia licèt teſtator dum viuit, poſſit minuere legitimam, votis, aliiſque minutis eleemoſynis; non inde colligitur, quod etiam poſſit poſt mortem. Quia teſtator dum viuit, eſt dominus illius legitimæ, cuius dominium ceſſat poſt eius mortem. Sic Couarru. *cap. Si hæredes, de teſtam. n.*9. Gregor. Lop. *l. finali in fine tit.*8.*p.*1. Angles *floribus* 2.*p.q.de voto, art.*2.*poſt* 13. *difficult. dub.*2.*mihi* (Sanchez 4.) *concl.*4.*fine*, Rodrig. *tom.*1.*ſum. cap.* 99. *n.*13. quos ſequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.*15.*num.* 38. Layman *lib.* 4. *tract.*4. *cap.*3. *q.*6. *num.* 13. Bonac. *diſp.*4.*quæſt.*2. *punct.*5.§.2. *num.*5. Palaus *tom.* 3. *tract.*16. *diſp.*1. *punct.* 16. *num.*5. Trullench *lib.*2. *cap.*2.*dub.*15. *n.*4. Sayrus *lib.*6. *clauis Reg. cap.*7. *fine.*

QVÆSTIO XV.

An, caſu, quo Monaſterium, iure hæreditario, ſuccedat in bona Profeſſi, teneatur ad vota realia, quæ Profeſſus in ſæculo miſerat, & non impleuerat?

AFfirmant Palud. 4.*d.*38.*q.*4.*art.*3.*n.*31.*concl.*3. D. Anton. 2.*p.tit.*11. *cap.* 2. §.8. Quia exiſtimant, ſola vota perſonalia, profeſſione Religionis extingui.

Sed multò probabiliùs Reſpondeo, non teneri. Quia multo probabilius eſt, etiam vota realia extingui profeſſione: ergo, tanquam penitus extincta, nec Monaſterium, nec alium hæredem obligabunt. Sic Sanchez *lib.*4. *cap.*15.*n.*32. Bonac. *diſp.*4. *q.*2. *punct.*5. §.2.*n.*7. Palaus *punct.*16. *citato, n.*7. Trullench *lib.*2.*dub.*15. *num.*6.

QVÆSTIO XVI.

An ſaltem, teneatur Monaſterium ſoluere vota realia Profeſſi, ſi illa eſſent intimata Monaſterio, & ab eo acceptata, ante Profeſſionem dicti Religioſi?

REſpondeo, tunc teneri Monaſterium ſuccedens in bona, aut quilibet alius hæres, ea vota perſoluere. Quia, cum iam eſſet ius illi parti acquiſitum, non tollitur per Religionis Profeſſionem. Sic Sanchez *loco citato*, dicens, in hoc caſu eſſe veram ſententiam Paludani, & Antonini ſupra relatam. Bonacina *loco citato, n.*8. Trullench *n.*6. Leſſius *lib.*2. *cap.*40.*n.*104. (non 194. vt leges apud Palaum,) verſ. *ſed quid ſi addatur promiſſio, & n.*107.*verſ. Dico tertiò.* Palaus, *loco citato.*

QVÆSTIO XVII.

An item teneatur Monasterium ad soluenda vota realia professi; si hic tempore Professionis, vellet sua vota Professione non extingui?

AFfirmat Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 5. §. 2. n. 9.* Quia tunc vota realia Professi non sunt extincta: ergo eorum obligatio transfertur in Monasterium. Antecedens probat: quia dicta vota non sunt extincta per irritationem superioris, vt supponitur: neque per commutationem, cum hæc non fiat, sine consensu vouentis: ergo.

Sed probabiliùs Respondeo, nec in hoc casu, teneri Monasterium talia vota persoluere. Quia probabilius est, quod vota emissa ante Professionem, Religionis, extinguãtur Professione, non irritatione, nec commutatione, aliáve relaxatione; sed illorum solutione perfectissima, quam talem esse, obligationem Deo perpetuò inseruiendi, reputat ius. Sic Palud. *d. 38. q. 4. art. 1. q. 6.* Sanchez *lib. 4. cap. 15. n. 22.* Palaus *punct. 16. citato n. 8.* Trullench etiam *num. 6.*

QVÆSTIO XVIII.

An, hæres teneatur soluere vota defuncti, ante debita iustitiæ?

REspondeo, vt certum, quod non, sed potius post illa. Quia debita iustitiæ extrahuntur ex toto hæreditatis aceruo, diminuuntque legitimam: vota verò ex bonis hæreditatis, quæ supersunt, deducto ære alieno. Adde quod Deus non acceptat oblata, cum præiudicio iuris tertio quæsiti. Sic Sanchez *n. 39.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 5. §. 2. n. 16.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 3. q. 6. n. 13.* Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 15. n. 11.* Palaus *punct. 16. n. 10.*

QVÆSTIO XIX.

An saltem, teneatur hæres soluere prius vota defuncti, quàm alia pia legata?

REspondeo teneri, vota soluere, ante omnia legata, etiam pia, extractis expensis funeris necessariis. Quia hæres succedit in locum defuncti: sed sic est, quod defunctus, non teneretur ad persoluenda legata, quæ ipse constituit, benè tamen ad vota quæ ipsum obstringunt: ergo & hæres ad id tenebitur. Sic Sanchez, Bonac. Layman, Trullench. & Palaus, *vbi suprà.*

QVÆSTIO XX.

An, hæres certus de voto reali emisso à defuncto, sed dubius de eius adimpletione; teneatur votum adimplere?

REspondeo teneri. Quia debitum est certum, solutio autem dubia, ac proinde pro debito est possessio. *Item* quia in foro externo cogeretur hæres ad soluendum, eo quod constet de debito, & non de solutione; ergo etiam in foro conscientiæ cogendus est soluere. Patet, quia idem est iudicium fori interni & externi, quando sententia fori externi, non nititur præsumptione, quam constat, falsam esse. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 15. fine.* Bonac. *loco cit.* Trullench *dub. 15. cit. n. 12.*

QVÆSTIO XXI.

An, quando bona, ex quibus vota soluenda sunt, non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus; teneatur tunc hæres votum de re meliori integrè exequi?

NEgare posset quis, existimando, tunc, nullum ex illis votis integrè esse soluendum; sed pro rata vniuscuiusque diuidendam hæreditatem, seu partem, ex qua vota soluenda sunt. Et probari hæc opinio potest: quia obligatio hæredis ad soluenda vota, est eiusdem rationis, ac obligatio soluendi legata; cùm vtraque sit iustitiæ, orta ex aditione hæreditatis: sed sic est, quod in simili casu, quando legata sunt multa, & excedunt vires hæreditatis, nullum est integrè soluendum, sed pro rata diuidenda hæreditas, vt defendunt, Tiraquel. Angel. Sylvest. Greg. Lopez, Anton. Gomez, Gutierrez, & alij, quos citat Sanchez *lib. 4. cap. 15. n. 40.* ergo idem videtur dicendum de votis realibus.

Sed omninò Respondeo dicendum, tunc teneri hæredem votum de re meliori integrè exequi, & soluere, & præferre aliis. Ratio est; quia hæres verè repræsentat personam defuncti, & in eius locum succedit; ergo succedit in eius obligationem; ergo tenetur eo ordine implere hæc vota, quo defunctus tenebitur; at hic tenebatur persoluere votum de re meliori; ergo & hæres tenebitur. Sic latè Sanchez *loco citato, n. 41.* Bonacina *disp. 4. q. 2. punct. 5. §. 2. n. 14.* Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 16. n. 11.* Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 15. num. 10.* Qui ex Thoma Sanchez ad rationem in contrarium adductam, respondet, negando consequentiam. Quia, inquit, hæres sustinet quasi personam defuncti, & cùm defunctus non teneatur in legatis illum ordinem seruare, teneretur tamen in votis, vt dictum est, ita similiter hæres. Sic ille, & antea Bonacina.

QVÆSTIO XXII.

An, casu, quo hæres iudicet, omnia vota esse æquè bona; tunc teneatur exequi, & integrè soluere illud quod prius emissum est à defuncto?

REspondeo ex dictis, teneri persoluere tunc votum, quod prius emissum est. Quia eademmet obligatione tenetur hæres, qua tenebatur defunctus; at hic, in casu proposito, tenebatur soluere prius illud votum, quod priùs à se emissum fuit: ergo ad id tenebitur & hæres. Sic Sanchez, Bonac. Palaus, Trullench. locis citatis.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem, casu, quo non constet, quod votum melius sit, neque quod prius emissum; tunc possit hæres implere votum quod magis sibi placuerit?

NEgat Sanchez *lib.4.cap.15.n.41.* dicens, tunc hæredem obligatum esse pro rata diuidere; nec posse implere ex bonis hæreditatis votum quodlibet ad electionem suam. Quia licet defunctus in eo casu electionem facere posset; non inde infertur posse hæredem. Nam defuncto supradicta electio conceditur, quia habet Deum creditorem, cui æque gratum est votum vnum integrè, quam duo vota æqualia dimidiate: at hæres, non Deum creditorem, sed defunctum habet, cui ob adeptam hæreditatem obligatus fuit, & consequenter omnibus aliis, in quorum vtilitatem votum cedit: ob quam rationem, hæres neque commutationem, neque dispensationem, vel irritationem votorum facere potest, quæ defuncto conceduntur.

Sed probabiliùs Respondeo, hæredem in posito casu, posse implere quoduis illorum votorum: sicut & poterat defunctus. Ratio est quia eademmet obligatio, quæ erat in defuncto, translata est in hæredem, & licèt facta sit in illo obligatio iustitiæ, non tamen aliquo alio modo immutata est.

Nec obstat, hæredem obligari testatori, & consequenter omnibus aliis, in quorum vtilitatem vota sunt facta, vt arguit Sanchez, quia non obligatur, nisi cum qualitatibus, quibus testator Deo obligabatur. Quod item, non possit hæres petere commutationem, vel dispensationem, aut irritationem, id prouenit; quia eius obligatio non est voti, sed quasi contractus, ex aditione hæreditatis prouenientis. Sic omninò Palaus *tom.3.tract.16.disp.1.punct.16. n.12.* Bonac. *disp. 4. q.2. punct.5. §. 2. n.15.* Trullench. *lib.2.cap.2. dub.15. n.10.*

QVÆSTIO XXIV.

An, quando plures sunt hæredes; teneatur quilibet eorum in solidum, vota defuncti adimplere; casu, quo pars in quam succedit, ad id sit sufficiens?

REspondeo vt certum: Neminem eorum teneri ad id in solidum: sed quemque solum teneri pro rata, iuxta portionem hæreditariam. Tum quia id constat *ex l. pro hæreditariis. C. de act. hæred. l. in executione 85. in principio, vers. secunda, ff. de verbor. obligation.* Tum etiam, quia hæres solum tenetur adimplere vota defuncti, quatenus est hæres: ergo cum solum in vna parte sit hæres, pro ea parte tantum vota soluere debet. Sic Sanchez *num.42.* vbi testatur esse omnium Doctorum. Palaus *loco citato, n.13.* Qui limitant hanc doctrinam in casu, quo res promissa Deo, sit apud vnum ex hæredibus: quia tunc ipse tenetur in solidum eam integrè soluere: licèt habeat actionem contra alios hæredes, vt suam sibi partem soluant pro ratione suæ portionis hæreditariæ. Legatur Sanchez *n.44.* in principio.

QVÆSTIO XXV.

An, casu, quo alij hæredes nolint ex malitia soluere pro rata vota testatoris; tunc teneatur quilibet in solidum?

NEgare videtur Sanchez *lib. 4. cap. 15. n.42. in fine*, ibi: sed tantum tenetur quisque pro rata, iuxta portionem hæreditariam, in quam succedit, & si alij nolint, suam partem. Ita ille.

Sed clariùs Respondeo, teneri quidem in solidum soluere; casu, quo ex malitia alij cohæredes nequeant soluere: secus si id faciant ex impotentia. Quia (ait Palaus) debitis, & legatis soluendis, quælibet pars hæreditatis addicta est, & quilibet hæres obligatus: ergo nolente vno hærede soluere ex malitia, obligatur eius malitiam supplere: quia æquum non est, ob eius malitiam, debita maneāt insoluta. Si autem non ex malitia, sed ex impotentia alij hæredes soluendo non sunt; crederem cohæredem obligatum non esse, nisi pro quantitate hæreditatis vota persoluere: quia estò illa pars hæreditatis addicta sit votorum solutioni, non tamen integrè sed cum alia comparte. Sic ille, *punct. 16. citato num. 13.* Et benè, si addat, quod casu, quo aliquis hæres integrè ob dicta solueret, haberet actionem contra alium cohæreredem nolentem ex malitia partem quæ sibi contigit, soluere, iuxta nuper dicta.

QVÆSTIO XXVI.

An, donatarius teneatur omnia vota realia donantis adimplere, aut exequi?

REspondeo, non teneri, etiam casu, quo donatarius acceperit (validè, vel inualidè) omnia bona donantis, ob quod donans impotens fiat ad soluenda vota. Ratio est: quia vota realia donantis, non sunt ex vinculo iustitiæ, sed Religionis, debita; & ideo eorum obligatio, nisi à donante imponatur, non transit ad donatarium; sed ad solum hæredem, qui personam testatoris repræsentat, & adeundo hæreditatem, succedit quoque, ex tacito pacto, in omnia eius onera. Sic omninò Sanchez *lib. 4. cap. 15. num. 34.* Suarez *tib. 4. de voto, cap. 16. num. 10.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. quæst. 5. §. 2. num. 21.* Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 16. num. 14.* Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 15. fine.*

QVÆSTIO XXVII.

An saltem, legatarius teneatur ad satisfaciendum votis realibus legantis?

NEgandum videtur, quia eadem videtur ratio legatarij, & donatarij; at hic non tenetur: ergo neque ille.

Sed oppositum omninò Respondeo, dicendum. Quia longè est diuersa ratio vtriusque. Nam donatarius (ait Palaus) acquirit dominium rei donatæ, & promissæ Deo, ob traditionem illius sibi factam, quæ estò illicita sit, vtpotè voto contraria, est tamen valida, & firma. At legatarius, dominium

legati

legati acquirere debet, ex valore promissionis in testamento factæ, quæ si nulla est, perit legatum. Est autem nulla, si sit de materia voto contraria: quia tunc est promissio de re illicita, proinde nullius valoris. Hoc posito, si legatarius accipiat rem in specie Deo promissam, existimo obligatum esse, rem Deo tradere; quia nullum habet titulum eam retinendi, cùm nulla fuerit promissio, seu legatio. Si autem res legata determinatè Deo promissa non fuerit, maior est difficultas; an legatum subsistat, casu, quo hæreditatis vires non sufficiant votis satisfaciendis?

Et verius credo, legatum non subsistere. Quia sic legans peccat, cum velit rem, ex qua voto est satisfaciendum, legatario donare: ergo talis legatio, quæ est vera rei legatæ promissio, non subsistit. Præterea, testator, vel credit, votis satisfieri posse ab hærede, non obstante legato; vel non: si credit, & de facto satisfieri non potest, legatum est contra voluntatem testatoris, ac proinde nullum. Si non credit, promissio est de re illicita, & consequenter nulla. Hæc omnia Palaus *loco citato, numer.* 15.

DISPVTATIO XXVI.

De potestate, quam habent ciuitates, & alij populi, obligandi, suo iuramento, aut voto, suos successores, & parentes suos filios, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

An possit quis suo voto (aut iuramento,) adstringere alium?

RESPONDEO tanquam certum, quod non, siue votum sit personale, siue reale. Quia propria voti (seu iuramenti) obligatio, ita est personalis, vt solum vouentem ipsum afficere possit. Nam solum attingere potest, illum, qui intentionem habet se obligandi: sed sic est, quod nullus alius hanc intentionem habere potest, nisi qui verè vouet, & promittit: ergo ipsum solum afficere potest. Sic vt certum docent Sylvest. *votum* 2. *q.* 9. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1. *ad* 5. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de voto, cap.* 9. *à n.* 2. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 15. *n.* 14. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 5. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *de voto, punct.* 15. *n.* 1. Tamburin. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. §. 7. *& cap.* 12. §. 4. Basseus *tom.* 2. *votum* 1. *n.* 15. Ioan. à S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *disp.* 29. *art.* 12.

QVÆSTIO II.

An vota, aut iuramenta parentum offerentium suos infantes Religioni, obligent eosdem filios?

AFfirmandum videtur, *ex cap. licet, de voto,* vbi parentes vouent pro filiis, peregrinationem, ieiunia, & similia: ergo filij parentem voto obligantur.

Sed tanquam certum Respondeo, non obligare filios vota, aut iuramenta parentum; nisi aliàs filij in ea vota consenserint, aut ea ratificauerint, & approbauerint. Ex quo fit, nequaquam filios obligatos esse Religionem suscipere, tametsi parentes vouerint, aut iurauerint eos esse Religioni dicãdos; nisi alias ipsi filij consenserint. Quia tunc non obligarentur ex voto, aut iuramento parentum, sed ex proprio. Nam ille consensus, & parentum voti, aut iuramenti approbatio, est tacita voti emissio. Et sic explicatur cap. *licet.* Vbi filius Regis Hungariæ cogitur peregrinationem Hierosolymitanam, quam eius pater vouerat, exequi, non alia ratione; nisi quia assumpto Crucis signaculo, se impleturum promiserat. Et ratio est, quia vota parentum, non dependent à voluntate infantium, nisi illud ratificauerint: ergo solum in eo casu obligari votis parentum possunt. Sic omnes. Legantur Sanchez *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 22. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 74. Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 9. *n.* 2. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 2. *n.* 18. Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 15. *n.* 15. Palaus *disp.* 1. *de voto, punct.* 15. *n.* 3. Tamburin. §. 4. *citato num.* 1. Qui (cum communi) addit, in dicto casu solùm obligari patrem, ad præstanda, quantum potest, ea, quæ ad eiusmodi voti executionem conducunt. Quod idem dicit Basseus *tom.* 2. *votum* 2. *numer.* 15.

QVÆSTIO III.

An, saltem, casu, quo parentes præcipiant filiis exequi illorum vota, aut iuramenta; tunc teneantur filij ea executioni mandare?

AFfirmant Medina 2. 2. *q.* 90. *art.* 3. *col.* 3. & Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1. *ad vltimum,* docentes, teneri tunc filios ex obedientia filiali, parentibus debita, exequi huiusmodi vota. Ait enim Sotus sic: Ad quintum facile respondetur. In primis neminem posse alterum suo voto obligare: nec filium, nec seruum, nec aliter subditum, quoniam votum est religionis actus, quo quis suam propriam offert Deo voluntatem. Quare si vouisti, filium alicui templo offerre, teneris illum ducere, ille autem solùm tibi filiali obedientia tenetur parêre, nullatenus tamen ex vi Religionis. Hæc Sotus.

Sed clariùs Respondeo, non teneri quidem filios exequi vota, aut iuramenta parentum, etiamsi ab his ea exequi ab illis, præcipiantur; nisi solùm quando iuramenta vel vota pertineant ad mores bonos, vel circa domus, & rei familiaris gubernationem. Ideóque nullo modo possunt præcipere suis filiis, vt Religionem, quam ipsi vouerant, eos esse accipiendam, ingrediantur. Quia hoc præcepto cogere illos non possunt, cum solùm de iis, quæ

quæ ad bonos mores, & domus gubernationem pertinent, præceptum possint imponere, vt diximus. Sic Sanchez *loco citato*, & Palaus *numer.* 3. Bonac. *de matrim. q. 4. pun. 17. n.* 19. citans Lessium, Suarium, & alios.

QVÆSTIO IV.

An, filius censeatur præstare suum consensum, ex eo quod, illo præsente, & tacente, pater eius emittat iuramentum, seu votum eiusdem filij nomine?

REspondeo, negatiuè. *Tum* quia taciturnitas non præsumit consensum in his, quæ sunt oneris, & obligationis. *Tum* quia parentibus non competit filios voto alligare: quia votum est res ad perfectionem pertinens, ac proinde ex propria voluntate suscipienda: non igitur consensus præsumitur ex sola taciturnitate, seu negatiuo dissensu. Sic Palaus *num.* 3. *cit. vers. Dixi.* Sanchez *lib. 4. cap. 15. n.* 24. Bonac. *disp. 4. q. 2. pun. 5. §. 2. num.* 19. Trullench, *lib. 2. cap. 2. dub. 15. num.* 13. Basseus *num. 15. citato.*

QVÆSTIO V.

An, votum (seu iuramentum) possit quis per suum Procuratorem emittere?

REspondeo tanquam certum. Posse. Sic Sanchez *cap. 15. cit. num. 15.* hæc dicens: si quispiam potestatem alteri daret, vt suo nomine aliquid voueret, astringeretur vera voti illius obligatione. Quia, sicut iuramentum, quod similiter est vinculum personale, potest per procuratorem emitti, aut per nuntium, ita & votum. Sic ille. Et sic Palaus. Ad tertium dic, votum emissum à tuo procuratore, te obligare, quia tu, medio illo, emittis: neque procurator vouet, sed tuum votum, tuumque consensum declarat. Hæc Palaus, *n. 3. fine.*

QVÆSTIO VI.

An, successores alicuius Populi, teneantur votis, aut iuramentis ab eodem Populo emissis; veluti alicuius festi obseruandi, aut ieiunij, &c.?

REspondeo tanquam certum: Teneri, & quidem sub mortali peccato, vt vsus testatur: & tenent omnes Doctores, docentes vnanimiter, quod, votis, aut iuramentis, quæ à Populis fiunt, vt perpetuò obligent successores, censeantur obligare, quamuis ipsi vota non emiserint, aut iuramenta non fecerint: dummodo emissa fuerint à maiori parte communitatis, & acceptata ab Episcopo. Sic omnes DD. præcipuè mox adducendi, inter quos solum est difficultas in explicando, à quo principio dimanet huiusmodi obligatio; an à consuetudine, an ex vi voti, &c. Pro cuius decisione sit.

QVÆSTIO VII.

An, successores Populorum, teneantur obseruare vota, aut iuramenta ab ipsis Populis facta, propria voti, aut iuramenti obligatione?

AFfirmant quidam, teneri successores seruare illa, propria Religionis, seu voti, obligatione. Ducuntur: *Tum* quia successores sunt idem populus, *l. proponebatur. ff. de iudic.* ergo & vnum totius Populi votum. *Tum* etiam, quia Respublica habet potestatem vouendi nomine omnium: ergo omnes illius Reipublicæ tenebuntur tali voto. Ita tenent Nauarr. *cap. 12.* (*num. 73.* Suario) mihi *numer. 79.* vers. *Decimo tertio.* Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 99. n. 13.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. cap. 50. col. 3. vers. Neque ad vota.*

Sed omninò Respondeo non teneri successores ad obseruanda vota, aut iuramenta à populis emissa, propria Religionis, seu voti, obligatione. Patet. Quia, vt sæpè dictum est, propria voti obligatio, est omnino personalis: ergo nequit alios, præter ipsissimas vouentium personas astringere. Nec obstat successores reputari eumdem populum; quia hoc est, quoad repræsentationem, & potestatem solummodo. Sic Suarez *lib. 4. de voto, cap. 9. num. 6.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 15. n. 16.* dicens, esse omnium sententiam. Palaus *tract. 16. disp. 1. de voto, pun. 25. num. 3.* Vasquez *1. 2. disp. 167. n. 34.* & *disp. 177. n. 22.* Filliuc. *tract. 26. cap. 4. q. 1. n. 98.* & alij omnes, docentes, non obligari successores populi, aut communitatis obligatione iuramenti, vel voti facti à populo, vel alia communitate, nisi iuramentum, vel votum à singulis fiat, vel acceptetur. Sic etiam Basseus *tom. 2. votum 1. n. 21.* & Luysius *in summa 1. p. cap. 176. dub. 9.*

QVÆSTIO VIII.

An saltem successores Populi obligentur ad iuramenta, vel vota à populo emissa, ex vi pacti, & promissionis, quæ in vniuersalem successorem pertransit?

AFfirmant, etiam hoc titulo, aut ratione, obligari successores, Rodrig. Lopez, & Nauarrus, qui loco citato ita ait: quam ob rem, populus, qui nunc est, tenetur ad implenda vota de obseruatione Festorum, aut aliarum rerum eiusdem populi, qui centum ab hinc annis præcessit, quandoquidem est vnus, idemque populus *cap. Denique 7. q. 1.* vbi Glossa. & *l. proponebatur, ff. de iudic.* aut, ex vi voti, quia est idem populus, aut saltem ex vi contractus, & promissionis, quæ in successorem vniuersalem pertransit, *l. 1. & 2. C. de hæredit. action.* Hæc meus Nauarrus. Cuius doctrinam admittit Bassæus, *loco citato.*

Sed adhuc Respondeo non obligari ex vi pacti, seu contractus, aut promissionis. Quia licèt verum sit, quod successores teneantur stare pactis, seu contractibus à populo initis; at in votis à Populo emissis, nullus initur contractus, seu pactum, alias esset

obligatio

obligatio iustitiæ, quod dici non potest. Sic Suarez *loco cit. num.* 7. Sanchez *num.* 16. *cit. vers. At hic modus dicendi*; licèt postea *numer.* 19. contrarium teneat.

QVÆSTIO IX.

An ad minus, obligentur successores ad dicta iuramenta, & vota Populi, ex vi consuetudinis?

AFfirmat Medina 1.2.*q.*90.*art.*3.*col.*3. *ante versum, Ad primum.* Cui assentiunt casu, quo consuetudo sit longæua, Azor, & Petr. Ledesma (apud Sanchez) & Bassæus cit. nec non Ioan. à S. Thoma 2.2.*q.*88. *disp.* 29. *art.*12.

Sed adhuc probabiliùs Respondeo nec hac ratione obligari. Quia, iuxta hunc modum dicendi contrariorum, successores non tenerentur votis, & iuramentis Populi, dum non essent longæuo vsu approbata: sed sic est, quod, apud omnes communiter, censentur obligare à principio omnes: ergo. Sic Suarez *num.* 9. Sanchez *num.* 18.

QVÆSTIO X.

An denique, saltem obligentur successores ad iuramenta, & vota populi, in vi legis ab ipso populo præcessore statutæ, & ab Episcopo promulgatæ?

REspondeo dicendum quod sic. Quia in populo verè est potestas ad obligandos præsentes, & futuros successores, in vi præcepti humani, vel ad acceptandum tale votum, quoad voti obligationem, vel saltem ad obseruantiam actus promissi. Vnde, eo ipso, quod Rectores populi in tale votum (seu iuramentum) consentiant, consequenter imponunt aliis præceptum obseruandi illud, quoad actum promissum, & ideò grauiter peccabunt non obseruando illud. Vnde licèt illi, qui non vouerunt, non violent votum, & consequenter non committant proprium peccatum infidelitatis, contra Deum; nihilominus grauiter peccant contra obedientiam, vel contra propriam virtutem, in qua est materia voti. Sic omnino Suarez *lib.* 4. *cit. cap.* 9. *num.* 10. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 19. & alij apud ipsum. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 5. §. 2. *num.* 20. Palaus *disp.* 1. *de voto, pun.* 15. *num.* 3. Filliucius *tract.* 26. *cap.* 4. *q.* 1. *dicto* 2. *n.* 98. Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 15. *sub num.* 14. Bassæus etiam *loco citato.*

QVÆSTIO XI.

An, vt hæc vota, aut iuramenta Populi, habeant firmitatem legis obligantis successores; requiratur necessariò consensus Episcopi?

REspondeo tanquam certum: nunc iam esse necessarium consensum Episcopi. Quia nunc (inquit Suarez) in Ecclesia diuinus cultus eleuatus est ad superiorem ordinem, & eius cura commissa est Prælatis Ecclesiæ, præcipuè Christi Vicario. Et ideo existimo, talia vota non habere vim obligandi, nisi intercedente Episcopi auctoritate, & approbatione: & consequenter necesse est, vt ipse præcepto suo cogat omnes ad voti acceptationem, vel saltem ad obseruantiam actus promissi, & tunc obligabuntur illi, qui non vouerunt, non vi voti, sed vi Ecclesiæ præcepti. Sic ille, *num.* 11. Sanchez, Bonac. Palaus, Filliuc. vbi supra.

QVÆSTIO XII.

An, vota huiusmodi, vel iuramenta, à Populo facta; possint ab Episcopis, quorum auctoritate emissa sunt, reuocari?

REspondeo vt certum: Posse reuocari ab Episcopis, quatenus obligant totam communitatem, sicuti possunt alia præcepta particularia suarum Diœcesium. Quia respectu communitatis, non habent vim, nisi ratione præcepti, quod per Episcopum potest abrogari. Sic Suarez *loco citato.*

QVÆSTIO XIII.

An, Regulares exempti, teneantur obseruare vota facta à populo, ex consensu Episcopi illius loci?

AFfirmant absolutè Peyrin. Lezana, & Villalobos citati à nobis 3.*p. disp.* 3.*q.* 15.

Sed probabiliùs Respondeo non teneri, nisi ad sola vota facta pro seruando aliquo die festo; vt latè probaui 3.*p. tract.* 1. *disp.* 3. *q.* 15. *& disp.* 2. per totam (præcipuè quæst. vltima) vbi inuenies quidquid desiderare hîc poteris.

DISPVTATIO XXVII.

De voto aut iuramento non ambiendi, nec acceptandi Prælationes, aut officia, quod aliqua Religiones emittunt.

QVÆSTIO PRIMA.

Quænam sunt Religiones, quæ hoc emittunt votum aut iuramentum?

RESPONDEO quod prima est Religio Fratrum Carmelitarum Discalceatorum. Qui statim post solemnem trium votorum professionem, his verbis votum eiusmodi emittunt: *Insuper promitto, me nunquam*

directè, vel indirectè, per me, vel per alium, intra, vel extra Congregationem, vllam prælationem, aut officium prætensurum; neque extra congregationem oblatum acceptaturum, nisi præcepto eius, qui mihi præcipere potest, adstringar, iuxta Constitutiones nostras. Sic.

Secunda Religio sit Clericorum Regularium Minorum, qui de prædicta materia votum, & iuramentum faciunt. Votum nempè, his verbis: *Insuper promitto, nunquam me curaturum, vel prætensurum, siue per me, siue per alium, extra Religionem, prælaturam aliquam, vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem, nisi coactus obedientia Summi Pontificis.* Iuramentum verò, fit his aliis verbis: *Ego N. testem inuoco Deum, quod neque Præpositi dignitatem, neque aliquod officium, quod huiusmodi dignitati ex ordinationibus nostræ Religionis præfertur, mihi expressè mandari curabo.*

Tertia sit Religio Clericorum Regularium Ministrantium infirmis. Qui his verbis hoc votum faciunt: *Præterea polliceor, me adstringendo voto simplici, nunquam curaturum, ne indirectè quidem, seu quouis modo, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem, in Religione eligar, nec quantum in me erit, assensurum, vt extra Religionem, neque minus in aliquam prælationem, vel dignitatem promouear, nisi essem sub pœna peccati mortalis à Summo Pontifice ad id coactus, seu adstrictus.*

Quarta sit Religio Fratrum Discalceatorum S. Augustini; qui id votum his verbis faciunt. *Voueo, & promitto, me nunquam directè, vel indirectè, per me, aut per alium, vllam Prælationem, aut officium per constitutiones prohibitum, prætensurum: & pariter extra Congregationem, neque directè, neque indirectè, per me, aut per alium, prælationem vllam prætensurum, aut oblatam accepturum, nisi obstringar præcepto eius, qui mihi præcipere potest: & hoc secundùm Regulam S. P. N. Augustini, & iuxta seriem nostrarum Constitutionum, vsque ad mortem.*

Quinta sit Religio Patrum Barnabitarum: qui iuramentum de non ambiendi dignitates sic faciunt. *Ego N. testem inuoco Deum, quod neque Præpositi dignitatem, neque aliquod officium, quod huiusmodi dignitati ex constitutionibus in Congregatione præferatur, mihi mandari curabo: neque item aliquam dignitatem, eodem modo, extra Congregationem quæram, aut sine præcepto Summi Pontificis accipiam.*

Sexta sit Religio Patrum Societatis Iesu: qui votum non ambiendi dignitates intra Religionem his verbis faciunt. *Promitto nunquam me acturum, vel prætensurum, nec indirectè quidem, vt in aliquam Prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promouear.* Extra Religionem verò non ambiendi, aut acceptandi sic votum emittunt. *Promitto nunquam me curaturum, prætensurumvè extra Societatem, Prælationem aliquam, vel dignitatem: nec consensurum in mei electionem quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui mihi præcipere potest sub pœna peccati.*

Septima denique sit nostra Sanctissimæ Trinitatis Discalceatorum Fratrum Religio, qui post emissa tria vota substantialia, hoc quartum, his verbis emittunt. *Voueo, me directè vel indirectè, per me aut per alios, intra Congregationem, prælationem aliquam, aut officium per constitutionem prætendi prohibitum, nunquam prætensurum. Et pariter, extra eamdem Congregationem, neque directè, neque indirectè, per me, aut per alium, vllam Prælationem prætensurum, vel oblatam acceptaturum, nisi præcepto eius, qui mihi præcipere poterit, adstringar.* Sic habetur in constitut (62. in ordine) Pauli V. data die decima Februarij *anno* 1610. Pro cuius voti explicatione sequentes ponam quæstiones, sit ergo.

---

§. I.

De voto non ambiendi Prælationem intra Religionem.

QVÆSTIO II.

An huiusmodi votum, seu iuramentum non ambiendi, neque acceptandi Prælaturas, seu dignitates; præcipuè sæculares, sit validum?

NEgandum videtur. Quia hoc votum videtur impedire maius bonum, nempe Episcopatum v. g. qui absque dubio est status perfectior, eo quem actu habet Religiosus vouens: ergo non videtur validum.

Sed vt quid certum Respondeo. Tale votum esse validum, si recta fiat, vt semper fit, intentione. Constat quia à sede Apostolica est approbatum, quod pro probatione nostræ conclusionis, sufficit. Addo, quod per emissionem huius voti (aut iuramenti) præcluditur ambitionis aditus, contentiones, inuidiæ, dissensiones, calumniæ, & alia huius generis mala remouentur, & fœlix Religionis status conseruatur. Lege D. Bernard. *serm. 6. in Psal. Qui habitat.* D. Basil. *de constit. Monast. cap.* 10. Sanchez ex illis, *lib. 6. Summæ, cap.* 18. *n.* 16. Palaus *tom. 3. tract.* 16. *disp. 5. de statu Relig. pun. 5. n.* 1. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib. 6. cap.* 7. *n.* 9. Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap.* 15. §. 4. *n.* 5. Qui ad rationem dubitandi, respondet, quod propter humilitatem, mortificationem, & pericula debitum munus Episcopatus non exequendi, melior sit eius priuatio vouenti.

QVÆSTIO III.

An, hoc votum, quod nostri Religiosi emittunt, sit solemne?

REspondeo tanquam certum: Esse solemne. Constat, *Primò*: Quia huiusmodi votum non ambiendi Prælaturas, &c. fit vno, ac eodem contextu cum tribus votis substantialibus Religionis, quod est signum huiusmodi votum esse solemne, vt probat latè Pellizzar. *tom. 1. tract. 4. cap. 1. sect. 1. q. 8. Secundò.* Quia in ipsa constitutione Pauli *v.* §. 4. dicitur, *Super huiusmodi voto dispensari minimè posse, neque illud commutari: non secus ac cætera substantialia vota Religionis:* atqui cætera alia vota substantialia Religionis, sunt solemnia: ergo. Sic expressè, loquendo de hoc nostro, quod emittimus, voto, tenet Pellizzar. *tract. 4. cit. cap. 5. sect. 10. n. 502.*

QVÆSTIO IV.

A quo tempore fuit institutum hoc votum in nostra Congregatione?

REspondeo ex dictis *quæst.* 1. institutum esse à tempore Pauli V. *die* 10. *Februar. anno* 1610. Cum alioqui nostra Discalceatorum Congregatio fuerit erecta à piæ mem. Clemente VIII. die Melisui Bernardi, nempe 20. *August. anno* 1599. vt constat ex eius Bulla, cuius initium est, *Ad militantis.* in ordine 62. Sic, & benè, refert Pellizzar. *loc. cit. q.* 2. *num.* 500.

QVÆSTIO V.

An materia huius voti sit negatiua?

REspondeo affirmatiuè. Quia huius voti materia est, non agere, nec prætendere, aut procurare directè, nec indirectè aliquam intra nostram Religionem, Prælationem, aut officium aliquod per Constitutiones prætendi prohibitum, nec vllam Prælaturam extra Religionem, &c. vt constat ex dictis *quæst.* 1. in fine. Sic Palaus loquens de voto, quod emittit Societas Iesu, *loco citato, num.* 2.

QVÆSTIO VI.

An, desiderare, aut appetere Prælatias, aut dignitates, in nostra Congregatione, sit contra votum non ambiendi illas, &c.?

AFfirmandum videtur. Quia vota castitatis, & Paupertatis à Religioso emissa, comprehendunt actum merè internum; nam delectatio morosa est sacrilega, contra votum castitatis; & velle habere proprium, contra votum paupertatis: ergo etiam similiter contra votum non ambiendi, erit quæcumque interna Prælaturæ, aut dignitatis ambitio.

Sed vt certum Respondeo sic, desiderare, aut appetere Prælaturas, & dignitates, in nostra Religione (& in quauis alia, vbi simile emittitur votum) non est contra dictum votum. Constat ex dictis. Quia votum non ambiendi dignitates, quod facimus, tantum est de non agendo, vel procurando, vt non promoueamur: at desiderare promoueri, non est agere, vel procurare: ergo. Sic docent Vasquez 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *disp.* 115. *cap.* 3. *in fine*, quem citat, & sequitur Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 18. *n.* 18. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 9. Palaus *disp.* 5. *cit. pun.* 5. *n.* 2. Qui id probat, ex eo quod obligari voto ad non desiderandum, nec appetendum interius dignitates, non erat cenueniens, quippe multis scrupulis, & conscientiæ anxietatibus esset expositum.

Aduertit & benè Sanchez, secus esse dicendum de desiderio procurandi dignitates, eo procurandi modo, qui est contra votum hoc. Illud enim esset peccatum mortale aduersus hoc votum: quia actus internus, & externus eiusdem obiecti, eadem bonitate, & malitia afficiuntur: cum ergo, procuratio illa sit contra votum, erit quoque desiderium talis procurationis. Sic ille. Ex quo patet ad rationem dubitandi.

QVÆSTIO VII.

An sit contra hoc votum, auferre impedimenta vouenti opposita, ne sit Prælatus?

REspondeo vt certum: Non esse contra hoc votum, intendere, etiam directè, auferre impedimenta, quæ vouenti opponuntur, ne sit Prælatus. Quia impedimentum Prælationis, est damnum diuersum à priuatione Prælationis, quia hæc non continet dedecus; secus autem illud, & ideo euitari potest à vouente. Sic Sanchez *num.* 21.

QVÆSTIO VIII.

An, peccet contra hoc votum, qui exercet aliquas actiones externas, ex se bonas, & honestas; vt, vacare studiis, obedientiam sectari, obseruare Regulam, &c. animo quærendi prælationes, & dignitates?

REspondeo vt certum: Non peccare: *Tum*, quia huiusmodi actiones non mouent effectiuè Superiorem ad prælationem concedendam; sed solum obiectiuè, magis capacem, & aptum ostendendo illas exercentem. *Tum* etiam: quia omnes illæ actiones reducuntur ad ambitionem interiorem, & quoad Deum (non ad exteriorem, & quoad homines) at hæc non aduersatur voto, vt habitum est supra: ergo. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 10. *& sequent.* Sanchez, & Palaus, statim citandi. Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 4. *disp.* 5. *sect.* 4. *q.* 9. *&* 10. De quo adhuc infra *quæst.* 14.

QVÆSTIO IX.

An saltem, peccet contra hoc votum qui exercet aliquas actiones externas, ad summum ad id indifferentes; veluti fingere se Sanctum, prudentem, aut doctum, animo quærendi dignitates?

AFfirmat Suarez *loco citato*, existimans, peccare contra votum, eo quod existimet, quod exercere tales actiones, sit prætendere, & procurare indirectè dignitates. Quia si hæ actiones à prætensione indirecta dignitatum excluduntur, nulla assignari potest, quæ sit prætensio indirecta. Sic ille, quem videtur sequi Pellizzar. *tr.* 4. *cap.* 5. *sect.* 3. *q.* 5. *n.* 233. dum contrarium non improbabile, dicat.

Sed probabiliùs Respondeo adhuc in hoc casu non peccare contra votum, nisi tales actiones talibus circunstantiis vestiantur, vt prudenter ex illis colligi possit ambitiosus operantis animus. Ratio est quia nulla ex supradictis actionibus, est ita exterius manifesta ex se, vt possit colligi animus prauus ambiendi;

biendi : ſed dum hunc prauum animum vouens non manifeſtat, non ambit, apud homines, nec prætendit, cùm ipſos omnino lateat : ergo. Sic Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 18. num. 22.* & latè Palaus *diſp. 5. de ſtatu Relig. pun. 5. num. 4.* Quos citat, & ſequitur Pellizzar. *ſupra q. 11. n. 252.* fundamentum Suarij ex infra dicendis, conſtabit, non eſſe verum.

QVÆSTIO X.

An prætenſio indirecta dignitatum, diſtinguatur à prætenſione directa?

NEgat Sanchez loco citato, *num.* 23. aſſerens, idem penitus eſſe, nullamque eſſe inter illas diſtinctionem, ſed pro maiori vitij huius exterminatione, additum eſſe illud verbum ; *nec indirectè.* vt ſic intelligant vouentes, quàm ſtrictè illis hæc ambitio interdicatur : vt cum Hiſpanè dicimus : *Ni os paſſe por penſamiento hazer eſto.* Id probat ex doctrina Suarij, *tom. 5. in 3. p. diſp. 21. ſect. 2. n. 23.* & ex Caiet. *in ſum. verbo excommunicatio, cap. 7. n. 15.* & 17. Hæc Sanchez ; licet alio modo ſtatim referendo, poſtea reſpondeat.

Sed longè multò probabilius, Reſpondeo diſtingui inter ſe, eſſeque valde diuerſas. Probatur. Quia cum in variis Ordinibus fiat votum non ambiendi dignitates, aut prælationes, vt ſupra *q. 1.* vidimus. In aliquibus eorum voto expreſsè apponuntur particulæ *directè, vel indirectè,* vt in noſtra Congregatione, Societate Ieſu, & in aliis, quod eſt ſignum per votum, aut iuramentum non ambiendi dignitates, vt ſic, non prohiberi procurationem dignitatis factam indirectè, alioqui non eſſet neceſſe, quod tales clauſulæ exprimerentur in formulis, quibus emittitur tale votum, aut iuramentum. Sic Pellizzarius *tom. 1. tract. 4. cap. 5. ſect. 4. q. 7. num. 157.* Suarez, Palaus, & alij, mox citandi.

QVÆSTIO XI.

Quid ſit prætenſio dignitatis directa: Quidvè indirecta?

REſpond. dicendum quod varij variè huic quæſtioni ſatisfacere ſatagunt. Nam in primis quidam dicunt, quod *prætenſio directa* dignitatis, aut prælationis eſt illa, qua quis per propriam perſonam prætendit apud eum, qui dignitatem, aut prælationem conceſſurus eſt : *Indirecta verò,* qua quis medio alio prætendit. Sic Palaus *diſp. 5. cit. pun. 5. n. 5.* Cuius modum dicendi refert, & non impugnat Pellizzar. *ſect. 4. cit. ſubſectione 3. q. 5. n. 233. verſ. Addit. Caſtro Palaus.*

Secundò Reſpondet Sanchez *n. 24. citato*, illam poſſe dici *directam* prætenſionem, quando expreſſis verbis, vel ſignis, dignitas prætenditur. *Indirectam* verò, quando non ita expreſsè, ſed alio prætextu, alioquè ſimulato colore procuratur. Sicut (inquit Sanchez) dum Clemens VIII. in ſua Extrauag. *de largitione munerum,* Regularibus prohibita ; interdixit illis eam largitionem, ſiue directam, ſiue indirectam, declarant Soſſa in eius expoſitione *n. 73.* & Sorbus *in compend. Mendicant. 1. p. verbo, dare.* vt donatio directa ſit, quæ claris verbis fit ; indirecta autem, quando revera eſt donatio, ſed alio quæſito colore palliata, ac ſimulata : vt cùm Religioſus rem ſibi oblatam, taciteque à ſe acceptatam, iubet alij dare : vel ſi prætextu mutui, aut commodato aliquid donaret, animo nunquam repetendi. Sic Sanchez. Sic ergo in propoſito caſu (pergit Pellizzarius) tunc dicetur Religioſus procurare dignitatem directè, quando verbis expreſſis petit promoueri ad aliquam Prælaturam, ſiue ſæcularem, ſiue regularem: & quidem ab eo cuius eſt illum promouere : indirectè autem quando v. g. ex vna parte proponeret Superiori neceſſitatem alicuius promotionis, & ex alia, à partium inductione, oſtenderet in eo Monaſterio, aut prouincia, non extare vllum, qui ad eam dignitatem ſit æquè habilis, ac ipſe : ſiquidem hoc eſt tacitè dicere, vt eam dignitatem ſibi conferat, & non alij. Huc vſque Pellizzar. *tr. 4. cap. 5. ſect. 4. q. 7. num. 148.*

Ego autem Reſpondeo dicendum, quod ex his duobus modis explicandi prætenſionem directam, & indirectam, melior ſit hic ſecundus, vt ex ſe patet, & ex mox dicendis amplius patebit. Sit ergo.

QVÆSTIO XII.

An, noſtri Diſcalceati agant contra hoc votum, procurando prælationes, non per ſemetipſos, ſed per alios?

REſpondeo tanquam certum : Quod ſic. Quia id expreſſe vouent, vt conſtat ex formula, qua in emiſſione huius voti vtimur, quam habes ſupra *quæſt. 1.* aliàs fruſtra ponerentur illa verba, *per me,* aut, *per alios* : vt probat Pellizzar. *cap. 5. cit. ſect. 5. q. 7. n. 147. ver. Confirmatur.*

QVÆSTIO XIII.

An etiam peccent contra hoc votum, ſi dicti noſtri Religioſi, ſcientes alios nomine ipſorum, eis procurare aliquam prælaturam, non impediant, cum facile poſſint?

AFfirmandum videtur, eo quod videantur per alios procurare prælaturas, & quærere dignitates, cùm id per alios fieri ſciant, & non impediant.

Sed omninò Reſpondeo tunc non peccare contra hoc votum; cum per hoc ſolùm quod ſciant, alios nomine ipſorum eis procurare prælaturas, & dignitates, minimè dicantur procurare per alios directè, nec indirectè. Patet, quia, vt conſtat ex ſupra habitis, quærere & procurate prælaturas, importat quendam influxum, & cauſalitatem, circa effectum obtinendi illas : atqui in hoc caſu dicti Religioſi vouentes, ſolùm ſe habent negatiuè, & permiſſiuè ad hoc, quod alij ipſis procurent prælaturas, & dignitates, quæ ſicut non exprimuntur in emiſſione huius voti, ita nec per illud prohibentur. Sic in ſimili docet Pellizzar. *tract. 4. diſp. 5. ſect. 4. q. 8. n. 149.*

QVÆSTIO XIV.

An ad minus, peccent contrà hoc votum nostri Religiosi, si apud suos Superiores se iustificent de excessibus ipsis obiectis, ne aliàs impediantur ab obtinendis dignitatibus Religionis?

AFfirmandum videtur. Quia actionibus externis videntur quærere dignitates, & prælaturas, quod ad minus prætensio indirecta debet existimari.

Sed omninò Respondeo nec hos contra votum peccare, adhuc indirecta prætensione; dummodo nil aliud agant ad consequendam Prælationem. Constat ex dictis *q.*7. & rationem reddit Pellizzar. quia auferre ea quæ possunt obstare consecutioni dignitatum, non est influere circa effectum obtinendi dignitatem, neque per actionem aliquam moralem effectiuè mouere Prælatum ad exercitium actus conferendi prælaturam, quod prohibetur per hoc votum; sed solùm mouere obiectiuè Prælatum ad sui electionem (vt ex Suario & aliis diximus supra *quæst.*8.) Sic ille *q.*9.*n.*150. Suarez, Sanchez, & Palao, vbi supra.

QVÆSTIO XV.

An, nostri Discalceati peccent contra hoc votum, si curent dispensari, super inhabilitate ad prælaturas, ex delicto aliquo incursa?

REspondeo ex dictis quod non, etiamsi id faciant, eo animo, vt talis inhabilitas ipsis non obstet, quo minus aliunde possint promoueri ad prælaturas Religionis. Ratio constat ex dictis. Quia licèt in assignato casu, videatur interuenire aliqua procuratio dignitatis indirecta, tamen cum sit valde remota, & ex se indifferens ad declarandam intentionem illam ambitiosam, aut aliquid aliud, ideo per illam actionem minimè violant votum. *Confirmatur* hoc argumentum: quia probabiliter præsumi potest à Prælatis, procurari à subditis ablationem illam inhabilitatis, non ad obtinendam proximè dignitatem, sed ad tollendum dedecus Religiosis, proueniens ex dicta inhabilitate, vt ex Sanchez diximus *quæst.* 7. Et tenet in simili Pellizzar. *q.* 13. *num.* 154. Qui à fortiori infert, & benè, multo minus violari hoc votum, si Religiosi abstineant à delicto prohito, sub pœna inhabilitatis ad Prælaturas, ne alioqui fiant incapaces prælaturarum, siquidem per hoc, nullo modo procuratur dignitas, neque directe, neque indirecte; sed solum declinatur præfata inhabilitas, & dedecus ex ea proueniens.

QVÆSTIO XVI.

An, noster Religiosus peccet, contra hoc votum, si consultò procuret, promouere ad Generalatum Religiosum sibi amicum, ea intentione, & spe, vt etiam ipse ab illo postea promoueatur ad Prælaturam?

REspondeo dicendum; Quod non peccet, nisi aliàs suam illam intentionem exteriùs sufficiéter declaret ei, quem sic curat promoueri. Quia, nisi id exterius faciat, talis prætensio intra limites ambitionis internæ, hoc est, desiderij obtinendi dignitates manet, at hac non frangitur votum, iuxta dicta *q.* 6. ergo. Sic in simili ex doctrina Sancij docet Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 5. *sect.* 4. *q.* 15. *numer.* 156.

QVÆSTIO XVII.

An noster Discalceatus faciat contra votum, si procuret aliquod officium, ad quod regulariter solet consequi aliqua prælatio?

REspondeo, quod non faciat, etiamsi illud officium procuret animo, ac intentione obtinendi prælatiam; nisi aliàs, vt nuper diximus, hanc suam intentionem exterius sufficienter explicet. Quia procuratio illa officij, non est ex sua natura manifestatiua ambitiosæ illius intentionis: ergo, si aliàs, non manifestatur, non est materia ad hoc votum pertinens, vt ex dictis patet. Sic Pellizzar. in simili *tract.* 4. *cap.* 5. *sect.* 4. *q.* 15. *numer.* 157. vbi *num.* 158. notat, quod ad hoc, vt manifestatio ambitiosæ intentionis sit contra votum, aut iuramentum, non procurandi dignitates, debeat esse ita moraliter certa, vt spectatis, conditione, vita, ac honestate agentis, & aliis circunstantiis concurrentibus, ea absque nota temeritatis, probabiliter, & prudenter vitio dari possit. Sic ille, ex doctrina, quam in simili tradit Suarez *disp.* 12. *de censur. sect.* 6. *n.* 16. Legatur Pellizzar. *loco cit. sect.* 5. *subsectione* 3. *q.* 5. *fine.*

QVÆSTIO XVIII.

An, Trinitarius Discalceatus peccet contra istud votum, si solum procuret eligi ad aliquam prælationem Religionis, vt redintegretur eius fama læsa; interim habens animum non acceptandi talem prælationem?

NEgandum videtur. Quia ideo Professus Societatis facit contra hoc votum si procuret eligi ad aliquam dignitatem, etiamsi habeat non acceptandi

tandi eam, animum, quia in voto de non ambiendo dignitates, quod emittunt, expressè prohibetur, non solum, vt Professus non procuret promoueri ad dignitatem in Societate (ad quod supponitur acceptatio dignitatis) sed etiam, vt non procuret eligi, & ideò, vt fiat contra istud votum, sufficit, vt alterutra eius pars violetur, vt benè docet Pellizzar. *cap. 5. cit. sect. 5. subsect. 3. q. 8. n.* 239. Sed sic est, quod in formula, qua nos emittimus hoc votum, solùm prohibetur procuratio, aut prætensio prælationis, non electionis: ergo.

Sed omninò nihilominus Respondeo: contra votum peccare. Quia certè, verè prætendit prælationem, qui prætendit eligi in Prælatum, etiamsi habeat animum non acceptandi talem prælatiam. Quia electus, & confirmatus in sua prælatia, verè dicitur & est Prælatus.

QVÆSTIO XIX.

An item, peccet contra hoc votum, si quis nostræ Religionis Professus procuret aliquam Prælaturam, solùm in bonum eiusdem Religionis, vt ad promouendam Regularem disciplinam, &c.?

REspondeo vt certum: Etiam peccare. Probatur. Quia illa verba, quibus fit hoc votum; *voueo, &c. prælationem aliquam nunquam prætensurum*, verè sunt indifferentia ad prætensionem tam licitam quàm illicitam: non secus ac vouens absolutè castitatem, promittit abstinere non solùm ab actibus venereis illicitis, sed etiam à licitis matrimonij. Sic in simili Pellizzar. *tract. 4. cap. 5. sect. 5. subsect. 3. q. 9.* ex Suario *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 7. num.* 12.

QVÆSTIO XX.

An rursus, peccet contra hoc votum, Professus nostræ Congregationis, qui curat non auferri Prælaturam iam obtentam?

REspondeo tanquam certum: Quod non. Quia hic non procurat, aut prætendit eligi, aut promoueri ad Prælaturam, quod solùm prohibetur in hoc voto, vt patet ex tenore illius: non ergo erit contra eum, curare vt ab eo non tollatur Prælatura iam obtenta. Sic in simili Pellizzar. *loco cit. q. 10. numer.* 241.

QVÆSTIO XXI.

Quænam sint Prælationes & quænam officia quæ ex vi huius voti prohibentur prætendi in nostra Congregatione?

REspondeo dicendum quod prælationes sunt sequentes; Ministri Generalis, Diffinitorum Generalium, Ministrorum Prouincialium & Conuentualium, Vicarij Generalis, Visitatoris, Præsidentis, Socij Capituli Generalis.

Officia verò per constitutiones prætendi prohibita sunt officium Generalis Procuratoris in vrbe Roma, & officium Procuratoris generalis in Hispania. Sic constat ex his, quæ de hoc voto nostro refert Pellizzarius *tom. 2. tract. 4. cap. 5. sect.* 10. *q.* 3. sed non ita clarè.

---

§. II.

De secunda parte huius nostri voti, nempe; de non prætendendo extra Religionem prælationem vllam, neque oblatam acceptando, nisi præcepto illius qui id præcipere potest.

QVÆSTIO XXII.

An huiusmodi votum sit solemne, & quis sit eius finis, quæve illius materia?

REspondeo breuiter ex dictis. Quod verè sit solemne, vt manet probatum *q. 3. Finis* verò eius est, relegare à nostra Congregatione, abominabile ambitionis vitium, & in ea conseruare spiritum humilitatis. Ideóque tale votum, communiter vocatur humilitatis votum. *Materia* autem est, non prætendere directè, vel indirectè, nec per se, nec per alium, Prælationem vllam extra Religionem, nec acceptare etiam oblatam, nisi interueniat præceptum eius, qui præcipere possit. Patet ex ipsa formula vouendi, relata *q.* 1.

QVÆSTIO XXIII.

An nostri Discalceati, vi huius voti prohibeantur prætendere, & acceptare, tam Prælatias, quàm officia, extra Congregationem?

AFfirmandum videtur. Quia communi vsu multarum Religionum, & multorum Decretorum Pontificiorum, nomine officij veniunt prælationes, & dignitates, vt notant Lezana *tom. 2. cap. 13. n. 7.* & Portel. *in dub. Regul. v. officia Ordinis, in Addit. n. 2.* ergo è contra, nomine prælationis, venient officia: ergo quamuis in formula, qua in nostra Congregatione emittitur hoc votum, solum prohibeatur

beatur prætendere Prælatias, & acceptare oblatas, nomine *prælationis* intelligi debet, & officium.

Sed Respondeo dicendum: Non prohiberi dictis Discalceatis ex vi voti quod emittunt, prætendere, aut acceptare aliquod officium, extra Religionem. Quia solùm vouent, non prætendere prælationem, extra congregationem; nec acceptare oblatam, vt supra est habitum: atqui nomine prælationis, non veniunt officia propriè dicta: ergo. *Confirmatur* clarè & simili omnino voto, quod emittunt Professi Societatis, vouent enim, *nunquam curaturos, aut præensuros intra, aut extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem, &c. nisi coactos obedientia, &c.* Sed sic est, quod ex vi huius voti, non est prohibitum illis prætendere aliqua officia intra, aut extra Societatem: ergo nec nobis erit. Minorem docet Palaus *tract. 16. disp. 5. de statu Relig. pun. 5. n. 6.* his verbis: Ex dictis infertur, non esse contra hoc votum, prætendere esse Procuratorem designatum in Congregationem generalem, esse Assistentem, esse Ministrum, esse Prædicatorem, & Lectorem Theologiæ quia hæc omnia officia sunt non dignitas, neque prælatio, & tradit Sanchez, & Suarez, supra, qui de officio Procuratoris satis inclinat sub voto debere comprehendi, ob potestatem quam suscepit, Societatem gubernandi, & Generalem eligendi. Hæc ille. Et etiam Pellizzar. *tract. 4. cap. 5 sect. 5 subsect. 3. quæst. 6.*

QVÆSTIO XXIV.

Quid intelligatur hîc nomine Prælationis, quam dicti Discalceati, prohibentur extra Congregationem prætendere, aut acceptare, &c.?

REspondeo quod nomine *Prælationis*, hîc, intelligatur Episcopatus, Abbatia habens iurisdictionem, quasi Episcopalem, Vicariatus generalis Episcopi, & similia habentia in foro externo iurisdictionem in subditos. Sic explicando votum simile, quod emittunt Patres Societatis, docet Pellizzarius *loco citato, sect. 5. subsect. 4. q. 7.* ex Thoma Sanchez *lib. 6. sum. cap. 18. n. 28.*

QVÆSTIO XXV.

An, ex vi huius voti, prohibeantur dicti Discalceati, prætendere Cardinalatum?

NEgandum videtur. Quia ex vi huius voti solùm prohibentur nostri Religiosi prætendere prælationes, extra Religionem: sed Cardinalatus ex se caret prælatione: ergo. *Confirmatur.* Quia ideo Patres Societatis Iesu nequeunt prætendere Cardinalatum, quia non solum vouent, non prætendere prælationes, sed nec dignitates vllas, & sub nomine dignitatum comprehenditur Cardinalatus, aut alia dignitas in Ecclesia aliqua, etiamsi prælatione careat, vt docent Pellizzarius, & Sanchez *locis citatis.* atqui nostri Discalceati solùm vouent, non prætendere prælationes, sub cuius nomine non venit Cardinalatus: ergo.

Sed vt mihi certum Respondeo, prohiberi, ex vi voti. *Primo* quia dato quod Cardinalatus careat Prælatione, gaudet tamen potestate eligendi summum Pontificem, Cardinalibus namque solis incumbit Papam eligere, quod sufficit, vt, iuxta placitum sapientissimi Suarij relatum *quæst. 23. fine*, comprehendatur Cardinalatus, sub nomine Prælationis. *Secundo.* Quia maior est ratio ad hoc, vt comprehendatur sub isto voto, Cardinalatus, quàm prælationes, etiam Episcopales; tum quia Cardinalatus est prima dignitas post Pontificatum, & maior Episcopatu, non ordine, sed potestate, vt docent Vasquez *in 3. p. disp. 262. cap. 5.* & Bellarmin. *tom. 1. lib. 1. cap. 16.* & latè Azor *tom. 2. lib. 4. c. 1.* & alij communiter: ergo maiorem habet expetibilitatem, ergo à fortiori prætendi ab his, qui hoc humilitatis voto astringuntur, minimè quit. *Tertiò.* Quia multoties dignitas confunditur cum prælatia, vt docet Palaus *n. 6.* citato: Imò vt docet Pellizzar. *tract. 4. sect. 9. subsect. 1. q. 9. n. 481.* Loquendo de hoc voto quod Augustiniani Discalceati emittunt, nomine prælaturarum, Ecclesiasticæ (saltem) dignitates veniunt: ergo &c.

QVÆSTIO XXVI.

An, item prohibeantur nostri Religiosi prætendere promoueri ad Parochiam alicuius Ecclesiæ?

AFfirmandum videtur. Quia Parochi verè dicuntur Prælati, cum habeant curam, & præsint suis Parochianis in foro animæ. Id constat ex cap. *Tua, de Cler. ægrot.* & docet ex Panormit. Silvest. *verb. Prælatus, n. 1.* sed in forma, qua emittimus hoc votum humilitatis, absolutè prohibetur, prætendere prælationem vllam: ergo.

Sed absolutè Respondeo non prohiberi. Quia officium Parochi, nec propriè est prælatio, nec dignitas; sed solum largè, vt notat Silvest. loco citato: ergo absque violatione voti potest curari, & prætendi. Sic loquendo de voto eodem, quod emittunt Patres Societatis Iesu, tenet Sanchez *lib. 6. sum. cap. 18. n. 28.* ibi: vnde Professi intendentes esse alicuius Ecclesiæ Parochi, non agerent contra hoc votum: quia officium Parochi, non est prælatio, nec dignitas. Sic, ille. Et ex illo, Pellizzar. *tract. 4. cap. 5. sect. 5. subsect. 4. q. 7. num 251.*

QVÆSTIO XXVII.

An, nostri Discalceati, vi dicti voti prohibeantur procurare, vel oblatam acceptare prælationem Regularem alterius Ordinis, adhuc manentes Professi proprij Ordinis?

REspondeo absolutè, Prohiberi. Probatur. Quia nos vouemus, non prætendere aliquam prælationem, extra Congregationem, nec acceptare illam, sine præcepto illius, qui præcipere potest: sed Prælatio alterius Ordinis, verè est Prælatura, extra Congregationem: ergo. Legatur de simili quæst. Pellizzar. *tract. 4. cap. 5. sect. 4. q. 16. n. 159.*

QVÆSTIO XXVIII.

An, obligatio huius noſtri voti de non procuranda, aut acceptanda prælatione, extra Religionem; duret, etiam caſu, quo quis ex noſtris tranſeat ad aliam Religionem, in qua non emittitur tale votum?

REſpondeo: durare. Quia ſic conſtat ex Decreto de hac re edito ab Vrbano VIII. relato in Bullario *tom. 4. conſtit. in ordine* 140. In quo ſtatuitur, Regulares, qui vltra tria vota ſubſtantialia Religionis, emittunt votum, promiſſionem, ſeu iuramentum, de non petenda, aut acceptanda extra Religionem, Superioritate, aut dignitate; per quamcumque ipſorum tranſlationem, ſeu Habitus priuationem, aut dimiſſionem, ab huiuſmodi voto, promiſſione, ſeu iuramento, nullatenus liberari. Imò ſic tranſlatos, expulſos, vel priuatos, remanere incapaces quarumcumque dignitatum huiuſmodi, & inhabiles ad illas petendas, ac obtinendas, perinde ac ſi tranſlati, expulſi, ſeu à delatione habitus liberati, ſeu priuati non fuiſſent. Sic in ſimili loquendo de iuramento, quod de hac re faciunt Bernabitæ (vt *q.1.* vidimus) docet Pellizzar. *loc. cit. q.* 20. *n.* 166. & latiùs loquendo de voto, quod Carmelitæ Diſcalceati emittunt *cap.5. ſect.6. q.* 12. *num.* 381.

QVÆSTIO XXIX.

An ſaltem dictus ex noſtris Religioſus, ſi tranſeat ad aliam Religionem, poſſit in ea procurare, & prætendere Prælaturas illius Ordinis ad quem tranſiuit?

AFfirmandum videtur: eo quod in dicto decreto Vrbani ſolum fit mentio, de voto, promiſſione aut iuramento, de non petenda, nec procuranda, nec acceptanda aliqua dignitate, aut Superioritate extra Religionem, nulla omnino mentione facta de dignitatibus, & Superioritatibus intra Religionem non petendis, aut acceptandis: ergo ſi Religioſus noſter tranſeat ad aliam Religionem, & ibi profiteatur, abſque violatione ſui voti poterit petere & procurare, prælaturas illius Ordinis, ad quem tranſiit.

Sed abſolutè Reſpondeo, non poſſe. Quia licèt contrarium eſſet verum in ea Religione in qua ſolum fieret votum, aut iuramentum non ambiendi dignitates, aut Superioritates, extra Religionem, non tamen in Religione noſtra, & aliis multis, in quibus fit votum non ſolum non ambiendi extra, verum neque intra Religionem, Prælationes. Ratio eſt, quia huiuſmodi votum ſemper durat, etiamſi vouens ad aliam Religionem tranſeat. Legantur Diana *p. 5. tract. 5. Reſol. 65.* & Pellizzar. *loco citato*, & nos ſupra.

QVÆSTIO XXX.

An ſolus Pontifex ſit ille, de cuius præcepto poſſunt Religioſi noſtri recipere prælationes extra Ordinem, non obſtante hoc voto?

NEgandum videtur ex verbis quibus emittitur hoc votum, fit enim de non acceptanda prælatione extra Ordinem, *Niſi præcepto eius, qui mihi præcipere poterit, aſtringar.* Sed ſic eſt, quod quilibet Prælatus Ordinis poteſt iure præcipere ſuis ſubditis: ergo non ſolus Pontifex illud præcipere poterit.

Sed vt certum Reſpondeo dicendum, quod ſolus Pontifex eſt de cuius præcepto tantùm, poſſunt noſtri Religioſi acceptare prælationes, extra Religionem. *Primò.* Quia talis eſt praxis aliorum Ordinum, in quibus emittitur tale votum, vt eſt Ordo Carmelitarum Diſcalceatorum, Patrum Societatis Ieſu, Barnabitarum, Diſcalceatorum S. Auguſtini, &c. *Secundò* quia Vrbanus VIII. in Conſtit. *Honorum, edita 26. Februarij* 1643. ita expreſſe declarauit, vt iam hæc noſtra reſponſio ſit indubitata, vt ſæpè fatetur Pellizzar. præcipuè *cap. 5. citato, ſect. 5. ſubſectione 4. q. 9.* & *ſect. 9. q. 7. num.* 478. Sanchez *lib. 6. ſummæ, cap.* 18. *n.* 36. Suarez *tom. 4. de Relig. tract.* 10. *lib. 6. cap. 8. n. 16.* Lugo *lib. 3. Reſponſ. moral. dub.* 4. Prado *cap. 31. de voto, q. 2. §. 6. num.* 72.

QVÆSTIO XXXI.

An Religioſus noſtræ Congregationis, poſſet licitè acceptare prælationes extra Religionem, ſi Papa id ei præciperet, abſque iuſta cauſa?

NEgat Hugo, relatus ab Hoſtienſ. *in ſumma tit. de voto, n.* 4. vbi docet, quod ſi emiſſo hoc voto, iuberetur Religioſus à Papa acceptare Epiſcopatum, abſque vlla Eccleſiæ neceſſitate; tunc non deberet obtemperare Papæ, quaſi præcipienti aliquid, contra votum, abſque iuſta cauſa.

Sed vt certum Reſpondeo dicendum, quod poſſet licitè acceptare prælationem. Quia in dicto voto emiſſo à Religioſo, cenſetur excluſa authoritas Papæ contrarium præcipientis: & ideò nihil contra votum agitur acceptando prælationem eius, quomodocumque præcipientis mandato. Sic loquendo de voto Societatis, Sanchez *lib. 6. cap.* 18. *n.* 38. ex Hoſtienſi, Abulenſi, & Aſtenſi. Quos ſequitur Pellizzar. *tract. 4. cap. 5. ſect. 5. ſubſect. 4. q.* 10. *num.* 257.

QVÆSTIO XXXII.

An si Pontifex præciperet, sub peccato veniali tantum, alicui Religioso nostro, vt acceptaret Prælatiam, posset licitè eam acceptare?

REspondeo dicendum. Quod non solùm posset, sed teneretur. Quia tunc verè diceretur astringi præcepto eius, qui præcipere potest. Sic in simili docet Pellizzar. *c. 5. cit. sect. 5. subsect. 4. q. 9. vers. Addo, n. 255.* Quod amplius confirmabitur ex dicendis *quæst. sequenti.* Sit ergo.

QVÆSTIO XXXIII.

An, requiratur, quod Pontifex iniungat præceptum formale, ad hoc vt noster Religiosus licitè possit accipere prælationes extra Religionem?

AFfirmandum videtur ex forma emittendi huiusmodi votum; cum vouens dicat non admissurum prælationes, extra Religionem, nisi casu, quo *astringatur præcepto eius, qui id præcipere potest:* ergo necessarium est, quod, vt acceptet, formale præceptum, illi Papa iniungat. Et ideò in casu simili, sic sensit Auersa, citatus à Pellizzario, infra.

Sed probabiliter certè Respondeo, non requiri. Quia propterea (ait Pellizzarius) votum strictè explicandum est, quantum fieri potest, salua verborum proprietate, ac communi intelligentia, vt sic maximè caueatur periculum peccandi: id autem fit interpretando votum strictè, itavt obliget minus quàm fieri possit: cum ergo in proposito casu, non possit Religiosus acceptare Prælationem, extra Religionem, nisi intercueniente præcepto Papæ, & tale præceptum possit esse, vel ordinarium, vel proprium ac rigorosum, dicendum est, ad hoc sufficere præceptum ordinarium, cum sic tanto facilius euitetur violatio voti in acceptanda prælatione oblata. Sic ille. Loquendo de voto Societatis, *loco cit. q. 11. n. 260.* & loquendo de voto Clericorum Minorum *cap. 5. sect. 7. q. 8. num. 392.*

QVÆSTIO XXXIV.

An item sufficiat ad acceptandam licitè prælatiam, extra Religionem, quod Papa simpliciter ordinet, vt Religiosus illam accipiat?

NEgant, loquendo de voto quod emittunt PP. Societatis, suus sapientissimus filius Suarez *tom. 4. tract. 10. lib. 6. cap. 8. num. 16.* quem sequitur Pellizzar. *loco cit. n. 262.* eo quod in suis Constitut. *p. 9. cap. 4. lit. B. in declarat.* dicatur expressè de Generali Societatis, quod si Papa ordinet eum recipere aliquam dignitatem, non tamen ita absolutè imperando, vt ostendat, se velle eum ad tale officium admittendum obligare, non potest illud admittere sine consensu Societatis, &c. cum tamen eadem sit ratio de aliis Professis Societatis, adeoque in illis militet eadem iuris dispositio, iuxta regulam: vbi militat eadem ratio. Sic illi. Quod verum sentio loquendo de suis Professis; sed loquendo ego de nostris.

Respondeo probabiliter: sufficere. Quia probabile videtur, vt innuit Suarez loco citato, talem casum comprehendi sub ea exceptione *nisi astringar præcepto eius, qui mihi præcipere potest.* Et certè ipse oppositum solùm tenet, ex eo quod aliter in suis Constitutionibus declaretur, & disponatur. Cum ergo in nostris nullo modo id fiat, non militat eadem ratio.

QVÆSTIO XXXV.

An, deinde, sufficiat ad acceptandam Prælationem, extra Religionem, nostro Professo, quod, iudicio Prudentum, id iudicetur magis expediens, tum bono publico, tum bono ipsius Professi?

REspondeo non sufficere, si non intercueniat præceptum Papæ. Quia clarè est contra votum à se emissum, vt constat ex formula, qua emittitur. Sic Sanchez loquendo de voto suæ Societatis, *lib. 6. sum. cap. 18. num. 37.* Qui id probat ex Soto *lib. 10. de iust. q. 2. art. 2. concl. 3.* eo quod quamuis in casu proposito, melius esset, secluso voto, acceptare dignitatem in ordine ad spiritualem proximorum vtilitatem; non est tamen melius in ordine ad acceptantem, ob pericula, quibus se exponit recipiendo dignitatem: non tenemur autem cum tanto periculo nostro spirituali procurare bonum commune, nisi præcepto cogente. Sic ille, qui aliis rationibus id confirmat. Pellizzar. *tract. 4. cap. 5. sect. 5. subsect. 4. q. 12. num. 262.*

QVÆSTIO XXXVI.

An saltem possit Religiosus noster, acceptare dignitates, v. g. Episcopatus Indicos, vel Iaponenses, absque præcepto Pontificis?

AFfirmat Sanchez, (loquendo de voto simili suæ Societatis) *lib. 7. summæ, cap. 29. num. 67.* dicens, votum hoc non ambiendi prælatias aut dignitates extra Ordinem, intelligendum esse de iis tantum dignitatibus, quibus honor, & opes annexæ sunt, non item de Episcopatibus Æthiopia, & similibus, quibus cum oneribus paupertas adiuncta est. Et de quibus verificatur illud Pauli 1. ad Timot. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Huius sapientissimi Doctoris sententiam refert Layman in *qq. Canon. num. 192.* & non reiicit.

Sed longè probabiliùs Resp. Non posse talem dignitatem acceptare, sine præcepti Pontificij interuentione. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 8. n. 25.* Qui & probat. *Tum* quia votum generaliter factum est, ac proinde generaliter est intelligendum. *Tum* etiam, quia in casu proposito nulla est necessitas aliter faciendi, cum facile sit Pontifici præceptum ponere, si omninò vult vt acceptetur. Sic ille. Quem citat, & sequitur Pellizzar. *tract. 4. c. 5. sect. 5. subsect. 4. q. 13. num. 263.*

QVÆSTIO XXXVII.

An, Religioſus noſter, aut Profeſſus Societatis, &c. qui iam ex legitima diſpenſatione promotus eſt ad aliquam dignitatem, extra Religionem: v. g. ad Epiſcopatum; poſſit, abſque violatione voti, procurare aſcenſum ad Superiorem Dignitatem, v. g. ad Cardinalatum; & acceptare illam, ſine præcepto Pontificis?

NEgandum videtur. *Tum* quia votum huiuſmodi non ambiendi dignitates, aut Prælationes extra Religionem, abſolutè fit, & eſt ex natura ſua perpetuum, vt indicant illa verba formæ: *Nunquam prætenſurum vel oblatam acceptaturum*: & non extinguitur per Superiorem dignitatem. *Tum* etiam: quia hoc videtur tenendum poſt decretum Vrbani VIII. (de quo ſupra *qnæſt.* 10.) quo ſtatuitur votum non ambiendi extra Religionem, quod faciunt aliqui Religioſi, durare poſt quamcumque illorum tranſlationem.

Sed nihilominus Reſpondeo dicendum, quod tunc iam poſſit procurare aſcenſum ad Superiorem dignitatem, &c. ſine violatione voti. Quia ſenſus dicti voti eſt, non procurandi, vel acceptandi tranſitum à Religione, ad dictas dignitates: igitur ſemel facto tranſitu, ex legitima diſpenſatione, ceſſat omnino obligatio voti iſtius, ob ſubtractionem materiæ: cum ſit iam omnis alius tranſitus diuerſæ rationis; vtpotè tranſitus Religioſi non iam perſiſtentis in puro ſtatu Religioſi, ſed iam promoti ad Prælationem non Regularem, & ideo non comprehenditur ſub iſto voto, adhuc poſt decretum Vrbani. Sic Suarez *tom.4. de Relig. tract.* 10. *lib.6. cap.9. n.* 13. Et poſt decretum Vrbani, ſic Pellizzar. *tom.2. tract.4. cap.5. ſect.4. q.20. verſ. Difficultas, n.* 168. *& ead. ſect.5. ſubſect.* 4. *q.*14. *n.*246. *&* 265. Paſqualig. *in ſuis deciſ. moralib. deciſ.* 278.

QVÆSTIO XXXVIII.

An dicti Religioſi poſſint acceptare Prælationes extra Religionem, ſi id eis Pontifex præcipiat, ſub cenſura aliqua Eccleſiaſtica: v. g. ſub pœna excommunicationis?

REſpondeo, non ſolum poſſe: ſed teneri. Quia ſub hac pœna præcipiens, implicitè, & conſequenter præcipit, ſub pœna peccati; ſiquidem pœna Eccleſiaſtica propriè dicta, non inuritur ſine aliquo peccato. Addo ex ſupra dictis, quod vt dicti Religioſi acceptent Prælatias, ſufficit, quod id ſimplici mandato præcipiatur à Papa. Sic Pellizzar. *ſubſect.4. cit. q.*17. *n.*275.

QVÆSTIO XXXIX.

An dicti Religioſi violent votum non acceptandi, ſi acceptent aliquam Prælationem extra Religionem, non abſolutè, ſed conditionaliter, ſi id eis præcipiatur à Papa?

AFfirmandum videtur. Quia in tali modo acceptandi, verè datur acceptatio propria, licet ex ſuppoſitione: ergo.

Sed Reſpondeo, non violare. *Tum*, quia talis acceptatio ſimpliciter loquendo, non eſt acceptatio vi iſtius voti. *Tum* etiam, quia hypotheſis illa, ſub qua fit talis acceptatio, ſe habet tanquam conditio conferens totam malitiam ab actu: Nam huiuſmodi conditiones, quando, ſunt de rebus non intrinſecè malis, faciunt omninò actum licitum, vt benè Sanchez *lib.1. ſum. cap.2. num.*24. ergo. Sic Pellizzar. *loco cit. q.*18. *n.*176.

QVÆSTIO XL.

An ſaltem, dicti Religioſi, per talem modum conditionalem acceptandi dignitatem, violent votum non prætendendi illam, extra Religionem, quod pariter cum alio emittunt?

REſpondeo, dicendum, quod ſic. Quia dicti Religioſi verè vouent, nec directè, neque indirectè, nec per ſe, nec per alios vllam Prælationem, aut dignitatem extra Religionem procurare, aut prætendere: ſed ſic eſt, quod in tali modo acceptandi, ſaltem inuenitur procuratio indirecta; quippè ſic acceptantes, certos ſe reddunt dignitatem ſibi oblatam fore ſuam, & ſic aliquo modo procurant. Præſertim cum ſuum deſiderium, & appetitum acceptatione externa, licèt conditionali, exterius explicent: ergo. Sic Pellizzar. *loco citato, verſ. dubium eſſe, n.*277. ex doctrina Sanchez *lib.6. cap.*18. *num.*19.

QVÆSTIO XLI.

An, Religioſi, qui Pontificatum ambirent, aut acceptarent, abſque præcepto; violarent votum, non ambiendi Prælationes, aut dignitates, &c.

AFfirmandum videtur, eo quod forma vouendi ſit, vt vidimus, abſoluta, & de quacumque Prælatia, aut dignitate, extra ordinem: ergo.

Sed probabiliùs Reſpondeo, tunc non violare votum. Quia probabilius eſt materiam huius voti non extendi ad Pontificatum, eo quod intentio vouentis ſolum videtur dirigi ad Prælaturas particulares, non ad illam, quæ eſt prælatio vniuerſaliſſima. Sic Suarez *cap.9. citato, à n.*14. Qui id latè probat. Et Pellizzar. *ſubſect.4. cit. in fine.*

QVÆST.

QVÆSTIO XLII.

An nostri Religiosi violarent votum non ambiendi prælationes, si procurarent dignitates sæculares, v. g. Gubernationem alicuius Ciuitatis, &c.

AFfirmandum videtur. Quia finis huius voti, non minus habet locum in dignitatibus sæcularibus, quàm Ecclesiasticis: ergo de vtrisque debet intelligi votum non ambiendi Prælationes.

Sed probabiliter respondeo quod non violarent. Quia nos vi huius voti solum prohibemur ambire Prælationes, vt constat ex illis verbis, *vllam prælationem prætensurum*: sed probabile est, quod nomine Prælationum, non veniunt dignitates sæculares, sed tantum Ecclesiasticæ: ergo ad has solum extendi votum debet. Sic in simili Pellizzar. *tom. 2. tract. 4. sect. 9. subsect. 2. q. 9. n.* 481.

QVÆSTIO XLIII.

An casu, quo in Capitulo nostro generali de nouo declaretur officium aliquod Religionis comprehendi sub hoc voto non ambiendi; tali declarationi subiiciantur Religiosi, qui ante illam, votum hoc emiserunt?

REspondeo dicendum quod verè subiiciantur. Quia officia de nouo declarata, verè continebantur sub tali voto, quamuis non ita explicitè ac distinctè. Constat ex illis verbis: *voueo me officium per Constitutionem prætendi prohibitum nunquam prætensurum*, &c. Sic Pellizzar. *in simili loco citato, quæst.* 10. *num.* 497. & alij apud ipsum. Legantur, à nobis supra dicta *disp. 26.*

QVÆSTIO XLIV.

An obligatio huius voti extendatur ad illos, qui, ante editionem Constitutionis Pauli V. qua hoc votum statuitur in nostra Religione fieri, emiserunt Professionem?

REspondeo tanquam certum: Non extendi. Quia id expresè colligitur ex ipsa constitutione Pauli V. in qua ita habetur: *Statuimus, & ordinamus quod dicti Congregationis Fratres, qui de cætero profitebuntur, vltra alia vota, tempore eiusdem Professionis, emittenda, aliud votum etiam emittant.* Quibus ex verbis constat ligari dicto statuto, solum illos, qui post professuri sunt. Quod confirmatur ex aliis verbis eiusdem constitutionis, nempe, *Professi tamen si voluerint, iuxta eamdem formam, idem votum emittant.* vbi clausula illa, *si voluerint*, clarè indicat illos ad id non teneri. Ego igitur, qui ante acceptationem huius Constitutionis Pauli V. professus sum *anno* 1612. die 13. Martij, non tenebar ad emittendum hoc votum: emisi tamen, omninò liberè, & voluntariè, anno sequenti 1613. in nostro Conuentu Toletano. Sic Pellizzar. tenet loquendo de hoc nostro voto, *tom. 2. tract. 4. cap. 5. sect. 10. q. 8. n.* 506.

QVÆSTIO XLV.

An transgressionibus huius voti non ambiendi, sint impositæ aliquæ pœnæ in nostris Constitutionibus?

REspondeo esse impositam pœnam priuationis officij, & Prælationis, vociscque actiuæ, & passiuæ per triennium: vt habetur *cap.* 1. *Constitut.* §. 4. *iuncto cap.* 31. §. *etiam* 4. *num.* 1. Hæc est pœna principalis.

QVÆSTIO XLVI.

An ad incurrendam hanc pœnam, requiratur sententia declaratoria criminis?

REspond. requiri. Quia iuxta nostras Constitut. *cap.* 31. & §. 4. citato, non incurritur vlla pœna ante sententiam iudicis, nisi aliter expresse dicatur. Sic enim dicitur loco citato, *num.* 1. *Declaramos, que quando nuestras Constituciones, se pone pena de suspension, ò priuation (aunque sea ipso facto) no se entienda antes de la sentencia de Iuez: excepto en los casos, que nuestras constituciones declararen lo contrario.*

DISPVTATIO XXVIII.

De iuramento, aut voto non ludendi.

QVÆSTIO PRIMA.

An, iuramentum, aut votum non ludendi, absolutè præstitum, aut emissum; sit licitum, & validum, & consequenter obligatorium?

NEGANDVM videtur. Quia ludus moderatus verè pertinet ad virtutem eutrapeliæ, vt cum S. Thoma 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. *in corpore* docent Theologi: ergo ipsius abstinentia non videtur esse bona, & honesta: ergo nec materia iuramenti, aut voti. Ob id sic sentiunt apud aliquos Nauarrus, & Rodriguez, infra adducendi.

Sed vt quid certum Respondeo dicendum, quod iuramentum, aut votum non ludendi absolutè prolatum, verè sit licitum, ac validum, & consequenter obligatorium. Quia licet verum sit, quod ludus moderatus pertineat ad virtutem eutrapeliæ; tamen quia perfectius est, ob mortificationem, tali ludo priuari, ideo materia est voti, & iuramenti. Id constat in cæteris honestis, ac licitis recreationibus assumptis ex cibo, & potu, & similibus, quorum abstinentia apta est materia voti, & iuramenti,

vt comprobat vſus ſanctorum virorum qui ſimilia vota paſſim emittunt. Sic cum communi omnium Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. n. 58.* Legantur Sanchez *lib. 3. cap. 18. n. 1.* Palaus *diſp. 2. de iur. pun. 7. §. 1. n. 1. & 2.* Vbi benè explicat Nauarrum, & Rodriguez dicendo, hos non loqui de ludo immoderato.

QVÆSTIO II.

An iuramentum, aut votum abſtinendi à ludo modico, ſeu moderato, ſit irritum, & inualidum?

AFfirmant Rodriguez *tom. 1. ſum. in 2. edit. cap. 189. num. 10.* & Nauarrus *in ſum. cap. 12. n. 11. fine. & lib. 3. conſil. 36. n. 2. pag. mihi 224.* Dicaſtillo *lib. 2. de iuſt. tract. 18. diſp. 1. dub. 2. num. 15.* Baſſæus *tom. 2. v. ludus, n. 13.* eſſe irritum, & inualidum, ob rationem, quæſtione ſuperiori pro ratione dubitandi, poſitam; & ideo, inquit Nauarrus, S. Pius V. renuit in ſimili caſu diſpenſare, eo quod; cum nullum eſſet votum, nulla diſpenſandi erat neceſſitas.

Sed vt mihi certum Reſpondeo dicendum, quod tale iuramentum, aut votum de à ludo moderato abſtinendo, non ſit irritum, & inualidum; ſed validum, & obligatorium. Quod conſtat ex ratione pro noſtra ſententia nuper aſſignata. Nam revera, tale iuramentum, ſeu votum, eſt de re licita, & honeſta. Sic Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 4. n. 4. & 5. & lib. 3. in Decal. cap. 18. n. 1. & 2.* Bonac. *tom. 2. diſp. 4. pun. 16. n. 4.* Palaus, & Tamburinus *locis citatis.* Trullench, *lib. 2. in Decal. cap. 1. dub. 18. n. 1.* Mendo *lib. 3. de iure Academico, q. 28.* Fagundez *lib. 2. in Decalog. cap. 26.* Candidus *tom. 2. diſquiſ. tract. de iuram. diſquiſ. 26. art. 13. dubit. 7. Dicto 10.* Diana *par. 7. tract. 9. reſol. 56. verſu Dixi, niſi aliter.* Prado *cap. 31. de voto, q. 2. §. 6. n. 69.* & alij. Imò & Baſſeus *loco cit. verſ. ſi autem.* Idem ſentit caſu, quo iurans vel vouens intendat ſe obligare ad abſtinendum à tali moderato, & licito ludo.

QVÆSTIO III.

An iurans, aut vouens abſolutè non ludere; poſſit nihilominus ludere ludo licito, & honeſto?

REſpondeo poſſe; niſi aliud coniiciatur de intrantis, aut vouentis intentione. Ratio eſt: *Tum* quia hæc videtur eſſe benigna intentio iurantis, aut vouentis. *Tum* quia iuramentum, aut votum, reſtringendum eſt ſemper, vt minus obliget, vt probat Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 9. n. 11. & in ſum. lib. 3. Decal. cap. 17. n. 9. & cap. 18. n. 6. fine.* Sic ipſe, & Bonac. *diſp. 4. q. 1. pun. 16. n. 4.* Trullench, *lib. 2. cap. 1. dub. 18. n. 1.* Tamburinus *lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. n. 57.* Baſſæus *tom. 2. v. ludus, n. 13.* Diana *par. 7. tract. 9. reſol. 56.*

QVÆSTIO IV.

An iuramentum, aut votum non ludendi, ob vitanda iurgia, diſcordias, iuramenta, & pecuniæ prodigalitatem, obliget; & ita, vt adhuc teneatur abſtinere à ludo moderato?

REſpondeo dicendum, quod obliget; ſed non ad abſtinendum à ludo moderato; niſi caſu quo de contrario fine iurantis, aut vouentis conſtet. *Prima* pars patet ex dictis *quæſt. 1. & 2. Secunda verò,* etiam liquet, quia communiter (ſi non conſtet de contraria iurantis, & vouentis intentione) præſumi debet, tali iuramento, & voto, non comprehendi ludum moderatum, & honeſtum; cum ex hoc, illa mala minimè oriantur. Verum eſt, quod talis ludi moderati ceſſaret honeſtas (& conſequenter ad abſtinendum ab illo obligaret iuramentum, aut votum) quoties illorum malorum periculum adeſſet. Sic Sanchez *loco cit. num. 1. & 3.* Tamburin. *loco cit.* Palaus *de iuram. diſp. 2. pun. 7. §. 1. numer. 4.* Mendo *de iure Academ. lib. 3. q. 28. numer. 287.* Diana *Reſol. 56. citata.* Legantur dicenda à nobis *tr. 2. de voto, diſp. 4. q. 25.*

QVÆSTIO V.

An iuramentum, aut votum præſtitum à iurante, aut vouente, ob finem carendi temporali illa ludi recreatione, quo peccata ſua puniret; obliget, etiam ad non ludendum eo ludo moderato, aut pro modico, & paruo tempore, ſaltem ſub veniali?

REſpondeo obligare, etiam ad non ludendum ludo moderato, aut pro paruo tempore, mortaliter, vel venialiter, iuxta infra dicenda. Si alias contrarium non conſtet expreſſe de iurantis, ſeu vouentis intentione. Ratio eſt. Quia licèt ludus moderatus ratione temporis, aſſumptus ob leuamen naturæ, ſit actus virtutis eutrapeliæ, vt cum S. Thoma ſupra eſt habitum: at perfectior actus virtutis eſt, carere ea recreatione ad mortificandum appetitum, & ideo aptior materia talis iuramenti, & voti: ergo quicumque ludus, ſiue magnæ, ſiue modicæ quantitatis, ſiue magno, ſiue modico tempore durans, verè comprehenditur ſub eo iuramento, & voto. Sic Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 3. numer. 3.* Qui benè addit, quod in tali caſu, non eſt ſpectanda quantitas pecuniæ ludo expoſitæ, ad diſcernendum, an fractio iuramenti, aut voti ſit mortalis nec ne; ſed ſpectanda eſt ex duratione recreationis ex ludo perceptæ. Si enim (ait) modico tempore duret, modica eſt recreatio, & ideo ſola erit venialis culpa. Si autem ludus multo tempore duret, erit culpa mortalis, etſi nulla pecunia ludo exponatur: quia iurans (aut vouens) ad ſolam ex ludo voluptatem capiendam attendit. Sic ille. Cuius additum non placet Bonacinæ, loquendo de iuramento

(ſecus

(secus de voto) qui existimat quod prædictus sic iurans peccat mortaliter, etiamsi modico tempore ludo teneatur. Ita ille *disp.4. q.1.punct.16.num.5.* Cum Sanchez tamen sentiunt Fagundez, Palaus, Tamburinus, Mendo, & alij mox citandi.

QVÆSTIO VI.

An qui iurauit, aut vouit abstinentiam à ludo ob carentiam recreationis ludi, peccet mortaliter, etiamsi modico tempore, ludo detineatur?

AFfirmat, vt vidimus Bonacina, loco nuper citato, quia (inquit) violatio iuramenti etiam in re parua est mortalis. Secus (ait) dicendum est de voto.

Sed probabiliùs longè Respondeo, non peccare mortaliter, si modico tempore ludo detineatur. Quia tunc finis intentus à iurante, seu vouente, non læditur notabiliter. Igitur si prædictus non luderet vltra duas horas, non peccaret mortaliter. Sic Palaus *disp. 2. de iuram. punct.7. §. 1. num.6.* his verbis. Ex fine, quo motus es ad iurandum colligere debes, quis ludus sit peccatum mortale. Si enim ex fine illo perfecto carendi ludi delectatione, & vitandi iacturam temporis iurasti; spectandum est potius tempus insumptum, quàm quantitas: quia magis præiudicat fini iuramenti; si enim vltra duas horas insumeres, tametsi modicam luderes quantitatem, mortaliter peccares: è contra verò, si breui tempore ludo vacares, notabilem quantitatem exponeres, venialiter tantum peccares *(intellige, quantum est ex vi iuramenti.)* Sic Palaus. Quem expresè sequuntur Tamburin. *lib.3.cap.3.§.5.n.60.* & Mendo *lib.3.cit. q.28. n.292.* Legantur pro nostra conclusione Sanchez *loc. cit.* Fagundez *lib.2. in Decal.cap.26. n.3.* Trullench *lib.2. dub.18. n.2.*

QVÆSTIO VII.

An, qui ob vitandam iacturam, & prodigalitatem pecuniæ, iurauit, aut vouit, non ludere; teneatur abstinere à ludo, non solum illicito, verum etiam licito?

REspondeo teneri. Quia iactura, & prodigalitas pecuniæ, contingere etiam in ludo licito potest. Quare intentio iurantis vtrumque ludum comprehendit. Sic Trullench. *dub. 18. citato num. 3.* Qui & citat Sanchez, vbi supra; sed hic Author id expresè non dicit: benè tamen Bonacina (quem non citat) *punct. 16. citato num.5. versu tertiò.* Candid. *disquis. 16. art.13. dub.7. dicto 11.*

QVÆSTIO VIII.

An, præfatus, qui ob vitandam iacturam pecuniæ, iurauit, aut vouit, non ludere; peccaret mortaliter, adhuc si modicam pecuniæ summam ludo exponat?

AFfirmat Bonacina *loco citato.* Quia existimat probabiliùs, iuramentum promissorium, seruandum esse sub mortali, etiam in materia parua.

Sed probabiliùs Respondeo, tunc præfatum iurantem, aut vouentem, non peccare nisi venialiter, ad summum, (nisi aliàs se exponat periculo exponendi magnam pecuniæ quantitatem.) Ratio est, quia probabilius est, (vt suprà *disp. 7. q.33.* & sequentibus, est habitum) quod iuramentum promissorium in materia parua non obligat, nisi sub culpa veniali, ratione paruitatis materiæ. Et ideò hanc nostram conclusionem tenet Sanchez *loc. cit. n.3.* ita vt dicat, quod si finis iurantis, seu vouentis, fuit vitare pecuniæ iacturam, & prodigalitatem, tunc ludus modicæ quantitatis non sit culpa venialis, nisi alias probabile periculum ita incalescendi in ludo sit, vt magna pecunia prodigatur. Et Ratio (inquit) est, quia in virtute talis actus non includitur voluntas vitandi ludi in ea modica quantitate. Sic Sanchez. Quem sequuntur Fagundez *lib.2. cap.26 num.5.* Candidus *loc. cit. dicto 12.* Trullench *n.3.* Tamburinus *lib.3. cap.3. §.5. n.60.* Mendo *lib.3. q.28. n.290.* Diana *p.7. tract.9. Resol.56.* cum Caspensi *tom.2.tract.18. disp.8. sect.3.num.26.* Basseus *tom.2.v. ludus, n.13.* vers. *Quando autem.*

QVÆSTIO IX.

An, ad cognoscendum, quænam sit magna, aut modica pecuniæ quantitas, ludo exposita; attendenda sit qualitas personarum pecuniam exponentium?

REspondeo, quod sic. Nam reuera, quantitas, quæ respectu vnius est modica, respectu alterius potest esse grauior, & grauissima. Equiti enim diuiti, & nobilissimo, modica quantitas censeri debet, quod vno, vel altero die, tria vel quatuor scuta aurea ludendo insumat; quæ si minus diues, aut operarius insumeret, grauem, aut grauissimam quantitatem consumpsisse censendus est. Sic Palaus *loc. citato, n.6.* quem citat, & sequitur Mendo *n.290.* Addens, quod si aliquis Scholasticus emisisset iuramentum non ludendi, vt iuramentum non frangeret, per immoderationem ludi, non posset vltra octo, aut decem drachmas in eo exponere amittendas; dummodo non esset diues valdè, & suppeditarentur illi à parentibus pecuniæ, quas in recreatione licita expenderet. Sic ille. Sanchez *lib.3. cap.18. numer.3. vers. Si finis sit.* Trullench. *lib.2.cap.1.dub.18. n.3.* Fagundez *lib.2.cap.26.n.6.* Bonac. *dis.4. q.1.punct.16.n.5.vers. Tertiò*

QVÆSTIO X.

An, qui iurauit, aut vouit absolutè, non ludere; possit licitè, non proprio nomine, sed alieno, (hoc est, pro altero) ludere?

NEgat absolutè Bonac. *num. 5. cit. in principio.* Quia (inquit) ludus factus nomine alieno, est propriè ludus. Negat item Candidus *disquis. 36. art. 13. dubit. 8. dicto 15.* relata ratione ductus.

Sed clariùs sub distinctione Respondeo dicendum. *Primò*, si finis iurantis, aut vouentis, fuit tempus non amittere, ne illo occupatus, rem aliquam sibi necessariam omitteret; aut vitare discordias ex ludo, dum domi sero redit, ortas; tunc minimè poterit ludere pro altero, seu nomine alieno; quia huiusmodi ludus verè, sub materia, & sub fine iuramenti est comprehensus; & in hoc casu benè Authores citati. Idem dicendum puto, si finis fuit, recreatione ludi se priuare; aut aliis malo non esse exemplo: quia tunc etiam ex vi iuramenti, aut voti, tenetur ad non ludendum, etiam alieno nomine: quia eadem est recreatio, & idem malum exemplum.

Respondeo *secundò*, si finis iurantis, seu vouentis, fuit vitare solam iacturam propriæ rei familiaris, tunc optimè poterit ludere nomine alieno: quia ludus pecuniæ alienæ, tunc non est comprehensus, sub iurantis, aut vouentis fine.

Respondeo *tertiò*. Si finis iurantis, seu vouentis, fuit vitare iuramenta, blasphemias, aut cum collusore rixas, & similia, tunc Sanchez, Palao, Fagundez adhuc sentiunt, quod possit ludere nomine alieno, eo quod hæc mala, regulariter, non nisi ex ira, & dolore concepto ob iacturam propriæ pecuniæ nascantur. Sed id est probabile (ait Tamburinus) casu, quo nomine alieno ludens prædicta mala non sit solitus committere; secus si alias. Sic ille loco cit. *num. 63.* & Trullench, vbi supra.

QVÆSTIO XI.

An etiam casu, quo quis absolutè iurauerit, aut vouerit non ludere, & nequeat coniecturari, quo fine ductus tale iuramentum, aut votum emiserit; possit nomine alieno ludere?

NEgant Candidus, & Bonacina, locis nuper citatis.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse tunc nomine alieno ludere. *Tum*, quia, vt supra est habitum, iuramentum, seu votum, strictè est interpretandum, vt minus obliget. *Tum* etiam, quia damna, quæ ex ludo oriri solent, & quæ iurantes non ludere, vitare intendunt, regulariter non oriuntur, quotiescumque quis nomine alieno, seu pro altero ludit. Sic Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 18. n. 6. fine.* Fagundez *lib. 2. cap. 26. num. 10.* Trullench, *lib. 2. cap. 1. dub. 18. num. 4.* Diana *par. 7. tract. 9. Resol. 58.*

QVÆSTIO XII.

An, qui emisit iuramentum, aut votum non ludendi; possit tradere aliis suam pecuniam, vt nomine ipsorum ludant?

NEgant Baldus, & Ioan. Baptista, apud Alcozer, vbi infra.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Posse. Quia id propriè loquendo, non est ludere. Sic Sanchez *cap. 18. cit. num. 5.* (non 4. vt leges apud Fagundez) per hæc verba: Tertia conclusio. Iurans, vel vouens non ludere potest mutuare alij numos, vt nomine ipsius mutuum accipientis, ludat: potestque ipsum docere in ludo: nisi expresse voluit, se ad abstinendum ab his obligare. Quia hoc non est ludere. Ita Alcozer *lib. de ludo cap. 13. concl. 5.* contra Baldum & Ioan. Baptistam, quos ibi refert: qui forte loquuti sunt, quando iurans daret nummos, vt nomine ipsius iurantis alter luderet, de quo casu dicam *num. 17.* Hæc Sanchez. Et Fagundez *lib. 2. cap. 26. n. 8.* qui tamen legendus est cautè; quia, vbi dicit, vt nomine ipsius ludant; legendus est, vt nomine ipsorum mutuum accipientium ludant; Bonac. *disp. 4. q. 1. pun. 16. numer. 5.* Trullench, *num. 4. cit.* Candid. *disquis. 26. art. 13. dubit. 9. dicto 16.* March. *tom. 2. v. Iuegos. Resol. 128. n. 6.*

QVÆSTIO XIII.

An item, qui iurauit, aut vouit, non ludere; possit tradere alteri nummos, vt nomine ipsiusmet tradentis ludat?

NEgant Fulgosius, & Arimino, quos citat, & sequitur Salzedo in *addit. ad pract. Bernardi Diaz, cap. 70. fine.* Quorum fundamentum potest esse. Quia finis iuramenti, seu voti abstinendi à ludo, est, vel vitare iacturam propriæ pecuniæ, vel temporis, vel simul vtriusque iacturam: atqui sæpè sæpius similem iacturam pecuniæ propriæ, & temporis, facit qui promisit non ludere, dum assistens ludo, tradit alteri numos, vt nomine ipsius tradentis ludat: ergo.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse etiam. Ratio est. Quia quotiescumque res gesta non comprehenditur sub materia voti, seu iuramenti præstiti, non includitur sub illo: atqui traditio pecuniarum, vt alter nomine tradentis ludat, non comprehenditur sub materia per votum, aut iuramentum interdicta: ergo. Minor probatur, quia tradere pecunias alteri vt ludat, non est propriè ludere. Nec obstat fundamentum oppositæ sententiæ: quia non sufficit, quod concurrat idem finis, si res gesta verè, & propriè non comprehendatur sub materia promissa. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 18. num. 7.* Quem citat, & sequitur Bonac. *pun. 16. cit. n. 5.* Candid. *dub. 9. citato, dicto 17.* Fagundez *n. 8.* Trullench, *n. 4.* Diana *par. 7. tract. 9. resol. 57.* March. *resol. 128. cit. n. 6.*

QVÆSTIO XIV.

An, qui iurauit, aut vouit, non ludere; possit nihilominus sponsiones in ludo facere; Hispanè, Atraueſſar en el *juego?*

RÉspondeo ex dictis: Posse. Quia hoc non est verè ludere: etsi finis abstinendi à ludo, sæpe in hoc casu sæpè concurrat. Sic Sanchez loco citato, *numer.* 8. Fagundez *num.* 8. Bonac. *numer.* 5. Trullench, *numer.* 4.

QVÆSTIO XV.

An qui iuramentum, vel votum fecit de non ludendo cum hac persona; in hac domo, &c. vel in vindictam contra colludentem, vel quia credit in eo loco malè fortunatum esse, & aduersarium benè; teneatur tali iuramento, & voto?

RÉspondeo vt certum: Quod non teneatur. Quia non obligat tale iuramentum, aut votum. Quia si factum fuit in vindictam, & in signum malæ voluntatis; est de re mala; si prædicto alio fine, est vanum vtiquè, ac superstitiosum; ergo. Sic Sanchez *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 9. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 11. Palaus *disp.* 2. *pun.* 7. §. 1. *n.* 7. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. *n.* 61. Bonac. *disp.* 4. *q.* 1. *pun.* 4. *num.* 2. Trullench, *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 18. *numer.* 5.

QVÆSTIO XVI.

An saltem, qui iuramentum aut votum fecit non ludendi, cum certa persona, in tali domo, &c. ob aliquem finem honestum; nempe, ob vitandum aliquod malum spirituale, aut temporale, teneatur ad illa obseruanda?

REspondeo vt certum: Tunc teneri. Quia tunc iuramentum, vel votum non est de re indifferenti, mala, aut vana; sed honesta, & vtili. Sic Sanchez *num.* 9. *cit.* ex Caiet. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 2. Nauarro *cap.* 12. *n.* 18. *fine.* Soto, *lib.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 3. *col.* 6. Aragonio 2. 2. *q.* 88 *art.* 2. *fol.* 976. *col.* 1. Sic etiam Fagundez *loco cit. n.* 12. vbi docet, tunc obligare iuramentum, aut votum non ludendi cum certa, & determinata persona, vel in domo certa, & determinato ludo (manente libertate ludendi cum aliis, & in aliis ludis) quoties ex certo ludo, vel cum certa persona, aut certo loco, vel domo, timetur aliquod speciale malum, quod non timetur ex alia persona, vel loco: v. g. aliqua occasio peccati, vel rixæ, vel amissionis pecuniæ maioris summæ. Ratio (inquit) est: quia iam tunc non manet materia talium votorum, & iuramentorum indifferens, sed vtilis, & accommodata ad vitanda peccata, & iacturam inutilem propriorum bonorum, ac proinde esset grata Deo. Sic ille. Palaus, Trullench & Tambur. *loc. citatis.* Basseus *tom.* 2. *v. ludus, num.* 13. *vers. Quando autem.* & alij apud ipsum. March, *verb. juegos. resol.* 128. *numer.* 2.

QVÆSTIO XVII.

An, iuramentum, seu votum non ludendi chartis, vulgò à los naipes; *sit validum, & obligatorium?*

NEgat Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 3. *col.* 6. *vers. His demum instructus*, quatenus hoc votum, inter vota rerum indifferentium, quæ minimè obligant, enumerat, his verbis: His demum instructus documentis, censere de votis quisque potest, quæ de huiusmodi indifferentibus rebus passim emittuntur. Loquebaris fortè cum homine, & in colloquio aliquid tibi ingratum accidit, propter quod vouisti numquam amplius cum illo inire sermonem. Et forsan ludebas, & ideo vouisti nunquam deinceps cum illo ludere; vel non ludere chartis in tali domo. Si illa nullius tibi occasio sunt mali, neque aliqua existit causa, vt ad bonum inseruiant, tunc talia vota nullatenus tenent: sed vouere fuit vanitatis peccatum. Si autem loqui cum tali persona, occasio tibi est mali, votum tenet, sicut si voueas non ludere propter dispendium quod facis rei tuæ, aut propter alia pericula. Hæc Sotus.

Sed probabiliùs longè Respondeo esse validum, ac obligatorium, tale iuramentum, & votum. Quia, ait Fagundez, tot sunt pecuniarum, & temporis dispendia; tot peierandi, blasphemandique occasiones, ac innumera alia damna, quæ ex hoc ludo sequuntur; vt re vera abstinentia à tali ludo, absolutè haberi debeat pro re nimium vtili, & grata Deo; ac proinde dici debeat huiusmodi votum, & iuramentum valere. Esset tamen vera doctrina Soti, quando abstinentia ab eo ludo, ad nullum bonum finem ordinaretur, qui in Dei honorem cederet, in quo casu ipse loqui videtur: ait enim id votum non valere, quando nullo bono fini inseruit. Sic ille *cap.* 26. *citato, n.* 13. ex Sanchez *lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 10. Trullench *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 18. *num.* 6.

QVÆSTIO XVIII.

An iuramentum, seu votum, nullo ludo ludendi, nisi tali determinato, sit validum?

REspondeo vt certum: valere. Quia re vera in honorem Dei cedit, tot ludis se priuare; ac conducit multum, ne iurans, aut vouens nimium ludis vacet: sæpè enim non inueniet volentem eo ludo ludere; & is sæpè molestia afficiet, cogetque iurantem, aut vouentem à ludo abstinere. Sic Sanchez *loco cit. num.* 12. Fagundez *num.* 15. Trullench, *n.* 6.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIX.

An in casu, quo obligat iuramentum, vel votum non ludendi cum certa, & determinata persona; fas sit cum illa ludere, nullo reportato vtrimque lucro, ideſt, yendo horros?

REspondeo, fas esse. Sic Sanchez loco citato *n.*13. his verbis: quando iuramentum non ludendi cum determinata persona obligat, eo quod illa nimis perita sit in ludo; aut fraudibus vtatur; vel occasionem rixarum afferat; licitum est cum illa, & aliis simul ludere, nullo, respectu illius, vtrinque ludo, reportato, ideſt, *yendo horro con ella.* Quia cum in hoc euentu, omnia illa iuramento intenta cessent, id iuramentum non se extendit ad hunc actum. Sic ille. Et Fagundez ex illo, *num.* 16. Trullench. *numer.* 6. Diana etiam *part.* 7. *tract.* 9. *Resol.* 58. *fine.*

QVÆSTIO XX.

An, iuramentum, aut votum non ludendi, donec talis persona velit; obliget eâ personâ defuncta?

REspondeo, tunc iam non obligare. Quia voluntas illius personæ cessat morte illius; extinguitur namque voluntas, extincta persona. Sic Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *n.*55. & *lib.*3. *in Decal. cap.*18. *n.*14. Vbi idem dicit dicendum, si iuramentum, aut votum factum esset non ludendi, absque patris voluntate, & consensu, cessaret enim obligatio mortuo parte. Sic etiam *n.*17. Trullench *num.*7. latè, & doctè Couarru. *3. variar. cap.*15. *n.*4. *vers. secundus casus.* Barthol. Alexan. Abbas, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XXI.

An etiam tale iuramentum, aut votum non ludendi, donec talis persona velit, aut sine consensu patris; cesset etiam, facta tali persona furiosa?

AFfirmat Barthol. *l. centesimis* 46. §. *si ita stipulatus, n.*22. *ff. de verb. obligat.*

Sed probabiliùs Respondeo: non cessare, sed adhuc obligare, facta tali persona furiosa. Ratio est, quia, vt constat *ex cap. Maiores,* §. *fin. de Baptis. & l. si is qui animo, ff. de acquir. possess.* amentes, & furiosi in eadem voluntate, quam habebant eo tempore, quo furor eos oppressit, perseuerant. Quamuis ergo morte omninò cesset voluntas, vt nuper habitum est, minimè tamen cessat furore, aut amentia; sicut nec somnò, aut ebrietate, *l. nunquam,* §. *si seruus, ff. de vsucap.* Sic Couarru. *n.* 4. *cit. vers. secundus,* & *vers. tertiò.* Quem citat, & sequitur Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*28. *n.*58. *& lib.*3. *Decal. cap.*18. *n.*14. Fagundez, & Trullench. *locis citatis.* Bonac. *disp.*4. *q.*1. *punct.*16. *num.*6.

QVÆSTIO XXII.

An item, qui fecit iuramentum, aut votum non ludendi, donec suus Pater Româ redeat, aut Romam proficiscatur, possit absque læsione iuramenti, aut voti, ludere; si pater morte præuentus, nunquam Româ redeat; aut illam proficiscatur?

NEgat Bonac. *loco nuper cit. n.*6. quia existimat, talem filium minimè esse liberum à vinculo talis iuramenti, aut voti: & ideo, non posse amplius. absque eorum læsione ludere. Ratio (inquit) est quia vinculum voti, aut iuramenti, iuxta verborum significationem, remanet donec pater redeat: cùm autem nunquam redeat, sequitur vinculum voti, aut iuramenti semper remanere. Ita ille & antea Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*28. *n.*53. *& lib.*3. *Decal. cap.*18. *num.*15. Fagundez *lib.*2. *cap.*26. *num.* 19. Trullench *lib.*2. *cap.*18. *n.*7.

Sed non minùs probabiliter Respondeo, posse absque læsione sui iuramenti, aut voti ludere, si pater, morte præuentus, Româ non redeat; aut eam non iter faciat. Quia, æquè probabile est, manere tunc filium ab obligatione voti, au iuramenti liberum. Sic Tamburinus his verbis: Titius profecturus Romam, recepit iuramentum à filio, ipsum aleis non lusurum, donec pater rediret. Verum is morte oppressus Romæ, nunquam redire potuit: quare quæsiuit filius, an ludus ipsi concedi licitè possit? Nunquam posse respondet Bonacina; quia nunquam ponetur illa conditio reditus. Sed profectò ita res se haberet, si verba ad litteram sumenda forent: sed quia iuramentum (vt dictum est §. 4.) est ex animo, & mente iurantis interpretandum: mihi videtur mentem filij non fuisse, nisi se à ludo continere per aliquod tempus; & quidem per illud, quo sub potestate est patris absentis, & non in perpetuum. Si enim illum, quando iurauit interrogasses, ita respondisset. Ex rationibili igitur interpretatione dati iuramenti, licitè, quantum est ex hoc capite, ludere posse puto. Fac filium iurasse se non ducturum vxorem, vel se non iturum venatum, donec pater Româ rediisset; vel se non iturum ad villam; immò se non exiturum domo, nisi pater rediisset à foro v. g. & morte subita correptus, nunquam rediret; num filium ad illa obseruanda in perpetuum obligares? Minime. Hæc omnia ille *lib.*3. *Decal. cap.*3. §.5. *num.*64.

QVÆSTIO XXIII.

An, si quis iuret, aut voueat, non ludere, & si ludat, se daturum decem v. g. aureos; teneatur toties soluere, quoties luserit?

NEgat Emman. Sà *v. votum n.*26. per hæc verba: *Vouens se aliquid facturum, si contingat forte peccare, intelligitur de prima vice, nisi intendisset expressè, quoties peccasset.* Ita ille quem citat, & sequitur Diana *part.* 4. *tract.* 4. *Resol.* 181. licèt

*part.*7.

part.7. tract.9. de ludo resol.60. cùm Palao oppositum videatur sentire.

Sed probabiliùs Respondeo, teneri toties soluere, quoties luserit. Ratio est: quia votum illud pœnale dandi v.g. decem aureos, si luserit; est accessorium voto aut iuramento non ludendi: atqui votum, seu iuramentum non ludendi, non est, neque intelligi potest prima vice: ergo neque illud votum pœnæ subeundæ debet intelligi de prima vice: Si idem sit dicendum quando solum est votum de subeunda pœna in casu, quo quis ludat, non verò est votum, aut iuramentum de ludo vitando, dicemus infrà quæst.26. Sic Sanchez *lib.4. Decal. cap.22.num.21.* Layman *lib.4.tract.4.c.5.n.4.concl.1.* Bassæus *tom.2. verb. ludus,n.14.* Palaus *tom.3.tract.15. de voto disp.1. punct.18. num.6.* Trullench. *lib.2. Decal. cap.2. dub.26. n.10.* Layman. *lib.4. tract.4.cap.5. num.4. concl.1.* Qui solùm dicit tenere verum sententiam Emanuelis Saa, casu quo vouens de intentione sua dubitet. Cui consentit Basseus, vbi suprà.

QVÆSTIO XXIV.

An saltem, quando pœna, voto non ludendi annexa, vel est grauissima, vel talis, quæ iterari non solet; tunc dicta pœna sit de sola prima vice intelligenda?

REspondeo, dicendum, quod tunc solùm de prima vice est intelligenda. Quia, nisi aliàs de contraria vouentis intentione constet, piè interpretandum est, se ad solam primam vicem soluendam in pœnam obligare voluisse. Sic Sanchez, Palaus, Trullench, & Bassæus locis citatis. Diana *part.4. tract.4. Resol.181.* his verbis: Notandum tamen, quod stando in opinione Sanchez, limitanda secundum ipsum erit casu, quo pœna grauissima esset, & quæ iterari non solet; nam tunc votum illud pro sola prima transgressione obligabit. Vt si quis vouisset non ludere sub pœna peregrinandi Hierosolymam, aut Religionis, aut exorbitantis eleemosynæ. Quare si violato voto, talis v.g. ingrederetur Religionem, quæ fuit pœna, & tempore nouitiatus ex iusta causa exiret, & sic iam voto pœnæ satisfeciset, etsi iterum incideret, non obligaretur amplius ad illam pœnam: & sic de pœna peregrinationis, & eleemosynæ exorbitantis dicendum erit: nisi aliter constaret de expressa vouentis intentione. Hæc Diana ibi, & *part.7.tract.9. Resol.60.* Trullench etiam, & Basseus, vbi suprà.

QVÆSTIO XXV.

An etiam quando pœna imposita voto non ludendi, est mediocris, sit etiam de prima vice intelligenda?

AFfirmabunt à fortiori Authores pro prima sententia *q.24.* adducti.

Sed iuxta ibi à nobis dicta, Respondeo probabiliùs dicendum, quod nequaquam sit de prima vice intelligenda; quia tunc verè obligaret vouentem, toties quoties contra votum non ludendi ageret. Sic Sanchez *lib.4. cap.22.n.21.* Qui addit idem dicendum in dubio, an pœna sit exorbitans, an mediocris. Cum enim, ait, id votum obliget suapte natura, toties, quoties; quando contrarium non apertè ex maxima pœnæ grauitate deducitur, possidet votum, vt eo modo obliget. Sic ille, & ex illo Trullench loco citato *n.10.*

QVÆSTIO XXVI.

An etiam, qui iurat, aut vouet, se daturum eleemosynam, v.g. decem aureos, si luserit; teneatur toties illam summam soluere, quoties luserit?

NEgant Authores citati pro prima sententia *quæst.23.*

Sed probabilius Respondeo iuxta nuper dicta, teneri soluere talem pœnam toties quoties luserit; ob rationem nuper datam. Sic Doctores citati. Ad discernendam autem differentiam inter habitas difficultates, nota ex Fagundio, quod dupliciter possunt fieri vota pœnalia; *Primò*, vt si quis voueat, vel iuret non ludere, & si ludat, se ingressurum Religionem, reseruaturum castitatem, aut daturum tantam eleemosynam, & similia. *Secundò*, si quis voueat, vel iuret solam pœnam: & crimen fugiendum, solùm apponatur vt conditio; vt si quis voueat vel iuret se ingressurum Religionem, &c. si luserit. Hoc igitur datur discrimen inter istos duos modos vouendi (vel iurandi) quod in priori obligatur vouens, & ad vitandum ludum, & ingressum Religionis, vel ad seruandam castitatem, &c. si ludat *In secundo* verò, solùm obligatur ad pœnam, posita conditione, si luserit; vnde licèt ludat, non est voti reus, nec sacrilegium committit; sed solùm illud committet, si postquam luserit: non ingrediatur Religionem, aut seruet castitatem, &c. Sic ille, *lib.2. Decal. cap.27. n.1.*

DISPVTATIO XXIX.

De obligatione, & iuramento præstito à medicis, monendi infirmos, vt confiteantur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quo iure obligentur medici ad monendos infirmos, vt peccata sua confiteantur?

RESPONDEO dicendum quod obligentur multiplici, nempe iure naturali, ac diuino; iure Pontificio, & iure iuramenti præstiti à Medicis, iuxta formam motus Pij V. de quo infrà. Legantur de hac materia Nauarr. *cap.25.n.63.* Rossell. Angel. Sylvest. Armilla & alij Summistæ *verb.*

verb. Medicus. Sanchez *lib. 3. Decal. capit. 16.* Tamburin. *lib.3. cap.3. §.5. n.51.* Fagundez *lib.2. cap. 25.* Trullench. *lib.2. cap. 1. dub. 19.* Palaus *disp.2.de iuram. punct.7. §.4.* Bonac. *tom.2.disp.4. q.1. punct. 16.* Pradus *tom.2. cap. 32. quæst.6. §.2.* March, *v. iuramento. Resol.161.*

QVÆSTIO II.

An, medicus teneatur sub mortali, attento solo iure naturali, ac diuino, monere infirmum, vt peccata sua confiteatur?

REspondeo, tanquam certum: Teneri ad id sub mortali, dummodo Medicus, & probabile mortis periculum videat; & probabiliter credat, infirmum esse in mortali: Ratio est, quia ex charitate tenemur malum notabile proximi auertere; quando id sine detrimendo nostro possumus efficere: atqui hanc obligationem Medici non euadunt, eo quod medici sint, vt constat, cum potius id specialiter ad eos spectet: ergo. Sic Nauarr. *cap. 25. cit. n. 63.* Sanchez *n.1.* Fagundez *num. 2.* Trullench *num.1.* & alij nuper citati.

QVÆSTIO III.

An, in prædicto casu, teneantur medici, non solùm ex charitate, verum etiam ex iustitia, monere infirmos, vt fateantur peccata, ac declarare periculum mortis quod subeunt?

REspond. non teneri ex iustitia, sed solum ex charitate, & ideò Medicus, qui hanc monitionem suâ culpâ prætermittit, nil tenetur restituere damnum patientibus ex eius omissione. Quia Medicus non tenetur ex officio suo tristia infirmo nunciare, quale est periculum mortis, sed potius læta, quale est spes salutis. Medici namque, ait Caiet. *in sum. v. Medicus*, habent ex artis præcepto, semper ingerere læta, & quæ sunt sanitatis, & spei infirmo: & propterea aiunt non spectare ad se huiusmodi tristia inferre, si periculum est; & si periculum non est, non debere exponere se, aut verba sua ridiculò. Intellige hæc ad excusandam consuetudinem bonorum Medicorum. Hæc ille. Et sic tenent ex illo Sanchez *lib. 3. Decal. capit. 16. num.1. vers. culpa autem.* Fagundez *lib.2. capit. 25. num. 1.* Trullench *lib. 2. cap. 1. dub. 19. num.1.*

QVÆSTIO IV.

An, sufficiat Medico, hanc monitionem facere infirmo per alium, nempe, per Parochum, Confessarium, amicum?

REspondeo, vt verum: sufficere. Quia finis huius præcepti (siue diuini, siue humani) est, vt æger sacramenta recipiat; atqui id obtineri potest, admonente, siue Medico, siue Parocho, aut aliis ergo nil refert quisnam admoneat. Sic Caiet. *in sum. v. Medicus, vers. Sisle tamen pedem.* Armilla *ibi num. 1. vers. Quarto.* Candidus *tom.2. disquis. 26. art. 14. dub.1. dicto 4.* Sanchez, Fagundez, & Trullench. *locis citatis.* Inde benè inferens, quod si aliquis moneat ægrotum de periculo mortis, & de confessione facienda, tunc Medicus, & cæteri alij hac obligatione liberentur. Lege Nauarrum *cap.25. n.61. vers. tertiò peccat.*

QVÆSTIO V.

An, Medici liberentur etiam ab obligatione monendi infirmum ad confitendo sua peccata, quando alij, ab ipsis requisiti, dictum infirmum monere nolunt?

REspondeo vt quid certum: tunc non liberari: sicut non liberatur quis ab obligatione corrigendi proximum, eiuè subueniendi, quando alij alios corrigere, aut subuenire nolunt. Sic Sanchez *n. 1. in fine.* Fagundez *n.3.* Trullench *num. 2.*

QVÆSTIO VI.

An saltem Medici eximantur ab obligatione monendi infirmum, si moraliter credant, eam monitionem non profuturam, aut in peius abituram?

REspondeo vt certum: tunc iam eximi. Ratio est: quia tunc verè cessat ratio admonitionis; cum hæc ad emendationem ordinetur: ergo tunc iam Medicus, aut alij, ab obligatione dicta eximuntur. Sic Sanchez *n.1. citato*, his verbis: Atque similiter dicendum est, Medicum non teneri admonere, quando infirmum ita malè affectum videt, vt moraliter credat ea admonitione eum in peius iturum. Quia admonitionis ratio tunc cessat. Sic ille. Et ex illo Fagundez *n.4.* Trullench. *n.12.* Candid. *dub.1. cit. dicto 3.* ex Sylueſtro *v. Medicus, q.3. §. quartum si autem.*

QVÆSTIO VII.

An item eximantur Medici ab hac admonitione, si solùm dubitent, an infirmus sit in mortali; an rebus malè compositis discessurus sit?

REspondeo, tunc non eximi, sed teneri ex charitate infirmum, per se, vel per alium admonere, vt peccata sua fateatur; de rebus suis disponat, &c. Quia in dubio tenetur quis notabile proximi damnum vitare, quando id sine magno detrimento potest efficere: Sic Nauarr. *in sum. cap. 25. num.63.* & clariùs, Sanchez, Fagundez, Sylueſt. & Trullench. *locis citatis.* Candidus *dicto 3. citato.*

QVÆSTIO VIII.

An saltem, attento iure Ecclesiastico, teneantur Medici sub mortali, admonere ægrotum, vt fateatur peccata sua, &c.

REspondeo vt certum: teneri. Quia in primis Innoc. III. in cap. *Cum infirmitas, de pœnit. & Remiss.* strictè præcipit Medicis, sub pœna egressus Ecclesiæ, vt ad medendum infirmis in lecto iacentibus, vocati, eos ante omnia moneant, & inducant, vt confiteantur; quæ pœna, cum sit grauis, graue inducit peccatum.

Deinde Pius V. in quodam motu proprio, cuius initium est: *supra gregem Dominicum*, edito anno 1566. die 8. Maij, Pontificatus sui anno primo, addit insuper præceptum, ne Medici, vltra tertium diem ægrotum visitent, nisi per Confessarij scriptum ipsis constet, confessionem esse factam; nisi tamen Confessarius ex iusta causa longius tempus infirmo concedendum iudicet. Præterea præcipit idem Pontifex vniuersitatibus, & Collegiis, vt cùm licentiam medendi alicui concesserint, aut ad Doctoris gradum eum promouerint, exigant ab eo iuramentum hæc seruandi. Atque ita fit, & iurant Medici, se admonituros, & vltra tertium diem non visitaturos, nisi ea confessione, iuxta dictum motum proprium Pij V. præmissa. Igitur huiusmodi decreta ex se obligare ad mortale, notum est. Quia Innoc. III. grauibus verbis vtitur, ibi: *strictè præcipimus*; atque transgressoribus grauem pœnam, vt vidimus, imponit. Et Pius V. perpetuam infamiam, ac gradus priuationem, & à Medicorum cœtu eiectionem, &c. ergo. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 16. n. 2. & 3.* ex Hostiensi, Diuus Anton. Rosella, Angelo, Sylvest. Tabiena, & Nauarro. Sic etiam Fagundez *lib. 2. cap. 25. n. 6.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 19. n. 3.* Candid. *disquis. 26. art. 14. dub. 1.* March. *resol. 161. citato n. 2.*

QVÆSTIO IX.

An, Medici teneantur, vi huius Ecclesiastici præcepti, admonere infirmos; non solum antequam mederi incipiant; sed etiam, antequam de salario sibi assignando conueniant?

AFfirmant aliqui Doctores, eo quod in supradictis decretis dicatur, hanc admonitionem ante omnia esse faciendam: ergo non solùm ante applicationem medicinarum, sed etiam ante conuentionem de salario præstando. Ita Hostiens. *in d.* cap. *Cum infirmitas, n. 3.* Abbas *n. 6.* Ioan. Andr. *n. 3.* Anton. *n. 9.* Anchar. *n. 3.* D. Anton. *eod.* §. 4. Rosella *v. Medicus, n. 2.* & ibi Sylvest. *q. 3. dicto 2.*

Sed longè multò probabiliùs, imò vt mihi certum, Respondeo Minimè teneri monere infirmos, antequam de salario sibi dando conueniant. Sic optimè Nauarrus *cap. 25. num. 61.* vbi explicat illud verbum, *ante omnia*, idest, antequam Medicus medicinam applicet: quia sic satisfacit intentioni illius decreti. Deinde, quia certum est, quod Medicus potest de salario conuenire, antequam ægrotum visitet, & illi infirmitas nota sit: sic est, quod admonitio ad confessionem necessariò debet subsequi infirmitatis notitiam: ergo est necessarium quod conuentioni salarij præmittatur monitio. Sic Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 16. num. 4.* Palaus *disp. 2. de iurám. punct. 7. §. 4. n. 4.* Fagundez *lib. 2. cap. 25. n. 8.*

QVÆSTIO X.

An obligatio Medicorum monendi infirmos ante omnia, de confessione facienda, intelligenda sit de quibuscumque morbis, etiam leuibus?

AFfirmant aliqui. Quia cap. *cum infirmitas*, & motus proprius Pij V. generaliter de omnibus morbis loquuntur. Deinde, quia illa verba dicti *cap. cùm infirmitas*, nempe, *districtè præcipimus*, manifestè indicant nouum præceptum in omnibus morbis impositum: patet, quia in morbis mortis periculum afferentibus, iam tenebantur Medici, ex iure naturali, & diuino, ad eam monitionem faciendam, vt suprà *q. 1. & 2.* est habitum: ergo. Ita D. Anton. *3. p. tit. 7. cap. 2. §. 4.* Sylvest. *v. Medicus, q. 3. dicto 3.* qui & citat Archidiac. in d. cap. *cum infirmitas.*

Alij contrà negant, existimantes, dictam obligationem Medicorum intelligendam esse de solis morbis vitæ periculum afferentibus: quod periculum solum contingit (inquiunt Rossella, & Angelus) quando ratione eius tenetur infirmus præcepto diuino Confessionis. Ratio eorum est; quia durum videtur, secluso hoc periculo, adstringere Medicos ad hanc admonitionem. Et certè, secluso illo, etiam Medici timorati, non admonent infirmum de confessione facienda. Immò sæpè in febribus malignis, vno, vel alio die medicinas applicant, quin hanc monitionem præmittant: ergo non debet intelligi de infirmitate quacumque, nec de graui, aut periculosa, sed de ea, quæ proximum periculum affert. Ita Rossella *v. Medicus, num. 3.* & ibi Angel. *num. 9.* Armilla *num. 1.* Nauarr, *cap. 25. num. 61.* Graffis *1. p. decis. lib. 3. cap. 14. n. 7.* Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 246.* Vega *tom. 2. sum. cap. 35. casu 3.* Quos omnes pro hac parte refert Sanchez mox citandus, *n. 5.*

Sed probabiliùs, media viâ procedendo, Respondeo hanc obligationem, seu iuramentum de monitione confessionis, ante omnia, faciendæ; nec intelligendam esse, de quibuscumque morbis, etiam leuibus, & volunt Authores primæ sententiæ; nec de solis morbis vitæ periculum afferentibus, vt placet Authoribus secundæ, sed de quocumque graui morbo, qui ex se lectum petat. Quod clarè indicant prædictum cap. *Cum infirmitas*, & prædictus motus proprius Pij V. dum hoc præceptum restringunt ad illud tempus, in quo infirmus in lecto iacet, ac proinde ad illud tempus, in quo morbus fieri potest, aut est grauis. Sic Caietan. *in sum. v. medicus, in fine.* Tabiena *v. medicina, q. 12. num. 13.* Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 35. sect. 3. num. 4.* Quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 16. n. 7.* Fagundez *lib. 2. cap. 25. n. 13.* Palaus *disp. 2. punct. 7. §. 3. n. 3.* Candid. *disquis. 26. art. 14. dub. 3.* Trullench *lib. 2. cap. 1. dub. 19. n. 3.* Bassæus *tom. 1. verb. Confessio 1. n. 8.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 16. n. 9. vers. secundò obligare.* March. *resol. 161. citata, num. 3.*

QVÆSTIO XI.

An, si æger admonitus nolit confiteri; sit à Medico deserendus?

AFfirmandum videtur, attento motu proprio Pij V. quia in eo expresè iubetur, vt Medicus deserat infirmum, qui tertia die à monitione transacta, fidem non fecerit suæ confessionis, per schedulam Confessarij; quasi eam pœnam, veluti iustam, imponat ægro nolenti sua peccata sacra Confessione expiare. Ita sentire aliquos Doctores affirmat March. *loco citato, n.4.*

Sed benignè interpretando mentem benignissimi Pontificis, Respondeo dicendum deserendum esse ægrotum renuentem confiteri, in pœnam suæ obstinationis: nisi aliàs ex desertione Medici, constituatur æger in probabili mortis periculo; aut aliud graue patiatur damnum: quia tunc, etsi æger pertinax sit in recusanda confessione, deserendus non est. Ratio est: quia aliàs huiusmodi decretum, verè militaret contra charitatem, quæ obligat etiam obstinatis fauere, quando occurrit periculum mortis, aut aliud graue damnum. Sic Suarez *sect.3.cit. num.5.* Sanchez *cap.16. num.* 10. & ante illos, & prædictum motum Pij, id iam docuerant D. Anton. Angel. Armilla, Tabiena, & Sylvest. vt notat Sanchez. Fagundez etiam *lib.2. cap.25.n.14.* Palaus *loc.cit. num.5.* Candid. *dubit.3.* Bonac. *n.9. cit. vers.* Quartò, & penes ipsum, Nauarr. & Graffis. Trullench *n.3. cit.* March. *n.4. citato.*

QVÆSTIO XII.

An hæc Pontificum decreta, contraria consuetudine aboleri valeant?

NEgant aliqui. Quia consuetudo legem abolens, debet esse rationi consentanea, cap. *fin. de consuetud.* atqui nulla talis induci potest aduersus huiusmodi decreta, vtpotè quod in animarum salutem constituta sunt: ergo. Ita Hostiens. *in d. cap. cum infirmitas, num.* 2. & ibi Ioan. Andr. *n.3.* Abbas *num.6.* Anchar. *num.2.* D. Anton. *3.p. tit.7. cap.2.* §. 4. Angel. *verb. medicus, num.* 8. Sylvest. ibi *q.3. dicto* 2. Rossella *ibi n.1.* Tabiena *v. medicina, q.11.*

Sed vt certum, Respondeo, posse dicta Pontificia decreta, consuetudine contraria aboleri. Ratio est: quia omnes leges humanæ possunt consuetudine abrogari: atqui talia sunt huiusmodi decreta: ergo. Sic Sanchez *lib.3. cap. 16. num.* 14. & penes ipsum, Caiet. *in sum. v. medicus. in fine.* Armilla *num.1.* Nauarr. *cap.25. num.61.* & Suarez *tom.4. in 3.p. disp.35. sect.3. num.5.* Fagundez *d.cap.25. num.* 17. & 18. vbi ex Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.4. num.*14. ad rationem contrariorum rectè respondet, dicendo, nunquam censeri consuetudinem rationi dissonantem, nisi illa, quæ iuri diuino, aut naturali aduersatur: consuetudo autem in nostro casu, non opponitur his iuribus, sed solùm iuri humano Pontificio: & quidem parum refert, quod propter animarum salutem sit constitutum, inde enim non transit in ius diuinum, nec mutat suam naturam; sed intra ius humanum, & positiuum manet, contra quod præualere potest consuetudo, vt probat textus *capitis finalis, de consuetud.* Sic ille.

QVÆSTIO XIII.

An huiusmodi Innocentij III. & Pij V. decreta, de facto sint abrogata, an verò vbique recepta?

REspondeo vt certum, talia decreta non esse vbique recepta, cùm multis in locis non esse in vsu, videamus. Nam certè in tota Hispania, huiusmodi decreta consuetudine derogata esse, aut non vsu recepta, clarè nobis constat. Videmus namque Medicos timoratos visitare infirmos graui morbo affectos, quin de confessione facienda moneant, quouisque periculum mortis vident imminere: neque vllo modo exigunt testimonium in scriptis de confessione facta: neque pœnæ illo decreto latæ imponuntur. Sic Palaus *disp. 2. de iuram. punct. 7. §. 4. fine.* Sanchez *lib.3. cap.16. fine.* Fagundez *lib. 2. cap.25. num.19.* Trullench. *lib.2. cap.1. dub.19. num.* 3. Candid. *disquis.26. art.* 14. *dubit.* 1. *dicto* 2. Suarez *tom.4. in 3.p. disp.35. sect.3. num.5.* Prado *tom.2. de iust. cap.32. quæst. 6. §. 2. num.16.*

QVÆSTIO XIV.

An iuramentum præstitum à Medicis de monendis infirmis ad confitenda peccata, obliget illos, vbi non est receptus motus proprius Pij V.

REspondeo vt certum: non obligare huiusmodi iuramentum Medicos in locis, in quibus motus Pij V. non est receptus, aut vsu, & consuetudine est abrogatus: quia hoc iuramentum tantum obligat, prout ille obligat: ergo in tota Hispania, & in aliis locis, vbi hoc Pij decretum non obligat, non obligat iuramentum à Medicis, iuxta illud præstitum. Quamobrem in his locis, solùm tenentur Medici seruare, præceptum iuris diuini naturalis, explicatum suprà *q.2.* & *sequent.* Nec tamen erunt Medici periuri, si hoc præceptum iuris diuini naturalis non seruant: quia iuramentum ab ipsis præstitum, tantum est de seruando motu proprio Pij V. qui longè aliud disponit, nec est, saltem in Hispania, vsu receptus. Secus verò est dicendum, si alicubi est receptus: quia tunc obligabit iuramentum, prout ille obligat. Sic Suarez, Sanchez, Fagundez & alij, locis citatis. March. *resol. 161. cit. n.6.*

DISPVTATIO XXX.

De iuramento, aut voto, non mutuandi ; nec fideiubendi ; nec emendi auctiori pretio; nec vendendi minori.

QVÆSTIO PRIMA.

An, iuramentum, vel votum non mutuandi alicui v. g. vestes, libros, aut pecunias, sit obligatorium?

NEGANT multi Doctores ; eo quod mutuare (aut fideiubere) est opus misericordiæ, seu charitatis, & ideo vel est in præcepto, vel in consilio : ergo iuramentum, seu votum non mutuandi (aut fideiubendi) non potest esse opus de re licita, & honesta : ergo nec validum. Ita Abbas *in cap. Si verò, de iureiur. n. 5. & 6.* vbi alios refert. Couarru. *de pactis 1. p. §. 6. n. 7.* vbi etiam refert D. Thomam, Gratianum, & alios.

Affirmant verò contra alij, dicentes, tale iuramentum, aut votum esse obligatorium, & validum. Quia mutuare (aut fideiubere) vt sic, non dicit opus virtutis, sed indifferens ; & potest eius carentia cedere in vtilitatem iurantis, aut vouentis, vel alterius: ergo tale iuramentum, seu votum, de se validum, ac proinde obligatorium est. Ita tenent (apud Couarru. *loco cit.*) Oldradus *consil. 90.* & Hippolytus *in repetitione rubricæ, ff. de fideiussoribus, n. 28.* Quibus addit Suarez, Maiorem *in 4. dist. 38. q. 1.* vbi de voto tractat.

Sed clariùs Respondeo dicendum, quod tale iuramentum, seu votum, aliquando obliget, eo quod sit de materia licita, & honesta ; aliquando verò contrà ; eo quod non sit materia honesta, & licita, vt mox dicemus. Sic Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 17. n. 12.* Sanchez *lib. 4. cap. 8.* (non 9. vt legi apud Palaum, & Mendo) *n. 18.* Palaus *disp. 2. punct. 7. §. 2. n. 2.* Mendo *lib. 3. de iure Academ. q. 28. d. num. 294.* March. *verb. votum, resol. 444. num. 4.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

An, iuramentum, aut votum, de non mutuando omnibus indiscriminatim ; aut non pro omnibus fideiubendo, absque consideratione, & delectu ; sit validum, & obligatorium?

RESpondeo vt certum : quod sic. Quia est de materia licita, & honesta, ac proinde de materia obligante. Sic Sanchez *n. 18. cit.* his verbis : At valere votum, vel iuramentum non omnibus indiscriminatim mutuandi, aut pro omnibus fideiubendi, sed cum debita consideratione, & examine, an id expediat, & periculo soluendi, aut non recuperandi se mutuans, aut fideiubens exponat. Quia hoc attendere est salubre consilium, ad plurima prodigalitatis, & paupertatis, litium, inimicitiarum damna vitanda. Sic ille, ex Soto *lib. 7. de iust. q. 1. art. 2. dub. 2.* Aragonio *2. 2. q. 88. art. 2. dub. 2.* Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 94. n. 13.* & Petro de Ledesma *tom. 2. sum. tract. 10. cap. 2. dub. 5.* Sic etiam Pater Mendo, *q. 28. cit. num. 297.* Palaus, *loco cit. num. 3.* Suarez *cap. 17. citato, n. 13. vers. At verò.* Prado *tom. 2. cap. 31. de voto, q. 2. §. 6. n. 6.* Ioan. à S. Thoma *2. 2. q. 88. disp. 29. art. 7.* & nos adhuc cum Raphaële *tract. 2. disp. 4. §. 5. q. 39.*

QVÆSTIO III.

An votum, seu iuramentum non mutuandi, nec fideiubendi, præstitum in vtilitatem tertij, v. gr. in gratiam filiorum ; sit vtique validum, & obliget?

AFfirmat absolutè Sanchez *num. 18. cit.* vers. *Tandem.* Quia (inquit) ad valorem iuramenti homini præstiti, satis est id posse, absque peccato impleri. Ita ille. Et licèt benè.

Sed clariùs Respondeo, esse validum, & obligatorium tale votum, aut iuramentum præstitum in gratiam, & vtilitatem tertij, v. g. filiorum, post acceptationem ab iis : nam ante acceptationem, quia ius non est filiis acquisitum, nec præiudicium tertij iudicatur, donec ab illo res promissa, aut iurata acceptetur, eique ius acquiratur ; poterit ille pro libito iuramentum reuocare. Sic Suarez *numer. 12.* Mendo *num. 296.* & Palaus *num. 2.* his verbis. Si iuramentum non mutuandi, neque fideiubendi præstitum in gratiam, & vtilitatem tertij, nempe filiorum creditorum, aut vxoris, distinguendum est, ante illorum acceptationem, vel post illam. Ante acceptationem reuocare iuramentum pro libito potes: quia sequitur promissionis naturam, quæ vires non habet antequam sit acceptata ab eo in cuius gratiam facta est. At post acceptionem tenet iuramentum, & seruandum est in omnibus illis casibus, in quibus mutuatio, & fideiussio obligatoria non sit. Quia iuramentum in vtilitatem tertij factum, & ab eo acceptatum, seruandum est, quoties seruari potest, absque dispendio salutis æternæ, nisi ille tertius remittat. Huc vsque Palaus. Et Suarez antea, licèt non ita distincte, *cap. 17. n. 13. fine.* Legantur dicta *sup. disp. 9. q. 11.*

QVÆSTIO IV.

An item, sit validum, & obligatorium votum, aut iuramentum non mutuandi, nec fideiubendi, factum, ob commoditatem propriam; ne scilicet, ex hoc, aliquod detrimenti in re familiari quis patiatur?

NEgat generaliter loquendo, Palaus *num.2. cit.* Quia licèt finis talis iuramenti, aut voti, sit honestus, sed quia communiter loquendo, maius bonum est mutuare, & fideiubere, præcipuè cum aliqua non leuis necessitas proximi vrget, ideo (inquit) existimo, neque in hoc casu obligatorium esse iuramentum non mutuandi, non fideiubendi, vtpote, quia priuat maiori bono. Sic expresè, Suarez *d. lib. 2. cap.17. n.12.* Huc vsque Palaus. Qui non benè, omni ex parte, adducit Suarium, vt statim videbis. Vnde.

Clariùs Respondeo, cum ipso Suario dicendum: posse esse inualidum tale iuramentum & votum, & posse esse validum, & firmũ, iuxta diuersas occurrentes circunstantias. Fieri enim potest (ait Suarius *n.12.* citato) vt licèt non occurrat obligatio præcepti, nihilominus, secluso iuramento, & consideratis circunstantiis, idest, necessitate proximi, & incommodo temporali, aut periculo eius, cui se exponit mutuans, aut fideiubens, melius sit, & opus consilij, mutuare, & fideiubere; & tunc etiam fieri potest, tale opus, non obstante iuramento; quia non obligat ad abstinendum ab opere consilij, quando non est factum in vtilitatem proximi. Et licèt fortasse fuerit factum ad consulendum propriæ commoditati, & ad vitandas difficultates, vel molestias, quæ ex illis actibus nasci solent; nihilominus potest ipsemet homo cedere suæ commoditati, propter præstandum consilij opus; & ita non obligabitur iuramento, iuxta doctrinam superius datam. At verò (addat consequenter Suarez *numer.13*) si è contrariò tales occurrerent circunstantiæ, tantúmque esset periculum incommodi sui, vel suorum, vt omnibus pensatis, iudicetur imprudens, vel certè minus prudens, seu minus bonum, mutuare, vel fideiubere; tunc obligabit tale iuramentum: quia materia illa in indiuiduo capax est talis obligationis, & comprehensa sub generali negatione. Imò quamuis iuramentum fuerit generaliter factum, de hac materia videtur interpretandum; quia pro sola illa, licitum est, & obligare potest. Hæc omnia Suarez. Non benè igitur, omni ex parte, citat illum Palaus. Sic etiam Acacio March. *v. voto, resol.444. sub numer.4.* Lege Luysium *1.p. sum. cap. 171. dubio 4.*

QVÆSTIO V.

An clerici in sacris constituti possint iurare, aut vouere, non facere fideiussionem pro laicis?

REspondeo, vt certum: posse, & valide id facere. Quia ipsis est interdictum fideiubere pro laicis (nisi in casu necessitatis, vt infrà) *in cap.1. de fideiussione*, & *cap. Te quidem 11.q.1.* Quibus iuribus consentit lex *45. tit. 6. part. 1.* Sic communis omnium. Gutierrez *de iuramen. 1. p. cap.72. num.5.* Sanchez *lib.4. Decal. cap.8. n.19.* Palaus *disp.2. de iuram. punct.7. §.2. n.4.*

QVÆSTIO VI.

An, saltem in casu necessitatis, possint clerici fideiubere pro laicis?

REspondeo vt certum: posse, quia in hoc casu non est illis id prohibitum. Quia certè in casu vrgentis necessitatis, ab opere pietatis prohiberi à iure non debebant. Vrgens autem necessitas continget, si laïcus valdè indigeat fideiussione, & non sit alius laicus, qui possit, aut velit pro illo fiiubere. Sic Glossa *in cap. 1. de fideiuss. & cap. Te quidem, cit.* Turrecrem. ibi. Angel. *v. fideiussor. num. 5.* & ibi Sylvest. *q. 5.* Armilla *num. 3.* Gutierrez, Sanchez, & Palaus, *locis citatis.* Immò esse opinionem aliquorum asserentium etiam id posse extra casum necessitatis, innuit Armilla, *n.3. cit.* sed tu tene vt certum, quod scripsimus.

QVÆSTIO VII.

An, valida sit fideiussio clerici pro laico facta, extra casum necessitatis?

REspondeo, esse validam. Et clericus fideiussor tenebitur soluere, principali non soluente, de bonis tamen solùm patrimonialibus, vel ad summum, de redditibus beneficij. Sic Authores citati, præcipuè Sylvester *verb. fideiussor, q.3.* Greg. Lopez *in d. lege 45. tit. 6. part.1.* & Palaus, *num.4.*

QVÆSTIO VIII.

An, clericus peccet mortaliter, fideiubendo pro laico, extra casum necessitatis?

NEgare videtur Sanchez *lib.4. cap.8. n.19.* eo quod solùm dicit, quod peccet, nec addit mortaliter.

Palaus verò *disp.2. punct.7. §.2. n.4.* clarè innuit, quod peccet mortaliter, si id faciat frequenter; expresè namque asserit, non esse peccatum mortale, vna vel altera vice pro laico fideiubere, etiam absque necessitate: quia textus in *cap.1. de fideiussorib.* frequentiam fideiussionum dicit; non enim fideiussionibus inseruit, nisi qui passim fideiubet. Ita ille.

Sed clariùs ego Respondeo dicendum; *Primò*, clericus, qui frequenter pro laico, extra casum necessitatis fideiubet, mortaliter peccat. Quia id præcipitur clericis in d.cap. sub pœna exclusionis ab Ecclesia, vel à clero, vt explicat Palaus, & antea Sylvest. *quæst. 3. cit.* omnino ex Angelo *ibi*, *num.4.* quem non citat.

Resp. *Secundò*, qui vna vel altera vice pro laico, extra casum necessitatis fideiubet, nec peccat mortaliter, quidquid dicat Sylvester, loco citato; immò nec venialiter, quidquid oppositum innuat Palaus. Ratio est: quia *in d. cap. 1. de fideiussorib.* solùm

prohibetur

prohibetur clericis, ne frequenter fideiubeant pro laicis, vt notat Gloſſa in *d.cap.*1. his verbis: Nota quod clericus fideiubere non debet: quod verum eſt frequenter, per illud verbum *inſeruiens*, inſeruiens enim frequentiam denotat. Hæc Gloſſa. Nunc ego, ergo, qui non frequenter, ſed ſolum vna, vel altera vice fideiubet pro laico, minime contra ius facit: ergo nullum peccatum admittit. Lege Bonac. *diſp.*3. *de contract. q.*9. *punct.*2. qui ait, quod ob receptam conſuetudinem, quæ fortè antiquis canonibus derogauit, videtur poſſe clericos, ſaltem rarò fideiubere, modo id faciant abſque damno Eccleſiæ, & quantum patitur ipſorum patrimonium, & fructus beneficij, vt egeſtati non ſubiiciantur. Ita Leſſius *n.*19. & Filliuc. *n.*158. Sic Bonacina.

QVÆSTIO IX.

An, clerius, non ſolum validè, ſed etiam licitè poſſit, etiam extra caſum neceſſitatis, fideiubere pro alio clerico, vel Eccleſia ſua?

REſpondeo, vt certum: poſſe. *Tum*, quia (vt conſtat ex iuribus citatis) ſolum eſt illis prohitum, pro laicis fideiubere. *Tum* etiam, quia id expreſsè illis conceditur in *cap.* 2. *de fideiuſſorib.* & *cap. Te quidem, cit.* & *in l. omnes*, §. *in hoc*, *C. de Epiſcopis. Et in Authent. de Sanctis Epiſcopis*, §. *præ omnibus*, *collat.* 9. Sic Angel. *v. fideiuſſor. n.* 4. Sylueſt. *ibi*, *q.*3. Armilla *n.*3. Palaus *n.*4.

QVÆSTIO X.

An, votum, ſeu iuramentum nunquam fideiubendi, præſtitum à clericis; ſit inualidum?

REſpondeo, eſſe inualidum. Quia id generaliter præſtitum, eſt contra conſilium. Eſſet tamen validum ſi iuraret, ſe non futurum laici fideiuſſorem. Sic Sanchez *n.*19. Palaus *n.*4. cit. his verbis. Si clericus iuramentum præſtet nunquam fideiubendi, inualidum eſt. Quia pro alio clerico fideiubere poteſt, ſicuti poteſt laicus, &c. ergo illud iuramentum impeditiuum eſt maioris boni, ac proinde obligare non poteſt, niſi in illis caſibus, in quibus hoc iuramentum à laico præſtitum, diximus obligare, &c. Verum ſi iuramentum cum limitatione fiat, non fideiubendi pro laico, validum eſt, & firmum: quia eſt iuramentum de re ſibi præcepta. Nec opus eſt caſum neceſſitatis excipere: quia iam ſubintelligitur exceptus. Sic ille, ex Ioanne Gutierrez, Greg. Lopez, & Thoma Sanchez.

QVÆSTIO XI.

An Religioſi poſſint fideiubere pro alio?

REſpondeo, quod non; niſi hoc faciant de licentia Superioris, vel aſſenſu maioris partis Capituli. Sic habetur in *cap. penul. de fideiuſſ.* & tenent omnes; Sylueſt. Armilla, Abbas, *loc. cit.* Bonac. *diſp.*3. *de contr. q.*9. *punct.*2. *num.*1. & omnes.

QVÆSTIO XII.

An vota, ſeu iuramenta, quæ paſſim mercatores emittunt, de non emendo auctiori pretio, aut non vendendo viliori; ſint obligatoria?

REſpondeo vt certum: non eſſe. Quia neque in Dei honorem, neque in hominis, cui fit, vtilitatem cedunt. Sic Sanchez *lib.*3. *Decal. cap.*9. *n.*15. Palaus *diſp.*2. *punct.*7. §.2. *fine.* Bonac. *tom.*2. *diſp.*4. *q.* 1. *punct.*4. *n.*3. (non 2. vt legi apud Palaum) his verbis: *Tertiò* eos, qui iurant ſe non vendituros minori pretio, aut non empturos maiori, non teneri ad ſeruandum iuramentum; ſed poſſe minori vendere, & maiori emere: nam iuramentum videtur de re indifferenti, & ſine vtilitate, & factum videtur in fauorem eius, cui præſtitum eſt, quilibet autem poteſt cedere iuri ſuo. Sic ille.

DISPVTATIO XXXI.

De iuramento Decurionum, Scribarum, Procuratorum, & aliorum Miniſtrorum publicorum.

QVÆSTIO PRIMA.

An iuramenta, quæ Decuriores oppidi (vulgò, Regidores jurados, ò Vinti-quatros) emittunt, ſint licita & obligatoria?

RESPONDEO, vt certum, quod ſic. Nam iuramenta, quæ initio ſui miniſterij, accipiunt, ſunt de ſeruando ſecreto earum rerum, quæ in ſuo conſiſtorio tractantur: de proſpiciendo bono communi Reipublicæ, ac de munere ſuo fideliter obeundo: atqui hæc omnia ſunt omnino licita, & honeſta, & maximè conuenientia Reipublicæ: ergo & obligatoria. Sic vt quid certum, ſupponunt omnes Doctores, præſertim infrà citandi.

QVÆSTIO II.

An prædicti Decuriones teneantur, ex vi iuramenti ab ipſis præſtiti, inquirere peccata publica, eaquè denunciare iudici, vel Prælatis; vt illorum emendationem procurent?

AFfirmant aliqui Doctores, docentes, teneri ſub mortali dictos Decuriones, ex vi iuramenti, inquirere peccata publica ſuæ Reipublicæ: An

v. gr. in ea sint publici concubinarij; an mensæ ad ludos expositæ; an mulierculæ mediatrices, aut maleficæ; rixæ, iurgia, odia, &c. & facta inquisitione, obligatos esse denunciare illis, quibus incumbit, vt remedia adhibeant. Ratio eorum est, quia huiusmodi Decuriones id iureiurando promittunt, cum ad hoc munus admittuntur; & hoc est eorum munus speciale, vt sint tanquam oculi, & speculæ Reipublicæ, & quasi Patresfamilias eius. Ita Petr. Nauarra *lib. 3. de Restitut. cap. 3. dub. 3. n. 20. vers. secundò peccant.* & Rodrig. *in sum. cap. 28. numero vnico, in 4. interrogatione*; & alij viri docti de hac re Hispali consulti, vt refert Sanchez.

Sed probabiliùs Respondeo huiusmodi Decuriones ad id, ex vi iuramenti, minimè teneri; sed sua tantum interesse, & teneri solum ex proprio officio, prospicere bono publico, & temporali Reipublicæ, quale est, vt populus rectè prouideatur, pretia rerum vænalium non sint excessiua, ne ministri publici iniuriam Ciuibus inferant, ne grassentur latrones, sed viæ publicæ sint tutæ; & si pestis alicubi sit, Ciuitas custodiatur, vt infectis medicinæ, & necessaria omnia adhibeantur, &c.

Ratio est. *Tum*, quia forma iuramenti, quam præstant ij Decuriones, nec verbum continet, ex quo appareat, hæc peccata publica inquirere, & denunciare debere. *Tum* etiam, quia non sunt oculi Ciuitatis, & quasi Patresfamilias illius ad omnia peccata publica extirpanda, sed ad prospiciendum bono publico, & temporali Reipublicæ, & ad cauenda eius damna, vt diximus. Sic Sanchez *lib. 3. Decalogi, cap. 14. n. 16.* vbi affirmat, se consuluisse peritissimos Aduocatos Regiæ Cancellariæ Granatensis, & omnes vnanimi consensu, ita sibi respondisse, & sua subscriptione firmasse. Et Azeuedo *in Curia Pisana lib. 2. cap. 3. num. 1. & cap. 26. num. 4.* Fagundez *lib. 2. cap. 23. num. 26.* Palaus *disp. 2. de iuram. pun. 7. §. 5. num. 2.* Prado *tom. 2. de iust. cap. 32. q. 6. §. 2. n. 21.*

QVÆSTIO III.

An, iuramentum seruandi sub secreto ea, quæ in Consistorio, aut Congregationibus tractantur, quale faciunt oppidi Decuriones, Auditores regij, & alij publici Ministri, obliget sub mortali in quauis re modica?

Affirmabunt, qui existimant, esse culpam mortalem transgressionem iuramenti promissorij in re leui. Hi autem sunt Gabr. Caiet. Armilla, Valentia, Lessius, Bonac. Reginal. Medina, Filliuc, & alij plures adducti à nobis supra *disp. 7. §. 4. q. 33.*

Sed probabiliùs Respondeo minimè obligare tale iuramentum, sub mortali, in re leui, & modica; licèt benè, in re graui. Ratio est: Quia iuramenta obligant instar præcepti, & solum addunt nouam circunstantiam sacrilegij, si non obseruentur: atqui præcepta non obligant ad mortale, nisi ratione grauitatis materiæ: ergo neque iuramenta. Igitur si quæ in Consistorio, aut Congregatione tractãtur sint grauis momẽti, ita vt manifestata præiudicẽt notabiliter bono communi, vel alicui tertio, tunc eorũ detectio erit mortalis: si autem leuis sint momenti, eorum manifestatio, solùm erit venialis. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 4. n. 23. adiuncto cap. 14. num. 4.* Palaus *§. 5. cit. n. 3.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 23. num. 10.* Et huius opinionis sunt etiam omnes, qui nobiscum sentiunt, solùm esse culpam venialem transgressionem iuramenti promissorij in re leui, siue hæc res sit materia totalis siue partialis iuramenti, & hi sunt D. Anton. Angel. Siluest. Sotus, Nauarra, Aragon, Azor, Henriq. Rodrig. Petr. de Ledesma, Sà, Suarez, Diana, Ioan. à Cruce, Villalob. Layman, Trullench, Acacio, Tamburin. & Prado, quos citauimus supra *disp. 7. q. 33. citata.*

QVÆSTIO IV.

An saltem peccent mortaliter transgrediendo iuramentum, quo promiserunt se seruaturos aliquod speciale secretum, etiam si sit rei leuis?

Affirmabunt qui dicunt esse culpam mortalem transgredi iuramentum promissorium etiam in re leui, quando hæc est materia totalis iuramenti; sunt autem Caietanus, Couarru. Philiarcus, Corduba, & Sayrus, quos retulimus vbi supra *disp. 7. q. 33.* & à fortiori id tenebunt omnes Authores nuper pro prima sententia adducti.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum ex ibidem dictis. Non peccare mortaliter, sed venialiter tantum. Ob rationem nuper datam. Sic Authores pro nostra opinione adducti, præcipuè Sanchez & Fagundez, & alij vbi supra adducti.

QVÆSTIO V.

An, peccent mortaliter scribæ, Procuratores, & alij Ministri publici, non obseruantes iuramentum, quod emittunt seruandi taxam lege præscriptam, vulgò, el aranzel?

Respondeo vt quid certum: Peccare mortaliter (casu ad minus, quo stipendium à lege taxatum, successu temporis non sit iniustum, & minus sufficiens, nec consuetudine derogatum, vt infra.) Ratio est. Quia illud iuramentum est de re honesta & licita, & cedente in bonum Reipublicæ, & vtilitatem litigantium: ergo obligat, & sub graui culpa, ad eius obseruationem. Deinde, *confirmatur*: quia Scribæ, & alij ministri iustitiæ, qui pro exercendo suo munere, certum, ac iustum stipendium habent, lege, aut consuetudine taxatum, nil amplius in pretium, pro eo munere exercendo, possunt accipere, & si illud accipiant, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem, eo quod sub ea conditione, & pacto iuramento confirmato, à Principe, vel republica, acceperunt: ergo verè tenentur ad talis iuramenti obseruationem. Sic communis. Legantur Couarru. *ad reg. peccatum, p. 2. §. 3. n. 1. & 2.* Molina Theologus *tom. 1. de iust. disp. 83.* Nauarra *de restitut. q. 2. art. 2. & q. 25.* Nauarr. *in sum. cap. 17. n. 33.* Caiet. *2. 2. q. 32. art. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 14. dubit. 9. n. 63.* Fagundez *lib. 8. in Decal. cap. 26. à num. 1.* & supponunt Sanchez, Palaus, Diana, Prado, & alij infra citandi. Lege Lugum *2. p. de iust. disp. 41. sect. 1. num. 12.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An, dicti Ministri publici teneantur, sub mortali non accipere aliquid, præter stipendium taxatum, etiamsi hoc stipendium iam censeatur iniustum, & insufficiens?

AFfirmandum adhuc videtur. Quia iurans latroni cogenti se daturum ei tantam pecuniam, tenetur soluere, etiamsi latro iniustè exigat, eo quod hoc iuramentum licitè obseruare valeat: cum ergo similiter iuramentum præstitum à Ministris publicis, seruandi stipendij taxati, etsi iniusti, possit ab illis licitè obseruari, obligabit vtiquè. Ita tenet expresè Toletus *lib. 5. sum. cap. 62. numer. 7.* Reginald. *tom. 1. lib. 25. cap. 57. sect. 3. numer. 993.*

Sed probabiliùs Respondeo, tunc non teneri sub mortali, ratione præstiti iuramenti, ad non accipiendum amplius, quàm stipendium taxatum. Ratio est: quia iuramentum seruandi aliquod statutum, semper intelligitur, quatenus illud iustum est, & obligatorium: ergo non obligabit iuramentum ad illud stipendium à lege signatum, quando iudicio prudentum, iam tractu temporis, respectu laboris, est iniustum. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 14. num. 14.* Qui benè respondet rationi dubitandi reddendo disparitatem: Quia latro (inquit) petit, vt ea pecunia non sibi debita, sed iniustè extorta, sibi promittatur: at authoritas publica suo munere fungens, non petit iniustè iuramentum, nec legis, quatenus iniusta est, sed id iuramentum exigere censetur seruandæ legis quatenus iusta est, ac vim obligandi obtinens: quare non aliter id iuramentum obligabit. (Lege à nobis dicta supra, *disp. 9. q. 55.* vbi retulimus aliquos Doctores negantes teneri iurantem latroni dare aliquam pecuniam, ad obseruationem iuramenti.) Sic cum Sanchez sentiunt Molfes. *in sum. tom. 2. tract. 12. cap. 5. num. 67.* Diana *2. p. tract. 17. Resol. 60. & par. 9. tract. 8. Resol. 8.* Molina *disp. 83. cit.* Silueſt. & D. Anton. apud ipsum Fagundez *lib. 8. cit. cap. 26. num. 8. & 9.* Palaus *disp. 2. pun. 7. §. 5. n. 5.* Prado *tom. 2. cap. 32. q. 6. §. 2. n. 18.* & antea *cap. 24. q. 6. §. 6.* Serra *2. 2. q. 71. art. 4.* Trullench, *lib. 2. in Decal. cap. 1. dub. 17. num. 8.* & *lib. 8. cap. 5. dub. 5. n. 2.*

QVÆSTIO VII.

An saltem iuramentum præstitum ab Scribis, & aliis ministris publicis, de obseruanda taxa; obliget, si taxa sit iusta, & sufficiens; lex tamen contrario vsu abrogata?

AFfirmabunt, à fortiori Toletus, & Reginald. nuper citati. Quia omnes ministri publici faciunt in principio suorum officiorum, vel singulis annis, iuramentum obseruandi illam taxam: ergo cum hæc alias sit iusta & sufficiens, tenebit iuramentum, non obstante quacumque consuetudine in contrarium.

Sed probabiliùs adhuc Respondeo non obligare adhuc tale iuramentum scribas, & alios ministros. Non quia ad illud obseruandum, se obligare non poterant, vt constat ex dictis *quæst. 4.* sed quia censendi sunt (inquit Palao) se non voluisse obligare. Cum enim aliquam legem seruandam iuras, iuras eam seruare, eo modo, quo recepta est, & sub ea obligatione. Quia iuramentum est legi accessorium, & illius obligatione, vis obligationem legis firmare. Si igitur lex nullam inducit obligationem, quia est derogata, aut solam obligationem leuem, iuramentum de illius obseruatione, eamdem, vel nullam obligationem habebit. Et ita loquens de Scribis tradit Sanchez *lib. 3. sum. cap. 14. n. 14.* Huc vsque Palaus *disp. 2. pun. 7. §. 5. n. 5.* Diana *2. p. tr. 47. Resol. 60.* Serra *2. 2. q. 71. art. 4.* Trullench, *lib. 2. in Decal. cap. 1. dub. 17. n. 8.* & *lib. 8. cap. 5. dub. 5. n. 2.* Quos citat, & sequitur Prado *tom. 2. de iust. cap. 24. q. 6. §. 6. n. 37.* & *cap. 32. q. 6. §. 2. n. 19.* dicens, quod iuramentum, quod Aduocati, & Notarij, in principio sui officij faciunt, non intelligitur de statutis, quæ abierunt in dissuetudinem; sed de his, quæ sunt in viridi obseruantia. Legantur quæ dicta sunt de iuramentis Medicorum, *disp. 29.*

QVÆSTIO VIII.

An, de facto, nostris temporibus, stipendium taxatum pro Aduocatis, Scribis, seu Notariis, & aliis Ministris publicis, sit iustum, & minimè abrogatum?

AFfirmant plures DD. existimantes, adhuc nostris temporibus, stipendium taxatum pro dictis Ministris, esse iustum, & minimè abrogatum: & ideo obligatos esse in conscientia, præsertim ratione iuramenti, ad eius obseruationem. Ita Bañez *2. 2. q. 71. art. 4. dub. 1. circa 8. concl. seu, dub. 7. concl. 1.* Ioan. de Cruce *in sum. circa 8. præcep. art. 5. de Aduocato, dub. 22. post 1. concl.* Petr. Ledesma *tom. 2. tract. 8. cap. 26. concl. 9.* Villalob. *tom. 2. tract. 18. diff. 4. num. 2. & 4.* vbi sic ait: *Todas estas leyes son justissimas, y assi obligan en conciencia como tassa: de suerte, que el que lleuare mayor precio, tendra obligacion à restituir el exceſſo, como dize Fr. Luys Lopez lib. 1. instruct. negot. cap. 17.* Hæc Villalobos. Quibus fauet Palaus *num. 3.* vbi ita scribit: Insuper Scribæ, Procuratores, aliiquè officiales, iuramentum emittunt seruandi taxam sibi à Rege præscriptam, vulgò, *el aranzel*, quam multi clamant esse magna ex parte consuetudine derogatam: In cuius confirmationem allegant pretia rerum post illam taxam notabiliter excreuisse; ita vt se, suamque familiam sustentare non possint, si taxam seruent. Cæterum his nunquam acquiescere potui: plures enim Scribas consului, an sufficienter se sustentare possint ex officio, seruando taxam, si ipsis committerentur negotia, quæ possent expedire; & ab illis responsum accepi, optimè posse. Quæ ergo æquitas, & iustitia postulat defectum negotiorum, augmento pretij supplere, & velle ex vno litigante accipere, quæ à pluribus accepturus eras? Præterea ab obseruatione taxæ excusari non potes, nisi ob consuetudinem contrariam: at vsque modo nulla est talis consuetudo: nam si aliqui taxam excedunt, clam accipiunt, nec Respublica consentit: quomodo ergo allegare contrariam consuetudinem

potes? *Item*, omnibus his Officialibus mandatum est, vt in fine cuiuslibet scripturæ apponant salarium pro illa acceptum. Si ergo abundans accipientes, diminutum apponunt, clarè ostendunt excessum à Republica non permitti. Quo ergo titulo illum habere possunt. Hæc omnia Palaus. Legatur Sayrus *in Clani Reg. lib. 12. cap. 23. n. 28.* & alij penes ipsum. Bonac. *disp. 10. in 8. præcep. q. 3. pun. 4. n. 9.*

Alij contrà negant tale stipendium esse iustum, nec minimè abrogatum contrario vsu: & ita dicunt, posse Scribas & alios Ministros publicos accipere sibi incrementum vsque ad limites iusti pretij. Sic Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 83.* Basil. Pontius *1. p. variarum, disp. 2. scholastica, cap. 7.* D. Anton. & Silvest. apud ipsum, quos omnes refert & sequitur Diana *2. p. tract. 17. Resol. 60. & p. 9. tract. 8. Resol. 8.* Quibus addi possunt Lugo *tom. 2. de iust. disp. 41. sect. 1. n. 12.* Salon *2. 2. q. 71. art. 4. dub. vltimo, §. In hoc nostro.* Trullench, *lib. 8. in Decal. cap. 26. num. 8. & 9.* Luysius Turrian. *2. 2. q. 71. art. 4.*

Sed ego Respondeo dicendum; in hac re minimè posse aliquem propriam sententiam pro omnibus Prouinciis proferre. Quia cum in diuersis diuersa sint stipendia pro Ministris publicis taxata, nequaquam possumus iudicare, an omnia iusta, vel iniusta; an in viridi obseruantia, an verò vsu contrario derogata sint. Loquendo igitur de Hispaniæ Prouinciis, assentio Authoribus secundæ sententiæ, qui certè probabilissimè dicunt, pretium taxatum pro Scribis, aut Notariis, & aliis Ministris, esse iam successu temporis iniustum, vel abrogatum contraria consuetudine; & ideò non teneri huiusmodi Ministros illi stare, nec deserere publica officia, Reipublicæ necessaria, ipsisque collata, & quæ ab ipsis in commune beneficium vtiliter exercentur: sed posse eos accipere incrementum pretij, vsque ad limites iusti pretij, quod esse tale, æstimandum est, non ex indigentia ipsorum Ministrorum ad alendam familiam; sed ex opere, & obsequio, quod præstant, arbitrio prudentis, considerata quantitate, & qualitate operis, & obsequij ab illis præstiti. Sic Fagundez, & Lugo *loc. cit.* ex Molina, vbi supra.

DISPVTATIO XXXII.

De iuramento Collegij Anglicani, & aliorum, redeundi ad Patriam, & non ingrediendi Religionem.

QVÆSTIO PRIMA.

An valeat iuramentum, quod in Collegio de propaganda fide, & Anglicano, præstatur ab alumnis suis, de non ingrediendo aliquam Religionem, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia?

RESPONDEO vt certum: valere. Patet, quia iuramentum quod emittunt est sub hac forma: *Insuper spondeo, & iuro, quod dum in hoc Collegio permanebo, & postquam ab eo, quocumque modo, sine completis, siue incompletis studiis exiero, ante elapsum triennium, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem amplectar, vel ingrediar, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia: neque in earum aliqua professionem emittam.* Hæc forma iuramenti. Nunc ego: atqui hoc iuramentum hoc modo factum est omnino validum. *Primò*, quia minimè impedit Religionis ingressum, nisi ad tempus, nempe, nisi dum alumnus permanet in Collegio, aut postquam ab illo exierit, ante elapsum triennium, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia. *Deinde*, quia prima conditio talis iuramenti, verè est rationabilis; apponitur namque ad hoc quod talis ingressus in maturiori ætate, & maturiori consilio fiat. *Secunda verò*, item, vel quia talis conditio inest cuilibet voto simplici, vel iuramento: vel quia Papa est Generalissimus omnium Religionum, vt cum D. Thoma *2. 2. q. 186. art. 5. ad 3.* communiter docent Theologi: ergo validè, & licitè iurant, & vouent dicti alumni non ingredi aliquam Religionem, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, quia ad illum, vtpotè, vt supremum caput omnium Religionum, spectat admissio recipiendorum. Sic Nauarr. *lib. 3. consil. de Regul. cons.* 1. Azor *tom. 1.* (non 3. vt legi apud Pradum) *lib. 11. cap. 5. q. 4.* Fagundez, Layman, Tamburin. Pellizzarius, & alij infra adducendi. Et præcipuè Lezana *consult. 19. per totum*, quem lato calamo refert, & sequitur Mag. Prado *tom. 2. de iust. cap. 32. q. 6. §. 3. per totum.* Bordonus *de Profess. Regulari cap. 3. q. 64. numer. 161.*

QVÆSTIO II.

An item, sit validum iuramentum, quo certi adolescentes in aliquibus aliis Collegiis, in quibus aluntur, iurant, se non ingressuros Religionem, inscio Rectore suo, vel, eo, cui curæ sunt?

RESpondeo etiam vt certum: Esse validum. Constat ex nuper dictis. Quia tale iuramentum non impedit eis maius bonum, aut Religionis ingressum, quippe, qui non iurant absolute, se non ingressuros Religionem, sed se eam non ingressuros, sine petitione facultatis suorum Superiorum, qua petita, & non obtenta, possunt ingredi Religionem, repugnante etiam, & contradicente proprio Superiori. Sic Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 5. q. 4.* his verbis: Existimo enim eiusmodi iusiurandum vim, & locum habere, quoniam cedit in communem Reipublicæ salutem, & bonum, vt sint litteratorum hominum seminaria, ex quibus idonei Ministri deligi queant ad Sacerdotia, & Ecclesiastica munera obeunda, &c. Sic ille, & ex illo Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 16. n. 5.* Pellizzar. *tom. 1. Reg. tract. 2. cap. 4. q. 16. n. 33.*

QVÆSTIO III.

An, Alumni Collegij Anglicani Romæ, qui præstant iuramentum, se absolutis studiis, vitam Ecclesiasticam perducturos, & in Angliam ad fidem Catholicam docendam ituros; possint adhuc tuta conscientia Religionem ingredi?

NEgant tunc posse Religionem sine dispensatione ingredi, in qua voto, aut iuramento satisfacere non possint, Nauarrus *consil. 1. de Regular.* (aliàs 4.) & eum sequutus Layman *tom. 2. lib. 4. tract. 3. cap. 6. n. 6.* Qui & probat sic. Quia iuramentum, quod in gratiam, vel vtilitatem hominis, vel Ecclesiæ, alteriusvè communitatis, editum est de opere honesto, semper obligat; neque in aliud, quamuis melius opus, arbitratu iurantis commutari potest, vt ex communi docent Sylvest. *verb. iuramentum* 4. *q.* 20. Molina *tom. 1. tract. 2. disp.* 149. §. *Prioris verò partis*, Suarez *lib. 2. cap. 12. n. 14.* & Sanchez *lib. 3. cap. 9. num. 19.* Atqui iuramentum, quod faciunt dicti Alumni Anglicani Collegij, editur in vtilitatem Ecclesiæ Anglicanæ: ergo stante dicto iuramento, non possunt absque periurio ingredi Religionem, in qua iuramento satisfacere non possint. Hanc etiam sententiam tenet Candidus *disquis. 26. art. 12. dub. 1.* qui & citat Sylvestrum, vbi supra, sed malè, qui nec verbum de quæstione proposita dicit. Tenet etiam Angelus Maria *Virricell. tom. 2. tit. 15. q. 297. n. 5.*

Sed probabiliùs, Respondeo: posse dictos Alumnos, non obstante iuramento ab eis præstito redeundi ad patriam, post absoluta studia; Religionem quamlibet ingredi. *Primò* quia hic status, vtpotè maioris perfectionis, semper censetur exceptus, nisi ob aliquod maius bonum expressè renunciauerint, vt contingit in casibus propositis nuper *quæst. 1. & 2.* Atqui in casu huius quæstionis non renunciant expressè tali statui Religioso: ergo censetur exceptus.

Secundò quia dicti Alumni ingrediendo Religionem, iuramentum in melius commutant, at qui iuramentum, aut votum, propria sua auctoritate in melius commutat, periurus non est, vt habetur *in cap. peruenit. 2. de iureiur.* & *cap. scriptum, de voto*, vbi sic dicitur: *Reus facti voti non est, qui temporale obsequium in perpetuam nosci tur Religionis obseruantiam commutare.*

Nec obstat fundamentum Laymanij, quia iuramentum factum immediatè Deo, sed homini, potest rescindi à iurante, ante quam ab homine, cui est præstitum acceptetur, vt habitum est suprà; ergo in melius communiter. Sic sentiunt Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 5. quæst. 4. vers. animaduertendum tamen. col. mihi* 1342. Basil. Pontius *lib. 12. de sponsal. cap. 8. n. 27.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regular. q. 10. art. 10.* Castro Palao *disp. 2. punct. 14. num. 15.* Fagundez *lib. 2. in Decal. cap. 16. n. 5.* Prado *tom. 2. de iust. cap. 32. q. 6. §. 3. num. 24.* Pellizzar. *tom. 1. Man. Regul. tract. 2. cap. 4. num. 34.* Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. n. 55.* Bordonus *loco cit.*

QVÆSTIO IV.

An, dicti Alumni Collegij Anglicani, vi iuramenti ab ipsis præstiti, simpliciter prohibeantur ingredi Religionem?

REspondeo vt certum, quod non: sed solum pro tempore, quo manent in Collegio Anglicano, & intra integrum triennium à die, quo recesserint à dicto Collegio. Quia id constat ex forma iuramenti, quod præstant, quam habes suprà *quæst. 1.* Sic Pellizzar. *loco citato, n. 34.* & Bordonus *cap. 3. cit. q. 64. n. 161.* ibi. Respondeo per illud iuramentum, non prohiberi ingressum in Religionem, cum à Religioso facto benè obseruari possit; nam refertur ad adiuuandum animas illius Religionis, quæ à fide aberrarunt, & recesserunt ab obedientia Romani Pontificiis, sed id proprium est Religiosorum, qui quotidie mittuntur ad conuersionem infidelium, & hæreticorum, non ergo ex hoc capite prohibentur. Sic ille.

DISPVTAT. XXXIII.

De iuramento obediendi Rectori, ab scholasticis, & aliis Academicis, præstito.

QVÆSTIO PRIMA.

An, omnes scholastici, Doctores, Magistri, & alij Academici, præstent iuramentum de obediendo Rectori?

RESPONDEO quod sic. Sic Doctus Pat. Andreas Mendo, *de iure Academ. lib. 3. q. 10. n. 77.* his verbis: Scholastici, qui albo Academiæ Salmanticensis adscribuntur, præstant iuramentum de obediendo Rectori, (idémque in aliis Academiis contingit; quare eis quæstio hæc est communis.) Idémque iuramentum præstant quotannis Magistri, ac Doctores in Sacello ipsius Academiæ, die ad id designato. Imò Magister scholæ tenetur id ipsum simul cum illis eo die præstare. Hæc autem obedientia non est vniuersalis, qualis præstatur Prælato à subdito Regulari; sed in ordine ad ea, quæ spectant ad bonum publicum Academiæ, regiménque ipsius, profectum scholasticorum in studiis, modestiam, & moderationem in ornatu, huiusmodique alia. Hæc ille.

QVÆSTIO II.

An etiam omnes Regulares, qui Academiam frequentant, prædictum iuramentum Rectori præstent?

REspondeo, quod omnes, qui foro Academiæ gaudere volunt, non alij. Sic Mendo eod. *n.* 77. prosequens: similiter prædictum iuramentum præstatur à Regularibus, qui Academiam frequentant, & quotannis post nouum electum Rectorem, qui in profesto S. Martini eligitur, matriculæ adscribuntur, vt sic Communitates Regularium gaudeant foro Academiæ, & coram Scholæ Magistro possint suas causas agere, & præterea ipsi Religiosi studentes possint cursus Theologiæ peragere, & deinde Gradus obtinere. Sic ille.

QVÆSTIO III.

An, vt scholares, & Academici subdantur iurisdictioni Rectoris, sit necessum, vt dictum iuramentum faciant?

REspondeo, quod non sit necessum. Nam ad hoc sufficit, quod in albo Academiæ inscribantur: munusvè in illa gerant; nam hoc ipso Rectori subditi fiunt, cùm ille in Academia sit Superior & caput, & consequenter absque iuramento gaudent priuilegiis studij. Sic Mendo *loc. cit. n.* 78. Qui id confirmat, nam Rector (vt constat ex *constit.* 5. *Academ. Salmantinæ*) potest compellere Scholasticos, qui de nouo Academiam ingrediuntur, vt id iuramentum præstent, atque eos punire, si detrectent præstare: ergo, quia illicò, vt in numero Scholasticorum constituuntur, subditi fiunt Rectori, aliàs, si subditi non essent, nequiret eos compellere ac punire. Sic ille ex D. Alphonso Escobar, *de Regia & Pontificia iurisdict. in studiis, cap.* 7. *à numer.* 1.

QVÆSTIO IV.

An, Scholastici, & alij Academici, obligentur sub mortali semper, ad obediendum Rectori præcipienti, sub pœna præstiti iuramenti?

REspondeo dicendum, quod non semper obligentur sub mortali, sed aliquando sub mortali; aliquando verò sub veniali, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ præceptæ. Si enim res præcepta à Rectore sit grauis, peccatum erit mortale eam non exequi: si autem materia sit leuis, solum erit peccatum veniale defectus executionis, & obedientiæ. Ratio est: quia in eo, qui aliunde tenetur obedire Superiori, votum, aut iuramentum de illi obediendo, solùm addit nouum vinculum, & obligationis firmitatem, ita vt ratione illius, non fiat inobedientia absolutè peccatum veniale, aut mortale; sed quod id quod aliàs erat peccatum veniale, vel mortale, fiat maius peccatum ratione circunstantiæ voti, vel iuramenti: igitur cùm Scholastici & alij Academici, teneantur aliàs obedire Rectori, vt supra est habitum, iuramentum de illi obediendo, solùm addit nouum vinculum, & firmitatem ratione cuius erit maius peccatum inobedientia in genere peccati mortalis, vel venialis, iuxta qualitatem materiæ, ex qua desumenda est grauitas, aut leuitas peccati; ex iuramento verò, circunstantia sacrilegij, aut periurij addens grauitatem. Sic communis. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 14. *n.* 6. & penes illum, Gerson, Driedo, Couarru. Metina, Manuel, Vasquez, & Azor. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 23. *num.* 11. Trullench, *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 17. *num.* 9. Mendo *de iure Academ. lib.* 3. *q.* 10. *à num.* 81. Candidus *tom.* 2. *disquis.* 26. *art.* 12. *dubit.* 17. Luysius *in sum.* 1. *p. cap.* 176. *dub.* 5.

QVÆSTIO V.

An saltem obligarentur dicti Scholastici obedire sub mortali Rectori præcipienti & expressè intimanti, se velle in rebus leuibus obligare eos sub mortali?

REspondeo dicendum, quod adhuc in hoc casu non obligarentur sub mortali obedire illi. Quia si materia præcepta sit secundum se leuis, incapax est obligationis sub mortali, quidquid Superior aliàs velit. Obligarentur igitur sub veniali ad illi obediendum in his rebus leuibus. Sic Sanchez *loco cit.* Driedo, Manuel, & Medina apud ipsum. Fagundez *loc. cit. num.* 12. Qui benè aduertit, hanc doctrinam esse intelligendam, nisi alias, ex aliqua circunstantia boni communis adiuncta, quam Rector intenderet, res fieret grauis, & caderet sub peccatum mortale; vt ratione iacturæ boni cõmunis, aut ipsius Vniuersitatis: res enim quæ de se apparet leuis, potest sæpè ob actus excellentiam, aut necessitatem fieri materia grauis, & capax peccati mortalis. Legantur Valentia 1. 2. *disp.* 7. *q.* 5. *pun.* 6. Suarez *tom.* 5. *de censur. in* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 6. *num.* 11. vbi ait, debere satis certò, & indubitanter constare materiam esse leuem, vt iudicemus præceptum, quod aliàs ex verborum tenore ad mortale obligaret, non sic obligare: quia in dubio non est spoliandus Superior sua possessione. Sic ille. Legatur etiam Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 4. *num.* 3. Sed pro praxi, exponendum restat, quæ sit materia grauis, quævè leuis, in his quæ communiter, sub pœna præstiti iuramenti à Rectore iubentur. Sit ergo.

QVÆSTIO VI.

An, quando Rector præcipit sub pœna præstiti iuramenti, vt ipsum comitentur Scholastici in die S. Nicolai, aut S. Martini, teneantur illi sub mortali Rectorem comitari?

AFfirmant aliqui, quos suppressis nominibus referunt Sanchez & Fagundez, infra. Et Mendo, vbi supra *num.* 86. citat pro hac parte Medinam

nam *in sum. cap.* 16. §. 11. sed malè ; nam de hoc casu nec verbum dicit : benè verò de sequenti.

Sed probabiliùs Respondeo, non teneri sub mortali illum comitari. Quia probabiliùs est rem præceptam non esse materiam grauem ad constituendum mortale ; cum, neque maximè interfit ad publicum bonum, nec ex transgressione, graue damnum sequatur. Sic Sanchez *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 6. *fine.* Fagundez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 13. D. Alfonsus Escobar, quem citat, & sequitur Mendo *lib.* 3. *q.* 10. *num.* 85. cum quadam tamen limitatione statim apponenda.

QVÆSTIO VII.

An, si Rector, aut Magister Scholæ præcipiat, ne Scholastici sericis vestibus vtantur ; teneantur id sub mortali exequi culpa ?

AFfirmat Medina *in sum. cap.* 16. §. 11. *in fine*, his verbis: *Tambien sino viste, y trata conforme à la ley de la vniuersidad, la qual ley es justa, y de cosa graue, y que obliga a pecado mortal.* Hæc Medina.

Sed probabiliùs Respondeo : non teneri sub mortali culpa, exequi tale mandatum, sed sub veniali. Quia probabiliùs est rem præceptam non esse materiam grauem : sed leuem. Sic Sanchez, Fagundez, & Escobar, citati, & Mendo *num.* 85. Qui tamen *n.* 86. hunc, & antecedentem casum limitat, nisi alias scholasti i omnes, aut saltem numero plurimi, inter se conuenirent de non comitando Rectorem, vel de afferendo vestes sericas. Tunc enim quisque, vt cooperans, peccaret grauiter : quia damnum graue sequeretur, nempe, quod Rector, absque comitatu, & cum defectu graui decentiæ, quam eius dignitas, iustè illis in casibus exigit, vt sibi debitam, incederet : & quod scandalum ex vsu earum vestium sequeretur ex ea conuentione, & publicus defectus modestiæ, ac moderationis in ornatu : & præterea in vtroque casu daretur contemptus præcepti à Rectore iuncti. Hæc Mendo.

QVÆSTIO VIII.

An, item non teneantur sub mortali Scholastici obedire Rectori præcipienti sub pœna præstiti iuramenti, vt intersint solemni supplicationi publicæ ; Missarum sacrificio ; funeri alicuius Academici, &c.

REspondeo, nec tunc teneri sub mortali, sed sub veniali tantum obedire. *Tum*, quia materia non est grauis, sed leuis. *Tum* quia præcepta piè, & non rigorosè nimis sunt interpretanda, vt aiunt Sanchez, Fagundez, Escobar, & Mendo locis citatis, Trullench *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 17. *n.* 9. & Luysius *in summa* 1. *p. cap.* 176. *dub.* 7. *concl.* 2. *&* 3. vbi ita ait : Dubium non est quin Rector possit illud ita præcipere, vt obliget. Existimo communiter hactenus non sic esse intellectum præceptum, quæ est opinio communis Doctorum in Academia Hispaniæ. Hæc Luysius.

QVÆSTIO IX.

An saltem si Rector sub pœna præstiti iuramenti præcipiat vt Doctores, aut Magistri, siue Scholastici conueniant ad rem grauem tractandam, tunc obliget sub mortali ?

REspondeo, vt certum : quod sic. Quia tale præceptum est de materia graui. Sic Sanchez *lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 6. Fagundez *n.* 13. ex Driedone, Manuele, & Medina, *locis citatis.* Mendo *n.* 7. vbi idem docet, casu, quo præcipiat, vt scholastici non afferant arma ignea, aut alia prohibita. Vel quod non impediant lectiones strepitu, & vocibus per plures dies ante tempus Natiuitatis Domini, Bacchanalium, & Hebdomadæ Sanctæ ; quia hæc materia est grauis, & eius transgressio vergit in damnum graue boni publici, & vtilitatis Academiæ.

QVÆSTIO X.

An, Rector Academiæ, cui ab Scholasticis iuramentum præstatur, possit illud suspendere, aut ralaxare ?

REspondeo, *primò* dicendum, quod possit Rector suspendere præceptum iniunctum à se respectu huius, aut illius, in vno, vel altero casu. Quia sicut potest illud præceptum non iniungere, sic & potest illud suspendere, & dicere, id omnibus præcipio, nisi Ioanni, aut Petro : vel præbere licentiam, vt aliquis illud non adimpleat.

Respondeo *secundò*. Etiam potest Rector per seipsum solùm relaxare iuramentum factum in eius fauorem ; cum Academia autem simul, casu, quo factum sit in vtriusque fauorem & vtilitatem. Sic cum Escobar sentit Mendo *q.* 10. *numero* 89. *&* 91.

QVÆSTIO XI.

An, iuramentum de obediendo Rectori, obliget, cùm nouus Rector eligitur ; antequam nouum iuramentum fiat ?

REspondeo : obligare, etiam antequam nouum iuramentum fiat. Quia, (ait Mendo) iuramentum prius præstitũ semper scholasticos obligat, dum in Academia versantur : quia iurant de obediendo Rectori quisquis hic sit. Contingit enim sæpè decursu anni Rectorem ante diem S. Martini Salmanticâ discedere, aliúmque Rectorem in aliquos menses, seu dies eligi, quin denuò iuramentum præstetur ei ab scholasticis, & nihilominus Rector hic, medio tempore electus, solet plura, aut aliqua saltem, iubere, sub pœna præstiti iuramenti, quod præceptum legitimè iniungitur, aliàs à grauissima, & sapientissima Academia non sustineretur, &c. Sic ille.

QVÆSTIO XII.

An ille qui, dum promouetur ad Gradum Licentiatus in aliqua Academia, iurat non acceptare Gradum Doctoratus in alia Academia; possit nihilominus illum recipere in alia?

REspondeo posse. Quia iuramentum à se præstitum, intelligendum est, ex causa subsistête, tempore quo præstitum est, secus si noua causa superueniat. Sic Anton. *cap. 2. de renunc. n.12.* & ibi Abbas *n. 12.* Anton. Gomez *lege 22. Tauri, n.10.* Sanchez *lib. 3. cap. 17. n. 5.* Prado *tom. 2. de iust. cap. 32. q. 6. §. 2. n. 23.* Castro Palao, *disp. 2. pun. 14. n. 24.* per hæc verba: Sextò, promotus ad gradum Licenciatus in aliqua Vniuersitate, si iurasti non acceptare gradum Doctoratus in alia Academia: subintelligitur, ex vi illius licentiæ. Si enim velles gradum licenciatus iterum in alia Academia recipere, gradum doctoratus, in illa accipere poteris. Sic ille. Et praxis certè.

DISPVTATIO XXXIV.

De iuramento, seu voto, seruandi statuta Reipublicæ, Vniuersitatis, Collegij, Sodalitij, & Communitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Communitates, Capitula, Collegia, & Monasteria, possint, se iuramento promissorio obligare?

RESPONDEO vt certum: Posse. Quia sic habetur in cap. *Dilecto, de Præbend.* & constat ex vsu & consensu omnium Doctorum. Dupliciter enim, (ait Suarez) potest iuramentum fieri ab vniuersitate, seu communitate; primò ad obligandos singulos singulariter, & diuisim operantes; vt si iurent seruare talem diem festum, vel aliquid huiusmodi: secundò ad se obligandum collegialiter; vt si iurent, non reuocare tale statum, vel seruare illud; cum tamen non disponant de actionibus singulorum, sed de actione totius Capituli, vt non recipiendi aliquem in Canonicum, vel Fratres vltra talem numerum, vt est exemplum *in d. cap. Dilecto, de prebend.* Hæc ille, *lib. 2. de iuramento* (non de voto, vt leges apud Fagundez) *cap. 31. n. 8.* Fagundez *lib. 2. cap. 23. n. 1.*

QVÆSTIO II.

An, vt tota communitas, iuramento obligetur; sit necessarium, vt omnes & singuli communitatis, iuramentum præstent?

REspondeo vt certum: Quod non, secluso speciali casu. Quia satis est, quod maior pars communitatis iuret, licèt alij contradicant, nisi in aliquo speciali casu ad actum ipsum iuratum maior concordia, v.g. duarumpartium communitatis, requiratur. Ratio est: quia, secluso speciali casu, quod fit à maiori parte, & numero; censetur fieri à tota communitate, & Capitulo. Sic Suarez, & Fagundez *locis citatis.*

QVÆSTIO III.

An, postquam maior numerus suffragiorum Communitatis, Capituli, aut Collegij iurauit; sint cogendi alij, qui contradixerunt, ad iurandum?

REspondeo dicendum, quod cogendi sunt ad iurandum: nisi ostendant manifestam iniustitiam. Ratio est. *Tum*, quia tenentur cum toto conformari. *Tum* etiam, quia alias non posset esse firmum fœdus cum Communitate, aut Capitulo, seu Collegio iuratum. Nam quotidie mutantur personæ de Capitulo, & ita facilè posset cessare obligatio iuramenti, nullaque esset stabilitas in illo, quod in rebus moralibus est magnum absurdum. Eo igitur ipso, quod Capitulum obligatur iuramento, debent omnes, & singuli de Capitulo iurare personaliter. Sic Suarez loco citato, *num.* 11. Fagundez *num.* 1. Qui addunt, quod si contingat aliquos non iurare, illi revera non obligabuntur, in virtute iuramenti, licèt aliunde ratione pacti, legis, aut consuetudinis, stricta obligatione adstringantur. Lege Candidum *disquis. 26. art. 2. dub. 3.*

QVÆSTIO IV.

An, iuramentum, seu votum, seruandi statuta edita alicuius Vniuersitatis, Religionis, aut Collegij, &c. intelligatur etiam de statutis edendis ab ipsis?

REspondeo vt certum: Quod non. Ratio est: Quia iuramentum aut votum, non extenditur, vltra intentionem iurantis, aut vouentis: atqui iuramentum, seu votum, expresse fuit de seruandis statutis editis: ergo minime extenduntur ad edenda. Sic communis *ex cap. penult. de iureiurand.* Vbi Cardin. *numer. vnico.* Ioan. Andreas *num. 2.* Butrius *num. 3.* Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 14. numer. 1.* Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 32. numer. 11.* Palaus *disp. 2. pun. 16. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dubit.*

dubit. 4. *n.* 42. Luysius *in sum.* 1. *p. cap.* 176. *dub.* 3. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 3. Secus est, & maiori certitudine, dicendum; casu, quo iuramentum, seu votum esset de seruandis statutis editis, & edendis; quia tunc de vtrisque intelligenda sunt, cùm intentio iurantis, aut vouentis expressè vtramque amplectatur. Legatur Fagundez *num.* 4. Solùm igitur dubium esse potest, quando iuramentum aut votum simpliciter & absolutè fit de seruandis statutis, nihil verbis, vel intentione declarando, circa statuta edita, vel edenda, pro quo sit.

QVÆSTIO V.

An, iuramentum, seu votum, absolutè, & simpliciter præstitum seruandi statuta alicuius Communitatis; intelligi debeat, tam de editis, quàm de in posterum edendis?

AFfirmant absolutè Cardin. Ioan. Andr. & Butrius, nuper citati, vt refert Sanchez *numero primo.*

Alij verò distinguunt, dicendo, quod si statuta futura, & edenda sint magni præiudicij iuranti, seu vouenti, minimè extendatur ad illa: secus si sint modici præiudicij. Ita cum Bartolo sentiunt Abbas in cap. *penult. de iureiurando, numer.* 2. D. Anton. 2. *p. tit.* 10. *cap.* 6. §. 6. & Rosella, *verb. iurare, numer.* 25.

Sed probabiliùs Respondeo: solùm debere intelligi tale iuramentum, seu votum, de statutis editis, non vero de edendis (nisi casu quo nouum aliquod statutum fiat, vel ad solius veteris alicuius declarationem, vel ad declarandam tacitam obligationem in aliquo statuto contentam: quia tunc, cum non sit nouum statutum, sed idem cum veteri, §. *final. Authen. de fil. ante dot. instrum. nat.* ad illud extenderetur id iuramentum, seu votum.) Ratio est: Quia iuramentum, seu votum, est strictissimi iuris, & interpretationis: ergo, nisi sufficienter constet de intentione iurantis, seu vouentis, strictissimè explicandum est, & magis, vt non obliget, quàm vt obliget, propter periurij periculum. Sic Silues. *iuramentum* 4. *q.* 23. Angel. *iuram.* 5. *n.* 25. Armilla *numer.* 37. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 8. *q.* 7. Petr. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 5. *dub.* 2. *corol.* 2. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 14. *num.* 1. Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 32. *num.* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dubit.* 4. *n.* 22. Palaus *disp.* 2. *pun.* 14. *numer.* 2. *vers. Adde.* Fagundez *lib.* 2. *cap.* 23. *numer.* 5. Trullench *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 17. *num.* 8. *fine.* Villalobos 2. *p. tract.* 36. *diff.* 5. *numer.* 22. Candidus *disquis.* 26. *art.* 12. *dubit.* 12. *dicto* 20. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. *q.* 6. §. 2. *numer.* 12. Luysius *dub.* 3. *citato.*

QVÆSTIO VI.

An, qui absolutè iurauit, aut vouit, seruare omnia statuta Vniuersitatis, Collegij, aut alterius cuiusuis Communitatis; teneatur seruare, adhuc ea, quæ non sunt in vsu, & iam non obligant?

REspondeo vt certum: Non teneri vi iuramenti seu voti, seruare ea, quæ non sunt in vsu, aut in dissuetudinem abierunt: Quia huiusmodi iuramentum, seu votum, etiam si sit de seruandis omnibus statutis, solum intelligitur de solis illis, quæ sunt in vsu, & in viridi obseruantia, & quæ solent à tota, vel maiori parte Communitatis seruari. Ratio est. Quia statuta, quæ ex aliqua quauis causa obligare desinunt, iam non statuta: ergo cessabit perinde iuramenti, aut voti obligatio: nam hæc fuerunt illis accessorium, & hoc sequitur principale. Sic Nauarr. *cap.* 23. *num.* 23. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 8. *quæst.* 8. Gutierrez *de iuram.* 1. *p. cap.* 38. *num.* 14. Sanchez *cap.* 14. *cit. num.* 8. Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 32. *num.* 11. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 14. Palao *num.* 2. *cit.* Trullench, *num.* 8. Malder. Gomez, Portel, & Homobonus, quos citat, & sequitur Diana *part.* 3. (non 2. vt citat Trullench) *tract.* 6. *Miscell. Resol.* 39. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *pun.* 16. *num.* 2. *vers. septimò*, & sequent. Reginald. Vasquez, & Salas apud ipsum. Candid *loc. cit. dicto* 21. Prado *cap.* 32. *quæst.* 6. §. 2. *num.* 14. & 15. Luysius *in sum.* 1. *p. cap.* 176. *dub.* 4. *concl. vnica.* Qui addunt, hanc doctrinam esse veram, adhuc casu, quo in particulari petatur iuramentum, seu votum, seruandi aliquod statutum. Quia semper intelligitur peti de seruando illo, prout receptum est, & secundum obligationem, quam habet. Lege *disput.* 29. *de iuramento præstito à Medicis.*

QVÆSTIO VII.

An, iurans, aut vouens seruare aliquod statutum, obligetur ad illud seruandum, casu quo tale statutum, per potentem reuocare, reuocetur?

REspondeo tanquam certum: Non obligari amplius ad illud seruandum. Quia iam non manet statum, ac proinde tollitur materia iuramenti. Sic Caiet. Sotus, Tambiena, Angel. Silues. Tabiena, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 10. Bonac. *pun.* 16. *cit. num.* 2. *vers. ex quo licet inferre.* Fagundez *cap.* 23. *cit. num.* 16. Trullench *dub.* 17. *num.* 8. Diana 3. *p. tract.* 6. *Resol.* 39. *versu, Nota etiam.*

QVÆSTIO VIII.

An, iuramentum, seu votum, seruandi omnia statuta alicuius Collegij, aut alterius communitatis; extendatur ad statuta etiam non licita, & non possibilia?

REspondeo vt quid certum: Non extendi. Quia id habetur expresse in cap. 1. *de iureiur. in 6.* vbi deciditur, iuramentum generale seruandi statuta, intelligi de licitis, & possibilibus: ne iuramentum sit vinculum iniquitatis. Sic Sanchez *cap.* 14. *cit. num.* 7. Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 32. *numer.* 11. Fagundez *cap.* 23. *num.* 4.

QVÆSTIO IX.

An, saltem extendatur iuramentum, aut votum, ad statutum, quod tempore, quo præstitum fuit tale iuramentum seu votum, non erat iustum, nec licitum; postea tamen licitum & iustum fit?

REspondeo vt certum: Extendi, ita vt obliget à solo eo tempore, quo statutum iustum, & licitum factum fuit. V.g. iurauit, aut vouit quis seruare aliqua statuta, inter quæ est vnum non ligans, nec obligans, eo quod nondum sit à Superiori confirmatum, non obligabit iuramentum, seu votum, ad illius obseruationem pro tempore, quo illa deest, at ea accidente obligabit, & ligabit. Ratio est, quia tale iuramentum, seu votum, non est restrictum ad tempus, quo illud statutum iniustum erat, aut non ligabat, sed extensum ad totum tempus futurum: ergo obligabit tempore, quod id statutum firmitatem, & confirmationem obtinuerit. Sic Nauarr. *in summa cap.* 12. *numer. vltimo*, his verbis: iurauit quis generaliter seruare omnia statuta Ecclesiæ N. inter quæ, tempore iuramenti inuenitur vnum factum contra Canones, ab Episcopo, & Capitulo, cuius obseruantia est illicita, &c. postea verò confirmatur illud ex certa scientia à S. Sede Apostolica, quo eius obseruantia fit licita, is tenebitur seruare illud statutum post confirmationem Papæ, vi iuramenti, cum comprehendatur sub illo, & possit seruari sine interitu, vel dispendio salutis æternæ, &c. Hæc meus Nauarrus. ibi (vbi alia adiicit, quibus non assentior, eo quod videantur contraria iis, quæ diximus supra *disp.* 7. *quæst.* 43. & quæ dicemus infra, *tract.* 2. *disp.* 4. §. 2. *q.* 21. sequuntur) Nauarrum Sanchez *lib.* 3. *Decalogi, cap.* 14. *numer.* 11. & Fagundez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 17. & alij communiter.

QVÆSTIO X.

An, iurans, seu vouens, seruare statuta alicuius Religionis, Collegij, aut alterius Communitatis; committat aliquam culpam, transgrediendo, si statuta non obligent ad culpam?

REspondeo vt certum: Quod non committet. Ratio est, quia obligatio iuramenti metienda est, iuxta statuti obligationem: ergo si statutum ad nullam culpam obligat, neque iuramentum, seu votum, præstitum super illud statutum, obligabit ad culpam: igitur iurans, aut vouens, seruare statuta alicuius Religionis, Collegij, &c. non obligantia ad culpam, non erit periurus transgrediendo illa. Sic, ex *Clem.* 1. §. *cum igitur, vers. Declaramus. de verb. significat.* tenent Sanchez *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. Gerson, Medina, Ioan. Andr. Hostiens. Gomez & Padilla, apud ipsum. Candid. *disquis.* 26. *art.* 12. *dubit.* 15. Fagundez, omnino ex Sanchez, *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 7. Trullench *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 17. *numer.* 9. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. *quæst.* 6. §. 2. *numer.* 13.

QVÆSTIO XI.

An, iurans, seu vouens, seruare statuta Religionis, aut alterius Communitatis, semper peccet mortaliter transgrediendo, si statuta ad culpam obligent?

REspondeo vt certum: Quod non semper: sed solùm, quando transgreditur statutum tanti momenti, vt obliget ad mortale: nam si statutum sit leue, ita vt ad veniale solum obliget, tunc solum peccabit venialiter transgrediendo illud. Ratio est nuper assignata: Quia obligatio iuramenti, seu voti, metienda est iuxta statutorum obligationes: ergo si aliqua statuta sunt grauia, & magni momenti; alia verò leuia, & momenti parui, iuramenta, aut vota de illis obseruandis facta, obligabunt ad mortale, vel veniale, eo modo, quo statuta obligant. Sic omnes Authores nuper citati. Legantur Candidus vbi supra *dubit.* 13. *dicto* 22. & 23. Mendo statim citandus. Prado *loco citato.*

QVÆSTIO XII.

An, qui iurant, aut vouent statuta alicuius Religionis, Collegij, aut cuiusuis alterius communitatis, decernentia aliqua sub certis pœnis facienda, aut omittenda; contrahant aliquam culpam, ea transgrediendo?

REspondeo vt certum ferè; Quod non. Quia dicta statuta ad solam pœnam soluendam legitimè petitam obligant: atqui obligatio iuramenti,

menti, seu voti, pensenda est iuxta statuti vinculum: ergo si statum obligat tantum ad pœnam, iurantes, aut vouentes seruare illud, nullam culpam contrahent, transgrediendo, sed solùm ad pœnam soluendam erunt adstricti. Sic Sanchez *cap.* 14. *cit. num.* 4. Ioan. Andr. Hostiens. Gomezius, & Padilla, quos refert, & sequitur Fagundez *num.* 9. Candid. *disquis.* 26. *art.* 12. *dub.* 15. *dicto* 26. Mendo *de iure Acad. lib.* 2. *q.* 19. *n.* 211.

QVÆSTIO XIII.

An qui admissus in Collegium iurat, aut vouet, Concollegis suis auxilium ferre, quoties occurrat casus, teneatur sub mortali ad id?

REspondeo, teneri ad id: sed intelligendum est tale iuramentum, seu votum, dummodo alius dignior ad dignitatem non sit. Quia aliàs, nec licitum, nec obligatorium esset iuramentum, aut votum. Sic Palaus *disp.* 2. *de iuram. punct.* 14. *n.* 16. ex Basilio *lib.* 12. *de sponsal. cap.* 8. *n.* 27.

QVÆSTIO XIV.

An togati teneantur sub mortali, ad iuramentum implendum, de soluendo aliquo donatiuo suo Collegio?

REspondeo verè teneri; nisi adeò postmodum inopia premantur, vt non possint illud exequi. Fiet tamen satis huic iuramento, vel tempore mortis relinquendo aliquod legatum, vel tempore anticipato præbendo donatiuum. Quod si legati relinquendi quantitas in iuramento designetur, non potest infra quantitatem relinqui: si autem non designetur, inspiciendum est, quid sufficere iudicetur communiter, vt id iuramentum impleatur, an per maiorem aut minorem quantitatem. Sic Pater Mendo *lib.* 2. *de iure Academ. q.* 22. *n.* 238.

QVÆSTIO XV.

An, votum, seu iuramentum, in Academiis, Collegiis, Religionibus, &c. prolatum, defendendi Immaculatam Conceptionem Dei genetricis Mariæ, sit iustum, & pium;

REspondeo tanquam certum: Esse omnino pium, iustum, honestumquè, & valde meritorium. Huius enim iuramenti (seu voti) honestas, & bonitas, liquet ex tribus eius comitibus, qui sunt veritas, iustitia, & iudicium. Adest namque in primis *veritas*. Cum hanc doceat vniuersalis Ecclesia, dum Immaculatæ Conceptionis festum summo cum gaudio celebrat. Docent etiam illam communiter Doctores, ac sancti Patres, vt nouissimè demonstrat doctissimus, ac deuotissimus, & satis laudatus, licèt nunquam satis, Petrus de Astorga, & Alba, in libro intitulato, *Sol Veritatis*. Eam iurant defendere Ecclesiæ Matrices, Academiæ, Religiones, Ordines Militares, Vrbes, Loca, Communitates, Congregationes, & Confraternitates. Eam approbant Pontifices, Concilia, & sacræ fidei Tribunalia. Eam confirmant Reuelationes, & Miracula, quibus omnibus nequaquam potest inesse falsitas, sed veritas certissima, cuius defensionem iterum, millies a millies sine fine, promitto, voueo, ac iuro.

Adest etiam *iustitia*, cùm materia huius voti, ac iuramenti, sit licita, pia, iusta, & sancta. Quis neget? Adest denique, *iudicium*, seu necessitas. Quia hoc iuramentum præstatur summa consideratione præhabita; & est opportunum satis ad excitandos Fidelium animos in affectum erga Deiparam, ac vt ei grauissimum offeratur obsequium, & eius Filij à Matre Immaculata nascentis gloria augeatur. Sic Mendo de iure Academ. *in Appendice, à n.* 1. cuin communi omnium Sapientum, & Doctorum. Extra horum lineam auream, excludendus omnino, venit, si quis contrarium senserit, non dico, dixerit, quia iam id est vetitum à nostro SS. Patre Alexandro VII. Pontifice Maximo, anno 1661. per propriam Bullam.

QVÆSTIO XVI.

Ad quod obligat votum, seu iuramentum defendendi piam de Virginis Conceptione Immaculata opinionem?

REspondeo, ad plura. Nam in primis obligat ad id ipsum, quod ex Pontificio decreto est obligatorium; nempe, ad non defendendam opinionem minus piam, non solum publicè, verum nec priuatè. Nam honestum certè & meritorium est, obligare se quemuis, voto, aut iuramento, exequendi illud, ad quod aliàs ex præcepto tenetur, vt docent omnes.

Secundò, si decretum illud Pontificium reuocaretur, (quod firmissimè teneo non contingendum, sed potius in dies roborandum) & maneret liberum vnicuique defendere opinionem minus piam, adhuc tunc, teneretur ratione voti, aut iuramenti præstiti, ad non defendendam hanc opinionem minus piam, nec verbis, neque scripto, nec aliquo nutu, aut signo externo. Quia adhuc in casu (non euenturo) reuocationis decreti, non relaxaretur per talem reuocationem, votum, aut iuramentum, & ideò in sua vi obligandi permaneret.

Tertiò obligat ad hoc, quod si, qui huiusmodi votum, aut iuramentum præstitit, interrogetur, quid de opinione pia sentiat, tenetur asserere, ac dicere, se illam sequi. Nec sufficiet ei tacere, si sua taciturnitate, & silentio moraliter suadeat, se opinionem contrariam tenere. Sic omninò Mendo *loco cit. num.* 6. & 7. Quæ omnia post nouam Bullam Summi Pontificis Alexandri VII. iam sunt omninò certa, nec ab aliquo negari possunt.

QVÆSTIO XVII.

An huiusmodi votum, aut iuramentum defendendi piam opinionem Immaculatæ Conceptionis, obliget ad mortale?

REspondeo quod sic. Quia est de materia graui, vt nullo ex capite excusetur iurans, aut vouens, ab eiusmodi voti, & iuramenti adimpletione. Vnde si non adimpleat iuramentum, periurium patrabit, si votum non seruet, sacrilegium. Verum est, quod huiusmodi votum & iuramentum, non est reseruatum, & ideò relaxari potest ab illo qui alia vota non reseruata relaxare valet. Sic Mendo *n.* 3.

DISPVTAT. XXXV.

De voto, aut iuramento non petendi dispensationem, aut irritationem, &c. voti, aut iuramenti facti, vel faciendi.

QVÆSTIO PRIMA.

An, votum, aut iuramentum non petendi, sine causa legitima, dispensationem aut relaxationem voti, aut iuramenti facti, vel faciendi; sit validum?

RESPONDEO vt certum: Quod sit. Quia est votum de non faciendo peccato: cum tale sit, petere dispensationem aut relaxationem, absque causa, voti, aut iuramenti facti. Sic communis apud omnes. Sanchez *lib.* 4. *Decal. c.* 8. *n.* 24. & apud ipsũ, Ricard. D. Anton. Angelus, Silvest. Angles, Alcozer, Rodrig. & alij. Tamburin. *lib.* 3. *in Dec. c.* 15. §. 4 *n.* 8. Palaus *disput.* 1. *de voto, pun.* 8. §. 5. *num.* 4. Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 5. *sub num.* 20.

QVÆSTIO II.

An, etiam sit validum votum, aut iuramentum non petendæ dispensationis, aut relaxationis voti, aut iuramenti, ex quacumque legitima causa; sed tantum, quando fuerit vtilius saluti vouentis, aut iurantis?

RESpond. etiam vt certum: Esse validum. Quia tunc votum est de re meliori. Sic Trullench loco cit. Qui rationem huius responsionis reddit. Quia (inquit), sunt multa, quæ iustam causam præbent tollendi hæc vincula, in quibus euentibus non censetur vtilius animæ vouentis, hæc petere: vt quando, metu leui, aut inconsideratè votum emissum est, adest iusta dispensandi causa: at non existente periculo transgressionis, nec alterius damni, non est vtilius saluti spirituali vouentis impetrare dispensationem: ac proinde erit maius Dei obsequium, & voti materia, velle vouentem manere in iis casibus voto ligatum. Tunc autem erit vtilius animæ vouentis hæc impetrare, quando est probabile transgressionis periculum; aut quando esset dubium, an res promissa in hoc vel illo euentu, sit inutilis, aut impediens maius bonum. Sic ille. Quod supponit Palaus *n.* 4. *citato, vers. Caterum.*

QVÆSTIO III.

An item sit validum, si votum, aut iuramentum non petendæ dispensationis, aut relaxationis, sine vlla limitatione, absolutè, & generaliter emittatur?

AFfirmant multi Doctores, tale votum, aut iuramentum esse validum, at non obligare in vniuersum, sed quando vtilius est animæ vouentis, aut iurantis non petere dispensationem: secus quando vtilius est, petere, eo quod transgressionis periculum timeatur. Quia gratum est Deo, velle exactè rem debitam adimplere, relicto iure petendæ dispensationis, aut relaxationis, quando est vtilius animæ vouentis, aut iurantis, eam non petere: ergo tale votum, aut iuramentum est validum, cum sit de re Deo grata, & meliori. Ita Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 1. *n.* 28. & penes illum, Rodrig. 2. *p. sum. cap.* 94. *n.* 2. Silvest. *votum* 2. *q.* 14. Suarez *lib.* 2. *de voto, cap.* 11. *n.* 6. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 2. *q.* 11. *n.* 67. Angel. *votum* 3. *n.* 20. Quibus addo Palaum *disp.* 1. *de voto, pun.* 8. §. 5. *num.* 4. Pradum *cap.* 31. *q.* 2. §. 6. *n.* 65. Angles, Alcozer, & Rodriguez apud ipsum.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod, absolutè loquendo, non sit validum, tale votum, aut iuramentum Deo præstitum, & ideo in nullo euentu obligare. Ratio est quia re vera impedit maius bonum, nempe libertatem petendi dispensationem, aut relaxationem, quæ aliquando necessaria, vel saltem, valdè vtilis erit vouenti, aut iuranti. Sic Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 9. *vers. Est autem.* Quem citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 21. Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 5. *n.* 20. Tamburin. *lib.* 3. *Decal. cap.* 15. §. 4. *n.* 8. Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 21. *num.* 12. & apud ipsum, Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 9. *n.* 20. Couarru. Ricard. D. Anton. & alij.

QVÆSTIO IV.

An, item sit inualidum, votum aut iuramentum, non petendi dispensationem, aut relaxationem ab alio, quàm à Pontifice, neque concessa vtendi?

NEgat Palaus *loco cit. vers. sed quid dicendum:* existimat enim valere tale votum, & iuramentum. Quia (inquit) hoc voto (aut iuramẽto) non aufers ab inferioribus potestatem dispensandi; sed à te aufers potestatem illos pro dispensatione adeundi, quod per se conueniens est, vt sic votum securiùs dispensetur. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 8. *numer.* 34.

Huc

Huc vsque Palaus. Sed non benè omni ex parte, in citando pro se Thoma Sancio, vt constabit nunc. Igitur cum illo clariùs, ac distinctiùs.

Respondeo dicendum, tale votum, aut iuramentum, esse inualidum in aliquo sensu; in alio verò, validum, sic expresse Sanchez *num. 34. citato*, his verbis: Sextò deducitur quid dicendum sit de voto, vel iuramento non petendæ dispensationis, vel relaxationis ab alio, quàm à Romano Pontifice. Quippe solent sæpè ludentes, dolore iacturæ in ludo factæ, cómoti, vouere, aut iurare, se amplius non lusuros, & si fregerint, vt absolui à nullo queant, præter Pontificem: vel, vt nullus alius eius iuramenti relaxationem concedere valeat. Atque potest votum hoc, vel iuramentum diuersimodè emitti. Primo modo, sub hac forma, *Vt nullus possit illum à transgressione absoluere*, vel, *in quocumque euentu iuramentum id relaxare, dempto Pontifice.* Et in hoc casu, iuramentum, vel votum intellectum, vt iacet, est nullius momenti, &c. Ratio est, quod huic non sit integrum, facultatem absoluendi à peccato, vel relaxandi iuramenti, dispensandiue in voto, aliis concessam, restringere, illam soli Pontifici reseruando. Atque idem videtur, si diceret; *vt nullus me absoluat, nullusve mecum dispenset præter Papam.* Quia re vera idem est sensus verborum negandi facultatem inferioribus.

Secundo modo (addit Sanchez) potest emitti sub hac forma; *Voueo, vel iuro me aditurum Romam gratiâ obtinendæ absolutionis à Pontifice ab huius iuramenti, vel voti transgressione: aut casu, quo relaxationem, aut dispensationem illius velim, me aditurum Romam ad ea petenda*, &c. Et tunc (inquit Sanchez) tale iuramentum, & votum valent & obligant. Quia nil mali continet id votum, nec per illud aufertur potestas ab inferioribus absoluendi, aut relaxandi, sed tantum arcetur vouens à peccato transgressionis. Et in hoc sensu est vera sententia Palao, vt vides. Legatur Sanchez *loco citat.* cuius sententiam sequitur Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 5. numer. 25.* Prado *loco cit. numer. 66.* & Candidus, apud ipsum.

QVÆSTIO V.

An, votum, seu iuramentum non petendi dispensationem, includat etiam votum aut iuramentum non petendi irritationem?

Affirmat Sanchez *lib. 4. c. 8. n. 31.* ibi: Si votum vel iuramentum sit de non petenda irritatione, crederem huic non licere petere dispensationem: neque è contrà, si votum sit de non petenda dispensatione, liceret petere irritationem; nisi in vtroque casu, constaret vouentis intentionem restrictam fuisse ad illum peculiarem solutionis voti modum. Ratio est: quia vouentis intentio, est obligare se ad conseruandum illud votum, & se eo non eximendum: nil ergo refert, siue dispensatione, siue irritatione eximatur; cùm vtroque modo penitus extinguatur. Ita ille. Quem citat, & sequitur Trullench vbi supra, *num. 23.*

Sed probabiliùs Resp. negatiuè: nempe, quod voto, aut iuramento non petendi dispensationem, minimè prohibeatur quis ad petendam irritationem talis voti, aut iuramenti. Ratio est, quia hi modi omnino sunt distincti, nec vnus in alio includitur. Patet, *tum*, quia non eo ipso, quod quis habet potestatem dispensandi vota, & iuramenta, potest illa irritare. *Tum* etiam, quia, qui vult, aut vouet vnum ex his, non statim alterum vouisse præsumendus est. Sic Tamburinus *lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 4. fine.* & Castro Palao *disp. 1. de voto, pun. 8. §. 5. n. 5.* Qui ad fundamentum Sancij respondet dicendo, quod obligatio voti, non desumitur ex solo animo promittentis, nisi talis animus in obiecto, & materia promissa exprimatur: ergo quamuis vouens illo voto non petendi dispensationem intenderit nunquam liberari à voto; quia tamen id non expressit, sed solum expressit non liberari à voto, illo modo, nempe, per dispensationem, censendus est, solam hanc voti liberationem sibi interdixisse.

QVÆSTIO VI.

An, item, qui iurauit, aut vouit, non petere commmutationem; possit petere dispensationem, aut irritationem?

Negant etiam Sanchez, & Trullench *locis citatis.* Quia interdicta commutatione, quæ vinculum voti non extinguit, sed in aliud commutat, censetur à fortiori irritatio, & dispensatio vinculum voti, aut iuramenti prorsus absentia interdicta.

Sed probabiliùs Respond. etiam posse tunc petere dispensationem, aut irritationem. Quia hi etiam sunt modi satis diuersi, quorum vnum qui vult, vouet, iuratvè, non statim alterum vouisse aut iurasse præsumendus est, vt ex Tamburino diximus supra. Sic ille, & Palao.

QVÆSTIO VII.

An deinde, qui vouit, aut iurauit, non petere irritationem, aut dispensationem; possit petere commutationem?

Respondeo vt certum: Posse. *Tum* ob rationes dictas. Tum etiam, quia commutatio est minus, & non tollit materiam voti, aut iuramenti, sed mutat. Sic Sanchez, & Trullench *locis citatis.* & Tamburinus & Palaus supra.

QVÆSTIO VIII.

An, qui vouit, aut iurauit, non petere dispensationem, irritationem, aut commutationem alicuius voti, aut iuramenti, possit petere dispensationem à tali voto, vel iuramento?

Respond. dicendum ex dictis posse: cùm hoc vltimum votum non petendi dispensationē, &c. non sit reseruatum: & consequēter potest illo sublato, primū dispensari. Et idē dicendū est, casu, quo ille vouisset, vel iurasset, nec huius vltimi voti, aut iuramenti se

dispensationem petiturum; nam adhuc potest petere dispensationem huius vltimi, & ita in infinitum, & deinceps potest petere reliquorum. Sic communis. Sanchez *n.* 29. Trullench, & Palaus *locis citatis.* Suarez *lib.* 2. *de voto, cap.* 11. *n.* 6.

QVÆSTIO IX.

An, casu, quo, horum votorum, aut iuramentorum dispensatio, aut irritatio petatur; possit peti simul vtriusque?

RESpondeo quod non. Quia prius debet peti dispensatio, aut irritatio voti, aut iuramenti non petendi dispensationem, aut irritationem; & postea alterius primi voti, aut iuramenti principalis. V.g. emisit quis votum, aut iuramentum non ludendi, & non petendi dispensationem, aut irritationem illius voti (aut iuramenti) tunc ille non potest petere dispensationem, aut irritationem vtriusque voti simul; sed prius debet petere dispensationem, aut irritationem voti (aut iuramenti) non petendi dispensationem, aut irritationem; & postea voti, aut iuramenti non ludendi. Sic Sanchez, Trullench, Suarez & Palaus *locis citatis.* Qui nihilominus addunt, quod optimè possit astrictus talibus votis, aut iuramentis, vtrumque simul proponere Superiori, vt ipse debito ordine hæc faciat, aut quod melius esse iudicauerit.

QVÆSTIO X.

An saltem, iuramentum non petendæ relaxationis iuramenti, non Deo (de quo hucusque fuit sermo) sed homini præstitum, & ab eo acceptatum; possit relaxari à Superiori?

RESpond. dicendum ex dictis supra *disp.* 18. *q.* 21. Non posse; nisi casu, quo Superior relaxare possit principale, &c. Vtramque partem huius responsionis docet Sanchez. *Et primam* probat, Quia iuramentum non petendæ relaxationis homini præstitum, valet, vt constat ex communi contractuum vsu. Solet enim communiter, cum adiicitur contractibus iuramentum, adiici quoque iuramentum non petendi relaxationem illius: ergo, &c.

Secundam etiam partem probat sic: Quia quando relaxatio principalis iuramenti, potest concedi ab Episcopo, ratione metus, doli, aut iniuriæ: si idem metus, dolus, aut iniuria adsint in iuramento non petendæ relaxationis, potest quoque ab eodem impetrari relaxatio huius iuramenti, & deinde prioris; quia eadem est vtriusque ratio. Secus est dicendum, si posterius omnino liberè, & absque aliqua iniuria emissum esset: quia tunc nulla esset causa relaxationis huius posterioris iuramenti, & sic non posset impetrari: quia causa relaxationis prioris, non afficit posterius. Sic ille *lib.* 4. *cap.* 8. *numer.* 32. & 33. & apud illum, Glossa, Felin. Bald. Molina, Padilla, Matienzo, Paz, & Seraphinus. Sic etiam Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 5. *n.* 24.

DISPVTATIO XXXVI.

De votis, aut iuramentis non peccandi mortaliter; nec veniali-ter, &c.

DE his votis, aut iuramentis egimus latè supra *disput.* 9. agendo de materia & obligatione illorum: à quæstione decima sexta vsque ad trigesimam primam. Legantur omnia ibi dicta.

DISPVTATIO XXXVII.

De iuramento, & voto peregrinandi.

DE his egimus etiam, supra, eadem *disputatione* 9. à quæstione trigesima quinta, vsque ad quadragesimam. Videantur ibi dicta.

DISPVTATIO XXXVIII.

De iuramentis, & votis factis, contra leges Ciuiles, & Canonicas.

DE his votis, & iuramentis inuenies tractatum, eadem disput. nona, à quæstione quadragesima secunda vsque ad quinquagesimam. Lege ibi omnia, quæ hîc desiderare potes.

DISPVTATIO XXXIX.

De voto non vouendi.

QVÆSTIO PRIMA.

An votum (vel iuramentum) non vouendi, absolutè emissum; sit licitum & validum?

RESPONDEO vt certum: tale votum (aut iuramentum) non esse licitum, neque validum. Patet. Quia sic absolutè emissum opponitur meliori bono, nempe emissioni votorum, quæ est religionis actus, ad quem

quem eliciendum Deus consulit, & inclinat. Sic Sanchez *lib.4. sum.cap.*8. *numero* 14. Azor *lib.*11. *cap.*14. *q.*6. Sotus *lib.*7. *de iust. q.*1. *art.*3. *dub.*2. *vers. ex his fit.* Tamburin. *lib.*3. *Decal. cap.*15. §.4. *n.*2. Palaus *disp.*1. *de voto, punct.*8. §.5. *numer.*3. Acacio March. *v. voto, resol.* 444. *num.* 5. & alij communiter.

QVÆSTIO II.

An saltem sit licitum, & validum, votum (aut iuramentum) non vouendi, nisi scripto, aut coram aliquibus personis, aut absque confessoris consilio, aut nisi præcepto, &c.

REspondeo tunc esse licitum & validum. Quia hæ conditiones non impediunt votum: sed solùm votorum emissioni conditionem conuenientem apponunt, ad eorum temeritatem vitandum. Sic Palaus *loco citato.* Sanchez *num.* 14. vbi ita ait: Si ad vouendi facilitatem, & scrupulos, aut alia peccata inde consurgentia cauenda quispiam voueret, se nunquam voturum, nisi scripto, aut coram aliquibus personis, &c. valeret votum. Quia facile & imprudenter vouere, non est consilij; & meliùs est, sic prudenter se voto obligare. Sic Sanchez, Sotus, Azor, & Tamburinus, vbi suprà, Angel. *votum* 3. *n.*4. Sylvest. *votum* 2. *q.*7. Aragon 2.2. *q.*88. *art.*2. *dub.*2. *circa* 5. *concl.* Rodrig. *tom.*2. *sum. cap.* 94. *n.*13. Perr. Ledesma *tom.*2. *tract.*10. *cap.*2. *dub.*5. Lessius *lib.*2. *de iust. cap.*40. *dub.*7. *num.*45. Prado *cap.*31. *q.*2. *n.*61. Suarez *lib.*2. *de voto, cap.*11. *n.*4. & 5. Sic iterum nos cum aliis *tract.*2. *disp.*4. *q.*39. Legatur Acacio *v. votum, Resol.*444. *num.*5. Ioan. à S. Thoma 2.2. *q.*88. *disp.*29. *art.*7.

QVÆSTIO III.

An, si, qui emisit votum (aut iuramentum) non vouendi, nisi cum prædictis circunstantiis; non seruatis illis, aliquod votum emittat; tunc hoc posterius votum sit validum?

NEgant aliqui Neotherici apud Sanchez *n.*16. existimantes, hoc posterius votum, absque illis circunstantiis emissum forè irritum, quando, ob vehementes scrupulos, consultius esset illi non vouere, absque prædictis circunstantiis, quàm vouere: quia tunc, inquiunt, votum est de minori bono.

Sed probabiliùs longè Respond. tale nouum votum esse validum, casu saltem, quo vouens memor primi voti, hoc posterius emiserit. Quia satis est valori voti, vt materia ipsius sit melius bonum, etsi ratione modi vouendi, melius sit non vouere, quàm sic vouere. Sic Sanchez *n.*16. *cit.* Palaus *n.*3. Rodriguez *loco cit.* vt statim videbis. Raphaël 2.2. *q.*88. *art.*2. *disp.*8. *n.*5. Bonac. Sotus, Ledesma, quos sequitur Prado *loco cit. n.*61. Acacio March. *loc. cit.* cum Lessio, vbi suprà.

QVÆSTIO IV.

An item, sit validum posterius votum, casu, quo vouens immemor prioris voti, (videlicet, non vouendi absque præfatis circunstantiis) illud emiserit?

NEgat Rodriguez *cap.*94. *cit. num.*13. ibi: *Por loqual el que vota sin las dichas circunstancias, no las considerando, porque no se acerdo dellas, de las quales, si se acordara, no votara, no vale el voto que haze in peca mortalmente, pues quando lo hizo no se acordo del primero voto que auia echo, y si se acordara no lo hiziera. De aqui se sigue, que si se acordo delas dichas circunstancias, y no obstante esto hizo algun voto, obligado queda acumplirle: pues no obstante esto, quiso realmente obligarse.* Ita Rodriguez, & Sayrus *lib.*6. *cap.*3. *n.*25.

Sed probabiliùs longè Respondeo distinguendo sic. Si vouens, cum prius votum emisit, expressam habuit voluntatem, non solùm, non vouendi absque prædictis circunstantiis, verum nec se obligandi imposterum alio voto, nisi illis circunstantiis adhibitis; tunc si forte absque illis voueret, votum non tenet, vt constat, quia illa prior voluntas non se obligandi perseuerat; nec censetur retractata noua voti emissione, siquidem illius non fuit memor. Si verò illam voluntatem non habuit vouens, valebit vtique votum: quia nihil est, quod valorem illum impediat. Sic Ledesma *dubio* 5. *citato*, quem citat, & sequitur Sanchez, vbi sup. *n.*27. & *eod. lib.*4. *cap.*24. *n.*38. & *lib.*7. *de matrim. disp.*9. *n.*11. Suarez *lib.*2. *de voto, cap.*11. *n.*5. Palaus *disp.*1. *de voto, punct.*8. §.5. *num.*3. *fine.* Prado *loco cit. n.*63. nec non Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*32. *n.*9.

QVÆSTIO V.

An si, ille qui, memor voti, quod emisit, non vouendi nisi tali modo, non seruato illo, voueat, peccet mortaliter transgrediendo primum votum?

AFfirmant Angelus, & Sylvester *q.* 2. *citati.* Quibus fauent Aragon, & Rodriguez, vbi supra, quatenus dicunt esse graue peccatum.

Sed probabiliùs sic Respondeo, quod licèt, reuera, peccet, vouendo, non seruato illo modo; non tamen semper mortaliter; sed aliquando solum: nempe, quando maximè expediret saluti vouentis non vouere absque illo modo, & absque illis circunstantiis: nam extra hunc casum, materia censetur leuis, ac proinde transgressio venialis. Sic Sanchez *lib.*4. *sum. cap.*8. *n.*15. Palaus *n.*3. *citato*, Lessius *lib.*2. *de iust. cap.*40. *dub.*7. *n.*45. licèt hic Author non ita firmiter ficuti alij, id doceat, cum solum dicat: Fortassè tamen hæc violatio non esset mortifera: quia sæpè contingit, vt adhibere, vel prætermittere illam maturam determinationem, non censeatur res magni momenti, præsertim quando res, quæ vouetur, facilis est. Sic ille. Prado *cap.*31. *de voto, q.*2. §.6. *num.*62.

DISPVTATIO XL.

De voto, quod emittunt Tertiarij aliquorum Religionum, in sua Professione.

QVÆSTIO PRIMA.

An Tertiarij, ita dicantur, quia sunt medij, inter Religiosos, & sæculares?

RESPONDEO, quod sic: vt affirmat Pellizzarius *tom. 1. Manual. Regul. tract. 1. cap. 3. q. 11. n. 36.* his verbis: Tertiarij autem Religionum, ex eo traxerunt nomen, quod sunt veluti tertium genus hominum, & quasi medium inter Religiosos, ac sæculares, quatenus, etsi simpliciter sint sæculares, in aliquibus obseruant ea, quæ pertinent ad Religiosos, nimirum Regulam cum obseruantia votorum castitatis, ac obedientiæ: siue quod in aliquibus Religionibus extat triplex genus personarum, quæ Regulam Ordinis profitentur, nimirum, Fratrum Religiosorum; Sororum Monialium, & laicorum sæcularium, qui vocantur Tertiarij. Sic ille. Caramuel de *Regul. Theol. punct. 8. num. 2052.* & alij.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit genus Tertiariorum?

RESpondeo, quod triplex. *Primum est* illorum, qui in Religione approbata viuentes, tria vota essentialia emittunt sub Prælatorum obedientia. Et hi sunt verè & propriè Religiosi, vt constat. Et præterea ita declararunt multi Summi Pontifices, Leo X. constit. *inter cætera*, data anno millesimo quingentesimo vigesimo primo. Pius V. in Bulla, *Ea est officij*, expedita anno 1568. Sixtus V. in Bulla, *Romani Pontificis*, edita anno 1586. & alij, quos refert Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 14.* Et de his latè Caramuel *in sua Theolog. Regul. in Reg. S. Francisci, part. 7. à fol. mihi* 141.

Secundum genus Tertiariorum est, aliorum, qui faciunt tria vota essentialia, sed non sub aliqua Religione, aut Regula à sede Apostolica approbata. Et hi non sunt verè Religiosi, etiamsi in communitate voueant, vt latè probant Nauarr. *Comment. 1. de Regul. n. 18. & lib. 3. consil. tit. de Regul. consil. 12.* Lezana *locit. n. 6.*

Tertium genus est illorum, qui neque vota essentialia Religionis emittunt, nec in communitate viuunt; sed tamen Regulam alicuius Religionis approbatæ (vt S. Francisci, S. Dominici, &c.) in propriis domibus seruant. Et neque hi sunt verè Religiosi, vt constat, cum non promittant tria vota essentialia, sine quibus Religio non stat. Quod etiam est verum etiamsi in communi in aliqua domo habitent, & emittant votum simplex castitatis, & obedientiæ. Legantur Lezana *loco citato, num. 7.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 1. cap. 3. q. 11. numer. 35.* & alij, apud ipsos. Nec non Caramuel *loco cit. part. 8. à fol. mihi 158.* & me ipsum *p. 6. tract. 8. disp. 2. q. 24.*

QVÆSTIO III.

An modus viuendi, Tertiariorum huius tertij generis (de quibus principaliter in hac disputatione est sermo) possit, si non Religio, appellari Ordo?

RESpondeo, vt certum dicendum, quod quamuis, vt diximus, iste modus viuendi nequeat appellari, saltem propriè, Religio, possit tamen appellari Ordo. Quia Ordo, provt in præsenti, solum significat modum viuendi ordinatum sub certa Regula, & cæremoniis Religionis. Et ita nomine *Ordinis*, à pluribus Summis Pontificibus appellatur; Immo appellari optimè potest, Ordo approbatus ab Ecclesia; cum approbatus fuerit à Nicolao IV. Innocentio III. Martino V. Sixto IV. & Iulio II. vt fatentur Lezana, & Pellizzarius *locis citatis.* Portell. *de dubiis Regular. v. Tertiarij*, & Caramuel *loco citato, n. 2946.*

QVÆSTIO IV.

An, saltem possit appellari latè, & analogicè Religio, *modus viuendi istorum Tertiariorum, qui vnum vel duo vota emittunt?*

RESp. quod sic. Quia aliquo modo, nempe imperfectè, & incompletè, rationem status Religiosi participant. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 2. num. 17. & 18.* vbi specialiter loquitur de illis mulieribus Tertiariis, quæ in Hispania *Beatæ* vocantur. Silueira *in tract. de Tertiariis Carmelitarum.* Lezana *tom. 1. 2. p. cap. 14. n. 7.* Pellizzar. *q. 11. cit. n. 35.* & apud ipsum S. Thom. Nauarr. Henriquez & Lessius.

QVÆSTIO V.

Quot & quales sunt Religiones, quæ habent facultatem recipiendi, & admittendi suos Tertiarios, & Tertiarias?

RESpondeo, dicendum, quod principaliter sunt sequentes, nempe Minorum sancti Francisci, sancti Dominici, S. Augustini, S. Mariæ de Carmelo, Seruitarum, & Minimorum, nec non omnes Religiones Mendicantes, inter quas enumera nostram Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum. Sic tenet, & latè id probat, & confirmat ex multis Bullis Pontificiis, Ioan. Baptista Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 14. à num. 8. vsque ad 13.* Legatur.

QVÆSTIO VI.

An, Tertiarij, & Tertiariæ dictarum Religionum, profiteantur aliquam Regulam ab Ecclesia approbatam?

REspondeo dicendum, quod sic. Nam *Tertiarij Minorum*, profitentur Regulam quam illis præscripsit Nicolaus IV. *anno* 2. sui Pontificatus, & continetur in Constitut. *Super montem*, quæ habetur in Bullario *Bulla* 2. & refertur à Casarubias in *Compen. Priuil. Mendicantiũ. Tertiarij Prædicatorum*, Regulam ab, Innoc. VII. approbatam in Bulla quæ incipit, *Sedis Apostolicæ*, quæ est vnica in Bullario Laertij *tom.* 1. *Tertiarij Eremitarum S. Augustini*, Regulam ab ipso Sancto illis accommodatam, & applicatam. *Tertiarij Carmelitarum.* Regulam ipsorum Fratrum illis à Sixto IV. applicatam anno 1476. in Bulla *Cum attenta. Tertiarij Minimorum*, Regulam S. Francisci de Paula, à Iulio II. confirmatam in Bulla, *Dudum ad Sacrum*, anno 1506. Et *Tertiarij Ordinis Seruitarum*, Regulam à Martino V. pro illis approbatam, quæ habetur in Append. Bullarij Laertij inter Constitutiones ipsius, *n.* 1. His Regulis etiam adiunguntur particularia statuta à Prælatis Religionum pro dictis Tertiariis facta, quæ statui sæcularium, & Ordini aliquo modo Religioso, quem profitentur apta, & accommodata censentur. Sic omninò Lezana loco citato, *num.* 15. Lege Caramuelem *loco cit. à num.* 2946. *pag. mihi* 161.

QVÆSTIO VII.

An, Præfati Tertiarij habeant proprium etiam modum profitendi?

REspondeo cum Lezana *loco cit. num.* 17. quod sic. Nam *Tertiarij Minorum*, iuxta prædictam Nicolai IV. Regulam, promittunt se diuina præcepta seruaturos; ac etiam satisfacturos, vt conuenit, de transgressionibus, quas contra hunc viuendi modum commiserunt, cum interpellati fuerint, & ad Visitatoris voluntatem. *Tertiarij Dominicanorum* ex Bulla Innocentij VII. supra relata, habent peculiarem modum profitendi, nempe, de cætero viuere secundum formam, & Regulam Ordinis de Pœnitentia B. Dominici. *Tertiarij Seruitarum* habent suum peculiarem modum profitendi, à Martino V. in Bulla relata illis præscriptum. *Tertiarij Carmelitarum* profitentur Regulam Ordinis sicut alij Fratres, & Moniales, excepto quod votum Paupertatis non emittunt. *Tertiarij Minimorum* promittunt emendare in melius vitam, & mores suos. Sic ille. Nec non Pellizzarius *cap.* 3. *cit. q.* 11. *vers. Quod si quæras, numer.* 37. Lege etiam Peyrinum *tom.* 1. *priuileg. Minim. inter Constitut. Iulij II. n.* 18. Caramuelem, *loco cit. num.* 2051.

QVÆSTIO VIII.

An, Tertiarij Carmelitani emittant aliqua vota in sua professione?

REspondeo ex nuper dictis: Emittere duo, nempe Castitatis, iuxta eorum statum, & Obedientiæ ad Superiores Religionis, eos, scilicet, quibus prædictorum Tertiariorum cura commissa est. Ita referunt Ioan. Silueria *in tract. de Tertiariis Carmelitarum*: & ex illo Lezana *loco cit. numer.* 17. & 18. Pellizzarius *num.* 37. Ex quo constat, teneri huiusmodi Tertiarios prædicta vota simplicia fideliter obseruare sub speciali obligatione.

QVÆSTIO IX.

An, etiam Tertiarij S. Francisci, in sua professione, verè emittant votum de obseruandis Decalogi præceptis?

AFfirmandum videtur. Quia huiusmodi Tertiarij, promittunt se diuina præcepta seruare, &c. Sed verbum *Promitto*, promissionem veram significat, vt constat; illo enim vtuntur multæ Religiones dum vota essentialia emittunt: ergo. Propter hoc, ita censuere olim quidam non indocti viri, quos tacitis nominibus, refert Prado *cap.* 31. *de voto, q.* 2. §. 3. *num.* 18.

Sed vt quid verum Respondeo negatiuè; Sic enim docuit R. P. Generalis Seraphici Ordinis in quodam speciali de hoc dubio tractatu, in quo tanquam certum docet; professione Tertiariorum, non induci nouam obligationem peccati mortalis, aut circunstantiæ variantis speciem, aut notabiliter aggrauantis. Qui & probat: *Tum*, quia hæc fuit intentio S. Francisci, qui illius tertij Ordinis fuit Fundator. *Tum* ex declaratione Capitulorum Generalium sui Seraphici Ordinis, & ex traditione immemoriali indubitata in toto Ordine; & denique ex grauissimis Theologis Vniuersitatis Salmanticensis, & Complutensis.

Vnde ad fundamentum contrariorum dicendum quod illud verbum *Promitto*, quo Tertiarij vtuntur in sua Professione, licet sumptum in rigore significet promissionem: at minimè in præsenti: quia ex parte intentionis non tam Pontifi cum hunc modum viuentium approbantium, quàm Profitentium, nec non & Prælatorum Regularium, in quorum manibus huiusmodi Tertiarij profitentur, non habet vim voti, nec inducit obligationem ad culpam: sed indicat solum propositum faciendi ea, quæ promittuntur; ita vt *promitto*, in præsenti casu, idem sit ac *propono*; vel si indicat aliquam promissionem, talis promissio est communis, & generalis, similis ei quæ fit in Baptismo de non peccando, quam certum est, non inducere specialem obligationem voti. Sic Pellizzar. *loco citato, n.* 37. ex Portellio *in dub. Regular. verb. Tertiarij, n.* 5. Peyrinus *tom.* 1. *Priuileg. constit.* 18. *Iulij II.* & Lezana supra *n.* 18. & 19. Legantur etiam Prado *loc. cit.* vbi alias responsiones refert. Caramuel *loco cit. n.* 2051.

QVÆSTIO X.

An, saltem Tertiarij S. Francisci de Paula, emittant in sua professione aliquod votum?

AFfirmarunt etiam olim nonnulli, vt indicat Peyrin. loco cit. Quorum fundamentum (iam tactum, & solutum) erat, quia, videlicet, promittunt Deo vitam in meliùs commutare, & præcepta

Regulæ

Regulæ obseruare, iis verbis: *Promitto Deo omnipotenti, totiquè Curiæ Cælesti, & tibi Patri, mores meos ac vitam meam in melius emendare; & Ordinis Minimorum vtriusque sexus fidelium Regulæ per S. D. N. Iulium Papam I I. confirmatæ, salutifera præcepta pro posse obseruare, & Fratri Francisco de Paula, suisque Successoribus eiusdem Ordinis Minimorum Generalibus Correctoribus pro tempore existentibus obedire: nec non prædictæ Regulæ salubribus consiliis, ac monitis me conformare, & prædicti Ordinis honorem, & vtilitatem fideliter procurare.* Hæc est forma horum Tertiariorum profitendi.

Sed tanquam verum Respondeo: Neque hos in sua Professione votum aliquod emittere. Sic docet Peyrinus *loco cit.* vbi ita ait: Hæc difficultas valdè torsit aliquando Doctissimorum virorum ingenia, vt videre est apud Sousam *in tract. speciali* de hac re. Nos facile respondemus, in Regulis nostris institutis à B. P. N. nihil mandari ad culpam, neque etiam venialem obligans, præter quatuor vota, vt patet ex Correct. *num. penult.* Cum igitur hîc nullum sit ex dictis quatuor votis, clarè patet, nullum adesse peccatum. Obligatio enim, quæ indicitur dictis Tertiariis, in tantum est, in quantum colligitur ex mente Institutoris eos obligare voluisse. Et patet etiam ex forma Professionis, quæ cautissima: promittunt enim salutifera præcepta pro posse obseruare. Ad rationem itaque dubitandi respondeo, illud *Promitto*, non significare votum, sed propositum. Sicut quando quis promittit Confessario, se emendare, vel tale peccatum non amplius facere; promissio illa non inducit communiter nouam obligationem, itavt si illud peccatum deinde committat, reus sit promissionis; sed solummodo dicit propositum vitam in melius emẽdandi, & illud peccatum amplius non faciendi. Hæc omnia Peyrinus. Nec non Lezana *num.* 17. Pellizzar. *num.* 37. *citato.* Qui idem & à fortiori id docent de Tertiariis Dominicanorum, Seruitarum & D. Augustini.

QVÆSTIO XI.

An, sit necessarium simpliciter, quod Tertiarij Carmelitarum prædicta vota, Castitatis videlicet, & Obedientiæ, in sua Professione emittant?

REspondeo quod non. Quia alij Tertiarij Prædicatorum, Minorum, aut Minimorum, minimè talia vota emittunt: ergo nec Carmelitarum Tertiarij ad id minimè tenebuntur; nisi casu, quo alicubi ex vsu Ordinis id faciant. Sic Lezana, *loco citato, num.* 18.

QVÆSTIO XII.

An Tertiarij peccent, saltem venialiter, transgrediendo Regulam suæ Professionis?

AFfirmandum videtur. Quia Religiosi transgrediendo Regulam, multoties venialiter delinquunt, vt probat Lezana *tom. 1. par. 1. cap.* 7. præcipuè *à n.* 6. ergo & Tertiarij ita peccabunt, si profiteantur eamdem Regulam, vt multi faciunt.

Sed vt certum Respondeo nec istos peccare, adhuc venialiter, transgredientes suam Regulam. Quia, vt constat ex dictis *q.* 9. Profitentes illam non intendunt se ad culpam vllam obligare. (quod secus faciunt Religiosi.) Adde, quod Regula Nicolai IV. quam Tertiarij Minorum profitentur, nec ad veniale obligat illos, vt dicunt Portell. & Barbosa, quos sequitur Lezana *tom. 1. par. 2. cap.* 14. *n.* 20. Idem exprimitur clarè ab Innocen. VII. Regula data Tertiariis Dominicanorum, & docet D. Thom. 2.2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. & ex illo, Prado *cap.* 21. *de voto, q.* 2. §. 3. *in fine.* & Lezana *loco cit.* Qui idem dicit de Tertiariis aliorum Ordinum. Peccabunt tamen grauiter illi, qui in sua Professione aliqua vota emittunt, si contra ea delinquant, & consequenter tenentur illam circunstantiam in Confessione explicare, vt constat ex dictis *quæst.* 8. & docet Lezana *num.* 19. Legatur Bordonus *de Profess. Regulari, cap.* 2. *numer.* 84.

QVÆSTIO XIII.

An Tertiarij, vel Tertiariæ, debeant professionem facere in manibus alicuius Superioris eorum Ordinum?

REspondeo tanquam certum dicendum, quod debeant illam facere in manibus alicuius Superioris eorum Ordinum, vel habentis ab illo auctoritatem. Sic colligitur clarè, tum ex Regula Nicolai IV. pro Tertiariis Minorum, & ex Bulla Sixti IV. pro Tertiariis Carmelitarum. Et ex Bullis Innoc. VII. & Martini V. pro Tertiariis Prædicatorum, Augustinorum, & Seruitarum. Tum ex decreto S. Congreg. Episcopor. & Regular. dato 20. *Decemb.* 1616. Vbi de Tertiariis mulieribus loquendo, ita dicitur: Tertiarias mulieres ad Habitum tertiæ Regulæ recipere licet Superioribus Regularibus sufficienti facultate ad id à Sede Apostolica suffultis (Capucinis exceptis) atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinet. Sic Congregatio, vt ex aliis refert Barbosa *in Collect. Apostolic. Decis. V. Tertiariæ & Tertiarij, collect.* 700. Et quamuis expresse in his locis, non fiat sermo de Professione, sed de admissione; quia tamen principalior admissio fit in Professione, ideo de illa videntur intelligenda. Sic Lezana *cap.* 14. *cit. num.* 21. & 29.

QVÆSTIO XIV.

An, Professionem Tertiariorum, vel Tertiariarum, debeat præcedere aliquod tempus probationis, ad modum Nouitiatus?

REspondeo quod sic. Quia sic præscribitur in Regula Nicolai IV. data Tertiariis Minorum; ibi: *Post vnius anni spatium cum aliquorum fratrum consilio recipiatur.* Ex quo colligitur idem esse dicendum de Tertiariis aliorum Ordinum, cùm illi ad instar Tertiariorum Minorum sint instituti. Sic Lezana *cap.* 14. *citato, num.* 22. & Caramuel *par.* 8. *Theolog. Regularis, num.* 2050. *pag. mihi* 166.

An autem hic annus Nouitiatus debeat esse integer? Negat Bordon. *de Profess. Reg. cap.* 6. *q.* 2. *n.* 10.

eo

eò quod Tertiariorum Ordo non sit Religio. Ita ille, & Barbos. Tamburin. & Riccius apud illum.

Sed meliùs Respondeo, cum Caramuele vbi supra, *n.*2050. debere esse integrum. *Tum* quia sic præscribitur in eorum Regula. *Tum* etiam quia non ita liquidò possunt cognosci mores hominis in sua domo manentis, ac cognoscerentur si degeret in communitate; at sic est, quod Nouitio degenti in communitate est necessarius annus integer: ergo à fortiori degenti in sua domo.

QVÆSTIO XV.

An omnes fœminæ indiscriminatim, possint ad habitum Tertiariorum admitti?

REspondeo, quod non. Nam ex decreto S. Congregationis, sex præcipuè debent habere qualitates, & conditiones. *Prima* est, quod sint probatæ vitæ, ac bonis moribus præditæ. *Secunda*, quod sint in ætate saltem quadraginta annorum constitutæ. *Tertia*, quod habeant de proprio, vnde sufficienter viuere possint. *Quarta*, quod non habitent cum aliis viris, quàm cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu. *Quinta*, quod recipiantur, impetrata prius ab Ordinario loci licentia, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis, præuio examine diligenti, sibi constiterit. *Sexta*, quod in Habitu deferendo omnino à velo suprà caput, à pectorali, & à patientia abstineant. Hæc ex Decreto S. Congreg. *quæst.* 13. *citato*; ex quo sic tenent Lezana *tom.* 1. *part.*2. *cap.*14. *n.*40. Pellizzarius *loco citato, tract.* 1. *cap.*3. *q.*11. *n.*40. & Barbosa, vbi suprà.

QVÆSTIO XVI.

An defectus harum qualitatum, irritam faciat receptionem, seu Professionem prædictarum mulierum?

REspondeo, quod non. *Tum* quia in multis locis Hispaniæ non seruatur dictum decretum, quoad aliquas conditiones, in ipso contentas. *Tum* etiam quia in dicto Decreto, nec apponitur clausula irritatoria, nec vtitur verbo, *non possint admitti*, aut, simili; sed, *non admittantur, aut recipiantur.* Ergo. Sic sentit Lezana, vbi suprà, *num.* 40. qui tamen addit, transgressores horum decretorum peccatum committere. Sed ego superaddo id esse verum, vbi talia decreta recepta sunt.

QVÆSTIO XVII.

An fœminæ coniugatæ possint admitti ad habitum Tertiariarum sine suorum coniugum licentia?

REspondeo, quod non. Quia ita præscripsit Nicolaus V. in sua Regula, his verbis: *Mulieribus verò viros habentibus (nisi de ipsorum licentia, & consensu) non pateat ad consortium dictæ Fraternitatis ingressus.* Sic ibi *cap.* 2. *fine*, & tenet Caramuel ibi, *n.*2053. Qui contra dicit de viris, qui cum sint caput familiæ, non debent ab vxoribus licentiam implorare, in materia, quæ illæso matrimonij vinculo seruari potest: sed hoc vt constat ex dictis suprà *disp.*16. §. 7. *quæst.* 143. adhuc non est admittendum.

QVÆSTIO XVIII.

An, Beatæ nostri Ordinis, possint deferre patientiam, seu scapularium, quam deferunt Moniales eiusdem Ordinis?

NEgandum videtur ex Decreto S. Congregationis, vt constat, ex sexta conditione *quæst.* 15. assignata.

Sed Respondeo dicendum: posse, patientiam ad instar Monialium nostrarum, ferre. Quia sic tenuit & tenet vsus, & consuetudo in nostra Hispania. Sic loquendo de Beatis sui Ordinis, tenet Lezana *tom.*1. *part.*2. *cap.*14. *num.*40. vbi hæc habet. Quoad id tamen de patientia, quæ prohibetur deferri à mulieribus Tertiariis: quod attinet ad Pinzochetas, seu Beatas nostri Ordinis, videtur limitandum, vt scilicet, non illam deferant eo modo, quo Fratres, ac Moniales Ordinis; sed breuiores, & strictiores. Cum enim dicta Patientia sit proprius Habitus Ordinis nostri, & ex concessione Summorum Pontificum prædictis Pinzochetis, seu Beatis, Habitum Ordinis communicare possimus, credendum est, S. Congregationem non voluisse, vt abstinerent omnino à tali Patientia, sed solum modo dicto. Vnde Gauantus *in Man. Episcop. verb. Tertiarij*, notat, ideò appositam esse hanc legem à Sacra Congregat. circa mulieres Tertiarias, *ne videantur esse Moniales.* Consonat alia declaratio S. Congregationis apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Confratres*, vbi asseritur, posse confratribus sæcularibus concedi Habitum Patientiæ, quæ solis Religiosis propriè conuenit. Si enim Confratribus id conceditur, multò potiori, Tertiariis concedi debet, qui magis accedunt ad statum Religiosum.

QVÆSTIO XIX.

An Tertiarij (præcipuè Minorum) seorsim viuentes, subsint Prælatis suorum Ordinum, non solum, quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam?

AFfirmatiuam sententiam tenere videtur Lezana *tom.*1. *part.*2. *cap.*14. *n.*20. ibi: Declarant tamen Innocent. VII. & Martin. V. in Regulis relatis, immo & Nicolaus IV. etiam in Regula adducta, obligari Tertiarios ad sustinendam pœnam illis infligendam à Superioribus, propter transgressiones Regulæ, quod idem dicendum de aliis Tertiariis. Hæc Lezana.

Sed omninò Respondeo, non subesse dictis Prælatis, nisi solum quoad vim directiuam. Sic Portell. *in dub. Regul. v. Tertiarij, n.*6. Hæc dicens: Prælati Minorum supra hos Tertiarios, viuentes extra communitatē, non habent vim coactiuā; habent solū vim directiuā, per quā possunt illos docere, ac dirigere, nō punire. Ac proinde, si tales Tertiarij Prælatis Minorū non paruerint, quoad hanc vim directiuā, non peccabun

bunt venialiter. Sic ille ex Rodrig. *tom.3. q.69.art.1.* Pellizzar. *tom.1.tract.1.cap.3.q.11.verſ. Addit Portel, n. 38.* vbi addit, non diſſentire ab iſto Authore, Lezanam, cùm hic loquatur loco citato, de pœna ſalutari pro foro conſcientiæ; Portel. vero, de pœna vindicatiua pro foro externo. Certè Lezanam docere idem omnino quod Portel docet, expreſsè proſpicitur, ex iis, quæ docet *num.* 41. vbi citat Portellium pro ſe, loco à nobis ſupra allegato: ideóque benè explicatur à Pellizzario, vbi ſupra, ne ſibi contrarietur.

QVÆSTIO XX.

An ſaltem Tertiarij in communitate viuentes ſubiiciantur, etiam quoad vim coactiuam, Prælatis Ordinum?

REſpondeo quod ſic. Quia cum iſti ſint à iuriſdictione Ordinarij, & ſæculari, exempti, neceſſariò debent ſubiici iuriſdictioni Prælatorum Ordinum, ne dicantur ſub nullius iuriſdictione eſſe. Et ita poſſint illos corrigere & punire, etiam in foro externo. Et priuare illos habitu Ordinis, ſi opus fuerit, vt docet Portell. *loco cit.num.10.* his verbis. Poteſt Generalis, & Prouincialis Minorum, & illorum Vicarij, priuare Habitu ſuo ſuos Tertiarios extra Congregationem viuentes, ſi id qualitas exceſſus poſtulauerit. Sic ex Compend. *verb. Tertiarij*, §.8. Portellius.

QVÆSTIO XXI.

An, Tertiarij, vel Tertiariæ, ſint Apoſtatæ, ſi à ſuo ſtatu in perpetuum recedant?

REſpondeo dicendum: Quod non ſint. Sic Sanchez *lib.6.in Decal. cap.* 8. *n.6.* ita dicens: Quarto deducitur, non eſſe Apoſtatas mulieres, quas vulgò vocamus *Beatas*, Tertij Ordinis D. Franciſci, & D. Dominici, ſi ab eo ſtatu recedant in perpetuum, matrimonioquè copulentur, contra vota Caſtitatis, Paupertatis & obedientiæ emiſſa, &c. Quia illa (inquit) Beatarum Congregatio non eſt approbata à Sede Apoſtolica, tanquam Religio, nec per ea vota conſtituuntur in ſtatu verè Religioſo: at Apoſtaſia hæc, eſt receſſus à ſtatu verè Religioſo: ergo. Sic ille: ex Banneſio 2.2. *q.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. & Aragonio ibi, *dub. vnico de Apoſtaſia à Religione.* Quorum, licèt amplectatur doctrinam, non verò eorum, quam tradunt, rationem. Lezana *etiam tom.1.par.2.cap.14.num.23.*

QVÆSTIO XXII.

An ad minus peccent mortaliter ſi ab illo ſtatu recedant?

REſpondeo dicendum quod ſic tam caſu, quo, emiſſo Caſtitatis voto, Matrimonium contrahant: quàm caſu, quo Habitum dimittant, ſi illum in Profeſſione geſtare ſemper vouerunt. Quia in vtroque caſu grauiter contra vota delinquunt. Sic Lezana, *loco citato.*

QVÆSTIO XXIII.

An, Tertiarij ſint, & debeant dici, perſonæ Eccleſiaſticæ?

AFfirmandum videtur ex dictis. *Primò*: quia tales perſonæ ſunt annexæ Ordinibus à Sede Apoſtolica approbatis. *Secundò* quia eorum inſtitutum eſt Ordo & approbatus. *Tertiò*: quia mutant ſtatum, & Habitum, ac traditam ſibi Regulam approbatam obſeruant. *Quartò* denique, quia illos appellare videtur Eccleſiaſticas perſonas Sixtus IV. in Bulla *Sacro-Sancta*, edita pro Tertiariis Dominicis: ergo, &c.

Sed tanquam certum Reſpondeo dicendum, quod Tertiarij dicendi ſunt ſimpliciter, & abſolutè perſonæ ſeculares: ſecundum quid verò, & aliquo modo, perſonæ Eccleſiaſticæ. *Prima pars* probatur. Quia Pontifices, Tertiariorum Congregationem, ſeu Ordinem ſæcularium, vel laicorum appellant. Hi ſunt Paulus II. in Bulla, *expoſcit veſtræ*, data *anno* 1470. & Leo X. in Bulla *Dum intra mentis*, data in Concil. Lateran. 19. *Decemb.* 1516. vbi eos ad onera, quæ laicis incumbunt perferenda teneri, & in foro ſæculari coram iudicibus ſæcularibus conueniri poſſe, declarauit: Quod non feciſſet, ſi ſentiret illos eſſe abſolutè perſonas Eccleſiaſticas.

Secundam verò partem probant tantum argumenta facta in principio quæſtionis pro affirmatiua. Sic Lezana *cap.14.cit.num.25.*

QVÆSTIO XXIV.

An, viri Tertiarij collegialiter viuentes, aut cum Clauſtralibus habitantes, potiantur priuilegiis, quibus Fratres Religionis, cuius ſunt, Tertiarij, fruuntur?

REſpondeo vt certum, quod ſic. Quia ita conceſſum eſt illis à multis Summis Pontificib. vt teſtatur Lezana *tom.1.par.2. cap.14. à n.27. & tom.2. v. Tertiarij, & Tertiariæ, num.* 1. Pro quo aduertit Tertiarios tripliciter viuere poſſe, nempe; *collegialiter*; *cum clauſtralibus*; & *in propriis domibus. Collegialiter* dicuntur viuere, qui in aliqua communi domo, aut Collegio, ſub habitu, & Regula Tertiariorum, non tamen vt Religioſi, viuunt. *Cum clauſtralibus* autem dicũtur viuere qui ſub Regula & Habitu Tertiariorum tantum, cum Religioſis morantur. Illi tandem dicuntur *In propriis domibus habitare*, qui, ſiue in propriis, ſiue in alienis domibus, ſigillatim tamen, ſeorſim, & ſeparatim ab aliis Tertiariis viuunt, quales ſunt multi præſertim in Hiſpania, & Italia. Hæc ille. Lege Peyrin. *tom.1. conſtit.4. Sixti IV.* §. 7.

QVÆSTIO XXV.

An etiam viri Tertiarij, qui sigillatim in propriis, vel alienis domibus, habitant, potiantur dictis Fratrum priuilegiis?

REsp.quod non.Quia,vt viri Tertiarij,priuilegiis, quibus fruuntur Fratres Ordinis, cuius sunt Tertiarij, fruantur; requiritur, quod collegialiter viuant, aut cum Clauſtralibus habitent. Id enim colligitur ex Bulla Leonis X. lata in Concil. Lateran. & Decretis Sacrarum Congregationum, vt cum multis docet Lezana *tom. 1. part. 2. cap.14. n.30.& ſequent.& tom.2.v.Tertiarij,n.1.*Peyrin.*loc. cit.* Vbi *n.38.* refert quandam Declarationem Sac. Congreg. Cardin.Concilij Trident.Interpretum,ſic ad quædam conſulta reſpondentis. *Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, alioſque ſimiles ita demum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ Habitum aſſumpſerunt, priuilegiis potiri, & ab Ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter viuant, ſeu cum Clauſtralibus habitent;& mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto,& ſub dicto Habitu vitam traduxerint.* Quemadmodum cauetur conſtitut. Concilij Lateran. ſub Leone X. quæ habetur ſeſſ. vndecima, fine. Hæc Sac. Congregatio.

QVÆSTIO XXVI.

An ſaltem, fœminæ Tertiariæ, ſeu Beatæ, quæ in propriis domibus morantur, gaudeant omnibus priuilegiis, quibus fruuntur Tertiarij collegialiter viuentes?

NEgandum videtur : quia viri Tertiarij viuentes ſigillatim, & in propriis domibus, non gaudent dictis priuilegiis : ergo nec Fœminæ ſic viuentes illis debent gaudere. Sed nihilominùs.

Reſpondeo, vt certum : gaudere, dummodo virginalem, cælibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub Habitu Religionis vitam traducant. Quia id eis conceditur à Leone X. vt nuper vidimus. Et ſic tenent Lezana locis citatis, Peyrinus *tom.1. conſtit.4. Sixti IV. §.7. num.36.* Portell. *in dub.Regul.v.Tertiarij, n.7.*

Nec obſtat ratio dubitandi. Reſpondetur enim negando conſequentiam : quia his Fœminis expreſſe id conceſſit Leo X. & negauit viris. Nec mirum (inquit Portell.) quia viri Tertiarij viuentes extra communitatem, non promittunt caſtitatem; ſed ſolùm vouent mandata Dei, modo ſuprà expoſito. At iſtæ Tertiariæ vouent in particulari caſtitatem, non coniugalem, ſed abſolutè, & manent cum Habitu Ordinis, & ſub obedientia Prælatorum, & hoc eſt verum,etiamſi non voueant obedientiam, & paupertatem; ſed ſolam caſtitatem. Sic ille. Sed pro maiori huius reſponſionis declaratione, ſit.

QVÆSTIO XXVII.

An, ſub illo voto ſimplici caſtitatis, quod emittunt dictæ Fœminæ Tertiariæ, includantur alia duo, nempe obedientiæ, & paupertatis?

AFfirmarunt aliqui, quos, ſuppreſſis nominibus, refert Peyrinus *loco cit. n.37.* dicentes, quod per hoc Leo X. in d.Concil.Lateranenſi,conceſſerat præfatis fœminis tale priuilegium, & exemptionem.

Sed iam vt certum Reſpondeo, non includi : nec ob id reuocatum eſſe dictum priuilegium exemptionis conceſſum illis à Leone X. *loco citato.* Sic habetur in Decreto Congregationis *quæſt.24.*adducto; vbi verbis ſuprà adductis, ſequentia adiunguntur verba : *Hoc autem mulierum voto, alia duo, ſcilicet, paupertatis, & obedientiæ, nequaquam includi. Quinimò huiuſmodi, ſi vitam virginalem, aut cælibem ſimpliciter, expreſséque vouerint, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſum habitantes, ſupradictis priuilegiis Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptionéque ab Ordinarij iuriſdictione frui debere, quemadmodum idem Leo poſtea declarauit conſtit. edita 1.Martij, anno 1518.* Hæc Sac. Congregatio, vt refert ex Souſa Peyrinus *loco cit. n.38.* Lege Lezanam *tom.1.& 2. locis citatis.*

DISPVTATIO XLI.

De voto, & iuramento purè conditionali.

QVÆSTIO PRIMA.

An, in omni iuramento, & voto, inueniantur aliquæ conditiones generales?

RESPONDEO, quod ſic. Quia in omni iuramento, & voto, etiam abſoluto, reperiuntur; eo quod ſint illis intrinſecæ. Sic docent omnes Doctores præcipuè eximius inter illos, P. Suarez *tom.2. de Religione, lib.2.de iuram.cap.34.& lib.4.de voto, cap.17.* Azor *tom.1.Inſtit.Moral. lib.11. cap.15. q.9.* Fagundez *lib.2.in Decal. cap.38.n.2.* Qui omnes, conſequenter docent, ob has conditiones, minimè dici iuramentum, aut votum, conditionale, ſed abſolutum. Legatur Suar. *cap.34. cit.n.10.*

QVÆSTIO II.

Quænam ſint hæ conditiones generales, quæ in omni iuramento, & voto reperiuntur?

REſpondeo dicendum, quod huiuſmodi conditiones generales, quæ in omni iuramento, & voto promiſſorio includuntur, licèt non exprimantur, ad tres vel quatuor reduci ſolent. *Prima eſt, ſi pa-*

tuero, (in qua includitur, quod res non mutentur notabiliter) quia nemo obligatur ad impossibile. Et hæc conditio sumitur *ex cap. Quemadmodum, & cap. Querelam, de iureinr. Secunda est; si mihi licuerit.* (Vbi inuoluitur, *si Deo placuerit.*) Quia iuramentum, seu votum, non potest esse vinculum iniquitatis. Et quia quod licite fieri non potest, non censetur homini possibile simpliciter, *cap. Faciat homo 22. q.2. Tertia est, nisi Prælatus aliud disposuerit, aut abstulerit obligationem.* Legantur Suarez, Azor, & Fagundez *locis citatis.*

QVÆSTIO III.

Quotuplex est conditio particularis conditionata, quæ iuramentum, & votum, cui adiungitur, verè, & simpliciter facit conditionatum?

REspondeo, quod multiplex. Nam in primis, conditio particularis apposita in iuramento & voto, aliquando est affirmatiua, & est illa quæ adiicitur per affirmationem, & in faciendo consistit: vt, *si Deus mihi, vel patri, vel amico, &c. salutem concesserit, iuro, & voueo me ingressurum Religionem*; aut, *tantùm eleemosynæ pauperibus daturum, &c.* aliquando vero est negatiua, & est illa, quæ per negationem adiicitur, & consistit in non faciendo; vt, *Si vindictam de tali iniuria non sumpsero*, aut, *Si castitatem non seruauero, iuro, vel voueo, me facturum hanc vel illam rem.*

Secundò. Conditio, alia est de presenti, alia de præterito, alia de futuro. *De præsenti*, vt, *Si pater meus modo viuit, iuro, vel voueo talem rem. De præterito; Si pater meus heri vixit, iuro, vel voueo, &c.* & huiusmodi conditio de præsenti, & de præterito, voto, aut iuramento apposita, non reddit votum conditionale, quia non suspendit eius obligationem, vt infrà dicemus, *q.6.* ac proinde de his conditionibus non est sermo in præsenti; sed de tertia, nempe conditione de futuro, quæ propria est, cùm consensum, & obligationem suspendat: vt, *Si nauis ex India venerit. Si pater meus hoc fecerit, &c. iuro, aut voueo me facturum talem rem.*

Tertiò. Conditiones de tempore futuro, aliæ sunt necessariæ; vt, *si cras sol oriatur.* Aliæ impossibiles; vt, *si cœlum digito tetigeris.* Aliæ contingentes; vt, *si nauis portu soluerit tali die.* Et hæ, aliæ sunt honestæ; aliæ turpes. Et ex turpibus, quædam sunt contra substantiam voti, aut iuramenti; aliæ non contra voti, & iuramenti substantiam. In hoc conueniunt omnes. Legantur Sanchez *lib.4. de voto, cap.23. n.2.* Bonac. *disp.4. q.2. de voto, punct.2. n.3.* Palaus *disp.1. de voto, punct.17. n.1.* Fagundez *lib.2. in Decal. cap.28. n.4.* Qui legendus est attentè, propter defectum aliquorum verborum ex iniuria Typographi omissorum.

QVÆSTIO IV.

Quid sit votum, aut iuramentum purè conditionale?

REspondeo, quod votum, aut iuramentum conditionatum, est illud, quod suspendit consensum, seu obligationem, quantum ad actualem executionem, quousque ponatur in esse conditio apposita. Sic Raph. de la Torre *2.2.q.88. art.3. disp.11. n.1.* Quod alio, non alio dissimili modo, definiunt illud Sanchez, & ex illo Trullench, & Fagundez, dicentes, quod votum conditionale sit, quando consensus in rem promissam, non est statim perfectus, & absolutus, sed est suspensus, & pendet ex futuro conditionis euentu, & communiter fit per particulam *si*, vt si quis morbo oppressus dicat: *Iuro, aut voueo Religionem, si incolumis euasero.* Tunc enim non habet statim animum, & consensum absolutum, & deliberatum ingrediendi Religionem; sed suspendit illum, vsque ad euentum contingenter futurum propriæ salutis: quia in eo voto, iuramentoue promissorio, nec voluntas fertur directè in Religionem, aut rem promissam, sed in incolumitatem, quam optat obtinere, media illa voti, aut iuramenti obligatione: nec consensus statim est absolutus, & perfectus, sed imperfectus tantum, & à futuro euentu pendens. Lege Sanchez *lib.4. cap.23. n.1.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.27. n.1.* & Fagund. *lib.2. cap.28. n.5.*

QVÆSTIO V.

An, semper, quod quis iurat, aut vouet, adiecta particula; si, faciat aliquando iuramentum aut votum conditionatum?

REspondeo, quod non. Nam aliquando hæc particula *si*, facit eumdem sensum, ac particula *quando*: atqui, quando fit iuramentũ, aut votum, per particulam, *quando*, tunc non est verè iuramentum aut votum conditionale, sed absolutum; vt constat in emissione huius iuramenti, aut voti: *Quando hoc, vel illud euenerit, voueo, vel iuro, me ingressurum Religionem*: ergo. Maior constat. Nam si votum aut iuramentum, his verbis fiat: *Si pater meus obierit, voueo, aut iuro me ingressurum Religionem*; tunc particula *si*, eundem sensum reddit ac particula, *quando*, & facit hunc sensum: *Quando pater meus obierit, ingrediar Religionem*: sed hoc iuramentum est absolutum cum determinatione temporis ad exequendum illud, ergo. Sic Sanchez *n.1. cit.* Trullench. *num. etiam 1.* & Fagundez *n.6. & 7.*

QVÆSTIO VI.

An votum aut iuramentum factum sub conditione quacumque de præterito, vel præsenti; sit conditionatum?

REspondeo, quod non, sed absolutum omnino. Quia conditio propriè dicta suspendit consensum, seu contractum ex incerto euentu, vt suprà est habitum: sed conditio de præterito, vel præsenti, neutrum suspendit, vt suprà *q.3.* est habitum: ergo. Sic Sanchez *lib.5. de matrim. disp.6. n.1. & lib.4. Decal. cap.23. n.4.* Azor *tom.1. lib.11. cap.15. q.9.* vers. *Tertiò.* Trullench. *n.2.* Tamburin. *lib.3. in Decal. cap.12. §.6. n.1.* Vbi ita ait: Si votum fiat sub conditione præterita, vel præsenti quacunque, vel sub conditione futura necessaria: vt, *voueo ieiunium, si pater meus mortuus est; si nunc viuit; si cras orietur sol*; non suspenditur voti obligatio, posita veritate conditionis: quia conditio habetur pro adimpleta, adeoquè habetur, ac si huiusmodi votum purè, seu, sine conditione emissum fuisset. Sic ille, & omnes. Lege dicta à nobis *2. p. tract. 9. de matrim. disput. 8. quæst. 2.*

QVÆST.

QVÆSTIO IX.

An etiam votum, aut iuramentum factum sub conditione necessaria temporis futuri, sit etiam absolutum?

NEgabunt qui docent, conditionem extrinsecam necessario euenturam adiectam matrimonio, reddere illud conditionale, suspenderéque consensum; vt, *contraho tecum, si cras sol orietur*: ac proinde non esse matrimonium, donec conditio impleatur. Ita sentiunt apud Sanchez, Glossa in cap. *Per tuas, de condition. appos.* verb. *Præsumendum*, & ibi Ioan. Andr. *n.* 7. Antonius, & Anchar. *fine.* Speculator *tit. de condition. appos. n.* 8. & Angel. *Matrimonium* 3. *impedim.* 3. *initio.*

Sed iterum, vt mihi certum Respondeo, esse absolutum tale votum aut iuramentum, & statim perfectè obligans: quia cùm ea conditio sit necessario euentura, habetur statim pro impleta, & cõsequenter non suspendit voti valorem, cùm non suspendat consensum; nisi aliàs vouens, aut iurans expresè intendant illum suspendere, vsque ad conditionis euentum. Sic D. Thom. D. Bonau. Palud. & alij, vsque ad viginti & septem Doctores, quos refert Sanchez *lib.* 5. *de matrim. disp.* 6. *n.* 2. Quibus addidimus, vbi suprà, *disp.* 8. *de matrim. q.* 3. Basilium, Valentiam, Bonac. Rebellium, & Palaum, & nunc addo ipsummet Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 23. *n.* 5. Tambur. *q.* 6. citatum, Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 27. *n.* 3. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 13. Qui benè cum Sanchez notat, quod cùm Doctores dicunt, huiusmodi vota, & iuramenta statim obligare, non intelligendi sunt, quasi illa die in qua fiunt, sit terminus vltimus, & præfixus exequendæ obligationis talis voti, aut iuramenti; sed solùm volunt, tunc incipere obligare, eo prorsus modo, quo vota absoluta, quibus nullus præfixus est terminus.

QVÆSTIO VIII.

An, saltem sit conditionatum votum, vel iuramentum, factum sub conditione necessaria futuri temporis; casu, quo vouens, aut iurans, voto, aut iuramento tempus præfinit, vt, voueo, aut iuro me ab hinc vno anno castitatem seruaturum, si sol cras oriatur?

REspondeo dicendum, quod tunc tale votum, aut iuramentum sit conditionatum, & ideo non tenetur vouens, aut iurans seruare castitatem ratione voti, vel iuramenti, donec annus labatur. Non quia conditio consensum suspendat, non enim illum suspendit, sed statim est iuramentum, vel votum absolutum & perfectum; sed quia dies executioni præfinita est, & ita vsque ad illam diem non obligat, sicut non obligaret, eâ conditione necessaria non adiecta. Sic Sanchez, & ex illo Trullench. locis citatis. Fagundez *n.* 15. Qui secus dicunt, casu, quo tempus soli conditioni adiiciatur; vt, *voueo castitatem, si sol manè, vel ab hinc vno anno oriatur.* Tunc enim, cum conditio sit necessaria, habetur pro non adiecta, & ideò votum statim obligat.

QVÆSTIO IX.

An, votum vel iuramentum factum sub conditione impossibili, vt; Si digito cœlum tetigero; voueo, aut iuro castitatem: *sit validum, & statim obliget; eo quod talis conditio habeatur pro non adiecta?*

AFfirmant aliqui Doctores, *ex cap. finali, de condit. appos.* vbi decernitur in fauorem matrimonij, quod conditiones impossibiles, & turpes in eo appositæ, habeantur pro non adiectis. Et ideò nos *tom.* 2. *tract.* 9. *de matrim. disp.* 8. *q.* 6. cum communi diximus, validum esse matrimonium contractum sub conditione impossibili; vt, *contraho tecum si cœlum digito tetigeris*: at votum, & iuramentum est fauorabilius: ergo. Ita tenent Philiarcus *de officio Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. & alij.

Alij dicunt, in foro externo, eam conditionem impossibilem, pro non adiecta haberi; & ita ea vota, & iuramenta valida iudicari: secus autem in foro interno. Ita Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 9. *vers. Tertiò*, ibi: conditio, quæ vel naturâ est impossibilis, vel lapsu temporis affecta est talis, in foro quidem exteriori pro non adiecta habetur: at in interiori nullum est votum ex adiecta conditione. Vt, *si Titius voueat, si cœlum manu tetigeris, si mare totum ebiberis*, &c. Votum est irritum, & inane. Ita Azor Quem citat, & sequitur Sayrus *in Clau. Regia lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 3.

Sed probabiliùs Respondeo, conditiones impossibiles in iuramentis, & votis in vtróque foro non haberi pro non adiectis; sed nihilominus non obligare, sed irritum omnino reddere iuramentum, & votum. Ratio est: quia promittens aliquid sub conditione, non vult se obligare, nisi ea existente: ergo quando conditio nequit existere, non manebit obligatus: ergo irritum omnino est, tale votum aut iuramentum. Sic Ricard. *in* 4. *d.* 38. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. & ibi Palud. *q.* 3. *art.* 2. *concl.* 1. *n.* 13. Supplem. Gabrielis *ibi q.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. Palac. ibi *disp.* 1. *concl.* 5. Abulens. *cap.* 30. *Numeror. q.* 92. Quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 23. *n.* 8. Quibus addi possunt Fagundez *lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 20. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *de voto, punct.* 2. *n.* 3. *vers. Dico secundo.* Qui citat Sylvestrum *votum* 1. *q.* 5. Azorium *lib.* 11. *cap.* 15. & Clau. Regiam *lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 3. sed non benè omni ex parte, hos vltimos, vt vides. Sic etiam Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 27. *num.* 4. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 12. §. 6. *n.* 2. Ita dicens. Votum sub conditione impossibili, *vt voueo ieiunium, si volauero*, nunquam obligat: quia nunquam ea conditio ponetur. In quo votum differt à contractu matrimonij, & ab vltimis voluntatibus, hæc enim valent, conditione impossibili reiecta: ratioquè diuersitatis, satis nunc illa sit, quia in his ita leges sanxere, quod non est in voto. Hęc Tamburinus. Ex quo patet ad fundamentum primæ sententiæ. Sic etiam tenent Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 206. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 34. *diff.* 6. *n.* 4.

QVÆSTIO X.

An, conditio turpis irritet votum, aut iuramentum, quando est contra eius substantiam?

RESP. vt certum: irritare. Quia omnis conditio, cõtra substantiã contractus, vitiat illum, vt loquendo de matrimonio decernitur *in cap. fin. de cond. apposit.* Vnde si quis iuret, aut voueat, ea conditione, vt nullatenus voto, aut iuramento teneatur; tunc inualidum est votum, aut iuramentum, eo quod repugnet, cum dicta conditione, substantiam horum consistere. Sic Azor *part.1. lib.11. cap.15. q.9. vers. Porro sciendum est.* Sanchez *lib.4. Decal. cap.23. n.10.* & nos loquendo *de matr. p.2. tract.5. disp.8. q.8.*

QVÆSTIO XI.

An, Religionis Professio irrita fiat, adiecta conditione, contra eius substantiam; v.g. vt profitens proprium retineat, vel non teneatur ad castitatem; *aut* arbitrio suo viuat?

NEgant aliqui DD. sentiẽtes talem Professionem esse validam, & ratam. Ducuntur ex *Cap. insinuante. Qui clerici, vel vouentes.* Vbi Pontifex definit firmam fuisse Professionem cuiusdam mulieris emissam cum ea conditione, *vt in domo sua cum omnibus suis bonis maneret:* ergo. Ita Innocen. Hostiens. Ioan. Andr. Anton. Butrius, Cardin. Præpositus, Alex. de Neuo, & Henricus, & Glossa *in cap. fin. de condit. appos.* & *in cap. insinuante, citato.* Accursius, Iason, Bartol. Decius, Felinus, Baldus, Bern. Diaz. Gregor. Lopez, & alij, quos citant Couarru. *in 4. de matrim. p.2. cap.3. §.1. num.* 8. Azor *tom.1. lib.11. cap.15. q.9.* vers. *Porrò sciendum est.* & Sanchez *lib.5. in Decal. cap.4. n.91.* (non *lib.4. cap.27. n.92.* vt ipse se citat, *lib.4. cap.23. n.10.* & Fagundez *lib.2. cap.28. n.42.*) & est probabilis hæc opinio.

Sed nihilominus probabiliùs Respondeo, talem Professionem esse inualidam, & irritam. *Primò*, quia, vt quæstione antecedenti diximus, iuramentum, aut votum simplex emissum cum conditione contraria eius substantiæ, est irritum: ergo etiam votum solemne. *Secundò.* Quia conditio contraria substantiæ matrimonij carnalis, reddit ipsum irritum, vt cum communi probauimus *2.p. tract.9. disp.8. q.8.* ergo idem erit in matrimonio spirituali, per Professionem inito.

Nec obstat textus *in cap. insinuante*, citato, quia pactum illud, quod fecit mulier retinendi res suas in propria domo, non fuit retinendi proprium quoad dominium, cum libera vtendi facultate, & independenter à Superiori; sed quoad vsum solum, reseruando tales res pro suis necessitatibus ex Superioris licentia, quæ conditio non repugnat cum Religionis substantia. Sic Sanchez *lib.5. sum. cap.4. n.94. & 97.* & penes illum, Glossa, Speculator, Barthol. Decius, Paulus, Abbas, Cardin. Anchar. Palud. *in 4. d.26. q.3. art.2. n.10.* Adrian. *in 4. vbi de matrim. dub.9.* Diuus Anton. *3. p. tit.16. cap.3.* Rosella, *Religio 2. num.21.* Syluest. *Religio 3. q.6.7. & 8.* & ibi Tabiena *q.20. n.21.* & Armilla *n.8.* Nauarr. *lib.3. consil. tit. de statu Monachor. consil.14. n.15.* aliàs *tit. de Regular. consil.20. n.5.* Couarru. *loco cit.* Azor *lib.11. cap.15. q.9. cit. & lib.12. cap.5. q.2.* Rodriguez *tom.3. qq. Regul. q.17. art.7.* Sic etiam Fagundez, *loco citato*, & alij.

QVÆSTIO XII.

An, quando condito turpis, non est contra voti, aut iuramenti substantiam; tunc talis conditio reddat irritum etiam votum, aut iuramentum?

RESpondeo, si talis turpis conditio sit de præterito, aut præsenti; vt, *si heri furtum est admissum*, vel, *modo admittitur*; tunc manifestum est, non reddere irritum votum, aut iuramentum; sed, ea subsistente, obligare: secus si nõn subsistat. Quia nemo inde ad peccandum incitatur, nec intendi potest per illud compare aliquod malum à Deo. At quando conditio illa turpis est de futuro, vt, si quis voueat Religionẽ, *si fornicatus fuerit*; non in sensu pœnali (in quo iam diximus suprà valere votum, aut iuramentum) sed in sensu conditionali; tunc si per tale votum, non intendat obtinere ipsam fornicationem à Deo, sed ponatur tanquam conditio pendens à malo euentu, valet votum, & iuramentum, & statim obligauit, ea conditione posita. Si verò intendat, aut desideret malum euentum, aut peccatum euenire, & ex affectu ad eam turpem, malamque conditionẽ, voueat, aut iuret, aut eam à Deo obtineat, non valebit votum, aut iuramentum. Imò erit grauissima blasphemia. Sic Fagundez *lib.2. Decal. cap.38. n.43. & 44.* ex Sanchez *lib.2. Decal. cap.6. n.17. & cap.23. n.11.* Legantur dicenda *tract. de voto, disp.4. q.28. & 31.*

QVÆSTIO XIII.

An, votum, seu iuramentum emissum, sub conditione futura contingente, de re possibili, & honesta; vt, Voueo, aut iuro, me ieiunaturum, si pater meus conualuerit, *obliget ante impletam conditionem?*

RESp. vt certum. Quod non obliget, ante quam conditio illo fuerit posita in actu. *Tum*, quia sic colligitur *ex cap. Super eo, de cond. appos. Tum* etiam, quia conditionis natura est, vt suspendat valorem actus vsque ad aduentum ipsius conditionis, iuxta Leg. *Si ita stipulatus fuero hanc summam, ff. de verb. obligat.* & *l. regia 1. tit.4. p.4. Tum* denique, quia vouens, aut iurans, sic & non aliter voluit legem sibi imponere. Sic omnes, vt fatetur Sanch. *lib.4. cap.23. n.6.* Fagundez ex ipso, *lib.2. cap.28. n.9.* Tamburin. *lib.3. Decal. cap.12. §.6. n.3.* Palaus *disp.1. de voto, punct.17. num.2.*

QVÆSTIO XIV.

An, vt votum, seu iuramentum conditionale, statim obliget; sufficiat partem illius adimpletam fuisse?

RESpond. Quod non, sed opus esse, totam conditionem adimpleri, vt votum, seu iuramentum obliget. Sic Sanchez *loco cit.* & ex illo Fagundez *num.10.* his verbis: Nec satis est, partem conditionis impleri,

impleri,sed tota conditio impleri debet,vt votum,vel iuramentum obliget : vt si promisit quis ingressum Religionis, *Si Frater sanus venerit ex Asia*; & veniat infirmus, non tenetur voto, aut promissionis iuramento; quia, ea parte non impleta, est verum dicere, conditionem non fuisse impletam : oportet autem impleri conditionem integrè,& perfectè,nec in minimo deficere, etiamsi materia suapte natura diuisibilis sit, vt relato Decio probat Sarmiento *lib.2.selectar.cap.1.num.7.* Azor, *lib.11.cap.7.q.9.* Sic ille.

QVÆSTIO XV.

An, si quis habens intentionem absolutam seruandi castitatem,dicat; voueo, vel, iuro Castitatem, *& postea, transacto aliquo paruo tempore,adiiciat conditionem aliquam; obliget ante impletam illam?*

REspondeo, vt certum : obligare,ante impletam conditionem.Quia ita absolutè vouens,aut promittens castitatem; non potest postea, etiam ex interuallo, quamuis modico, & imperceptibili, conditionem adiicere. Quoniam iam votum illud, & iuramentum absolutè emissum, suam absolutam perfectionem, & obligationem adeptum fuit; & ideo sicut, nec statim licet ab eo recedere; ita nec adhuc post modicum temporis licet ei conditionem adiicere. Sic Sanchez *lib.5.de matrim. disp.6.n.3.* cum Nauarro, Couarru, Lopez, Angelo, Syluestro & aliis, *& lib.4. Decal.cap.23. n.7. & lib.5.cap.4. n.93.* (non *cap.27.* vt seipsum ibidem citat,) & Fagundez *lib.2. cap.28. n.11.* (Qui etiam malè citat Sanchez *lib.4. cap. 27. num. 93.*) Legatur Basseus *tom. 2. votum 1. n.39.*

QVÆSTIO XVI.

An, post votum, aut iuramentum promissorium alicui, sub aliqua conditione factum; possit addi aliquod grauamen, aut restrictio?

REspondeo, vt certum : quod non possit, sicut non posset, si esset absolutum. Ratio est eadem. Quia, videlicet, hoc votum, aut iuramentum conditionale, iam est in suo ordine perfectum : nec minus oritur ex illo obligatio, & debitum in spe, quam oriretur ex eodem obligatio, & debitum in re, si purè, & sine conditione esset emissum. Sic loquentes de promissione, & donatione homini facta, docet Syluest. *donatio 1. q.15. n.19.* Molina, dicens neminem refragari, *tom.2.de iust. disp.285. col.4.concl.4.* Et ex illis Sanchez *lib.4. Decal. capit.23.n.7. cit.* & Fagundez,vbi suprà, *n.12.* Basseus *loco cit.* vbi ad rem dicit, quod qui vouit Religionem sub conditione paterni consensus, statim obligatur, & censetur impleta,conditio, si Pater, re cognita, voto consentiat, licèt posta dissentiat.

QVÆSTIO XVII.

An, si quis sub duplici conditione voueat, aut iuret, vt, ieiunabo, si pater meus non moriatur; & ego pecuniam exigam; *tunc, vt votum, aut iuramentum obliget, expectanda sit vtraque conditio?*

REspondeo dicendum, quod expectanda sit, vt vtraque conditio adimpleatur, si vouens, aut iurans indiuisibiliter vtramque intenderit; solum verò altera dumtaxat ex illis,casu, quo vnam principaliter, & alteram accessoriè intendere mens fuit. Ratio est, quia tota voti, aut iuramenti obligatio, ex iurantis, & vouentis intentione consurgit. Sic D. Anton. *2.p. tit. 11. cap.2. §. 4.* Sylvest. *votum 2. q.2.* vt infra,& ibi, Tabiena, *fine.* Sanchez *lib. 4. Decal.cap.23. n.19.* Fagundez *lib.2.cap.28.num.24.* Tambur. *lib.3.Decal.cap.12.§.6.num.3.*

QVÆSTIO XVIII.

An, casu,quo iurans, aut vouens, dubitet, an iurauerit, vel vouerit sub illis conditionibus simul sumptis,an vè,diuisiuè tantum; tunc obliget votum, aut iuramentum, quacumque conditione ex illis eueniente?

AFfirmat Sylvest.*votum 2.q.2. fine*, ibi : Quarto. Si autem votum sit factum sub pluribus conditionibus, & vna extet, & non alia, obligatur secundum quod intendit obligari, scilicet, aut solùm omnibus extantibus; aut vna earum. Et si super hoc non cogitauit, nec scit discernere, secundum Archidiac. tutius est implere, imò videtur necessarium. Hæc Sylvest. quem videtur sequi Tabiena *votum 2. fine*, cum dicat, in dubio, tenendum esse id quod securum est.

Sed longè probabiliùs Respondeo, in dicto casu, votum, aut iuramentum non obligare, quacumque conditione ex illis impleta; sed oportere omnes in actu poni. Quia cum sub pluribus conditionibus emissum sit, possessio stat pro libertate vouentis, aut iurantis,dum eæ omnes non implentur; sicut quando sub vna emittitur, dum illa non impletur. Sic Sanchez *num.19.citato*,& ex illo Fagundez *cap.28. citato num. 26.*

QVÆSTIO XIX.

An quando votum, vel iuramentum sub conditione coniunctim vel copulatiuè emittitur, vt, iuro, vel voueo Religionem, si pater & Frater meus ex Asia venerit; *tunc obliget votum, aut iuramentum, solo vno illorum aduenire?*

REspondeo,ex dictis, quod non.Quia vt obliget, vterque aduenire debet,secus verò dicendum, si conditio disiunctim apponatur, vt si quis dicat : *iuro, vel voueo Religionem, si pater, vel frater meus ex*

ex Asia venerit: quia tunc sufficit vnum illorum venisse. Ratio est: quia vbi non constat de alia vouentis, aut iurantis intentione, standum est verborum significationi, quæ est, vt oratio copulatiua petat vtriusque partis veritatem; disiunctiua verò alterius. Sic Sanchez *loco cit. num.* 20. ex Azorio 1. *p. lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 9. *vers. Postremò.* Fagundez *loco cit. numer.* 27. Palaus *disp.* 1. *de voto, punct.* 17. *num.* 2.

QVÆSTIO XX.

An, quando votum, vel iuramentum emittitur, sub pluribus conditionibus, quarum altera sit possibilis, impossibilis altera, obliget, adueniente sola possibili?

REspondeo obligare, adueniente sola conditione possibili, casu, quo verba quibus emittitur fuerint disiunctiua; secus si fuerint coniunctiua. Ratio est: quia in priori casu, solius alterius conditionis aduentus desideratur, & ideò altera possibili eueniente statim obligabit votum aut iuramentum: in posteriori verò casu, exigitur vtriusque conditionis euentus, vt constat ex nuper dictis; & ideò cùm impossibilis euenire nequeat, corruet votum, vel iuramentum. Sic Sanchez *n.* 21. & Fagundez *num.* 29.

QVÆSTIO XXI.

An sufficiat, conditionem impleri æquiualenter; an verò, sit necesse, vt impleatur sub propria forma?

AFfirmat, sufficere conditionem impleri in æquiualenti; nec esse necesse impleri in propria forma; vt votum, aut iuramentum conditionale obliget, dummodo per illam æquiualentiam sequatur idem effectus intentus, Sanch. *lib.* 4. *Decal. cap.* 23. *num.* 26. referens pro se Couarru. *quæst. practic. cap.* 39. *n.* 7. *vers. ex parte verò,* Menochium, Manticam, & alios.

Negant verò alij docentes conditionem in specifica forma debere adimpleri, & non sufficere in æquiualenti, vt votum, vel iuramentum obliget: eo quod satis commune, & tritum sit, conditionem in specifica forma impleri debere, iuxta *l. qui heredi,* §. 1. *& l. Mœuius, ff. de condition. & demonstrat.* quia conditio inducit formam. Sic Palaus *disp.* 1. *punct.* 17. *n.* 5. Cuius sententiam, vt probabilem docet Tamburinus *lib.* 3. *Decal. cap.* 12. §. 6. *num.* 4.

Sed clariùs Respondeo, vt quid certum; non sufficere conditionem impleri æquilenter, vt votum, vel iuramentum obliget, casu, quo vouens solum intenderit impleri sub propria forma. Imò, vt quid probabilius, aut saltem æquè probabile, etiam casu quo id expressè non intenderit. Sic tenet Tamburinus *loco cit.* his verbis: Vouet quis v. g. eleemosynam, si ex negotiatione frumentorum lucrum reportet; quæres, an si lucrum obtineat ex alio negotio, v. g. ex collectione fructuum sui prædij, ad illam eleemosynam obligetur? Idem quæritur, in casu quo frater voueat, se ingressurum Religionem, *si soror nupserit*; vel filius, *si Pater diuitias obtinuerit*; quia hi, propter eorum paupertatem, sunt ipsis impedimentum; quæritur enim, an si soror, & Pater aliquem statum assumant, vt impedimento amplius non sint, ad Religionem ingrediendam adsit obligatio?

Respondeo, quando votum emittitur sub conditione illa determinata, *si ex ea præcisa negotiatione lucrum acquirat; si Pater ditescat, si soror nubat;* non obligari, quia non ponitur conditio, quam præcisè intendebat vouens, vt patet ex dictis.

At difficultas est, quando sub illa conditione vouit, non ob finem habendi lucrum, vel diuitias Patris, vel sororis nuptias: sed quia iudicat his positis, se habiturum vnde pauperibus subueniat, & habiturum faciliorem aditum ad Religionis ingressum? Obligari docent aliqui: quia intentio vouentis fuit, ne impediretur à paupertate: at iam per illam æquialentiam verè non impeditur: ergo. &c. Ita Sanchez *loco cit.*

Sed probabile etiam est, non obligari. Quia votum nuncupans, non se obligauit in euentu, quo cessaret quandocumque impedimentum (nisi id expresserit,) sed quo cessaret illo modo, quo ipse expressè pronunciauit, v. g. ex determinata illa negotiatione frumentaria, non ex fructibus in agro collectis. Huc vsque Tamburinus. Legatur Palaus loco citato.

QVÆSTIO XXII.

An, si quis voueat, aut iuret, se ingressurum Religionem, si Romam accedat; *possit licitè Romam non adire, vt sic obligationem voti, aut iuramenti subterfugiat?*

REspondeo, vt certum. Quod possit. Ratio est, quia semper, quando adimpletio conditionis pendet à voluntate vouentis, aut iurantis, non tenetur hic expectare conditionis euentum, sed liberum est ei, eam numquam apponere: ergo non peccat impediendo conditionis euentum: ergo vouens in assignato casu, potest Romam non adire, vt voti obligationem subterfugiat.

Ex qua doctrina sequitur. *Primò,* quod si quis vouit, aut iurauit, quoties domo exiret daturum eleemosynam; aut quoties in nostrum templum ingrederetur, ieiunaturum in honorem Summæ Trinitatis; liceret ei domo non egredi, quia ab ipso dependet hæc conditio, & consequenter non teneri eleemosynam distribuere. Et idem, quantum est ex hoc capite, liceret vouenti ingressum in templum. Sed ex alio capite, tale votum esset irritum & nullum, eo quod retraheret à meliori bono frequentandi Ecclesiam, & propterea posset talis vouens liberè ingredi templum sine necessitate ieiunandi, vt benè Tamburinus, vbi suprà.

Secundò sequitur, quod si quis voueat, aut iuret, sic: *Si Religionem ingrediar, erit Carthusiana;* possit statim ad nuptias transire, eo quod conditionem ex eius libertate pendentem apposuerit.

Tertiò, si quis iurauit, aut vouit Religionem, *si luserit hoc anno,* potest, ob dictam rationem, ante impletam conditionem, matrimonium inire. Sic docent communiter Doctores, Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 22. *num.* 11. *& cap.* 23. *num.* 28. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 42.

*num.*42. Sayrus *in clavi Reg. lib.*6. *cap.*8. *numer.*4. Suarez *lib.*4. *de voto, cap.*17. *n.*9. Azor *lib.*11. *cap.*20. *q. ultima.* Bonac. *disp.*4. *q.*2. *punct.*2. *n.*5. *vers. secunda est.* Palaus *disp.*1. *de voto, punct.*17. *n.*6. Tamburin. *lib.*3. *Decal. cap.*12. §.6. *n.*5. & alij. Qui omnes conueniunt, nec adhuc venialiter peccare illum, qui conditionem pendentem à propria voluntate, impedit, ob rationem nuper datam.

QVÆSTIO XXIII.

An etiamsi conditio, sub qua votum, aut iuramentum factum est, ab alterius voluntate pendeat, possit vouens, aut iurans, vi, vel fraude eam impedire; vt sic deobligetur à voto, vel iuramento?

REspondeo tanquam certum: non posse. Quia, si vouens, vel iurans posset pro libito, vi, aut fraude conditionem pendentem ab aliena voluntate impedire, tunc non ab aliena voluntate, sed à sua omnino dependeret, quod est contrà votum, sub illo modo factum. Vnde si quis dicat: *Voueo, vel iuro Religionem, si pater meus Romam accedat*; nequibit vouens vi, vel fraude, Patrem, ne accedat impedire, ob rationem dictam. Sic Tamburinus *loco cit. n.*6. dicens, in hoc omnes conuenire. Legantur, Suarez mox citandus, Sanchez *n.*55. & Fagundez *num.*17.

QVÆSTIO XXIV.

An, si non vi, vel fraude, possit ad minus vouens, aut iurans, petere, vel rogare, aut persuadere Patrem v.g. vt Romam non proficiscatur, vt sic ad votum non teneatur?

NEgat adhuc Sanchez *lib.*4. *sum. cap.*23. *n.*54. his verbis: *Secundò* deducitur, vouentem aliquid, *si quispiam id consuluerit, vel, voluerit*, non posse ab eo petere, ne id consulat, aut, vt nolit, ne voto teneatur. Ita ille. Et ex illo Fagundez *lib.*2. *cap.*30. *n.*14. Diana *p.*9. *tract.*8. *Resol.*4. Bassæus *tom.*2. *votum*1. *n.*38.

Sed probabiliùs Respondeo, posse tunc vouentem id facere. Quia hæc petitio, aut precatio non cogit patris voluntatem, ac proinde non impedit eius liberum consensum, sub quo tanquam sub conditione Religio promissa est. Sic Tamburinus *n.*6. *cit.* per hæc verba: si quis v.g. voueret Religionem, *si Petrus positiuè approbet; si confessarius consilium det, &c.* licebitne vouenti Petrum, vel Confessarium rogare, ne approbet, ne det consilium, &c. Dico, quod quamuis aliqui negent; esse tamen probabile, licere: quia sic petendo, verè, & absolutè non ponitur impedimentum voto; cum semper liber maneat pater ad accedendum, &c. Petrus ad approbandum, Confessarius ad dandum consilium, &c. Sic ille, & antea Suarez *lib.*4. *de voto, cap.*17. (non 27. vt inuenies apud Tambur.) *n.*17. & 18. (non *cap.*17. & 18. vt inueni apud Palaum, Layman) *lib.*4. *tract.*4. *cap.*6. *concl.*2. Palaus *disp.*1. *punct.*17. *num.*8. Imò id tenet Bassæus *loco citato, n.*39. sequutus Suarium, & Palaum. Et licèt rectè, non tamen consequenter.

QVÆSTIO XXV.

An, si conditio voti aut iuramenti ab alterius voluntate pendeat, & sit lege aliàs prohibita; teneatur vouens, aut iurans, conditionem totis viribus impedire?

REspondeo, vt certum, quod sic. Ideóque, si pater v.g. promittat Religionem, *si suus filius in fornicationem inciderit*, tenetur totis viribus conari conditionem impedire, nempe fornicationem filij. Quia Religio, votumvè eius, non potest esse contraria charitati; nec proinde impedire, quin fornicationem filij impediat, quamuis id efficiat causa vitandæ obligationis voti. Sic Sanchez *lib.*4. *cap.*23. *n.*43. Quia iniquum esset (ait) contra Dei legem ea peccata non impedire, ob obligationem voti inde consurgentem. Palaus *loco cit. punct.*17. *n.*7. Fagundez *lib.*2. *cap.*30. *n.*3.

QVÆSTIO XXVI.

An, si quis iuret, aut voueat Religionem, si in ludo victus fuerit; possit licitè, totis viribus conari, ne in ludo vincatur?

REspondeo; etiam vt certum: posse licitè id conari, etiamsi faciat eo animo, ne voto teneatur. Quia tacite conueniri videtur, ne teneatur vouens, aut iurans, euentum conditionum, quæ licitè impediri valent, procurare, sed potius vitare. Sic Sanchez *loco cit. n.*42. & penes ipsum, Glossa, Barthol. Palaus, Alexan. Albericus, Alciatus, Imola, Angelus, & Decius, & Fagundez *loco citato, n.*2.

QVÆSTIO XXVII.

An, si quis, item iuret, aut voueat Religionem sub conditione, si amicus certam Religionem ingrediatur; aut tale Matrimonium obtineat, sit reus voti, curando, vt ille strictiorem Religionem ingrediatur, vel fœlicius Matrimonium ineat?

REspondeo, item vt certum, quod non sit tunc reus voti, vel iuramenti, curando, ne impleatur conditio; neque hac non impleta, teneatur voto, aut iuramento ingrediendæ Religionis. Quia votum, aut iuramentum obligare nequeunt, cum impedimento maioris boni proprij, vel alieni: ergo iurans, aut vouens, qui ita impedit conditionem promissam, vt nitatur maius bonum, quàm positum in conditione erat, ne suo voto astringatur, non faciet contra votum. Sic Sanchez *n.*44. & ex illo Fagundez *lib.*2. *cap.*30. *n.*4.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui vouit, aut iurauit Religionem sub conditione si doctus in tali arte euadat, possit licitè abstinere à litteris eo animo; vt voti vel iuramenti obligationem fugiat?

REspondeo, non posse licitè, quia tunc iurans, aut vouens manifestè conuinceretur irrisoriè Religionem Deo promisisse sub conditione, quam malitiosè de medio tollit. Obligatur enim huiusmodi vouens ad studio litterarum modo ordinario incumbendum, vt possit doctus euadere, aliàs reus erit voti, aut iuramenti. Nisi aliàs à tali studio abstineat, quia ea ingenij tarditate præditus est, aut ea inopiâ, salutisvè defectu laborat, vt certum sit illi conditionem non adimplendam; quamuis ipse impleri curaret: Quia tunc non faceret contra votum aut iuramentum abstinendo à litteris. Sic Sanchez *lib.4. cap. 23.n.50.* Palaus *disp. 1. de voto,pun.17. n.9. fine.* Fagundez *lib.2. Decal.cap.30. num.11.*

QVÆSTIO XXIX.

An, si quis Religionem voto (aut iuramento) promisit sub hac conditione, si intra certum terminum sanitatem recuperet; faciat contra votum, si media necessaria & consueta ad recuperandam salutem non apponat, animo subterfugiendi voti obligationem?

REspondeo tanquam certum. Quod faciat contra votum ob rationem quæstione antecedenti assignatam. Vnde vi talis voti tenebitur ad vocandum medicum & adhibendas omnes medicinas necessarias, quales adhiberet voto, (aut iuramento) non emisso. Quod si consultò id non faciat, & sua culpa graui, sanitas recuperata non sit, aut non sit intra eum terminum, tenebitur voto (nisi aliàs certum sit iis mediis adhibitis adhuc non comparandam) quia culpa sua notabili media ordinaria omittens impediuit conditionis euentum. Sic Suarez. *lib. 4. de voto, cap. 17. n. 19.* Sanchez *num. 51.* Layman *loco cit.concl.1.* Palaus *num.9.cit.* Fagundez *cap.30. cit.num.12.* Bassæus *tom.2. votum 1.n.37.* Qui secus dicunt casu, quo vouens, casu aliquo, & non animo subterfugiendi voti obligationem, in esu, potuvè, aut in alia re qualibet nimis excessit: & si excessus fuerit mortalis, & recuperandæ salutis, intra terminum præfixum impedimentum, non tenebitur voto. Quia ex vi voti non est credendum vouentem voluisse se obligare ad procurandam salutem, aliter quàm antea erat obligatus; neque ad mutandum modum ordinarium procedendi.

QVÆSTIO XXX.

An, qui vouit aut iurauit Religionem, sub hac conditione, si Deus præseruet illum per integrum annum ab aliquo peccato; teneatur voto, si ex fragilitate victus tentationi succumbat?

AFfirmauit Gabriel *in 4. d. 38. q. 1. art. 3. concl. 2.* Eo quod culpâ sua non impleatur conditio; Deus enim illum adiuuaret, si ille quod in se est, efficeret. Et idem sentiunt apud Suarium Tabiena *votum 2.n.2.* & Angel. *votum 1.n.10.*

Sed vt certum Respondeo tunc non teneri vi voti ad ingrediendam Religionem. Ratio est, quia eo casu non obligat, nam si in eo obligaret, non daretur casus, in quo votum huiusmodi deobligare posset, ac proinde frustra euentus conditionis expectaretur, sed statim perfectè obligaret, vt in conditionibus necessariis accidere supra diximus: Quia impossibile est, eam conditionem deficere, nisi ex vouentis culpa. Sic Sanchez *lib.4. cap. 23.n.52.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 30. num. 13.* Suarez *lib.4. de voto,cap. 17. à num. 7.* Palaus *disp. 1. de voto,pun. 17. n.10.*

QVÆSTIO XXXI.

An, Prædictus vouens Religionem, si Deus integro anno præseruet illum à tali peccato, obligetur eo voto, in casu quo non adhibeat eam diligentiam ad vitandum peccatum illud, quam tenebatur adhibere, eo voto non emisso?

AFfirmant aliqui DD. docentes, obligari quidem in casu proposito, nec non in casu, quo datâ operâ in id peccatum lapsus est vouens, ne voto adstringeretur. Ita apud Sanchez, Angel. & Tabiena, vbi supra. Ricard. *in 4. d.38. art.5. q.3. ad 2.* Nauarr. *cap.12.n.42.* Lopez *1.p. instruct. c.44. col.2. vers. qui vouit.* Bassæus *tom.2. votum 1. num.37.* Qui probant ex eo quod omnis, qui impedit, ex graui negligentia, conditionem impleri, teneatur voto.

Sed probabilius Respondeo minimè dictum vouentem obligari voto, nisi solùm quando datâ operâ, vt voti obligationem effugiat, illud ipsum peccatum committit: Quia hoc voto solùm obligari potest vouens, ne malitiosè, & in voti fraudem conditionem præseruationis impediat. Sic Sanchez *lib. 4. cap.23.n.53.* Suarez, Layman, & Palaus vbi supra, Fagundez *num.13.*

QVÆSTIO XXXII.

An vouens prædictus, qui peccaret malitiosè ex industria, vt voti obligationem effugeret, violaret dictum votum?

NEgatiuam sententiam esse probabilem, ait Palaus *pun.17. cit. sub num.10.* ita dicens: Addendum tamen est cum Suarez *num.11.* non videri improbabile, sic vouentem non violare dictum votum peccando mortaliter, tametsi peccet malitiosè, vt voti obligationem fugiat. Quia conditio, sub qua Religio promissa est, integrè videtur pendere à diuina voluntate, & non ab humana. Promittis enim Religionem, si Deus eam gratiam, qua de facto peccatum euites, non qua euitare potes, concedat: At huius gratiæ concessio, integrè à diuina voluntate pendet, non ab humana: ergo humana voluntas peccans, huic gratiæ concessioni non aduersatur: nam eo ipso, quo peccat, conuincitur, non habere gratiam, qua de facto peccatum euitet; quæ fuit conditio, sub qua Religio promissa est. Hæc Palaus ex Suario, qui latè id prosequitur.

Sed nihilominus cum ipsismet Suarez & Palao vt quid probabilius, & securius Respondeo dictum vouentem in dicto casu violare tale votum grauiter peccando contra illud, delinquendo contra fidelitatem, & contra pactum in tali voto inclusum. Sic latè Suarez loco citato, *num.* 14. dicens, id esse commune: Et ex illo, Palao, *loco citato*, ita scribens: Fateor autem sic peccantem, verè peccare contra Religionem, præter peccatum, quod committit aduersus illam virtutem, aduersus quam procedit, quia abutitur voto, sumens ex illo occasionem delinquendi. Tum quia Spiritui Sancto, cuius fuit ad votum inducere, & ad illius executionem promouere, resistit. Sic ille.

QVÆSTIO XXXIII.

An, qui culpabiliter impedit conditionem sub qua votum emisit, teneatur voto, acsi de facto conditio impleta esset?

AFfirmant aliqui teneri voto, ac si impleta esset conditio, casu, quo vouens impediat conditionem in voti fraudem, hoc est, animo vitandi voti obligationem. Probant *primò* ex *l. in executione* 85. §. *finali. ff. de verb. obligat.* Vbi dicitur sic: *Quicumque, sub conditione obligatus curauerit ne conditio existeret, nihilominus obligatur.* Quid clariùs? *Secundò* probant hoc exemplo: Si quis promisit Petro dare decem, si fores suas ingrediatur, & ille volenti Petro ingredi, fores claudat, vt ipse ingredi nequeat, tenetur dare decem, acsi de facto fuisset ingressus, quia per promittentem, non per Petrum, stat quominus is ingrediatur, & conditio impleatur. Pro hac parte citat Palaus Nauarrum *cap.12. num.24.* (lege tu 42.) Sanchez *lib.4. cap.32.* (lege tu 23.) *num.47. & 53.* Et Bonacinam *disp.4. q.2. pun.2. n.6. & 7.* His addi possunt Sayrus *in claui Reg. lib.6. cap.8. num.4.* Et penes illum, Azor *tom.1. lib.11. cap.20. dub. vltimo.* Ricard. Angelus, Tabiena, Gabriel, Angelus, & alij. Fagundez *lib.2. cap.30. n.7.* Trulench *lib.2. cap.2. dub.27. n.24.* Diana *p.4. tr.4. Resol.101. & p.9. tract.8. Resol.3.* Prado *cap.31. de voto, q.5. §.3.* Bassæus *tom.2. votum.1. n.36.*

Sed æquè probabiliter respondeo in eo casu non teneri vouentem ad voti executionem, etiamsi malitiosè impediat conditionis euentum. Ratio est: Quia tota obligatio voti pendet ex intentione vouentis: Sed intentio vouentis conditionaliter, est non se obligare, nisi impleta conditione: Ergo si non impleatur, minimè obligatur vouens ad exequendum votum. Sic Maior *in 4. d.38. q.1. corol.7.* Suarez *lib.4. de voto, cap.17. n.20.* Filliuc. *tract.26. cap.6. n.158.* Layman *lib.4. tract.4. cap.6. q.3.* Et vt æquè probabilem, sequitur Tamburin. *lib.3. Decal. cap.12. §.6. n.7.* Qui ad exemplum respondet, illud esse verum in promissionibus humanis, quia sic leges, considerata ea tacita obligatione statuerunt; quod non est in promissionibus Deo factis, in quibus tota obligatio pendet ab ipsa expressa intentione vouentis. Raph. de la Torre *2.2. q.88. art.3. disp.11. concl.5.*

Nec Bonacina est iam pro prima sententia, nam in 2. editione, *num.7. citato*, post illa verba: *Hæc tamen intelligenda sunt, nisi aliter constet de mente vouentis: Nam votum vim suam habet à mente & voluntate vouentis*, hæc sequentia addit: *Imò regulariter loquendo, vouens non videtur obligandus ad voti adimpletionem, non adimpleta conditione: quia vouens non censetur se voluisse obligare, nisi posita tali conditione; quamuis ergo ex causa, vel culpa vouentis, conditio non ponatur in esse, votum non obligat.* Ita Suarez, Layman, Filliuc. & alij, locis citatis: Huc vsque Bonacina. Igitur iam hic Auctor est pro nobis.

QVÆSTIO XXXIV.

An, qui ex voto Religioni se dicauit, sub conditione, dum Prælatus illius retinere voluerit; *maneat securus, si libertatem malè seruiendo, Monasterium turbando, aut aliis iniquis mediis extorqueat?*

REspondeo vt certum: Non manere securum. Quia sic, ait Palaus, non adimpletur conditio apposita ad illius voti executionem; cum sit, seruiendi Monasterio dum Prælatus illius, quantum est ex parte sua, vouentem retinere voluerit: at cùm coactus, iniquo vouentis eiusdem modo procedendi, dimittit, quantum est ex parte sua retinere volebat: Ergo conditio illa honestans omissionem non impletur. Sic ille ex Lessio *lib.2. de iust. cap.40. dubit.20. num.148.* Cuius sententiam, (non pro illa ratione) sequitur Tamburin. §.6. *cit. fine.* Ita dicens: Qui de industria malè se in Religione gerit, vt sic dimittatur, etiã post biennium in Societate, non est tutus in conscientia, sed post dimissionem debet instanter petere ingressũ, vt votis satisfaciat. Ratio nostra (quæ enim adducitur à Castro Palao non satisfacit) est, quia res semper est integra, siquidem, qui sic se malè gessit, potest se emendare: Vnde & debet iuxta modò dicta, impedimentum per fraudem appositum tollere, & per ingressum bonis virtutibus associatum à dolo desistere. Quod si fraude qua vsus es ad extorquendam dimissionem, detecta, superior, ad quem pertinet dimittere simul & recipere, te nihilominus repelleret, liber manebis; quia aperiendo fraudem, fecisti pro virili parte quod in te fuit. Sic Tamburinus.

DISPVTAT. XLII.

De voto, & iuramento conditionali pœnali.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit votum, aut iuramentum conditionale pœnale; & in quo distinguatur, à voto & iuramento purè conditionali?

REspondeo dicendum quod votum, aut iuramentum conditionale pœnale est, & datur quando vouens, aut iurans, rem promissam promittit exequi, quasi in pœnam, si crimen aliquod commiserit: v. g. si quis promittat voto, aut iuramento, Religionem ingredi, si luserit: Tunc enim, non optat iurans, aut vouens Religionem, imo illam aliquo modo auersatur: Sed quia optat à ludo abstinere, illam sub conditione, *si luserit*, promittit, vt timore obligationis incurrendæ de Religione suscipienda, à ludo abstineat.

Votum autem aut iuramentum purè conditionale est, & datur, quando conditio apponitur præcisè vt conditio; vt si quis v. g. dicat voueo, aut iuro Religionem ingressurum, *si salutem recuperauero, si Pater meus consenserit; si tale peccatum vitauero*, de quo iam disputatione præcedenti egimus. Sic Palaus *disp.1.de voto, pun.10.num.1.et pun.18.n.1.* Sanchez *lib.4. Decal.cap.22.n.1.* Trullench. *lib.2. cap.2.dub.26.n.2.*

QVÆSTIO II.

An, votum, seu iuramentum conditionale pœnale, sit validum, & obliget?

NEgauit Catharinus, contra Caietanum, docens non valere, nec obligare post impletam conditionem, votum hoc: *Promitto ingredi Religionem, si commisero adulterium*; quod valere, præmittit Caietanus, *in Sum. verb. votum.*

Sed vt quid cerrum Respondeo tale votum, aut iuramentum, esse validum, & obligare, post conditionem impletam. Ratio est, quia illud votum pœnale à principio fuit validum, quia est de re honesta, & non impediente maius bonum: Ergo inducit obligationem. Sic Caiet. *2.2.q.88.art.2.& Sum.v.votum, cap.2.* Couarru. *de pactis 1. p. §. 3. num.vltimo.* Suarez *lib.4. de voto, cap.17.num.3.* dicens, sententiam Catharini esse falsam, & absurdam. Sotus *lib.7.de iust.q.2.art.1.& q.4.art.1.* Palaus *disp.1. de voto, pun.18.num.1.* Et communiter DD.

QVÆSTIO III.

An, votum seu iuramentum pœnale, rectè diuidatur in simplex, & duplex?

REspondeo dicendum, quod rectè. Nam hoc votum pœnale dupliciter emittere quis potest. *Primò* modo solùm vouendo pœnam, v.g. peregrinationem, casu, quo tale delictum commiserit, (non autem vouendo vitare delictum sub hac peregrinationis pœna) & huiusmodi votũ est simplex pœnale, quia solum est de pœna, supposito delicto. *Secundo* modo, vouendo vitare tale delictum, & simul vouendo pœnam, si vitatum non fuerit: Et hoc votum dicitur duplex, quia est de vitando delicto, & de pœna, si vitatũ non fuerit. Sic Palaus *loco cit. pun.18.n.2.* & Tamburin. *lib.3.cap.12.§.7.n.2.* Sic: Votum aliud est simplex, aliud duplex. Nam si voueat quis, *se ieiunaturum, si ludat*, simplex est: At si voueat, *non ludere*, & item, *si ludet, se ieiunaturum*, duplex est; alterum absolutum, hoc est, votum non ludendi; alterum, sub conditione ludi, hoc est, *si luserit*, volendi ieiunare. Vtrumque tamen vnum conflat votum, quia ad vnam abstinentiam à ludo tendit. Hæc ille.

QVÆSTIO IV.

An, quando transgressio iuramenti, aut voti pœnalis, omni culpa vacat, ex inuincibili obliuione, aut ex alia causa; obliget pœna tali transgressioni apposita?

REspondeo non obligare. Ratio est: Quia pœna voto, aut iuramento promissa fuit in illius peccati transgressionis pœnam: Ergo vbi nullum est peccatum, nulla debet esse pœna. Quod verum est, siue votum, aut iuramentum fuerit ad vitandum aliquod peccatum contra ius naturale, diuinum, positiuum, aut Ecclesiasticum; vel non ad vitándum peccatum; vt si conditio sit, *si vouens, aut iurans furetur, aut fornicetur: si non audierit sacrum diebus festiuis*: vel, *si luserit*, &c. Legantur Sanchez *lib.4. Decal.cap.22.n.14.& 15.* Fagundez *lib.2. cap.27. num.14.* Tamburin. *lib.3. Decal. cap.12.§.7. n.4.* vers. *Præterea.* Trullench. *lib.2. Decal. cap.2: dub.26. num.9.*

QVÆSTIO V.

An saltem, si in transgressione voti, aut iuramenti pœnalis, interueniat obliuio, aut ignorantia, quæ non excuset transgressorem à culpa veniali, tunc obliget pœna apposita?

REspondeo adhuc non obligare. Quia pœna grauis, leui culpæ nequaquam imponitur. Sic Tamburin. & Trullench. *locis citatis*, Sanchez *num.16.* Fagundez *num.15.*

QVÆSTIO VI.

An si vouens, aut iurans, memor præcepti, immemor tamen voti, aut iuramenti, peccatum mortale contra præceptum committat; obligetur ad pœnam?

AFfirmant nonnulli DD. quos refert Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 16.* Quorum fundamentum est: quia si votum, aut iuramentum, fuit de illo præcepto seruando, & de pœna; vt, *votum, aut iuramentum, non fornicandi, sub pœna Religionis:* pœna illa non imponitur trangressioni voti, aut iuramenti, sed transgressioni præcepti: ergo si perfecta trangressio adsit, obligabit pœna. Ita apud Sanchez, Anton. Abbas, Anchar. Sotus, Corduba, Lopez, Rodriguez, Graffis, & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: tunc vouentem, aut iurantem, non obligari ad pœnam. Ratio est, quia probabilius est, quod pœnæ, iure nouo non incurruntur ab ignorante inuincibiliter illud ius, vt colligitur ex dictis à nobis *par. 5. tractatu de irregularitate:* ergo nec pœnæ impositæ iuramento, aut voto incurrentur ab ignorante, & immemore talis voti, & iuramenti: patet, nam votum, & iuramentum, est lex particularis, quam quisque sibi imponit, & non aliter obligat quàm lex: ergo Vbi adest naturalis obliuio voti illius, & iuramenti, non incurrentur pœnæ in illo impositæ. Sic cum Sylvest. Armilla, Nauarro, Henriquez, Castro & aliis pluribus docet Sanchez *lib. 9. de matrim. loco cit. n. 17. & lib. 4. Decal. cap. 22. n. 18.* Fagundez *lib. 2. cap. 27. n. 16.* Trullench *lib. 2. cap. 2. dub. 26. num. 9.* Diana *tom. 3. tract. 6. Miscell. resol. 41. fine.*

QVÆSTIO VII.

An saltem, si quis recordetur voti, aut iuramenti, non autem pœnæ in eo à se sibi impositæ; votumque, vel iuramentum, transgrediatur; tunc obligetur ad prædictam pœnam?

AFfirmat obligari ad pœnam, casu quo hæc sit leuis, non grauissima, aut exorbitans, Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 22. num. 19.* his verbis: Sed si voti memoria adsit, non tamen pœnæ, existimo in vtroque casu eam incurri. Quod ignorantia pœnæ ab illa non excuset, præterquam in censuris, vt probaui *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 20. & 21.* Quamuis vbi pœna voto promissa, esset grauissima, & extraordinaria, qualis est Religionis, Castitatis, Peregrinationis Hierosolymitanæ, &c. est probabile eam non incurri. Secus quando pœna non esset exorbitans, & extraordinaria. Quia in ignorantia similium pœnarum legis, tenent idem aliqui, quos ibi retuli *num. 20.* & dixi esse probabile *num. 21.* eadem *disp. 32.* Hæc Sanchez. Quem sequitur Merolla *tom. 1. disp. 1. cap. 2. dub. 3. n. 88.* hoc apponens exemplum: Si quis vouerat non fornicari, sub pœna profitendi in Religione, si memor voti, sed immemor pœnæ, fornicetur, non obligatur ad dictam pœnam: quia votum obligat ad modum legis, lex autem non obligat ad pœnam exorbitantem, quando ea pœna ignoratur, seu quod idem hîc est, quando non aduertitur. Ita ille, & antea Nauarr. *cap. 23. num. 47. vers. Addo his.*

Alij verò absolutè, & sine vlla distinctione affirmant obligari ad dictam pœnam, etiam casu, quo hæc sit grauissima, & extraordinaria. Quia ignorantia pœnæ etiam grauissimæ, ab illa non excusat: eo quod de ratione pœnæ est, vt inuitè sustineatur, & nullam requirit sui notitiam, præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Ita sentit Fagundez *lib. 2. cap. 27. num. 17.*

Sed probabilius Respondeo in assignato casu minimè obligari vouentem ad pœnam impositam, siue sit ordinaria, siue extraordinaria, & exorbitans. Quia probabilius est, quod nulla lex obliget ad pœnam, quando hæc ignoratur; vel non aduertitur: Ergo nec votum ad eius pœnam (quæcumque sit) si hæc similiter ignoretur. Sic Trullench *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 26. n. 9.* Diana *loco citato.* Tamburinus *lib. 1. Decal. cap. 2. §. 10. n. 19. iuncto 25. & lib. 3. cap. 12. §. 7. num. 4.* (Vbi se citat, *lib. 1. cap. 2. §. 6. n. 26. disp. 1.* Sed male.) Castro Palao *de voto, pun. 18. num. 3.*

QVÆSTIO VIII.

An in voto duplici pœnali (de quo q. 3.) si quis absoluatur à voto; censeatur consequenter absolutus à pœna nondum incursa?

NEgatiuam sententiam esse satis probabilem apertè demonstrat Sanchez *lib. 4. capite 22. cit. numero 9.* Ratio est. Quia quando quis emittit votum v. g. vitandi fornicationem sub pœna ingressus Religionis, tunc in illa actione duplex reperitur votum, quorum vnum ab alio non pendet: ergo non sequitur necessariò, quod vno sublato, & alterum pereat. Antecedens constat: Quia potest esse obligatio ad pœnam, quin sit obligatio ex voto, vitandi fornicationem: & è contra potest esse obligatio ex voto vitandi fornicationem, quin sit obligatio subeundi pœnam: ergo credendum est, sic hæc vota emissa esse.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod si quis absoluatur à voto vitandi v. g. fornicationem, consequenter censeatur absolutus à voto Religionis ingrediendæ. Quia hoc votum emittitur vt accessorium priori, & in illius perfectam obseruationem: ergo priori & principali destructo, per irritationem, dispensationem, aut commutationem, manet consequenter destructum accessorium.

Nec obstat quod vnum horum votorum possit emitti independenter ab alio, quia non est præsumendum ita fieri; eo quod frequenter & in plurimum vt accessorium emittatur. Sic Sanchez *num. 9. citato;* Palaus *disp. 1. de voto, pun. 18. n. 4.* Layman. *lib. 4. cap. 5. corol. 2.* Tabien. *lib. 3. Decal. cap. 12. fine,* & antea Alcorzer *sum. cap. 16.* (non 15. vt leges apud Sanchez) *fol. mihi 76.* per hæc verba: *La Segunda doctrina es. Si la obra votada, jurada, y la pena se pueden irritar, pidase irritacion dellas al Superior. Y aun bastara irritar la obra votada, ò jurada, para quedar libre dela pena enque no auia incurrido, aunque fuesse otra que no pudiera*

Pudie & in cap.

ra irritar, eſtando ya obligado a ella. Sic ibi : ita vers. *la quarta dotrina*, Trullench. *lib. 2. 2. dub. 26. num. 7.*

QVÆSTIO IX.

An etiam, quando quis abſoluitur à voto, vel iuramento, à ſe emiſſo, cenſeatur quoque abſolutus à pœna iam per tranſgreſſionem primi voti, aut iuramenti, incurſa?

REſpondeo vt certum. Quod tunc non cenſeatur abſolutus à pœna. Quia tunc hoc ſecundum votum de pœna, eſt omnino independens à primo: ergo ſublato primo (v. g.) voto vitandi fornicationem, non tollitur conſequenter votum de pœna incurſa, ingrediendæ v. g. Religionis. Sic Sanchez, Palaus, & Alcozer locis citatis, & Layman, cuius verba inuenies quæſtione ſequenti.

QVÆSTIO X.

An, ſi quis petat diſpenſationem dicti duplicis voti, ſatis ſit illi, explicare Prælato, ipſum votum principale, v. g. votum de non fornicando; ſine explicatione pœnæ, v. g. ingrediendæ Religionis, ſub qua votum confirmauit?

NEgatiuam partem eſſe probabilem, ſatis indicant Sanchez, Palaus, Tamburin. Et alij nuper citati.

Sed non minus probabiliter Reſpondeo ſatis eſſe vouenti explicare Prælato votum principale, non explicato acceſſorio. Quia tota ratio diſpenſandi reſidet in ipſo principali. Sic Tamburin. *loco cit. n. 5.* Layman *coroll. 2. cit.* per hæc verba: Si obligatio voti validè emiſſi, per diſpenſationem ſublata fuit, hinc eo ipſo cadit etiam obligatio pœnæ, licèt de ea impetratione diſpenſationis, nulla mentio facta ſit. Cuius ratio eſt: quia pœna habet ordinem ad tranſgreſſionem. Atqui poſt diſpenſationem locum non habet tranſgreſſio voti: Ergo neque pœna. Secus verò eſt, ſi præuaricatio voti ſemel accidit, ideóque pœna contracta eſt, tunc enim vtrumque vinculum per ſe obligat, adeò vt vnius ſolutio per diſpenſationem, &c. non trahat ſecum ſolutionem alterius, v. g. ſi vouiſti vinum non bibiturum: ſin biberis, eleemoſynam daturum: Poſtquam bibiſti, iam reus es, tam voti, quàm pœnæ: atque ab vno abſolutus non ideò etiam abſolutus es ab altero. Hæc Layman. Sic etiam Fagundez *n. 9.* Palaus *num. 5.* Trullench. *num. 7. citato.* Qui ex Sanchez addit, non ſolum valere huiuſmodi voti diſpenſationem, tacita, ſed etiam mendosè negata obligatione ad pœnam ex voti tranſgreſſione impoſitam.

QVÆSTIO XI.

An ſaltem, quando ſolius pœnæ, ſiue iam ſit incurſa, ſiue incurrenda, impetratur diſpenſatio, irritatio, vel commutatio; ſit opus mentionem facere principalis voti materiæ, cuius tranſgreſſioni annectitur illa pœna?

NEgat adhuc eſſe opus mentionem facere principalis voti materiæ; ſed ſufficere explicare obligationem ad pœnam, Sanchez *loco citato, n. 10.* Quia inquit, ſatis eſt explicare dignitatem materiæ promiſſæ quoad ſubſtantiam, & ſecluſo reſpectu ad vouentem, & ad alias circunſtantias extrinſecas.

Sed huic ſententiæ non aſſentit Trullench. *loco citato, num. 7.* eo quod non capiat, quomodo poſſit peti diſpenſatio pœnæ incurſæ, nulla facta mentione voti principalis, ratione cuius pœna incurritur. V. g. emiſit quis votum non ludendi, ſub pœna Religionis, quomodo intelligam Religionis ingreſſum eſſe pœnam, ſeu pœnalem, niſi fiat mentio voti principalis. Hæc Trullench.

Sed certè non habet cauſam diſſentiendi à ſententia Sanchij. Nam ipſe non docet, quod non oporteat facere, nec minimam mentionem voti principalis, vt illi imputat Trullench. cum apertè dicat ſat eſſe explicare dignitatem materiæ promiſſæ, quoad ſuam ſubſtantiam: Ergo Sanchez non negat eſſe faciendam aliquam mentionem, qua ſuppoſita probabilis eſt ſententia Sancij. Licèt non ſit minùs probabilis oppoſita affirmatiua.

QVÆSTIO XII.

An votum, ſeu iuramentum pœnale obliget toties, quoties à vouente, vel iurante violatur?

REſpondeo quod de hac quæſtione & materia latè egimus ſupra *diſput. 28.* vbi egimus de voto non ludendi. Et ideò, quæ de hoc voto ibi diximus, de omnibus aliis ſimilibus intelligenda ſunt, & illis applicanda.

DISPVTATIO XLIII.

De voto, aut iuramento, dubio & indeterminato.

QVÆSTIO PRIMA.

An, dubius, emiſeritne votum, aut iuramentum, teneatur illo?

AFFIRMANT multi Doctores ex illa regula iuris: *In dubio tutior pars eſt eligenda*, contenta *in c. Iuuenis. de ſponſalibus. In cap. ſi quis ante, diſt. 7. de pœnit.* In quibus dicitur

dicitur: *Tene certum, & dimitte incertum.* Ita Vasquez 1 2.*q.*19.*art.*6.*disp.*65.*cap.*3.*& disp.*66.*cap.*1. Azor 1.*p.lib.* 2.*cap.*18.*q.* 4.*& lib.*11.*cap.* 5. *q.*2. Salas 1. 2.*q.* 21.*tract.* 8.*disp. vnica, sect.*17. *num.*162. Sayrus *in Clam Reg.lib.*1. *cap.* 12. *numero* 9. *&* 36. Luysius Turrian. 2. 2 *tom.*2.*disp.*64.*q.* 11.*numero* 6. Basil.*de matrim.lib.* 10. *capite* 15.*numero* 3. Perez *in Laurea Salmant. certam.* 10. *dub.* 2. *numero* 132. Montesinos 1.2.*disputatio* 29. *q.* 4. *n.*§. 3. *numero* 111.

Sed probabiliùs Respondeo, non teneri. Itaque si quis dubius sit, an Deo aliquid vouerit, vel iurauerit, vel homini aliquid promiserit, non tenenetur tali voto, iuramento, aut promissione. Ratio est. *Tum*, quia vinculum, seu obligatio voti, iuramenti, vel promissionis, non est adstruenda, nisi liquidò constet. *argum. l. Quidquid, ff. de verb. obligat.* quia sumus in odiosis. *Tum* etiam, quia illa Regula, *in dubio melior est conditio possidentis*; verificatur non solùm in materia iustitiæ, sed etiam in materia religionis, & aliarum virtutum: atqui in dubio possidet libertas dubitātis: pater, quia quilibet habet ius latè sumptum, circa proprias actiones, vt possit illas liberè, & sine obligatione exercere: ergo dum non probatur, illas debere, stat præsumptio pro libertate.

Ad Regulam autem iuris, Respondetur, quod neque in dubio iuris, neque in dubio facti, si dubium verè & proprè sit speculatiuum, sit obligatio sequendi partem tutiorem, sufficit enim si dubitans partem tutam sequatur, & ideò multi dicunt talem regulam non præceptum, sed concilium continere, hi autem sunt Malderus, Palaus, Suarez, Merolla, & alij relati à Diana *part.*4.*tract.*3. *de conscientia dubia, resol.*3. Vnde nostram sententiam tenent Sanchez *lib.* 2.*de matrim.disp.*41.*n.*32. *& lib.*1.*Decal.cap.* 10. *numero* 11. *& lib.* 4. *cap.* 1. *numero* 16. Suarez *tom.* 5.*in* 3.*p.disp.*40.*sect.*6.*n.*14. *& sect.* 6.*num.*8. Sotus *lib.* 7.*de iust. q.* 3.*art.*2. Medina *in sum.lib.*1. *cap.* 14.§. 7. Lopez 1.*p.instruct. cap.* 45. *vers. Dubitans de voto.* Henriquez *lib.* 11. *cap.*11.*num.*5. Ægidius *de Sacram. disp.*34.*dub.* 10. *num.*86. Malder. 1.2.*q.* 19.*art.* 7.*disp.*87. Layman *lib.* 1. *tract.* 1.*cap.* 5.§. 4. *num.* 31. Filliuc. *tract.*21. *cap.*4.*num.*165. Rebell. Fagundez, Auila & alij, quos refert, & sequitur Diana *part.*2. *tract.* 17.*resol.* 45. *& p.*4.*tract.*3.*cit resol.* 10. Quibus adhuc addi possunt Sà *v. dubium, num.*2. Ioan. Sanchez *disp.* 43. Thom. Delbene, *tract.*3.*de consc.dubia, dubit.* 1.2. *&* 3. Gallego *de consc.dubia, dub.*58. Martinez de Prado *cap.* 31.*de voto, q.*5.§.1. Ioseph Rosell. *in praxi deponendi conscientiam in dubiis, & scrup.cap.*37. *&* 38. Tamburin. *lib.* 1.*in Decal.cap.*3.§.7.*ver. Eleemosyna, num.* 1.

QVÆSTIO II.

An saltem, casu quo quis magis inclinet in partem emissionis voti, vel promissionis: tunc teneatur ad implendum votum, iuramentum, &c.?

AFfirmatiuam sententiam docere Filliucium *tom.*2. *tract.* 21. *cap.* 4. *numero* 169. & Rebellium *de obligation. iust. p.* 2.*lib.* 1.*q.* 2.*sect.* 2. *numero* 10. ait Diana 1. *tom.* 2.*p. tract.* 15.*resol.*9. *& p.*4. vbi infra. Sed certè Filliucius solum dicit id esse probabile, his verbis: Contraria tamen est probabilis, præsertim quando maior inclinatio esset pro voto. Hæc ille. Vnde potius est pro parte opposita. Citat etiam Diana pro parte affirmatiua Thomam Sanchez *lib.*2.*de matrim.disp.*41.*num.*34. docentem, teneri hunc voto, (aut iuramento) & non integrè, sed ad partem, pro ratione huius maioris propensionis, eo quod maior inclinatio sufficienter compensat excessum possessionis quam alter habet.

Sed non citare benè Dianā tunc Doctores, putat Prado *numero* 34. *cit.* ibi: Nec oppositum dicit Sanchez, *lib.* 2. *de matrim. disp.* 42.*num.* 34. vt illi tribuit Diana *p.*2.*tract.*14.*resol.*9.*& part.*3.*tract.* 6. *resol.*50.*& p.*4.*tract.*3.*resol.*12. Quia, vt animaduertit Gallego *de consc. dub dubit.*59. Sanchez *lib.*2.*de matrim.* non loquitur de dubitante, sed de opinante: differentiam autem inter dubium, & opinionem iam explicuimus *cap.*1.*q.*1. Hæc Prado ex Gallego. Sed vterque male intellexere Sanchez; nam ipsemet clarè fatetur se tenuisse *lib. de matrim.* sententiam quam refert ex illo Diana. Ait enim *lib.* 1. *Decal.cap.*10.*num.*36. sic: Et quamuis *lib.*2.*de matrim. disp.* 41. *num.*34. dixerim, eum, qui non omnino dubitat, sed magis in eam partem inclinat, vt votum emiserit, & sic suspicionem voti habet, teneri voto, non integrè, sed ad partem pro ratione maioris huius propensionis. Quia illa maior iudicij determinatio, etiam cum formidine compensat sufficienter excessum possessionis, quam alter habet: atque innixus fui simili doctrinæ in materia iustitiæ, quam ibi *num.* 19. tenui. At sicut in hoc capite *num.*9. dixi, id esse probabile in materia iustitiæ, at probabilius esse ad nil teneri: ita etiam in hoc casu sentio, hunc ad nullam voti partem teneri. Ducorquè eadem ratione *eod. num.* 9. tradita, &c. Hæc omnia Sanchez. Bene ergo illum citauit Diana *loco cit.* & bene addit mutasse Sanchez sententiam *lib.*1.*Decal.loc.allegato* Igitur Prado non vidit Sanchez, sed solum suum Gallegum.

Vnde probabilius cum Sanchez Respondeo: Nec in casu proposito, teneri dubitantem ad implendum votum, seu iuramentum, &c. nec adhuc quoad partem. Quia cum in dubio melior sit conditio possidentis, possessio certa, quam habet dubitans, prævalet rationibus inducentibus in partem oppositam, dum non sunt ita efficaces, vt illius partis assensum generent. Sic Sanchez, *loco cit.* vbi ait, immeritò Rebellum pro prima sententia allegatum, dixisse, hunc teneri voto, & iuramento, nec hoc ab aliquo negari. Salas etiam, *loco cit.* qui etiam non bene dixit, opinionem Rebelli esse falsam. Est enim satis probabilis, vt ait Sanchez. Sic etiam Diana, *locis citatis.* Bonac. *tract.de legib.disp.*2.*q.*4. *pun.*2.*n.* 18. Lorca *in* 1. 2. D. Thom. *disp.* 38. *mem.*3. Layman. *lib.*1.*tract.*1.*cap.*5.§.4.*num.*31. Palaus *tom.*3.*disp.*3. *pun.* 9. *n.* 2. Prado, & Gallego *locis citatis.* Thom. Delbene *tract.* 3. *de consc.dubia, dubit* 15.*n.*19.

QVÆSTIO III.

An ad minus, qui certus est de voto, iuramento, vel promissione facta, & dubius de illorum impletione, teneatur adimplere illa?

REspondeo tanquam certum: tunc teneri. Ratio est: quia executio voti, iuramenti, aut alterius obligationis, est quid facti, quod in dubio non præsumitur. Sed ei qui obligatus est, incumbit talem executionem probare: ergo dum eam non probauerit, sed dubius fuerit, stat præsumptio, & possessio pro obligatione certa. *Confirmatur*, quia in hoc casu, votum, iuramentum, aut promissio est certa; & solutio, aut executio, omnino incerta, cum sit dubia; ergo possessio stat pro voto, iuramento, &c. Sic Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 10. n. 12.* dicens, neminem audere oppositum affirmare. Nauar. Metina & Ledesma apud ipsum, Vasquez 1. 2. *disp. 67. cap. 7. in fine.* Raph. de la Torre 2. 2. *q. 88. art. 3. disp. 4. fine.* Prado *loco cit. n. 4* Thom. Delbene *tract. 3. de consc. dub. dubit. 3. n. 14.* Qui bene *n. 15.* addit, secus dicendum si probabiliter, ex aliquo motiuo opinaretur se votum, aut iuramentum, &c. soluisse, quia tunc ad nihil teneretur: quia in rebus moralibus, sufficit probabile sequi iudicium. Sic etiam Diana *par. 3. tract. 6. resol. 50. in fine.*

QVÆSTIO IV.

An qui dubius est, an vouerit maius, an minus, v. g. an vouerit dare centum, an quinquaginta; teneatur ad maius, nempe, ad centum?

AFfirmant teneri ad maius, nempe ad dandum centum, Nauar. *lib. 3. consil. tit. de voto, consil. 26.* alias 18. *n. 2.* Azor *part. 1. lib. 11. cap. 15. q. 9.* & Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 95. num. 6.* Ratio eorum est, quia in dubio, tutior pars est eligenda: atqui tutius est dare maius, quàm minus: ergo.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri ad maius, sed solum ad minus, nempe ad quinquaginta v. g. Ratio est: *Tum* quia id clarè colligitur ex cap. *Ex parte. De censibus.* Vbi decernitur, votum soluendæ D. Iacobo, & eius ministris, vnius mensuræ tritici, intelligi de minima; quando generalis consuetudo aliud non explicet. *Tum* etiam, quia, quando agitur de obligatione inducenda, debet fieri interpretatio stricta, vt in quantum fieri potest, minus obliget, vt habetur in cap. 1. *de iureiur. lib. 6. & in lege quidquid astringendæ. ff. de verb. obligation. Tum* denique, quia quod iuris est de toto, quoad totum, idem iuris est, & debet, de parte quoad partem. *l. quæ de tota. ff. de rei vendic.* Sed qui dubius est, an totum votum emiserit, ad nihil tenetur, vt supra est habitum: ergo similiter qui dubitat de parte maiori, aut grauiori, ad eam non tenebitur. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 13. n. 17.* Suarez *lib. 4. de voto, cap. 8. n. 5.* Bonacina *disp. 4. q. 2. pun 6.* (non 5. vt citat Prado) *n. 18.* Trullench. *lib. 2. Decal. cap. 2. dub. 26. n. 14.* Candidus *disp. 25. art. 19. num. 4. 6. 7. & 12.* Gallego *dub. 68.* Diana *tract. 6. resol. 50.* quos citat & sequitur Prado *cap. 31. de voto, q. 6. §. 1. n. 5.* Quibus adde Thom. Delbene *tract. de conscient. dubia, dubit. 15. num. 1. & sequent.*

Legantur dicta à nobis supra *disp. 19. q. 4.* Vbi cum citatis Authoribus diximus, quod ille qui vouit, aut iurauit recitare Rosarium absolutè, si dubius postea maneat, an per Rosarium intellexerit integrum; satisfaciat, recitando tertiam partem. Sic Thom. Delbene, vbi supra *n. 2.* ita dicens: siquis vouit quotidie dicere Rosarium, dubitat autem, an vouerit integrum; item, an genuflexus, item an si omiserit in aliquo die (etiam ex causa legitima) teneatur sequenti die bis dicere; potest eligere tertiam partem, non genuflexus, & sine onere dicto. Sic ille.

QVÆSTIO V.

An, qui vouit Religionem, & dubitat, an fuerit in communi, vel hanc in particulari; possit ingredi quamlibet?

REspondeo ex dictis. Posse ingredi quam maluerit: Quia possessio stat pro libertate, & in dubio non tenetur ad quid quod est strictius. Sic Prado *loco cit. n. 6.* Thom Delbene *num. 17.*

QVÆSTIO VI.

An, qui vouit, aut iuramento promisit castitatem, & dubitat; an perpetuam, vel temporalem, teneatur ad perpetuam?

REspondeo non teneri, nisi ad temporalem. Quia hæc minor est. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 13. n. 16. & 17.* & ex illo Diana 3. *p. tract. 6. Resol. 50.* Thom. Delbene *tract. 3. de conscient. dub. dubit. 15. num. 10.*

QVÆSTIO VII.

An, qui vouit, aut iurauit dare Ecclesiæ certas tritici mensuras; dubitat tamen; an de maioribus, vel minoribus: tunc possit eligere minores ex consuetis in illo loco?

REspondeo ex dictis: Posse (nisi alias sit aliqua ratio suadens verisimilius esse mentem vouentis fuisse obligandi se ad maiorem mensuram) Ratio est assignata. Sic Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 8. pun. 4.* & ex illo Sanchez, supra *num. 9. & sequent.* Nauarr. *comment. 1. de Regular. n. 20.* Molina *tom. 1. disp. 198. vers. vtrum verò*, Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 20. q. 2. & 10.* Rebell. *par. 1. lib. 2. q. 14. sect. 2. num. 10.* & Diana *loc. cit.* Thom. Delbene *num. 12.* colligitur que ex cap. *Ex parte. De censib. citato supra q. 4.*

QVÆSTIO VIII.

An, qui vouit, aut iurauit, dare panem pauperibus, dubitat tamen qualem, possit tunc dare eis panem vsitatum?

REspondeo ex dictis: Posse; nec teneri largiri eis panem de puro tritico: nisi constet de alia intentione vouentis. Sic Suarez *tom.2.lib.4.de voto, cap.8.n.9.* ibi: Si voui dare panem pauperibus, sufficiet dare panem pauperibus vsitatum: vnde non tenebor dare ex puro tritico, vbi aliàs fuerit in vsu, nisi quando de alia intentione vouentis constiterit. Sic ille. Merola *tom.1.disp.3.num.*110. Diana *resol.* 50. *cit.* Thom. Delbene *tract.3.dubit.*15.*n.*11. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.*16. *num.* 14. Qui idem dicunt, de illo, qui vouit dare vinum ad vsum sacrificij missæ, aut dare triticum; quod scilicet, hic non teneatur ad optimum, sed ad decens pro tali vsu; & ad illud, quod fuerit conueniens pro fine, quem vouens intendit.

QVÆSTIO IX.

An, qui vouit aut iurauit, Ecclesiæ Calicem dare dubitat tamen de qua materia, tenetur dare calicem argenteum, vel aureum?

AFfirmat absolutè Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.*20. *q.*10. *in fine*, vbi ita ait: Nihilominus tamen cum quis Calicem promittit certæ Ecclesiæ, intelligitur promissus calix aptus, & acõmodatus ad cultum diuinum; & proinde debet aureum, vel argenteum, non æneum, Calicem offerre & dare. Ita Azor. & ex illo, Romano, & Decio, Sanchez *lib.*4. *Decal. cap.*13. *num.*13. Bonac. *disp.*4. *q.*2. *pun.*6. *num.*18. Villalob. 2. *p. tract.*34. *diff.*34. *num.*37. & alij.

Sed mitiùs alij respondent, dicendo; teneri dare Calicem, saltem argenteum, non tamen totum, quia sufficiet quod cuppa superior sit argentea, vel aurea: quia talis calix etiã est aptus diuino cultui, ex vsu multarum Ecclesiarum, vt nos probauimus 2. *p. tract.* 8. *disp.*7. *q.*27. Sic docent Diana *par.* 3. *tract.* 6. *Resol.* 50. & ex illo Trullench *lib.*2. *cap.*2. *dub.*16. *n.*14. & Thomas Delbene *tract.* 3. *de conscientia dub. dubit.*15. *n.* 14. Vbi ita ait: Item, si vouit dare Calicem, dubitat autem, ex qua materia, potest dare talem, qui sit aptus diuino cultui, & secundum vsum communem Ecclesiæ; v. g. âreum, vel stanneum, dummodo cuppam auream, vel argenteam habeat. Atque ita docent Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.*20. *q.* 10. Merola *tom.* 1. *disp.*3. *n.* 109. Hæc Thomas. Sed non benè in citando pro se Azorio, vt vidisti.

Sed ego adhuc multò mitiùs probabiliter Respondeo: sufficere vouenti in tali casu largiri Ecclesiæ Calicem tantum ex ære, aut cupro inaurato. Quia, etiam huiusmodi calix confectus ex ære, aut cupro iuaurato, est aptus diuino cultui, vt docet praxis multarum Ecclesiarum, vt probauimus 2. *p. loco cit. q.* 26. ergo.

QVÆSTIO X.

An, qui vouit aut iurauit ieiunare, dubitat tamen, an vouerit etiam abstinere à lacticiniis; teneatur abstinere ab his?

AFfirmat Turrianus *tract.*1. *opusc.* 10. *disp.* 1. *dub.*2.

Sed omnino Respondeo, non teneri. Quia possidet libertas vouentis. Sic Thom. Delbene *loco cit. num.*15. Salas 1.2. *tom.*2. *tract.*8. *disp. vnica. sect.* 25. *num.*250. & Ioseph Angles 1 *p. de ieiunio, q* 9. *art.*1. *dub.*2. apud illum. Quibus adde Thomam Sanchez *tom.*1. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.*33.

QVÆSTIO XI.

An, qui vouit, aut iurauit, se non accessurum ad fœminam; & dubitat, an solum de accessu fornicario intellexerit, possit licitè nubere?

NEgant aliqui, apud Sanchez, loco cit. *num.*33. eo quod existiment voti interpretationem fieri debere in sensu maximè pleno, & maximè obligatorio, vt colligitur ex cap. *Cum dilecti, de donation.* ergo non solùm de accessu fornicario; sed etiam de vxorario debet votum intelligi.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quod solum debet intelligi tale votum, de accessu fornicario, & sic possit vouens nubere. Quia etiam hîc stat possessio pro libertate. Et certè præsumendum est vouentem se minus grauare quàm possit. Sic ex Abbate *in capite, Ex parte, de censib. num.*3. & 4. docet Sanchez *loco cit. num.* 33. Sancius *etiam in select. disp.*43. *num.*3. & 4. Thom. Delbene, *loco cit. num.*18.

QVÆSTIO XII.

An, masculus, non nisi decimum quartum annum, & fœmina, non nisi post duodecimum, voto, aut iuramento promissiorio, obligari possint?

AFfirmant, qui, docent & existimant, nulla impuberum vota, esse valida. Ita apud Narbonam, D. Thom. 2.2. *q.*88. *art.*9. & *q.*189. *art.* 5. & antea *in* 4. *d* 27. *q.*2. *art.* 2. D. Bonau. *d.*38. *q.*3. *n.*27. Sylvest. *Religio* 2. §. 15. & *v. Baptismus*, §. 8. Angel. *Religio* 2. §. 6. Palacios *in* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *fol.* 870. *col.* 2. Greg. Lopez *in l.* 3. *v. De edad. tit.* 8. *p.* 1. Vbi absolute dicit, impuberem vouendi legitimam ætatem non habere. Horum sententiæ fauet Sotus *lib.*7. *de iust. q.* 3. *art.* 2. *docum* 1. quatenus docet, quod quoties votum est factum ante legitimun tempus pubertatis, non obliget in conscientia, nisi vouens sit ita certus, quod tunc habuerit vsum rationis, vt nulla, aut tenuissima apud viros prudentes fiat dubitatio contra-

trariæ opinionis. Sotum ſequuntur Vega *lib.* 4. *ſum. caſu* 417. & Beja *in ſua ſumma, caſu* 49. Graſſis *lib.* 2. *deciſ. cap.* 31. Liera *in ſumma, caſu* 49. quos refert Thom. Delbene. *tract. de conſc. dub. dubit.* 43. *numero* 6. & Diana, vbi infra.

Sed multò magis probabilius, & vt mihi certum, Reſpondeo maſculum, & fœminam poſſe voto, & iuramento obligari, ante pubertatem; hoc eſt maſculum ante dicimum quartum annum; & fœminam, ante duodecimum. Et probatur. Quia veriſſimum eſt, quod pueri obligentur quocumque ſimplici voto, aut iuramenro, cum primum rationis vſu ad mortalem culpam patrandam, ſufficienti gaudent: at, hoc vſu rationis gaudent omnino, ante pubertatem pueri, & puellæ: ergo. Sic communis ſententia, quam, dicendo eſſe veriſſimam, latè probat Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 18. *n.* 6. Qui citat pro hac D. Thom. 2. 2. *q. vltima, ar.* 5. *ad* 3. *& q.* 88. *art.* 9. *ad* 1. & ibi Caiet. §. *Ad hoc dicitur.* Palud. Sotum, Nauarrum, Aragonium, Azorium, Valentiam, & alios. Sic etiam Didacus Narbona *in ſuis annalibus anno* 7. *q.* 17. *n.* 9. & alij ſtatim citandi & citati à nobis, loquendo de iuramento *diſp.* 6. *q.* 43.

QVÆSTIO XIII.

An, iuramentum, votum, ſeu promiſſio, facta poſt ſeptennium, debeant valida reputari?

REſpondeo vt mihi certum ex dictis; Debere valida reputari; niſi caſu, quo aliàs manifeſtis indiciis appareat, poſt ſeptimum annum defuiſſe vſum rationis, cum hic omnino neceſſarius ſit. Ratio eſt: Quia poſt ſeptennium præſumit ius vſum rationis: ergo ſi aliæ coniecturæ non prævaleant contra præſumptionem iuris: valida præſumi debent vota & iuramenta poſt ſeptenniũ facta. Sic Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 6. *n.* 7. ibi: Contrarium vero dicendum eſt, de votis factis poſt ſeptem annos ætatis, reliquo tempore ante pubertatem; ex vi circunſtantiæ ætatis, potiùs præſumetur votum validum, quàm nullum; quin in ea ætate ius præſumit vſum rationis: nihilominus tamen, tot poſſunt eſſe in contrarium coniecturæ, vt prævaleant contra præſumptionẽ ætatis, iuxta *cap. Puberes. de ſponſal. impub.* Hæc Suarez. Et Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *n.* 14. *& de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 9. *n.* 12. *&* 14. Diana *p.* 4. *tract.* 3. *Reſol.* 11. Thom. Delbene *tract.* 3. *dub.* 43. *num.* 3. Narbona *in annalibus, anno* 7. *q.* 17. *num.* 9. *&* 12.

QVÆSTIO XIV.

An item, vota, aut iuramenta emiſſa à puero ante ſeptennium, poſſint eſſe valida?

REſpondeo poſſe eſſe valida; ſed communiter valida non reputari, niſi alias manifeſtè conſtet de vſu rationis. Ratio primæ partis eſt quia poteſt puer ante ſeptennium eſſe doli capax, vt colligitur ex *cap. iuuenis, de ſponſalibus*: ergo & vſum rationis: ergo & emittendi votum, & iuramentum. *Secundo pars*, etiam conſtat: quia ante ſeptennium rarò aduenit vſus rationis perfectus: ergo regulariter, nec votum, nec iuramentum, ante ſeptennium facta, valida eſſe reputari debent: niſi alias, vt dixi manifeſtè de vſu rationis conſtet. Sic Narbona *loco cit. num.* 9. *&* 10. Vbi ita ait: Quare rectè exiſtimauit Sanchez *lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 6. (*per errorem.* 7.) non tam ſeptennij ætatem, quàm rationis vſum expectari debere, quo voti valor diiudicetur: cum poſſit contingere, vt tardius, aut citius perfectus rationis vſus ad mortale petitus adſit; ac tunc valebit votum; vt docent Caiet. *in Sum. v. votum, cap.* 3. §. *imperfectio autem ætatis.* Armilla, Sotus, Aragon, Manuel, & alij ab ipſo relati. Quapropter ſi conſtiterit iam ſeptennem nullius vſus rationis eſſe compotem; quamuis prædicta ætate votum emiſerit, eo non obligabitur. Quia ſeptennium, in tantum legitima ætas ad vouendum cenſetur, in quantum ſolet vſum rationis comitari: vt ex centrario, cum de eo, ante dictam ætatem apparuerit, qui tunc votum emiſerit, obſtrictus remanebit, quoniam, vt diximus, non tam ætas, quam vſus rationis in voto conſideratur. Hæc Narbona, legatur item Sanchez *lib.* 1. *de matrim. d.* 16. *à n.* 8. *& lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *n.* 14. & Thom. Delbene, *loco cit.* Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *pun.* 11.

QVÆSTIO XV.

An qui dubitat de perfecto vſu rationis, eo quod dubitet, an emiſerit votum, aut iuramentum, poſt expletum ſeptennium; teneatur voto & iuramento?

AFfirmat Sanchez *num.* 14. *cit.* & probat: *Tum*, quia conſtat de emiſſione voti, aut iuramenti; de excuſatione vero, non; cum de illa ſit dubium. *Tum* etiam, quia rariſſimè, aut nunquam ante ſeptennium emittuntur vota, vel iuramenta promiſſoria: & ita in hoc dubio, ex communiter contingentibus præſumitur ea, poſt ſeptenniũ, emiſſa, & in fauorẽ actus pro quo eſt poſſeſſio. Ita Sachez, Luyſius Turrian. *in opuſcul.* 10. *diſput.* 1. *dub.* 2. Villalob. *in ſum. tract.* 34. *diff.* 7 *n.* 3. Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 6. *n.* 10. Fauſtus *tr. de Relig. lib.* 1. *q.* 26. Malder. 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 1. *dub.* 5. & alij, & eſt probabiliſſima ſententia.

Sed certè non improbabiliter Reſpondeo in eo caſu, non teneri voto, aut iuramento. Probatur. *Tum*, quia ſupponunt contrarij, votum, aut iuramentum; cum re vera non ita certo debent ſupponere; ſiquidem de conſtituentibus illa dubitatur. *Tum etiam*, quia votum, iuramentum, & promiſſio, ſemper debent in caſu dubij in fauorem iurantis interpretari, *l. quidquid diſtinguendæ. ff. de obligat.* & colligitur ex *cap. Ex parte. de cenſibus.* & ibi Parnormitan. & Gloſſa. Sic probat hanc ſententiam (quam dicit probabilem licet probabiliorem contrariam) Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 11. *n.* 4. & ex illo omnino, non citato, Thom. Delbene *tract.* 3. *de conſc. dubia, dubit.* 43. *n.* 6. *& ſequent.* & apud ipſos Sotus, & Ludou. Beja, quorum ſententiam ſequitur vt probabilem Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 11. Legatur idem Thom. Delbene *tract.* 3. *cit. dub.* 41. *num.* 4. & nos *par.* 3. *tract.* 5. *diſp.* 8. *q.* 13. *& infra tract.* 2. *de voto, diſp.* 5. *q.* 3.

QVÆSTIO XVI.

An, si quis sit certus de promissione, voto, aut iuramento, dubitat tamen de animo se obligandi; teneatur dicta promissione, voto, aut iuramento?

NEgãt teneri in eo casu quidam Doctores. Quia qui dubius est, an sit imposita lex, vel factum fuerit votum, aut emissum iuramentum; minime tenetur lege, voto, aut iuramento: sed sic est, quod qui dubitat de intẽtione, aut de animo se obligandi, dubitat de promissione, voto, & iuramento; cum hæc nequeant esse sine animo se obligandi: ergo. Ideo ita tenet Angel. *verbo iuramentum 5. n.* 10. his verbis: Sed quid si sumus in dubio, an habuit animum obligandi se, vel non? Respondet Panorm. *in d. c. si verò*, quod est præsumendum, quod non habuit animum se obligandi. Ita ille. Et Alphons. de Leone *in tract. de potest. Confess. par. 2. recollect. 17. concl. 8. num. 91.*

Sed, vt multò longè probabilius, imò vt mihi certum Respondeo: tunc teneri promissione, voto, & iuramento. Probatur. *Tum*, quia verba exteriùs prolata sunt naturaliter signa intentionis; nullus enim præsumitur dicere, quod non sentit, *l. Labeo 7. ff. de supell. legat.* ergo dum vouens non probat abfuisse intentionem, aut animum se obligandi, præsumendum est, ex verbis exterius prolatis abfuisse. *Tum etiam* quia probato facto, præsumitur interuenisse omnia ad factum requisita, vt docet Panorm. *cap. 1. de his, quæ vi. n. 9. per cap. in præsentia, de probation.* Vbi probata professione, præsumitur profitentem habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit probatio: ergo cum constet de voto, iuramento, aut promissione, præsumitur in dubio adfuisse animus se obligandi ad illorum valorem requisitus. Sic Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 9. n.* 13. & apud illum, Felinus *cap. si vero, de iureiur. num.* 8. Gutierrez *de iuram. 1. p. cap. 57. n.* 20. Nauar. *lib. 3. consil. de voto, consil.* 4. Corduba *in sum. q.* 147. & D. Anton. *2. p. tit.* 11. *cap. 2. vers. Nota sextò.* Quibus addo Suarium *lib. 2. cap. 33. n. 4. & lib. 4. de voto c. 6. n.* 4. Thom. Delbene *tract. 3. cit. dubit.* 42. *n. 9. & dub.* 42. *à num.* 3. omninò ex Palao, (quem non citat) *tom. 1. tract. 1. disp. 3. pun.* 10. per totum. Vbi dicit hanc sententiam esse certam. Fagundez *lib. 2. Decal. cap.* 10. *num.* 21.

QVÆSTIO XVII.

An saltem, in iuramento metu extorto, præsumi debeat in casu dubio, iurantem non habuisse intentionem se obligandi?

AFfirmabunt à fortiori Authores nuper pro prima sententia adducti. Quibus addi possunt Hostiens. *in cap. ad audientiam. sup. vers. Resignauit. De his, quæ vi.* & ibi. Ioan. Andr. *n.* 8. Abbas *cap. si verò, de iureiur. num.* 10. D. Anton. *2. p. tit.* 20 *cap. 6. §. quintus casus.* Rossella *v. iurare. n.* 19. Siluester. *iuramentum* 4. *q.* 7. *dicto* 4. & Seraphinus *de priuileg. iurament. priuileg.* 110. *n.* 16. Quos omnes pro hac parte citat Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 9. num. 12.* Ratio eorum est: quia cum in hoc euentu, habeat iurans sufficientem causam dissimulandi intentionem, ob violentiam sibi factam; potest ius præsumere talem simulationem adfuisse.

Sed adhuc vt certum mihi, Respondeo, nec in hoc casu præsumi debere, iurantem non habuisse intentionem se obligandi tali iuramento. Quia præsumere simulationem in iurante, est præsumere delictum, cuius præsumptio vitanda semper est, præcipuè cum non cedat in fauorem iurantis, & Promittentis, cui magis faues affirmando, esse obligatum tali iuramento, & promissione, quàm esse delinquentem ex simulatione: ergo etiam in iuramento metu extortò, vbi vehemens coniectura defectus animi se obligandi, propter metum concurrit, præsumi debet animus se obligandi, vt præsuptio delicti vitetur. Sic Alex. de Neuo, *cap. si vero, de iureiur. n.* 42. Imola, *cap. ad audientiam, de his, quæ vi, n.* 5. Couarru. appellans oppositum manifestum errorem, 4. *decret. 2. p. cap.* 3. §. 5. *n.* 3. Quos omnes, sic citat, & sequitur Sanchez *disp. 9. cit. n.* 13. Suarez etiam *lib. 2. cit. cap. 33. n. 6.* Castro Palao *pun.* 10. *cit. num.* 5. Thom. Delbene, *dubit.* 42. *cit. num.* 10. Fagundez *loco cit. num.* 23.

QVÆSTIO XVIII.

An ad minus, si iurans in dicto euentu, dubius sit, an cum ambiguitate verborum, vel restrictione mentis iurauerit, tunc iuramento deobligetur?

REspondeo tunc iam deobligati, nec teneri iuramento. Quia tunc dubius est de iuramento: & ideo illo non tenetur. Nec in tali casu præsumitur sic iurantem delictum commisisse; quia habet sufficientem causam æquiuocatione vtendi. Sic Suarez *num. 6. citato*, ita scribens: Posset autem sententia Panormitani (*quam quæst. antecedenti refutauimus*) locum habere, quando quis haberet dubium, non de peccaminiosa fictione, sed de prudenti simulatione, vel per ambiguitatem verborum, vel per additionem mente conceptam, iuxta probabilem opinionem: tunc enim dubium reducitur ad illud, de quo in puncto præcedenti diximus. Non poterit autem quis cum fundamento tale dubium habere, nisi prius nouerit illos iurandi, simulandi, seu occultandi modos, vt constat. Hæc Suarez, & ex illo Palaus *n. 6.* Et ex isto omnino, & nõ citato Thom. Delbene *num.* 10. sic etiam Fagundez *cap.* 10. *cit. n.* 24.

QVÆSTIO XIX.

An qui dubitat an votum, iuramentum, aut promissionem emiserit, tempore somni, ebrietatis, vel phreneſis, an tempore sanæ mentis; præsumere debeat, se tempore sanæ mentis emisisse, ac proinde valere?

AFfirmat Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 1. n.* 15. Probat. *Tum*, quia sommus, ebrietas, vel phrænesis, breui tempore durant: ergo non possunt eo tempore hæc gesta præsumi. *Tum* etiam, quia ex communiter contingentibus præsumptio sumenda est, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Atqui rarissimè dormientes, ebrij

ebrij & phrenitici, emittunt vota, aut iuramenta promissoria : ergo in casu dubij iudicandum est, tempore sanæ mentis emissa fuisse. Ita ille.

Sed non minùs probabiliter Respondeo dicendum, quod si promittens verè dubius existat, eo quod non recordetur benè de voto, iuramento, & promissione, neque actus ostenditur ita benè gestus, vt tollat dubium; tunc votum, iuramentum, aut promissio non valeat, sed possit sic dubitans, deposito dubio, illa non seruare. Ratio est, quia tunc verè dubitatur, an sit votum, iuramentum aut promissio; cum dubitetur, an adsit aliquid essentialiter requisitum, quale est libertas: ergo in fauorem libertatis est iudicandum. Sic ex Suario *lib.4.de voto,c. 6.n.9.* Palaus *tom.1.tract.1.disp.3. pun.11.n.8.* & ex illo omnino, & non citato, Thom. Delbene *tract.3.dub.43.n.13.*

QVÆSTIO XX.

An, si certus quis sit, se tempore somni, ebrietatis, vel phreneſis, promissionem, votum, aut iuramentum feciſſe; dubitat tamen, an tunc fuerit plenus somnus, vel plena ebrietas, aut phreneſis, quæ tollat libertatem; tunc teneatur promissione, voto aut iuramento?

REspondeo tanquam certum: tunc minime his teneri. Ratio est: quia cùm summus, ebrietas, vel phreneſis, soleant mente alienare; stat præsumptio pro alienatione. Sic Sanchez vbi supra. Et Suarez *lib.4.de voto,cap.6.num.9.* vbi id confirmat exemplo illius, qui noctu habet pollutionem, quique dubitat, an habuerit perfectum vsum rationis, de quo non præsumitur mortaliter peccasse, ob defectum perfectæ libertatis: ergo similiter ob eiusdem defectum, non præsumitur validè promisisse, iurasse, aut vouisse. Sic etiam Palaus, & Thom. Delbene, *locis citatis.*

QVÆSTIO XXI.

An, qui tempore iræ, aut alterius paſsionis, seu perturbationis, promisit, vouit, aut iurauit aliquid; si postea dubius sit de suo vsu rationis; maneat obligatus promissione, voto, aut iuramento?

REspondeo *Primò* dicendum, quod regulariter loquendo, non possit huiusmodi vouens dubius de suo vsu rationis manere. Quia rarò, vel nunquam contingit, vt in tantum quis iracundiâ exardescat, vt rationis vsum impediat; sicut rarissimè, qui occidit alterum, ex vehementi iracundiâ excusatur à mortali: ergo regulariter loquendo iudicandum est in eo euentu, manere vouentem, aut iurantem, seu promittentem, voto, iuramento, & promissione obligatum. Et ita docent Panormitan. Alex. de Neuo, & Felinus, quo citat, & sequitur Sanchez *lib.1.de matrim.disp.8.num.10.* Basilius *de matrim. lib.4.cap.1.num.2.* Castro Palao. *tom.1. tract.1.disp.3. punct.11. num.10.* Thom. Delbene omnino ex illo non citato, *tract.3.dubit.43.num.17.* Suarez *lib.4.de voto,cap.6.n.10.* Legatur Sanchez *lib.4. Decal.cap.1.num.13.*

Respondeo tamen *Secundò*; dato casu, quod si promittens, vouens, vel iurans dubius verè existat de suo vsu rationis, tunc non sit obligatus promissione: ergo tunc non tenetur illâ, iuxta dicta supra *quæst.15.* Sic Suarez, Palaus, & Thom. Delbene, vbi supra.

QVÆSTIO XXII.

An, ex eo quod, cessante calore iracundiæ, pœniteat quem promissionis, voti, aut iuramenti facti; inferatur bene, non esse valida, aut obligatoria?

AFfirmant Anton.cap. *sicut ex litteris, de iureiur. num.9.* & Panormit. *in cap. si verò, eod. tit. num.7.* vbi docent, si cessante calore iracundiæ minimè promissionem, votum, aut iuramentum faceres, tunc te non manere illis obligatum. Idem docent Angel. *votum 1.n.6.* Tabiena *ibid. quæst.1.* & Supplem. Gabr.*4.d.38.art.1.* asserentes, quod, si transacta angustiâ, seu periculo, eum, qui, vouit, iurauit, vel promisit, pœniteat, signum sit defuisse requisitam deliberationem, ac proinde non obligare. Hanc sententiam esse probabilem clarè affirmat Acacius mox citandus.

Sed vt mihi certum Respondeo: Non bene inferri, tale votum, aut iuramentum, &c. non esse obligatoria. Ratio est, tum quia sæpe eorum, quæ magna deliberatione gesta sunt facientem pœnitet. *Tum* etiam, quia calore iracundiæ multa fiunt deliberatione sufficienti ad culpam mortalem, quæ eo calore secluso, minime admitterentur: ergo ex eo quod cessante calore iracundiæ, pœniteat facientem promissionis, voti, aut iuramenti, non bene infertur, illa non esse valida & obligatoria. Verum tamen est quod illa pœnitudo sit probabilis coniectura, vt in casu dubio intelligatur de fuisse deliberatio. Sic Sanchez *disp.8.cit.num.8.* vbi dicit, ita se explicuisse Tabienam *in 2. editione.* Palaus, & Thom. Delbene, & Basilius *locis citatis.* Trullench.*lib.2. de Decal.cap.2.dub.1. num.4.* Legatur Sanchez *lib.4. Decal. cap.1. num.10. & 11.* Tamburin.*lib.3.cap.10.num.1.* Marcus Vitalis *tract. de voto, inquisit.3. num.30.* Valentia 2. 2. *disput.6. punct.1.* Acacius *v. voto, ref.445.num.8.*

QVÆSTIO XXIII.

An, dubius, de materia voti, iuramenti, aut promissionis, num sit bona, vel mala; teneatur voto, iuramento, & promissione?

REspondeo dicendum: Non teneri. Quia non placent Deo ea, in quibus periculum prauitatis imminet: atqui hoc imminet operando cum dubio, an materia voti, iuramenti, aut promissionis sit mala: ergo. Sic Suarez *lib. 4. de voto, cap.6. n.13.* & Sanchez *lib.4. Decalogi,* (non, de matrim. vt leges apud Palaum) *cap.5. num. 32. & cap.6. num.6.* Palaus *tom.1.tract.1.disp.3.punct.12.num.2.* Qui *num.1.* cum communi, benè aduertit, teneri vouentem in tali casu, superiorem (si potest) consulere de honestate materiæ promissæ; & ab illo, si velit, dispensationem petere.

DISPVT

DISPVTATIO XLIV.

De malitia, & obligatione iuramenti, aut promissionis, præstiti, absque animo iurandi, aut se obligandi.

QVÆSTIO PRIMA.

Quibus modis potest fictio in iuramento, aut promissione reperiri.

RESPONDEO; Quod tribus. *Primò* namque potest quis iurare sine animo iurandi. *Secundò*, sine animo se obligandi, & *Tertio*, cum animo se obligandi, sed sine animo exequendi rem promissam. Conueniunt omnes. Legantur Sanch. *lib. 3. Decal. cap. 6. & 10.* Palaus *tom. 3. disp. 1. de iuram. pun. 8. & disp. 1. de voto, pun. 3.* Fagund. *lib. 2. in Decal. c. 11.* Magister Prado *cap. 31. de voto, q. 1. à §. 3. & c. 32. de iuram. quæst. 4.* & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de voto, cap. 3. à num. 2. & cap. 7. num. 2. & cap. 8. fine*, & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

An, qui non coactus, iurat falsum quid, sine animo tamen iurandi; peccet mortaliter.

RESpondeo vt quid certum. *Primo.* Iurare aliquid falsum in iudicio, & contractibus, absque animo iurandi, proculdubio est mortale. Quia in iudicio, est contra mandatum Superioris, & in contractibus, contra ius debitum parti contrahenti; & in vtroque casu, contra reuerentiam, debitam diuino Nomini, cui præiudicatur falsi testificatione. Sic Palaus cum omnibus *pun. 8. citato, de iuram. num. 4.*

Respondeo *Secundò*, etiam, vt certum; iurare aliquid falsum, etiam extra iudicium, & contractus, sine animo iurandi, semper est mortale. Quia in omni euentu fit grauis irreuerentia Deo, ex eo, quod tantum in apparentia, & solis verbis externis, in testem falsi inuocetur: Nomini namque Dei summa reuerentia debetur. Sic communis. Caiet. *2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4.* Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 7. in solut. ad 4. ver. in secundo autem membro.* Couarru. *de pactis. 1. p. §. 5. num. 2. & 3.* Aragon *2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. concl. 6.* Petr. de Ledesma *tom. 2. sum. tract. 11. cap. 3. dubio 6.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dubit. 8. num. 42. & 43.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuram. cap. 17. num. 3.* Quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 6. num. 9. & 10.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. quæst. 1. pun. 7. num. 6.* Palaus *disp. 1. de iuram. pun. 8. num. 4.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 12. num. 6.*

QVÆSTIO III.

An etiam peccet mortaliter, qui iurat falsum, sine animo iurandi; casu quo coactus iuret.

NEgat tunc peccare mortaliter Lessius *dubit. 8. cit. num. 43.* Vbi post propositam oppositam sententiam, ita dicit: Itaque contraria sententia videri posset non improbabilis, scilicet, non esse id peccatum mortale, si per iniuriam cogaris, & falsitas sit penitus occulta: quia neque reipsa iuras falsum, cum non intendas Deum in testem vocare, sed simulare; neque secundum prudentem æstimationem, potes censeri iurasse falsum; tum quia falsitas est penitus ignota; tum quia iusta causa erat alia mente iurandi: & in hoc casu locum habere posset sententia Panormitani, & Angeli, & aliorum, qui volebant, iuramentum metu expressum, non obligare sub mortali. Hæc Lessius.

Sed omnino oppositum Respondeo dicendum, nempe, adhuc in hoc casu peccare mortaliter. *Tum* ob datam rationem. *Tum*, quia vt bene Palaus, si semel admittamus Deum simulatè inuocari posse in testem falsi, absque graui peccato, finis iuramenti, qui est veritatis confirmatio, magna ex parte, imò penitus frustraretur: non igitur est concedendum. Sic ille, *loco citato, num. 4.* Qui bene aduertit, non esse idem dicendum de illo, qui cum aliqua restrictione mentali iurat, verum sensum faciendo, quia id non esset falsum iuramentum, vt infra dicemus. Idem docet Sanchez cum aliis *locis citatis*. Quamuis non ita benè citet Lessium.

QVÆSTIO IV.

An item, peccet mortaliter, qui extra iudicium & contractus, iurat verum sine animo iurandi?

AFfirmant aliqui DD. eo quod licet verum sit quod iuratur, id tamen iuramentum est pernicioſum, non solum Deo; cùm actu externo illius testimonium inuocetur; interno autem eius inuocationi dissentiatur; verum etiam toti generi humano; cùm iuramento externo tollat finem, qui est verè adhiberi in veritatis confirmationem. Ita Caiet. *loco cit. art. 7. col. penul. vers. Ad hoc dicitur.* Couarru. *loco cit. num. 2.* & Armilla. *V. Periurium. n. 3. in principio.*

Sed probabiliùs Respondeo: Tunc non peccare mortaliter, sed venialiter tantum. Quia tali iuramento nec Deo fit grauis iniuria, nec homini: ergo ex nullo capite potest esse peccatum mortale. Antecedens probatur. Quia in primis, non fit grauis iniuria Deo; quia estò simuletur adduci in testem, adducitur in testem veritatis. Nec item fit grauis iniuria homini: quia supponimus grauiter inde non lædi. Erit ergo solum peccatum veniale, & graue, quando nulla legitima, & honesta causâ fieret: quæ est quædam fictio vim iuramenti eneruans. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 6. n. 9. & 10.* & penes illum, Sotus, Aragon, Petr. Ledesma, & alij supra *quæst. 1.* adducti. Bonac. *num. 6.* Lessius *num. 42.* & Palaus *num. 5.*

QVÆSTIO V.

An ad minus sit mortale, iurare in iudicio, vel in contractibus, veritatem; sine animo iurandi?

AFfirmant communiter DD. Quia qui sic iurat, verè decipit iudicem, vel contrahentem in re graui: ergo. Sic Alcozer *in sum. cap.15. vers. jurar con cautela.* ibi: *Pero si tomandole juramento fingio que jurava, y no dixo palabras de iuramento, peco mortalmente, si fue en manos de fuez competente, ò sobre algun contrato; por hazer injuria al Iuez, y à la parte; aunque no per ser el juramento falso, pues que no jura.* &c. Sic ille. Et ex illo Sanchez *lib.3. cap.8. num.2.* Qui tamen limitat, dummodo inde, aut iudicio, aut contractui notabile damnum sequeretur. Nec enim mortaliter peccaret, si nulla fraude, sed reuerentia iuramenti ductus, & scrupulo, fingeret se iurare, ita vt astantes, & Tabellio intelligerent eum iurare. Quia cum in foro externo constet de eo iuramento, nullum damnum sequitur iudicio, aut contractui: & ex alia parte integrè veritatem fatetur, nec aliquam fraudem molitur. Sic Sanchez ibi. Legatur etiam *cap.6.num.9.*

Ex his duabus limitationibus vnam solam recipit Palaus, *num.5. citato*, nempe limitationem in contractibus, quia in his rarò notabile sequi potest damnum (nisi iuramentum esset ad contractus firmitatem) cùm fictio, & simulatio non appareat, & æquè cogendus sit iurans, ac si verè iurasset. At simulatio in iudicio, semper illi notabiliter præiudicat. Quia superioris præceptum, non solum est de veritate dicenda sed de dicenda sub diuino testimonio: diludit ergo sic iurans, grauiter iudicium, si diuinum testimonium omittat. Sic Palaus & benè.

QVÆSTIO VI.

An, qui iurat, habens expressum animum non se obligandi (quod solum in iuramento de futuro esse potest) peccet mortaliter semper.

AFfirmant communiter DD. eo quod, quoties deficit animus se obligandi, ex iuramenti religione, est mendacium iuramento firmatum: cum sit falsa vocis significatio, vt potè, quæ veram se obligandi intentionem significat; quæ tamen non est. Ita Caiet. 2.2. *quæst.* 89. *art.7. ad* 4. D. Anton. 2. *part. tit.* 10. *cap.6. casu 5. fine.* Armilla *v. iuramentum, num* 14. *& v. periurium, num.3.* Tabiena *v. iurare, quæst.11. num.* 12. Scotus 3. *sent. disput.39. quæst. vnica, art.* 3. Nauarr. *in sum. cap.12. num.14.* Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 5. *num.* 3. *&* 4. *Decret. 2. part. cap.3.* §. 5. *num.* 4. Lessius *lib.2. cap.42. dub.8. num.4.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.3. cap.17. num.10.* Bonac. *disp.4. quæst.1. pun.7. num.6.* & pro hac parte citat Palaus, vbi infra, Thomam Sanchez *lib.3. Decal. cap.4. n.* 10. & Bonacinam *disp.* 4. *quæst.1. pun.7. circa finem.* Sed ex his male citat primum; cum ibi nil de hac re tractet, & oppositum doceat locis mox citandis.

Sed probabilius Resp. Non semper peccare mortaliter. Nam ille, qui iurat absque animo iurandi, non semper peccat mortaliter: vt superioribus quæstion. est habitum: ergo neque semper peccabit mortaliter ille, qui iurat cum expresso animo non se obligandi: patet quia eiusdem prorsus rationis sunt, iuramentum factum absque animo iurandi, ac iuramentum factum cum expresso animo non se obligandi. Quia eo ipso, quod est animus non se obligandi, adest animus, non verè, sed ore tenus, iurandi: ergo tale iuramentum, non est verum, sed apparens; sicut est iuramentum factum absque animo iurandi. Sic tenet Sanch. *lib.3. cap.6. num.7. & cap.10. num.8.* Quem etiam pro hac parte citat, & sequitur Palaus *disput.1. de iuram. punct.8. num.7.* vbi benè aduertit, quod ad iuramenti essentiam non requiratur expressus animus se obligandi, sufficit enim si quis iurandi animum habeat; quia eo ipso censetur voluntatem habere eorum, quæ necessario ad iuramentum requiruntur; nisi ea expresè excludat.

QVÆSTIO VII.

An, quando quis iurat habens animum iurandi, & se obligandi, non tamen implendi iuramentum, peccet mortaliter?

REspondeo tanquam certum: Quod sic. Quia vero iuramento promissorio deficit veritas de præsenti: quod esse mortale habes supra *disp.7. §.4. quæst.25. & sequentib.* Legatur Sanchez *lib.3. in Decal. cap.4. num.2. & 16.* (non 26. vt inueni apud Palaum) Suarez *lib.3. de iuram. cap.15. num.2.* Sayrus *lib.5. cap.4. num.17.* Lessius *lib.2. de iust. cap.41. dubit.4. num.18. & dub.8. num.42* Palaus *disp.1. de iuram. pun.8 num.2.* & alij. Hæc de malitia horum iuramentorum, & promissionum. Videamus nunc de eorum obligatione; sit ergo.

QVÆSTIO VIII.

An qui iurat, aut vouet, sine animo & intentione iurandi, aut vouendi; obligetur tali iuramento, & voto?

REspondeo tanquam certum: Non obligari. Quia certum est tale iuramentum, seu votum non esse verè talia, sed solum quoad apparentiam: ergo sic iurans, aut vouens, non manet obligatus, saltem ex vi, ac religione iuramenti, & voti prædicti. Sic communiter omnes. Legantur Sanchez *lib.1. de matrim. disp.9. n.3. & lib.3. Decal. cap.10. num.4. & lib.4. cap.1. n.24.* Nauarr. *cap.12. num.27.* Suarez *lib.1. de voto, cap.3. à num.3.* Palaus *disp.1. de voto, pun.3. num.2.* Qui non benè, solùm veriorem vocat hanc partem: cùm certa sit apud omnes.

QVÆSTIO IX.

An item obligetur iuramento, aut voto, qui iurat aut vouet verè; sed cum animo expresso non se obligandi?

NEgant tunc deobligari iuramento tali, aut voto, multi Doctores. Quia iuramentum, & votum, quæ sunt verè talia, ex natura sua, & ex iure diuino habent vim obligãdi, iuxta illud Psalmi 75.

vouens

vouete, & reddite Domino Deo vestro: at qui iurat, & vouet, vera intentione iurandi, & vouendi, etiam sine animo expresso se obligandi, verum facit iuramentum, & verum emittit votum: ergo verè manet illis ligatus & obligatus. Ita Caiet. 2.2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 4. Sotus *lib.* 7. *de iust. quæst.* 1. *art.* 2. & *lib.* 8. *quæst.* 1. *art.* 7. *ad* 4. *vers. At verò profecto.* Couarru. *de pactis* 1. *p.* §. 5. *num.* 2. Gutierrez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 31. & alij apud Sanchez infra citandum. Ita etiam Prado *cap.* 32. *de iuram. quæst.* 4. *num.* 4. vocans hanc (sed malè) communem, & veram sententiam.

Sed probabilius Respondeo, etiam in hoc casu deobligari. Quia, qui iurat, aut vouet, expresè cum animo non se obligandi, verè habet expressum animum non promittendi, seu vouendi, cùm promissio nequeat absque obligatione subsistere: ergo in tali casu, non verè, sed solum cum apparentia iurat aut vouet: ergo tali iuramento aut voto (cum verè talia non sint, non obligatur. Sic Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 9. *num.* 5. & *lib.* 3. *in Decal. cap.* 10. *num.* 8. & *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 27. Azor 1. *part. lib.* 11. *cap.* 13. *quæst.* 9. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dubit.* 1. *num.* 6. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 12. Valentia 2.2. *disp.* 9. *quæst.* 6. *pun.* 1. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 2. Trullench *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 3. & *cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 12. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de voto, cap.* 3. *num.* 12. Palaus *disp.* 1. *de voto, pun.* 3. *num.* 2. Qui addunt, hanc doctrinam procedere, siue vouens conscius sit naturæ voti, siue non.

QVÆSTIO X.

An item deobligetur iuramento, & voto, qui iurat, aut vouet absque expressa intentione, aut voluntate, se obligandi?

RESpondeo affirmatiuè etiam tunc deobligari: quia etiam sic iurans, aut vouens, cum non habeat expressam intentionem se obligandi, non obligatur tali iuramento, aut voto; cum hæc in tantum obligent, in quantum iurans, & vouens intendunt se obligare. Ita Sanchez *cap.* 1. *cit. num.* 26. Sylvest. Nauarr. & Leussius, quos citat, & sequitur Bonacina *loco cit. num.* 13.

Sed probabilius, Respondeo in tali casu, manere obligatum tali iuramento, aut voto. Quia censendus est promittere voluisse, voluntate & intentione accommodata, & qualem habent rectè promittentes, xin quo casu, etiam Sanchez sentit nobiscum, eo quod tunc (inquit) implicitè, & virtualiter se obligare volunt tali modo iurantes, aut vouentes. Sic Suarez *lib.* 1. *de voto, cap.* 3. *num.* 9. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 2. Palaus *loc. citat. n.* 2.

QVÆSTIO XI.

An deobligetur iuramento, & voto, qui iurat, aut vouet, animo promittendi, & se obligandi; non tamen implendi rem promissam?

AFfirmat Valentia 2.2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *pun.* 1. *vers. Si autem dicatur*, eo quod existimet in tali casu, non dari verum iuramentum, aut votum, sed fictitium. Quia putat ad votum, seu iuramentum promissorium, tria esse necessariò requisita, nempe, deliberationem voluntatis, promissionem, & propositum, non tantum se obligandi, sed exequendi rem promissam: ergo. Ita Valentia, dicens, suam sententiam esse communem, sed malè.

Vnde longè multo probabilius, imo vt mihi certum Respondeo; & peccare mortaliter taliter vouentem, seu iurantem, & obligatum manere tali voto, aut iuramento. *Prima pars*, vt certa, manet probata *quæst.* 7. *Secunda verò* probatur. Quia longè multo probabilius est, & mihi certum, posse dari verum iuramentum, & votum, absque animo, & voluntate exequendi rem promissam. Sic Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 9. *num.* 2. & *lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *num.* 23. Azor *lib.* 11. *instit. moral. cap.* 4. *quæst.* 2. & *cap.* 13. *quæst.* 9. dicens id esse certum. Gutierrez *lib.* 2. *canon. qq. cap.* 22. *num.* 30. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dubit.* 1. *num.* 7. Suarez *lib.* 1. *de voto, cap.* 4. *num.* 3. addens nullum alium Authorem inuenisse, qui in terminis, sententiæ Valentię patrocinaretur. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 14. & apud illum Reginald. *num.* 262. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 1. *quæst.* 2. *num.* 7. & Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 2. Palaus *disp.* 1. *de voto, pun.* 3 *n.* 4. Trullench *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 14. Raph. de la Torre *disp.* 6. *num.* 4. Barthol. à S. Fausto *lib.* 1. *Thesauri, quæst.* 17. Prado *cap.* 31. *de voto, quæst.* 1. §. 3. *num.* 9. & alij communiter.

DISPVTATIO XLV.

De iuramento amphibologico, seu æquiuoco.

§. I.

De iuramento facto cum amphilogia sensibili.

QVÆSTIO PRIMA.

An, iurans committat mendacium, & consequenter periurium, quando profert verba duplicem sensum habentia, alio sensu, quàm audiens intelligat?

RESPONDEO, nec committere mendacium, nec consequenter periurium. *Tum*, quia sic iurans non it contra mentem. *Tum* etiam, quia alias nunquam liceret vti verbis duplicem significationem habentibus. Sic communis. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *pun.* 12. *num.* 1. Trullenh *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *dub.* 15. *n.* 1. Raph. de la Torre 2.2. *quæst.* 89. *art.* 3. *disp.* 4. Layman *lib.* 4. *tract.* 3. Reginald. *lib.* 24. *cap.* 1. *sect.* 4. *num* 9. Acacius March. *v. iuramento. resol.* 159. *num.* 2.

QVÆSTIO II.

An igitur, sit licitum alicui absque iusta causa, iurare cum æquiuocatione, alio sensu, quàm intelligat audiens?

AFfirmandum ex nuper dictis videtur: Quia sic iurans, nec mendax inuenitur, nec periurus: ergo licitum erit illi dicta formâ iurare.

Sed vt certum Respondeo minimè esse illi licitum, sed culpam & peccatum committere. Quia communis hominum conuersatio postulat, vt verbis eo modo vtantur, quem audientes communiter percipiant, alioquin certitudo omnium sermonum, & commercium inter homines tolleretur; multisque dolis aperiretur aditus. Vnde

Ad rationem dubitandi bene respondet Valentia, quod licèt hoc non sit peccatum mendacij, nec malitiam contineat contra præceptum non mentiendi; est tamen peccatum omissionis, contra præceptum affirmatiuum veritatis, obligans ad dicendam determinatam veritatem, iuxta sensum communem, nisi aliqua iusta causa persuadeat vti verbis amphibologicis. Sic Valentia 2.2. *disput.* 5. *quæst.* 12. *pun.* 1. & ex illo Bonac. *loco cit. num.* 2. Trullench *eod. num.* 2. & antea D. Thom. 2.2. *q.* 109. *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 2. *ad* 4. *& art.* 3. *ad* 1. Ægidius *de fide disp.* 10. *dub.* 3. *concl.* 1. *num.* 47. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dubit.* 9. *num.* 46. *&* 48. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæst.* 5. Suarez *lib.* 3. *de iuram. cap.* 10. *n.* 10. *& cap.* 11. *num.* 6. Sayrus *lib.* 5. *Clauis, cap.* 2. *n.* 41. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 6. *num.* 16. Palaus *disputat.* 1. *de iuram. pun.* 7. *num.* 2. Prado *cap.* 32. *de iuram. quæst.* 4. §. 2. *num.* 11. *&* 13. March. *loco cit. num.* 2. Layman *loco citato*, & communis.

QVÆSTIO III.

An ad minus, sit licitum, interueniente iusta causa, vti æquiuocatione, aut verbis amphibologicis, & iurare alio sensu, quàm alter intelligat?

REspondeo vt certum: Quod sic. Quia defectus iudicij, qui in tali iuramento esse poterat, cessat, interueniente iusta causa sic occultandi veritatem. Sic S. Augustin. *lib. contra mendac. cap.* 10. *&* S. Thomas 2.2. *quæst.* 40. *art.* 3. *& q.* 71. *art.* 3. *ad* 4. vbi generaliter docet, esse licitum, veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione. Sic etiam Nauarr. *cap. Humanæ aures* 22. *quæst.* 5. *in quæst.* 2. *num.* 12. *& in sum. cap.* 12. *n.* 9. *&* 19. Suarez *lib.* 3. *de iuram. cap.* 10. *n.* 4. Valentia *loc. cit. disp.* 6. *quæst.* 7. *pun.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 9. *num.* 47. Bonac. *loco cit. num.* 4. Palaus *pun.* 7. *cit. num.* 4. & alij, addentes, id esse verum, tametsi non rogatus quis iuret, sed hoc infra latiùs, *quæst.* 7. *&* 8.

QVÆSTIO IV.

An, sit mortale, iurare cum æquiuocatione, & amphilogia sensibili; ita vt audiens non intelligat, casu, quo non adsit iusta causa?

AFfirmant communiter Doctores. Quia inquiunt, est contra præcipuum finem iuramenti, qui est, veritatem determinatam testificari: ergo. Ita, apud Sanchez, Nauarr. *cap. Humanæ aures.* 22. *quæst.* 5. *in quæst.* 3. *num.* 6. *& in sum. cap.* 12. *num.* 8. *&* 13. Toletus *lib.* 4. *sum. cap.* 21 *n.* 9. Sayrus *lib.* 5. *clauis. cap.* 4. *num.* 21. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dubit.* 9. *num.* 46. Philiarc. *de offic. sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. Ludou. Lopez 1. *p. cap.* 42. *col.* 5. *vers. Dolosè iurans.* Sed certè ex his Lessius, in oppositum videtur ire, *num.* 48. (non 98. vt leges apud Dianam) vbi ita ait: Quod si tali orationi, cùm iusta causa non subest, addatur iusiurandum, vt si iures: *Principem esse in oppido*, intelligendo, *pictum*, ioci causa, erit graue peccatum: quia est magna irreuerentia, suis iocis Deum testem adhibere. Fortè tamen non erit mortiferum, si scandalum absit: nam reuera non est periurium, cum id, quod iurare intendis, falsum non sit. Quia tamen falsum esse exterius videtur, in foro externo periurium esse præsumeretur. Hæc Lessius. Quare Palaus, expresè illum pro opposita parte citat. Tenent etiam hanc sententiam vt communiorem, & probabiliorem Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 15. licet contrariam admodum probabilem dicat; immò in summario illam manifestè sequitur dum dicit: *Iurans sine causa, Regem esse in aula, intelligendo, pictum; non peccat mortaliter.* Ita ille. Qui non ita bene citat Dianam pro hac sententia, vt infra videbis *quæst.* 12.

Sed his non obstantibus probabilius Respondeo non esse mortale iurare, absque necessitate, cum æquiuocatione, & amphilogia, secluſa iniustitiæ, aut alia extrinseca circunstantia, quæ ex tali modo iurandi posset oriri. Ratio est: quia tali iuramento non deficit veritas, vt supra *q.* 1. est habitum: sed sola discretio, seu iudicium, eo quod diuinum testimonium, non debeat absque necessitate his amphilogiis immiscerì: atqui defectio discretionis, solum constituit veniale, vt supra *disp.* 7. *quæst.* 19. est habitum: ergo.

Ad fundamentum contrarium dicendum est, quod licèt sic iurans faciat contra finem præcipuum iuramenti, est tamen in materia leui, ac proinde non peccat mortaliter. Sic Caiet. 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4. *dub.* 2. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 8. *& cap.* 21. *num.* 5. *&* 6. vbi solùm dicit id peccatum esse mortale quando iniustitia miscetur. Bonac. *disp.* 4. *in Decal.* (non *de legib.* vt leges in Diana) *pun.* 12. *num.* 3. Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 11. *num.* 331. Quos citat, & sequitur Diana 2. *p. tract.* 15. *resol.* 25. Quibus addo Palaum *disp.* 1. *de iuram. pun.* 7. Magistrum Pradum *cap.* 32. *de iuram. quæst.* 4. §. 2. *num.* 12. Candidum *disp.* 26. *art.* 3. *dubit.* 4.

QVÆSTIO V.

Quænam sit causa iusta vtendi amphilogiis, & æquiuocationibus, in iuramentis?

REspondeo dicendum, quod causa iusta erit necessitas, aut vtilitas corporis, aut honoris, aut rerum familiarium: vel quilibet alius virtutis actus, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expedita, ac studiosa. Sic ex Nauarro, Sanchez *lib.3.cap.6. num.19.* Bonac. *disp.4.q.1.pun.12.n.2. fine*, addens, etiam esse iustam causam, interrogationem iniustam factam illi, qui amphilogicè loquitur. Basseus *iuramentum 3.num. 10. fine.* Diana *2. p. tract. 15. resol. 25. in principio.* Palaus *disputat. 1. de iur. pun.7.num.4.*

QVÆSTIO IV.

An sit iusta causa vtendi æquiuocatione, & amphilogia, iocus honestus, etiam casu quo id fiat cum iuramento?

AFfirmare videtur Sotus *de tegend. secreto, mem.3.qu. 3. fine.* Vbi ait, non esse culpam, amphilogiis vti ioco, & in ridiculis.

Sed clariùs Respond. Esse iustam causam vtendi amphibologia, & æquiuocatione, iocum aut honestum ludum; dummodo id fiat sine iuramento. Quia vt benè Sanch. tunc honestus ille ludus, recreationis iustæ causâ exercitus, honestum reddit amphilogiæ vsum: secus est, si adesset iuramentū; quia tunc manifesta esset culpa, propter vanam, & indiscretam diuini Nominis vsurpationem; quamuis, iuxta superius dicta, sola esset venialis. Sic Sanch. *lib.3. Decal.cap.6.num.22.fine.* Qui in hunc sensum explicat Sotum, quasi sentientem esse licitum ioci causa vti amphibologia, quando absque iuramento id fit. Sic etiam Candidus *loco citato.*

QVÆSTIO VII.

An etiam, sit iusta causa iurandi amphibologicè, quod quis importunè rogetur ab aliquo priuato ad iurandum?

AFfirmat Nauarr. in cap. *Humanæ aures, in quæst.3.num.10. & in sum. cap.12. num.8.* & Toledo *lib. 4. summ. cap.21.num. 9.* vbi ait: posse dictum vti æquiuocatione, maximè cùm rem celare expedit, & priuatus importunè interrogat petens iuramentum.

Negat Sanchez *lib. 3. cap. 6. num. 20.* dicens, quod, si aliàs non sit iusta causa occultandæ veritatis, minimè queat quis, ob importunas preces alterius, iurare amphibologicè. Sic etiam tenent apud illum, Sylvest. *iuramentum 3. quæst.2.* Valentia *2.2. disputat.5.quæst.13. punct. 2.* Suarez *lib.3.cap.10.num.10.*

Sed probabilius Respondeo cum Nauarro, esse quidem iustam causam, quod rogetur quis vt iuret. *Tum*, quia respondens alteri non obligatus, minimè obligatur respondere ad ipsius mentem: ergo potest respondere amphibologicè, & cum æquiuocatione. *Tum* etiam, quia, vt statim dicemus, vrgente aliqua necessitate, aut alia honesta causa, potest quis non rogatus amphibologicè iurare: ergo rogatus sine alia causa poterit.

QVÆSTIO VIII.

An, quando quis à nemine rogatus, se ad iurandum offert, possit amphibologiis vti?

NEgant absolutè, apud Sanchez, Sylvester, Nauarr. Suarez & Toledo, citati. Sayrus. *lib.5.cap.4. num. 21.* & Lessius *lib.2.cap.42.dub.9. num. 46.*

Sed clariùs Respondeo: Non posse; nisi aliàs necessitas, aut vtilitas vtendi amphibologiis cogat iurantem. Quia si hæc illum cogunt, parum refert, siue rogatus, siue non rogatus quis iuret: eo vel maximè, quod sæpe occasio se offerre possit, qua valde expedit cuiquam se sponte ad sic iurandum inuitare: vt ad placandum proximum, vel ad restituendam famam iniustè ablatam, &c. Sic Sanchez *loco cit.num.21.* & penes illum, Philiarcus *de offic. sacer. tom. 1. part.2. lib.3. cap.14.* & alij. Bonacina *disputat.1.punct.12.num.5.vers. Quartò.* Palaus *pun. 7. cit. num. 4. fine.* Trullench, *lib.2. cap.1.dubit.15.num.13.* Candidus *disquis.26.art.3. dubit.1.dicto 3.* vbi citat pro se Bannez *2.2.quæst.62. art. 2. dubit. 8. concl. 3.* & Sayrum *lib.11. cap.4. numero 27.*

---

§. II.

De iuramento facto cum amphibologia mentali.

QVÆSTIO IX.

Quænam dicatur, & sit amphibologia mentalis?

REspondeo dicendum, quod mentalis amphibologia sit, & detur tunc, quando exteriora verba præcisè sumpta non habent significationem propriam, & completam, in quâ verum sensum efficiant: quia distrahuntur à propria significatione per aliquam restrictionem, non voce prolatam, sed interius conceptam; v.g. si quis voce dicat, *non comedi talem rem*, & interius subintelligit, *hodie*, vel, *vt tibi dicam*, &c. Sic Suarez *lib.3.de iuram.cap.10.num.1.* Sanchez *lib.3. Decal. cap.6. num.15.* & omnes.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

An, possit quis aliquando, vti amphibologia, seu restrictione mentali, absque mendacio?

NEgant multi Doctores. Et probant primò ab inconuenienti. Quia si vti restrictione mentali, non sit mentiri, magnus aditus multis incómodis patefieret in communi hominum conuersatione: tolleretur enim omnium sermonum certitudo, ac subinde omne commercium, omnis humana societas, & securitas, omniaque dolis paterent, si quando quis interrogatur, possit absque mendacio vti restrictione mentali in responsione quam tribuit.

Secundò, quia qui sic loquitur, verè mentitur, cùm non consonet os menti; patet, quia verba, quæ profert, sunt absoluta, mens verò minimè: ergo. Et ideo ita tenent apud Sanchez, Palud. *in 4. d. 21. quæst. 3. art. 3. num.* 39. Caiet. 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. *vers. Ad hoc dicitur.* Sotus *lib. 5. de iust. qu. 6. art. 2. concl. 7. & lib. 8. quæst. 2. art. 7. & de secreto, mem. 3. q. 3. concl. 1.* Alcozer *in sum. cap. 13. vers. iurar. con cautela,* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 4. q. 5.* Aragon 2.2. *q. 69. art. 2. & q. 89. art. 7.* Petr. de Ledesma *tom. 2. tract. 8. cap. 24. post 6. concl. dub. 2. dicto 3.* Ludou. Lopez *1. p. cap. 42. col. 7.* Quibus addi possunt Raph. de la Torre 2.2. *tom. 2. q. 98. art. 3. disput. 4. concl. 2.* Malderus *opusc. de restriction. mentali lib. cap. 4. & 10.* Syluius *in 2.2. q. 89. art. 7. qu. 2. concl. 5.* Rebellius *part. 1. lib. 4. q. 10. n. 2.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 13. n. 7. & cap. 14. n. 8.* Ægid. *de actib. supernat. disp. 10. dub. 3. n. 40.* Cydonius *contra Epistolam Isaaci Casauboni, c. 5. & 8.* Quos omnes pro hac parte addit Diana. Quibus adduc ego addo Card. Lugum *de fide, disp. 4. sect. 5. num.* 62. & Ripaldam ibidem, *num. 68. disput. 4.* Thom. Hurtad. *tom. 2. tract. 7. de restrict. mental. cap. 2. resol. 2. & tom. 3. de vero Martyrio, sect. 9. & 10.* Pradum *cap. 32. de iuram. quæst. 4. §. 3. 4. 5. & 6.*

Sed æquè probabiliter, imo, & probabilius, Resp. dicendum, quod optimè possit quis vti aliquando, sine vllo mendacio, mentali restrictione: sic ex Nauarro, docet Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 10. à n. 2.* vbi *num. 4.* ita ait: Hæc sententia practicè securissima, & in rigore vera est: dummodo non ad libitum quis loquatur, & restrictionem concipiat proportionatam verbis, & materiæ, de qua tractatur, vel saltem, quæ si voce exprimeretur, & cum alia parte orationis cõiungeretur, congruum, & verum sensum efficeret, ex quo apta, & cõueniens responsio resultaret. Sic ille ex Nauarro *in cap. Humanæ aures, q. 1. & in cap. inter verba, concl. 6. coroll. 65. à num. 398. & in Man. cap. 12. nu. 9. & 19. & cap. 18. n. 61. & cap. 25. n. 43.* vnde non bene Prado *loco cit. §. 3. n. 27.* refert Suarium, quasi dubitanter sentientem hanc partem. Tenent item hanc ipsam, Sanch. *lib. 3. Decal. cap. 6 n. 15.* vbi præter Nauarrum, & Suarium, citat etiam pro illa Angelum, *iuramentum 5. num. 8. casu 9.* & Sylueſtrum *iuramentum 5. q. 7.* docentes, non esse periurium, qui coactus iurare se aliquid facturum, mente concipit, *si licitè potuero, vel si debuero, vel aliquid simile*; & ita addunt, non solum non teneri postea, sed etiam, nec mentiri de præsenti. Citat etiam Valentiam 2.2. *disp. 5. qu. 13. punct. 2. & tom. 4. in 3. part. disputat. 7. quæst. 13. punct. vnico.* Toletum *in sum. lib. 4. cap. 21. num. 9.* Rodrig. *de ordine iudiciario, cap. 10. n. 4. & tom. 1. sum. cap. 191. num. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dubit. 9. num. 40.* Salonium 2.2. *quæst. 69. art. 2. controu. 11. in quarta ratione ad 1. & 5.* & Philiarcum *de offic. sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 14.* His addi possunt Filliucius *tract. 25. cap. 1. num.* 236. Reginaldus *lib. 24. cap. 1. num.* 10. Pesantius *in 2.2. quæst. 70. art. 4. disputat. 1.* Stephan. Emonerius *disput. de verit. cap. 9. & sequent.* Quos refert & sequitur Diana *part. 1. tract. 15. Resol. 25. & part. 3. tract. 6. resol. 30. vers. sed ego.* Rursus tenent nostram sententiam Bonac. *tom. 2. disput. 4. quæst. 1. punct. 12. num. 4. per totum.* Trullench *lib. 2. Decal. cap. 1. dubit. 15. à num. 3.* Palaus *de iuram. disputat. 1. punct. 7. à num. 3.* Fagundez *lib. 2. Decal. cap. 11. à num. 16.* Acacius March. de Valesco, *tom. 2. sum. v. iuramento, resol. 159. num. 4. & 5.* Candidus *disquis. 26. art. 3. dubit. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 4. à num. 22.* Layman *cap. 13. citato, num. 5.* Mallettus *tom. 2. Malleatione 3. Bractea 13.*

QVÆSTIO XI.

An, quoties licitum est vti restrictione mentali; toties licitum sit, etiam iuramento vti?

REspondeo quod sic. Sic Lessius *lib. 2. cap. 42. dubit. 9. num.* 48. per hæc verba: Ex his patet, quotiescumque licitum est vti oratione ambigua, vel tacita restrictione, licitum etiam esse, vti iuramento, si necessitas, vel notabilis causa postulet. Nunquam tamen licitum est, vti hoc artificio orationis, nisi quando iustè possumus veritatem occultare, vt si aliquod malum, vel incommodum aliter non possit auerti. Si absque iusta causa fiat, est abusio orationis, contra virtutem veritatis, & ciuilem consuetudinem, ac proinde est peccatum; etsi propriè non sit mendacium. Hæc Lessius. Quem sequuntur Palaus *punct. 7. citato num. 6. versu Denique.* Trullench. *lib. 2. Decal. cap. 1. dub. 15. num. 3.* Malletus *loco citato, Bractea 13.* vbi in fine sic ait: Toties, quoties datur iusta causa vtendi æquiuocatione vel ad euitandam mortem, vel ad saluandas res proprias, vel alia simili causâ, non est periurium illi qui vtitur æquiuocatione in iurando cum restrictione mente retenta.

Quænam autem sint iustæ causæ vtendi amphibologiâ, seu restrictione mentali, habes supra §. 1. *quæst. 5. & sequent.*

QVÆSTIO XII.

An sit mortale, iurare cum restrictione mentali, absque iusta causa?

AFfirmant omnes pro prima sententia *qu. 10.* adducti, inter quos Prado expresè *loco citato. §. 4. num. 36.* Affirmantquè, apud Dianam, Lessius *lib. 2. cap. 42. dubitat. 9. num. 46.* Toletus *lib. 4. cap. 21. num. 9. notab. 1.* Sayrus *in claui Reg. lib. 5. cap. 4. num. 21.* & Philiarcus *de offic. sacerd. tom. 1.*

tom.1.par.2.lib.3.cap.14 Quorum sententiam ipsemet Diana, communiorem, & probabiliorem dicit *par.3.resol.30.fine*, & eum sequutus Trullench *lib.2.Decal.cap.1.dub.15.num.15.*

Sed probabiliùs Respondeo, non esse mortale, sed veniale tantùm (secluſa iniustitia, aut extrinseca alia causa) iurare cum restrictione mentali absque iusta causa. Quia in huiusmodi iuramento, sola deficit discretio, seu iudicium, cuius defectio solum constituit veniale, vt habitum est supra *q.4.* Sic Sanchez, Bonac. & Filliuc. citati supra *quæst.4.* Quos sequutus fuerat Diana 2. *part. tract. 15. resol.15.* dicens illorum sententiam esse veram, licèt postea, oppositam probabiliorem dicat. Sic etiam tenent Caiet. *2.2.q.89. art.7.* Candidus *disquis.26. art.3.dubit.4. & 14.* Vbi citat Lessium, *numero 46. citato* à Diana pro contraria parte, & certe bene. Nam ibi nostram tenet sententiam, & *num. 48.* in illam tendit: Eamque, vt æquè probabilem defendit Acacius March. *tom. 2. sum. v. iuramento, resol.359.num 6.*

---

§. II.

Specificantur aliqui casus, contra Authores primæ sententiæ quæstionis 10. *in quibus, licitum est vti restrictione mentali.*

QVÆSTIO XIII.

An veniens è loco, qui falsò putatur peste infectus, & interrogatus, an ex tali loco veniat; possit cum iuramento respondere, se ex eo non venire, addendo tacitè, vel mente, hodie, vel vbi sit pestis, &c.?

NEgant Authores *quæst.* 10. adducti pro prima sententia, & præcipuè Ludou. Lopez *1.p.instruct.conse. cap.* 42. apud Sayrum infra.

Sed probabiliùs Respondeo posse. Quia verè iurat attendendo ad præcipuam intentionem custodum interrogantium. Sic Siluest *iuramentum 3.q.2.* Nauarr. *in sum.cap.12.num.19.* Toledo *lib. 4. sum. cap.22. num.9.* Azor *tom.1.lib. 11. cap. 4.quæst. 5.* Suarez *lib.3. de iuram.cap.9. num. 7.* Sayrus *lib. 5. Clauis Reg.cap.4.n.22.* Lessius *lib.2.cap.42. dubit.9. num. 47.* Sanchez *lib.8. Decal.cap.6.num.35.* Bonac. *disp.4.q.1.pun.12.nu.4.vers.tertiò.* Filliuc. *tract. 40. cap.2.q.7.n.51.* Palaus *disp.1.de iuram.pun.7. nu. 6. vers.Decimo.* Candid. *disquis.16.art.3.dubit.7.* Diana *tom.3.tract.6.resol. 30.vers. Duodecimò.* Trullench *lib.2.cap.1.dub.15.num.6.* Villalob. *tract.36. diff.6. num.8.* Qui addunt idem dicendum, casu, quo veniens, ex loco pestilenti, moraliter certus sit, nec se, nec aliquid sui peste infectum esse; potest enim iurare, inde non venire, intelligendo tacitè, ita vt aliquid mali ex loco pestilenti contraxerit.

QVÆSTIO XIV.

An Religiosi & Clerici venientes ex loco verè pestilenti, ac de hoc rogati ab vrbis custodibus; teneantur ad iuramentum præstandum, & veritatem dicendam?

NEgandum videtur, eo quod custodes exigentes iuramentum sint laici, quibus clerici non sunt subiecti: ergo non licitè id possunt exigere.

Sed vt certum Respondeo teneri ad iuramentum præstandum & veritatem dicendã, iuxta intentionẽ sanam remotam, vel propinquam petentium (Et ideo possunt cum restrictione mentali sicut & alij laici, si causa subsit) Quia id non expositur ab eis absolutè, aut vi, sed ex suppositione quod velint vrbem intrare. Sic Siluester *iuramentum 3.q.2.prope finem*, & *v. Mendacium, fine.* Sanchez *ex illo, n.35. citato, fine*, & Palaus *loco citato*, vbi aduertit id docere Bonac. ex Siluestro; sed non docet ille, sed Sanchez. Sic etiam Candidus *disquis.26. art. 3. dubit.8.*

QVÆSTIO XV.

An si Clericus, aut alius exemptus probabiliter à gabellæ solutione, interrogetur, an portet talem, vel talem rem; possit iurare absolutè, non portare?

REspondeo probabilius posse iurare talem rem non portare; intelligendo, non ita portare, vt gabellam debeat; ne si fateatur portare, iniustè cogatur gabellam soluere. Sic Siluest. *v. mendacium, q. 6.* Anton. *p.2.tit.10.cap.1. §.1.* Suarez *lib.3. de iuram.cap.9.n.7.* Sanchez *lib.3. Decal.cap.6.nu. 32. prope finem.* Azor *lib.11.cap.4.q.5.* Filliuc. *tract. 40. cap.2.q.6.n.47.* Bonac. *disp.4.q.1.pun.12.num.4.vers. Nonò.* Palaus *disp.1.de iuram.pun.7 n.6 vers. Quintò.* Candidus *loco cit. dub. 9.* Diana *p. 3. tract. 6. resol.30.vers. Et ideo dico primò.* Trullench *lib. 2. Decal.cap.1.dub.15.sub num.10.*

QVÆSTIO XVI.

An habens iustam, vel probabilem causam occultandi fisco, vel creditoribus aliqua bona; possit vti restrictione mentali, iurando, se non occultasse?

REspondeo probabiliùs, posse. Sic Sanchez *loco cit. numero 31.* per hæc verba: Quinto deducitur: eum, cui licitum est aliqua bona abscondere, eo quod illis ad vitam sustentandam egeat, ne à creditoribus capiantur, & sic cogatur mendicare, posse rogatum à Iudice, iurare, se nulla bona abscondita habere. (Atque idem

idem possunt iurare id scientes, dummodo ipsis constet, licitè eum abscondere ad hunc finem (intelligendo secum, non habere bona abscondita; quæ iudici manifestare teneatur. Hæc enim est intentio illius interrogationis. Sic ille. Et ex illo Bonacina *pun.12.cit.num.4.vers. Quintò* (non 3. vt legi apud Palaum) Candidus *loco cit.dubit.10.* ex D.Thoma 2.2.*q.*89.*art.*7.*ad* 4.& Bannez *q.*69. *art.*2 *d.penult.* Palaus *loco citato*, vers. *octauo.* Diana *loco cit.vers. octauò.* Trullench *loco cit.num.*7.

QVÆSTIO XVII.

An si debitor pauper, præpaupertate excusetur à debito tunc soluendo, & exactor illum premat, vt statim soluat; possit à iudice interrogatus, iurare illas pecunias non accepisse?

REspondeo probabilius: posse. Quia iudex ad eum effectum interrogat, vt cogat statim soluere: quare negans se accepisse, intelligendo, ita vt statim debeat soluere, verè ad debitam iudicis mentem respondet. Sic Sanchez *numero* 32. Trullench *sub.num.*10. Diana *resol.*30. *cit. vers. Decimotertiò.*

QVÆSTIO XVIII.

An qui numos mutuo acceptos soluit; possit in iudicio negare, se illos accepisse?

REspondeo probabilius: posse, iurare non accepisse, intelligendo, itavt teneatur illos soluere. Sic Azor *lib.*11.*cap.*4.*q.* 5. *in secunda regula*, ibi: Si Titius mutuo accepit à Caio centum, & ea integrè soluit, iniquè tamen in iudicio conuenitur, & rogatur simpliciter, acceperit nec ne mutuo à Caio centum; iurare potest absolutè se non accepisse: nam intelligit mutuum esse solutione rescissum, & mutuum non debetur, quod est redditum, & solutum: vel, quia solum rogatur à iudice de mutuo quod debet. Sic ille, & ex illo, Sanchez *numero* 32. *cit.* Suarez *lib.*3. *capite* 9.*numero* 6. Couarru.*lib.* 1. *variar. capite* 2. *numero* 4. Diana *resol.* 30. *cit. vers. secundò.* Trullench *sub numero* 10. *citato.* Filliuc. *tract.*40.*capite* 2.*q.*6.*numero* 47. Bonac. *disp.*4. *q.*1. *punct.*12. *numero* 4. *vers. Nonò sequitur.*

QVÆSTIO XIX.

An item interrogatus, an debeat centum ex mutuo, cum verè solum debeat quinquaginta; possit iurare, se non accepisse mutuò centum?

REspondeo posse. Quia verè non debet centum, quæ petuntur. Sic Azor loco citato; ibi: Eodem modo, si accepit centum, & soluit quinquaginta, & repetuntur ab eo centum; potest iurare, se non accepisse mutuo centum, quia quinquaginta iam soluit, ac reddidit. Sic ille. Et Naldus *in sum.v. interrogatus, numero* 1. & 2. Quem citat, & sequitur Diana *loco nuper citato.* Sic etiam Trullench *num.*10.*citato.*

QVÆSTIO XX.

An, rogatus à iudice an debeat centum, cum tamen solùm debeat quinquaginta; vel de fundo, an sit suus, cum tamen sola pars sit sua; possit absolutè negare centum debere; & etiam negare fundum esse suum?

NEgant aliqui Doctores docentes, minimè posse negare totum quod petitur, sed partem confiteri debere, & partem negare. Quia qui negat totum, negat quamlibet eius partem: ergo periurus erit si iureiurando totam summam neget, &c. Ita Bartol. *in l.*1.§. *si stipulanti. ff. de verb. obligat. & in l. is qui ducenta.* §. *vtrum. ff. de rebus dubiis.* Alexan. Aretinus, Vincentius, Iason, Abbas, Felinus, & Alciatus, quos pro hac parte refert Couarru. *lib.*1. *variar. cap.*2. (non 4. vt legi apud Sanchez) & alij. Quod nouissimè sequitur Acacius March. *v. iuramento, resol.*166. *numero* 3.

Sed probabiliùs Respondeo, posse sine periurio, & mendacio, absolutè negare cum iuramento, se debere centum, aut fundum esse suum. Quia certè verum iurat; cùm falsum sit oppositum, nempe quod centum debeat, aut fundus sit suus: ergo. Sic tenent Couarru. loco citato, qui latè id probat, & refert pro se Speculat. Baldum, Decium, & alios. Sic etiam Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 6. *num.* 33. Azor *lib.* 11. *cap.* 8. *q. vltima.* Gutierrez *lib.* 1. *pract.q.*61. *numero* 2. Bonac. *disp.*4. *q.*1. *punct.*12. *vers. decimò.* Trullench *loco cit. numero* 19. *fine.* Palaus *disp.*1. *de iuram. pun.*7. *vers. septimò*, vbi ita ait: septimo è contra, debitor à quo debitum expostulatur virtute alicuius instrumenti maiorem quantitatem continentis, quàm ipse debeat, poterit absolutè negare, se illud debere. Imo & negare illam partem debiti, si ex confessionis partis probabiliter timet obligandũ esse soluere, quod nõ debet: quia ad vtendum æquiuocatione habet legitimam causam. Cauere tamen debet, ne præiudicium creditor sequatur in parte debita, eaque de causa, tenetur partem illam soluere; & etiam expensas, si quas fecit in illius recuperatione ob morosam solutionem. Sic Palaus. De cuius aduertentia tractat Couarru. *loco cit. numero* 5. versu *secundò asseram*, & Sanchez *loco cit.* cum Gutierrez *n.*2. Candidus *disquis.*26.*art.*3.*dubit.*20.

QVÆSTIO XXI.

An Creditor, qui virtute instrumenti publici exigit debitum, cuius pars est soluta, possit iurare totam illam summam sibi deberi, si alio titulo tantum sibi debeatur, & alia via illud recuperare non possit?

REspondeo posse ita iurare. Imò quod pars illius debiti non sit illi soluta, intelligendo, *vt non sit tantumdem debitum.* Ratio est. Quia, cum re vera, tota illa quantitas, quam exigit, debita illi verè sit, nec iuret sibi deberi virtute illius instrumenti, verè iurat: Sic Sanchez *cap 6.cit. num. 36.* & Palaus *vers. sextò creditor.* Qui bene id limitant, nisi hoc iuramentum cederet in præiudicium alterius creditoris, qui haberet ius anterius debito illo, non contento in instrumento, cui debitor satisfacere non potest, nisi sibi totum debitum soluat. Tunc enim, ob præiudicium alterius creditoris iurare non potest totam illam quantitatem sibi deberi; aut partem illius debitam non esse solutam. Sic etiam Bonac. *disp.4.q.1.pun.12.n.4. vers.octauò.* Trullench *lib.2.cap.1.dub.15. num.10.* qui & citat Dianam *resol.30 cit. vers.secundo.* Sed non ita bene, quia ibi Diana de alio casu agit, licèt non valde dissimili. Candid *disquis.26.art.3.dubit.16.*

QVÆSTIO XXII.

An, is qui mutuare non tenetur, possit iureiurando respondere petenti pecuniam, aut librum mutuum, se illum, non habere; intelligendo intra se, in alio loco ab eo in quo illa habet; vel, vt mutuò det, &c.?

NEgant quidam, non posse tunc æquiuocè respondere, iurando se illud, quod mutuum petitur, non habere; eoquod, vbi cessat coactio iniusta, vti debet verbis eo sensu, quo communiter accipiuntur; & iurare debet ad mentem rogantis. Ita Ludou. Lopez *1.p.instructorij, cap.42.col.7.vers. Item qui non tenetur.* Vbi pro se citat Siluestrum, sed male, vt infra. Citat etiam pro hac parte Sanchez, Cordubam *de secreto, mem.3.q.3.* & Henricum Henriquez *lib.6. de pœnit.cap.19. num.8.lit. R. in fine.* Sed tu, loco Corduba, lege Sotum, & loco *R.* pone, *K.* vbi id docet Henriquez, dicens id certò esse tenendum in praxi.

Sed probabiliùs Respondeo prædictum posse affirmare cum iuramento, absque periurio, & mendacio, se illud quod mutuum ab eo petitur, non habere, intelligendo intra se, *vt mutuo det*, &c. Quia sic iurans in suo sensu verum dicit, cùm sensus sit non habeo, vt tibi mutuare velim, vel non habeo in hoc loco, &c. Verum est quod aliàs peccabit venialiter in ea iuramenti æquiuocatione, si nulla non mutuandi causa sit, iuxta dicta supra *q.12.* minimè verò, si adesset iusta non mutuandi causa, vt si iurans illis pecuniis eget, aut timet, vt accipiens sit tardus, & difficilis in soluendo, aut quod passurus sit aliquod incommodum, &c. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 6. num.43.* & apud ipsum Nauarr. *in Summa cap. 12. n. 18.* Rodrig. *tom.1.sum. cap. 191.num. 4.* Philiarcus *de offic.sacerd.tom.1.par.2.lib.3. cap. 14.* & Sayrus *lib.5.cap. 4.n.26.* Quibus addi possunt Salon *2.2.q.69.art.2.controu.11.* Claudius Millhardus *in sum. Parochorum, tom.2.cap.80.num.2.* Diana *part.3.tract.6.resol.30.vers.tertiò.* Bonac. *disp.4.q.1. pun.12.n.3.* Palaus *disp.1.pun.7.vers. Decimoquintò.* Candidus *disquis. 26. art. 3. dubit. 12.* Trullench *lib.2.cap.1.dub.15. num. 12.*

QVÆSTIO XXIII.

An item possit vti eadem æquiuocatione; si mutuum, quod petitur, sit aliquo modo debitum petenti?

NEgant & à fortiori, Authores nuper pro prima sententia adducti, nec non & Sayrus, Toletus & alij, apud ipsum. Quia, inquiunt, tenetur sub mortali respondere secundum intentionem petentis.

Sed probabiliùs & clariùs, Respondeo posse, sine periurio, & mendacio, vti dicta æquiuocatione, eo quòd cum illa verum dicat, & iuret, secundum id, quod mente concepit: licèt alias posset grauiter, vel leuiter peccare, non mutuando, attenta necessitate petentis. Legantur Sanchez, Bonac. & Candidus *locis citatis.*

QVÆSTIO XXIV.

An scholasticus rogatus à iudice, an fuerit locutus cum aliquo ex Oppositoribus ad cathedram, vel illius domum ingressus; possit respondere quod non, si verba, & ingressus, non fuerint subornationis causa?

REspondeo posse: Quia hæc debet esse mens iudicis interrogantis. Sic Nauar. *cap.12.n.19.* ibi: Eadem est ratio de Scholasticis Vniuersitatum, qui cathedrarum Candidatos, siue oppositores (vt vocant) extra scholas alloquuntur de illis rebus, quæ ad subornandum minimè faciunt: quod tamen, si postea, cum suffragaturi sunt, confiterentur, exinde redderentur inhabiles ad suum suffragium conferendum, & ea de causa, iurati respondent, se nulli Candidatorum quidquam fuisse loquutos; intra se, intelligentes, nihil egisse de illis rebus, quæ contra statutorum mentem fuisse videbantur. Sic ille. Et Sanchez vbi supra *num.34.* Sayrus *n.24.* Suarez *lib.3.cap.9.num.7.* Palaus *loc.cit. vers. vndecimò.* & alij contra Loduicum Lopez, contrarium sentientem *1.p.c.42.col.7.vers. Qui tempore pestis.*

QVÆSTIO XXV.

An adultera interrogata à marito, an adulterium commiserit; possit iurare, se non fregisse matrimonium; aut iurare, se non commisisse adulterium, subintelligendo intra se, vt tibi reuelem?

REspondeo posse. Quia rationabilem causam habet cum hac æquiuocatione respondendi, ad euitandum graue, & maximum damnum. Sic Angel. *iuramentum* 4. *in princip.* Siluest. *iuramentum* 3. *q.* 2. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 18. *vers. Decimonono, in fine.* Philiarcus, Toletus, & Lopez, quos sequitur Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 24. *vers. tertiò vxor.* Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 6 *num.* 41. (non 91. vt leges in Bonacina.) Sotus, *de secreto, mem.* 3. *q.* 3. *con.* 7. Aragon 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *fine.* Bonac. *disp.* 4. *q.* 1. *pun.* 12. *vers. sextò* Palaus, vbi supra *vers. Decimotertiò.* Candid. *disquis.* 26. *art.* 3. *dubit.* 11. Diana *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 30. *vers. vndecimò.*

Sed dubitabis *primò*; an etiam possit illa iurare, se non commisisse adulterium, concipiendo intra se, aliam diem ab ea, in qua id commisit?

Negat Sotus *q.* 3. *cit. post concl.* 5. *vers. sed ais fortè, & lib.* 5. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *in fine corporis,* apud Sanchez.

Sed omninò Respondeo etiam posse: ob rationem nuper dictam, quæ etiam pro hoc casu militat. Sic Nauarr. *in cap. Humanæ aures* 22. *q.* 5. *in q.* 1. *n.* 9. Sanchez Sayrus, Candid. & alij, vbi supra.

Secundò dubitabis, an item possit absolutè adultera iurare, se non commisisse adulterium, si illud iam confessa fuerit?

Affirmat adhuc Sayrus *n.* 24. *citato. vers. tertiò.* docens, posse id iurare: Quia tale peccatum iam est deletum per pœnitentiam, & confessionem: & ideo potest iurare se non habere peccatum adulterij.

Sed probabiliùs Respondeo, non posse iurare se adulterij crimine carere, eo quod illud cõfessa fuerit. Quia veniam de adulterio concessam esse à Deo ignorat. Nescit enim homo vtrum odio vel amore dignus sit. Sic *ex cap. accepimus, de purgat. canon.* §. *porrò cum ab eis,* docet Siluest. *iuramentum* 2. *q.* 8. & penes illum, Veruec. Hostiens. & Bart. Nauarrus etiam *in sum. cap.* 12. *n.* 18. *vers. Decimonono.* Sanchez, & Candidus *locis citatis.*

QVÆSTIO XXVI.

An, coactus iurare accipere aliquam in sponsam, quam ducere non tenetur; possit iurare se illam ducturum, subintelligendo, si debuero, aut obligationem habuero?

REspondeo posse. Quia iustissimã causam habet vtendi æquiuocatione. Et idem est dicendum de vxore, quæ cogitur cum marito cohabitare, cuius cohabitatio sibi interdicta est, vel potest illam licitè dubitare, eo quod conscia sit adulterij viri, tunc enim potest iurare se cohabitaturã, subintelligendo intra se, *si ad id teneor.* Sic Sanchez *cap.* 6. *cit. num.* 39. & 40. Nauarr. *capite* 12. *numero* 9. Siluest. *iuramentum* 3. *q.* 2. Azor *lib.* 11. *cap.* 4. *q.* 5. Palaus *disp.* 1. *de iuram. pun.* 7. *n.* 6. *vers. decimoquartò.* Item idem dicendum est in casu, quo fœmina morti proxima, ac excommunicata, eo quod viro non cohabitet, quem nouit ob impedimentum occultum non esse suum, coactaque iurare vt absoluatur, fore vt adepta sanitate, illi cohabitet; tunc possit id iurare, intelligendo intra se, *si id mihi licet.* Quia non est mens exigentis iuramentum, vt ea peccet. Sic Candidus *disquis.* 26. *art.* 3. *dubit.* 13. omnino ex Sanchez (quem non citat) *n.* 40. *citato.*

QVÆSTIO XXVII.

An mercatores, qui non possunt iustum pretium ab emptoribus obtinere; possint cum æquiuocatione iurare, tanti, vel tanti sibi mercem stare, cum de facto non stet?

NEgat cum aliis Sayrus *lib.* 5. *clauis reg. cap.* 4. *n.* 21. his verbis: quicumque non petitus, se ipsum vltrò offert ad iurandum, iurare tenetur secundum intentionem eius, cui iurat, & oppositum iurare, est mortale peccatum. Sic Siluester, Cosmus Philiarcus, & Toletus. Ratio est: quia cum in hoc casu nulla sit ratio, ob quam iuret, non debet iurare, aut si iurat, sine fraude iurare tenetur, cùm iuramentum fiat ad confirmationem veritatis. Vnde negotiatores, qui, vt res suas vendant, iurare solent, se tanti emisse rem illam, quam vendunt, & tamen non est ita, nam minoris emerunt, quamuis intelligant, se rem illam tanti emisse simul cùm aliis rebus, peccant mortaliter, & periuri sunt: quia spontè iurant, vsi tamen verbis secundum communem sensum, & modum intelligendi, provt intelliguntur ab emptoribus, qui intelligunt ea verba de pretio solum illius rei. Huc vsque Sayrus. Vt videas quàm malè citetur à Bonacina, pro opposita parte; tenet etiam hanc sententiam Fagundez *lib.* 2. *Decal. cap.* 11. *fine.*

Sed probabiliùs Respondeo: Posse licitè cum æquiuocatione iurare, casu quo non possint, nisi iurent, iustum pretium ab emporibus obtinere: tunc enim possunt iurare tanti vel tanti sibi stare, subintelligendo, *cum alia merce, quam habent domi,* vel, *alibi emerant:* vel, *computatis omnibus expensis,* &c. Secus dicendum; si tali iuramento afferrent notabile damnum parti, aut vellent obtinere aliquid supra iustum pretium. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dubit.* 9. *num.* 47. Rebellus *lib.* 9. *q.* 7. *n.* 8. quos citat, & sequitur Bonac. *disp.* 4. *de iuram. q.* 2. *pun.* 12. *n.* 8. & *disp.* 3. *de contract. q.* 2. *pun.* 4. *n.* 31. Palaus *disp.* 1. *de iuram. pun.* 7. *vers. decimosexto.* Candidus *disquis.* 26. *art.* 3. *dubit.* 14. Villalob. 2. *p. tract.* 36. *diff.* 6. *num.* 5. Et hanc sententiam vt probabilem, admittit Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 13.

QVÆSTIO XXVIII.

An similter emptores possint cum æquiuocatione iurare; mercem aliàs minoris emisse, vt sic venditores descendant ad iustum pretium?

NEgabunt consequenter Authores primæ sententiæ quæstionis antecedentis.

Sed ego, etiam consequenter, Respondeo probabilius: Posse similiter. Quia vtrorumque eadem est ratio. Sic Candidus *loco citato*, his verbis: Idem dicendum de emptoribus, qui ne cogantur emere mercimonia à mercatoribus, supra iustum pretium, affirmant sub iuramento, res aliàs minoris emisse; vel sibi offerri minori pretio, vt venditores descendant ad iustum, vel infimum pretium, intra iustum tamen, mente concipiendo res minoris emisse, vel sibi oblatas minori pretio, quas alio tempore emerunt: tunc hi non sunt periuri: quia iurant verum, quod, iuxta suam mentem, conceperunt: nec peccant moraliter (*imo iuxta nostram sententiam, nec venialiter*) quia habent iustam causam vtendi verbis amphibologicis, & iurandi alio sensu, quàm venditores intelligant. Sic Candidus, & Palaus *loco cit.* cum Bonac. & Rebello.

QVÆSTIO XXIX.

An, rogatus à iudice de furto, quod in recompensationem accepit; possit iurare; se illud non accepisse, subintelligendo, ita vt restituere debeam?

REspondeo posse. Quia iustam causam habet iurandi cum dicta æquiuocatione, cum verum sit nil debere. Idem dicendum est, de illo, qui numos mutuò accepit, quos postea soluit, si ab eo iterum postulentur in iudicio, in quo probare non potest, se illos soluisse, interrogatus à iudice potest absolutè negare, se illos mutuò accepisse; subintelligens, vel *non iterum accepisse postquam illos soluit*; vel *non ita accepisse, vt illos debeat*; vel *non ita vt aperire teneatur*. Sic Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 9. n. 9.* Sanchez *cap. 6. cit. n. 32.* Palaus *disp. 1. de iuram. pun. 7. n. 5. vers. tertiò rogatus.*

QVÆSTIO XXX.

An item Rogatus de delicto, quod saltem ex opinione probabili non tenetur manifestare; possit iureiurando negare illud feciisse; subintelligendo, in carcere, *vel,* ad dicendum, *&c.?*

REspondeo posse ita illud negare. Vnde reus, aut testis, qui interrogatus de crimine à non suo iudice, seu interrogatus à suo iudice, sed non iuridicè, potest licitè iurare, se non fecisse, vidisse, aut audisse, subintelligendo, *tali die, hora tali*, vel, *anno*, vel, *vt tibi dicam*: & idem dicendum in casu, quo alicui graue nocumentum ex manifestatione proueniat. Sic Nauarr. *in cap. Humana aures 22. q. 5. in q. 1. n. 9.* Sayrus in *Clani Reg. lib. 4. cap. 5. num. 24.* (non 4. vt leges in Palao) *& lib. 12. cap. 17. n. 29.* Sanchez *lib. 3. cap. 6. num. 23. 24. & 25.* Bonac. *disp. 4. q. 1. pun. 12. n. 4.* Palaus *disp. 1. de iuram. pun. 7. n. 5.* Qui addit, idem dicendum, quando quis rogatus de complice, quem ex aliqua causa ex prædictis, manifestare probabiliter non tenetur, quod scilicet, possit eodem modo negare esse complicem, sub æquiuocatione dicta. Sic etiam Malletus *tom. 2. Malleatione 3. Bractea 13.*

QVÆSTIO XXXI.

An casu, quo reus, aut testis detexerit socios iniquè, cum non deberet teneatur dicere se mentitum, vel iuramento amphibologico, se retractare, si speret damnum factum sic reparaturum?

REspondeo *primò* vt mihi certum: posse id facere. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 6. num. 28.* Sic dicens. Quando reus iniustè occultos socios detexit; aut testis iniustè crimen rei occultum, coram iudice prodidit, si non sit aliunde informatio ad procedendum contra eos socios, aut illum reum; possunt reus, & testis ille se offerre coram iudice, & iurare illos non fecisse id delictum, intelligendo, ita vt id delictum subsit illi iudicio: & falsum dixisse, intelligendo, quatenus falsum fuit, id delictum eos fecisse publicè, ita vt subesset illi iudicio. Sic Sanchez. Qui & addit id posse, quamuis bona fide, socios detexerint. Sic & apud ipsum sentiunt Sayrus, Henriquez, Bannez, Salon, Metina, Lessius & alij.

Respondeo *secundò*. Non solùm possunt, sed & tenentur, vel ex iustitia, si malitiosè, contra ordinem iuris detexerint socios; vel ex charitate, si ignoranter, & absque culpa id fecerint; vti æquiuocatione dicta, & se ad id offerre, si possint absque maiori notabiliter detrimento suo, & spes sit, fore vt retractatio prosit. Quia verè tenentur reparare damnum proximi, modo, qui illis licitus sit, & non incommodus. Sic Sanchez *loco cit.* cum aliis, & Palaus *pun. 7. cit. num. 5.*

QVÆSTIO XXXII.

An, pœnitens temerè interrogatus, an hoc, vel illud peccatum confessus sit; possit iurare, se non confessum; intelligendo, ita vt teneatur illi explicare?

NEgat Sotus *in 4. d. 13. q. 4. art. 5. in solut. ad 4. vers. Atque consideratè.* Dicens, posse dictum pœnitentem dicere, se non dixisse: at non posse dicere, *se non confessum esse*, aut, *non dixisse in confessione*. Et id esse probabile in consimili casu, innuit Medina *in sum. lib. 2. cap. 4. fol. mihi 233. pag. 2. vers. El quarto caso*, vt notat Henriquez *vbi infra.*

Sed, vt mihi certum Respondeo posse dictum pœnitentem iurare, se non confessum esse tale peccatum,

ntelligendo, *ita, vt teneatur illi explicare.* Sic Henriquez *lib.6.cap.17.n.7.* ibi: Similiter: si pœnitens sub iuramento vrgeatur, an confessus fuerit tale peccatum, potest negare. Quia non dixit Sacerdoti, vt homini, sed vt Deo, idest, vt ministro Dei, & in foro Dei. Sic Christus, qui etiam vt homo, omnia futura nouerat, verum dixit Apostolis *Marc.* 13. quod de die iudicij nemo scit, nec filius hominis, nempe ad reuelandum, &c. Sic ille. Valentia etiam *tom.* 4. *disp.7.q.* 13. *pun. vlt. col.* 2. Sanchez *lib.3.cap.6.n.*44. Diana *par.3.tract.6.resol.* 30. *vers. Decimò.* Trullench *lib.2.Decal.cap.1. dub.15.nu. 9. fine*, & alij, qui, & à fortiori, id docent de confessario interrogato ab iniquo iudice sub iuramento an tale peccatum in confessione audierit; potest enim iurare se illud non scire, vidisse, vel audisse, etiam in confessione. Legatur Henriquez *loco citato.* Qui dicit hanc esse communem, & veram sententiam.

QVSÆTIO XXXIII.

An, rogatus de transitu delinquentis; possit negare transisse hac; subintelligendo, per locum, quem pede vel manu tangit, &c.?

NEgat Sotus *de secreto, mem.3.q.3. post 5. concl. vers. sed ais fortè.*

Sed vt mihi certum Respondeo, posse intercedente causa iusta. Quia id fecit S. Franciscus, qui à iudicis ministris rogatus, an illac quidam reus transisset, manus in vestis manicas introducens, dixit sic: *Non transiit hàc:* intelligens de loco, in quo manus habeat. Quia aderat iusta cuitandæ veritatis causa. Sic tenet referentes D. Francisci factum Angel. de Perusio, & Ioan. de Anania, quos referunt Nauarr. *in cap. Humanæ aures 22.q.5.in q.2.n.* 10. & 11. & *in sum. cap.* 12.*n.*8. Suarez *lib.3.de iuram. cap.9.n.7.* & 8. Salon. 2. 2. *q.* 69. *art.2.controu.*11. Sanchez *lib.3.cap.* 6. *num.*42.

QVÆSTIO XXXIV.

An Religiosus, cuius professio est re vera inualida, nec ab ipso ratificata, si intra quinquennium non reclamauit; possit, elapso quinquennio, iurare, se non reclamasse ob ignorantiam?

REspondeo posse, iurare se non habuisse scientiam inualiditatis, subintelligendo, qua ratam habuerit professionem. Sic Diana 3. *p. tr. 6. resol.*30. his verbis: Decimo sexto, qui intra quinquenium non reclamauit, & sciebat suam professionem esse inualidam, nec vnquam illam ratificauit, & sciebat etiam, elapso quinquennio, se non posse amplius reclamare: si velit postea reclamare in iudicio, petens restitutionem in integrum, affirmans, se non reclamasse ob ignorantiam, si iudex eum de hoc interroget, potest sine peccato iurare, se non habuisse scientiam quod potuisset reclamare, vtendo verbis æquiuocis, seu amphibologicis; nam talis professus, non, est verè professus quia professionem inualidam nunquam fecit validam ob ratificationem. Quare potest dicere, se non habuisse scientiam subintelligendo in mente sua, qua ratã habuerit professionẽ: cum Concilium Trident. præsumat huiusmodi professum ratificasse professionem inualidam, si intra quinquenium non reclamauit. Sic Diana ex Sanctarello *par.1.Var.Resol.*48.*n.* 15. & 16. Trullench. *lib.2.Decalogi, cap.1.dub.15.numero* 14. *fine.*

QVÆSTIO XXXV.

An, qui occidit aliquem, ob sui defensionem, possit cum restrictione mentali, iurare se non occidisse?

REspondeo posse. Sic optimè Lessius *lib.* 31. *dubit.* 3. *n.* 14 his verbis: Si iudex quærat de facto, quod absque culpa, saltem lethali, patratum est, testem, & reum non teneri respondere ad mentem iudicis. V.g. occidisti Petrum te inuadentẽ, cum iusto moderamine, vel absque notabili excessu; non teneris fateri te occidisse, etiamsi de te sparsa sit infamia: nec testis tenetur illud testari: quia iudex quærit de occisione criminosa: & si fateris, nec posses probare te causa necessariæ defensionis fecisse, condemnaret te homicidij ex falsa præsumptione. Pari modo, si tu non es author criminis, non teneris fateri aliquas circunstantias, ex quibus oritur vehemens suspicio, te esse auctorem; v. g. hunc esse tuum pugionem, te eo loco fuisse, &c. Quia ipsius interrogatio, etsi iuridica sit, tamen ex falsa præsumptione procedit, vt docet Salon *quæst.*69.*ar.*2. & Sotus *de secreto, mem.*2.*q.*7. *dub.*2. In his igitur euẽtibus, negare potest, quod sibi detrimentum foret, adhibita conuenienti restrictione mentali (nempe de facto criminoso) Sic ille. Et Sanchez *lib.3.cap.6.nu.29:* & 30. Bannez 2.2.*q.*69. *art.2.dub.penult.* Sayrus *lib.*12.*cap.*17. *n.*26. Diana *Resol. 30.cit.* vers. *Quartodecimò*, & vers. *Quintòdecimò.* Trullench *loc cit. num.*8.

QVÆSTIO XXXVI.

An quando quis pluris taxâ, probabiliter iniustâ, aliquid vendidit; possit rogatus à iudice, negare pluris taxâ vendidisse?

REspondeo, posse, vt docet Sanchez citatus, ita scribens: Quando taxa alicuius rei est iniusta, si pluris vendens, aut defraudans in pondere & mensura, ita vt sibi satisfaciat pro pretij iniustitia, & reddat correspondentes merces pretio dato; potest hic rogatus à Iudice, an pluris vendiderit; vel defecerit in pondere, aut mensura, id negare, asserereque, se pretio taxato vendidisse, & integrè pondus, & mensuram tradidisse, intelligendo hæc, itavt pluris vendens, aut deficiens in pondere, & mensura deliquerit. Quippe absque delicto vtrumque fecit. Atque ita verè dicit, se integre tradidisse, nempe, quatenus tenebatur eo pretio accepto, nec excessisse delinquendo. Atque ad hoc satis est, opinionem esse probabilem, eam taxam non obligare. Hæc omnia Doctus Sanchez.

QVÆSTIO XXXVII.

An, etiam, æquiuocè, aut cum restrictione mentali, iurare possit (si adsit iusta causa) ille, qui interrogatur, vt respondeat, excludendo omnem æquiuocationem, &c.

REspondeo, posse. Quia qui iniustè, aut iniquè interrogatur, non tenetur ad formalem mentem interrogantis respondere; sed ad debitam, iuxta quam interrogatus, vtendo mentali restrictione respondet. Vnde si iniquus Iudex exigat à reo iuramentum dicendi veritatem sincerè, & absque vlla æquiuocatione, seu restrictione mentali; adhuc poterit iurare, quoties licitum est vti aliqua æquiuocatione ad se defendendum amphilogico iuramento, & restrictione mentali, hoc est, subintelligendo, iuraturum quidem absque æquiuocatione iniusta. Deinde si confessor iniqua interrogatione vrgeatur, an aliquid sciat in confessione, etiam vt Deus: potest adhuc iurare, nec hoc modo scire, intelligendo, *ita vt teneatur dicere.* Et hoc est licitum etiam casu, quo iniquus interrogator reduplicet vt iuret se nulla æquiuocatione vti, & absque omni prorsus æquiuocatione id intelligere, adhuc, inquam, iurare potest, intelligendo, *ita vt planè debeat loqui, vel explicari, vt de æquiuocatione iniusta*, &c. Sic Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 6. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 13. *pun. vltimo.* Nauarr. Sotus, & alij, quos sequitur Sanchez *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 45. Bonac. *disp.* 4. *q.* 1. *pun.* 12. *n.* 4. *vers. septimo.* Palaus *disp.* 1. *de iuram. pun.* 7. *n.* 5. *vers. denique.* Diana *resol.* 30. *cit. vers. Sextò.* Trullench. *dub.* 15. *cit. num.* 9. Lege me ipsum 1. *p. tract.* 5. *de pœnit. disp.* 10. *de sigillo confessionis, q.* 85. Vbi alios multos inuenies Authores citatos.

QVÆSTIO XXXVIII.

An, vtens quacumque ex dictis amphibologiis, debeat cognoscere in particulari modum, quo debeat veritatem tegere, & occultare, sine mendacio?

REspondeo non debere: sed sat illi esse scire in genere, se posse, absque mendacio, veritatem tegere. Quocirca sufficiet, ad excusandum periurium, iurare eo sensu, quem vir doctus verum reperiet. Sic Suarez *lib.* 3. *de iuram. cap.* 10. *num.* 4. ibi: Quod si quis fortè rudis sit, & nesciat in particulari amphibologiam concipere, consilium erit, vt intendat negare vel affirmare in sensu, qui veritatem in re ipsa contineat. Sic ille & ex illo Sanchez *num.* 46. & Palaus *num.* 6.

DISPVTAT. XLVI.

De voto, aut iuramento promissorio emisso vi metus intrinseci, vel à causa intrinseca illati.

QVÆSTIO PRIMA.

An votum, seu iuramentum emissum tempore infirmitatis, de ingredienda Religione aut seruanda castitate, si pristina recuperetur salus, sit validum, & obliget in conscientia.

NEgandum videtur. Quia metus inuoluit violentiam: Ergo votum seu iuramentum ex metu infirmitatis factum, nequit esse validum.

Sed vt certum Respondeo tale votum, seu iuramentum esse validum, & obligare in conscientia, apposita conditione. Probatur *primò* ex cap. *sicut nobis, de regular.* Vbi Clericus quidam, qui timore mortis Religionem vouerat, votum adimplere compellitur. *Secundò* quia metus ab intrinseco incussus non tollit inuluntarium: ergo. *Tertiò* quia votum, aut iuramentum emissum à metu ab extrinseco illato, est validum, & obligatorium, vt supra *disput.* 10. *quæst.* 2. cum communi diximus: ergo à fortiori, emissum vi metus intrinseci. Sic tenet communis Theologorum, & Canonistarum sententia, vt ait Sayrus in *clani Regia lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 15. *vers. Secundò.* Marcus Vital. *tract. de voto, inquisit.* 3. *num.* 14. & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

An saltem tale votum, seu iuramentum, sit validum si emittatur in grauissimi morbi æstu?

AFfirmandum videtur ex *cap.* 1. *de voto*, vbi habetur, quod omne votum metu emissum, est ipso iure nullum: ergo.

Sed vt certum Respondeo etiam esse validum & obligatorium tale votum ac iuramentum. Ratio est. Tum, quia adhuc in magni morbi æstu, est infirmus sanæ mentis (vt supponimus) aduertit, & habet deliberationem sufficientem ad peccatum mortale: ergo etiam ad votum, & iuramentum emittendum: nam si habet libertatem ad se ligandum cum dœmone; etiam habebit illam ad se ligandum cum Deo. Tum etiam quia infirmus in illo morbi æstu potest mereri suscipere sacramenta, promittere, testari, & alios contractus ciuiles validè contrahere, vt fatentur omnes DD. ergo etiam potest validè vouere, & iurare. Sic Marcus Vitalis supra *dicto* 2. *num.* 24. Sayrus *loco citato.* Silvest. *v. votum* 2. *q.* 13. Nauarrus *cap.* 12. *n.* 24. & 26. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 3. *num.* 4. dicens id esse apud omnes certissimum. Suarez *lib.* 1. *de voto, cap.* 7. *num.* 2. dicens id esse certum. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 1. *q.* 3. *num.* 10.

Nec obstat textus pro contrario adductus. Nam intelligitur de voto emisso à metu ab extrinseco excusso à causa libera; non autem de metu ab intrinseo. Legantur dicta à nobis *disp.* 10. *quæst.* 2. *& sequent.*

QVÆSTIO III.

An item sit validum iuramentum, aut votum ingrediendæ Religionis, factum ex quocumque metu, etiam grauissimo, proueniente à causis aliis naturalibus; vt à naufragij, pestis, &c. periculo?

REspondeo vt certum etiam esse validum, & obligatorium. Constat ex dictis. Quia metus non tollit libertatem simpliciter, nec voluntatem: ergo non obstante metu, homo per talem voluntatem obligatur Deo. Sic cum communi latè Suarez *loco cit. n.* 3. Sotus *in* 4. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 3. & alij nuper citati; & March. *tom.* 2. *sum. v. voto, resol.* 445. *n.* 4. ita dicens: *Digo con el comun sentir de los Doctores que el voto echo con medio occasionado por causa intrinseca, por graue que sea, no es irrito, como consta de vn cap. del derecho, sicut, de regular. en el qual Innoc. III. declara que el temor de vna enfermedad es valido. Y es la raçon porque en tal caso el que haze el voto no es compellido de nadie, si no es de su propria voluntad, que para escapar del peligro, elige esse medio de hazer voto para obligar à Dios, à que vse de misericordia con el.* Sic March.

QVÆSTIO IV.

An, votum aut iuramentum, Religionis, aut castitatis, factum in graui infirmitate, possit dispensari ab Episcopo, aut à Regularibus priueligiatis, existente iusta causa?

NEgant aliqui DD. & vidimus supra. Et si probabiliter, probabiliusverò resp. cum communi: Posse. Quia huiusmodi votũ, seu iuramentum non est absolutum, sed conditionatum: sed sic est, quod Episcopus (& Regularis priuilegiatus) potest dispensare in religonis, & castitatis voto, & iuramento, quando fuit conditionale: ergo. Minor probatur. Quia Papæ tantum reseruantur hæc vota, quando sunt simpliciter absoluta, nempe emissa ex effectu rei, quæ vouetur, sine vlla conditione, aut pœna. Sic ex communi Doctorum tenet Marcus Vital. *in opere morali, tract. de voto, inquis.* 3. *num.* 84. & 89. & nos supra *disp.* 17. *q.* 105. contra nonnullos.

TRACTATVS

TRACTATVS SECVNDVS

DE VOTO.

DISPVTATIO I.

De essentia, & obligatione voti.

QVÆSTIO PRIMA.

An hoc nomen, votum, non solùm pro promissione; verum etiam pro desiderio accipiatur?

RESPONDEO vt certum: Pro vtroque accipi. *Primò* namque accipitur, pro promissione Deo facta & inducente obligationem. Constat ex *Deuteron.* 23. ibi: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Consonat illud *Eccles.* 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.*

Secundò accipitur pro voluntate, aut desiderio alicuius boni honesti obtinendi. Constat ex illo *Prouer.* 31. *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum*, id est, desideriorum meorum. Consonat etiam id quod in Canone Missæ de circunstantibus dicitur: *Tibique reddunt vota sua*, idest, pia desideria, & deuota sacrificia, vt explicat Durandus *lib.* 2. *Rational. cap.* 34. Igitur de voto in prima acceptione accepto, quæ magis propria est, & quâ ortum habuit secundasi gnificatio, seu acceptio, agendum nobis impresentiarum est. De illa igitur loquendo sit.

QVÆSTIO II.

An, votum rectè sic definiatur: Est promissio Deo facta de meliori bono?

RESpondeo dicendum, quod sic rectè definiatur à D. Thoma 2.2.*q.* 28.*art.* 1. & 2. communiter ab omnibus recepto. Sed clariùs ab aliis sic definitur: *Est promissio deliberata, & spontanea Deo facta de meliori bono.* Sic Palaus *disput.* 1. *de voto, pun.* 1. *n.* 2. Sed adhuc clariùs, sic votum definit Tamburin. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *n.* 1. *Est promissio facta Deo de re ipsi grata, ad eiusdem Dei cultum.* Omnes hæ definitiones coinciduut, cum illa D. Thomæ, vt illam explicant Azor. *lib.* 11. *cap.* 14. *q.* 10. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *num.* 1. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 6. *de voto, in princip.* Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 1. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *de voto, pun.* 1. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dubit.* 1. Candidus *tom.* 2. *disput.* 25. *de voto, dubit.* 1. Ioan. Martinez de Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *de voto, quæst.* 1. Fagundez *lib.* 2. *Decal. à cap.* 9. Trullench. *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 1. Vidal. *tract. de voto, inquisit.* 1. *n.* 1. Carolus Mallet. *tom.* 2. *Malleatione* 4. *Practica* 1.

QVÆSTIO III.

Quot conditiones ad verum valorem voti desiderentur?

RESpondeo dicendum quod quinque sequentes: *Prima* est deliberatio seu libertas. *Secunda*, propositum, seu voluntas vouendi. *Tertia*, promissio sub obligatione. *Quarta*, vt ea promissio fiat Deo. *Quinta*, vt fiat de meliori bono, hoc est, de re grata Deo. Has quinque conditiones, ad valorem voti requisitas, colligunt ex definitione voti supra adducta, Doctores communiter. Legantur inter alios, Sanchez, Palaus, & Tamburinus locis citatis. Et Viualdus, licèt hic quatuor conditiones desideret, nempe Deliberationem vouendi: Propositum se obligandi: Promissionem factam Deo: Et quod vouetur sit de meliori bono.

QVÆSTIO IV.

An, ad voti valorem, opus sit, vt fiat verbis, aut exterioribus signis?

RESpondeo vt certum, quod non sit opus. Nam hæc est differentia inter promissionem homini factam, & eam, quæ Deo, quæque voti rationem habet; quod illa indiget verbis, aut nutibus, quibus sufficienter explicetur, quia alia ab hominibus acceptari non potest: At promissio Deo facta, hac explicatione non indiget; cùm Deo omnia sint manifesta: ergo. Sic loquendo deiuramento diximus supra *tract.* 1. *disp.* 1. *q.* 6. & 7. Et tenent communiter DD. Legantur S. Thom. 2.2. *q.* 88. *art.* 1. Navarr. *cap.* 12. *n.* 26. Azor *part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 1. *q.* 1. & 7. Sanchez

Sanchez *lib.4. cap.1. n.44.* Palaus *disp. 1. pun. 1. n.3.* Malderus 2.2. *q.88. tract. 10. cap. 5.* March. *tom.2. v. voto, resol. 444.*

§. I.

De deliberatione, seu libertate requisita in voto & iuramento.

QVÆSTIO V.

An, ad voti valorem requiratur deliberatio, seu libertas?

REspondeo vt certum: Requiri. *Tum* quia votum, sicuti & iuramentum, est actus virtutis Religionis: Ergo vt vterque sit perfectus, cum libertate debet fieri. *Tum* etiam, quia votum est lex, quam sibi vouens imponit: Ergo non est rationale, eam sibi sine libertate imponere. Sic docent omnes; & constat ex dictis *tract.de iuram. disput. 1.q. 17.* Legatur Suarez *lib. 1. de voto, cap.6. à num.4.*

QVÆSTIO VI.

An, ad voti (seu iuramenti) valorem, exigatur plena deliberatio, & matura discussio omnium circunstantiarum, quæ in re promissa occurrere possunt?

AFfirmant, apud Sanchez, omnes Authores, qui asserunt, contractus calore iracundiæ gestos, ratos non esse, nisi cùm plenum iudicium adest, confirmentur: vt sunt Glossa, Bartol. Decius, Ludou. Roman. & Iason. Necnon & alij, qui tenent iuramentum, & votum calore iracundiæ facta non obligare. Sunt autem hi, Glossa, Hostiens. Anton. Panormit. Roman. Tiraquel & Ricardus, quos refert Sanchez *lib.1. de matrim. disp.8. num.4.*

Sed vt mihi certum Respondeo non exigi ad valorem voti (seu iuramenti) deliberationem, seu discussionem omnium circunstantiarũ, quæ circa votum emittendum occurrere possunt. Quia certè, vt benè Tamburinus, satis pauci essent, qui vera vota conciperent, cum communiter in calore timoris, vel iracundiæ, in eo non rarò, in feruore deuotionis vota emitti soleant: Atqui similia vota, hoc modo facta verè sunt valida, vt supra tract. 1. cum communi diximus: Ergo. Sic Tamburinus *lib.3. Decal. cap.10. n.1. & 2.* Sãchez *lib.1. de matrim. disp.8 n.5. & lib.4. Decal. cap.1. num.2.* Palaus *disput.1. de voto, pun.4. n.2.* Qui id probat ex cap. *Sicut nobis, de Regular.* vbi ad votum obligatur, qui maximè pressus infirmitate, vouit: Sed non est credendum tunc adesse ita perfectam deliberationem, vt omnia rimetur: Ergo. Sic ille. Et Prado *cap.31. de voto, q. 1. §.5. num. 26.* Et alij authores communiter, quos sequitur Ioan. à S. Thoma 2.2. *disp.29. art.3.* vbi docet ad valorem voti etiam Religionis, non esse necessariam pleniſſimam deliberationem.

QVÆSTIO VII.

An, ad valorem voti (seu iuramenti) obligantis sub mortali; sufficiat semiplena libertas, seu deliberatio?

AFfirmandum videtur. Quia hæc semiplena libertas, seu deliberatio, sufficit ad peccandum venialiter: Ergo & validè vouendũ Deo Consequentia videtur clara ex antecedenti, quod docent communiter omnes Theologi.

Sed vt certum Respondeo, quod non sufficiat ad votum, (seu iuramentum) quod grauiter, seu sub mortali obliget. Ratio est: quia per votum imponit sibi homo grauissimam obligationem, quam si postea transgrediatur, peccabit mortaliter: ergo necesse est, vt in assumenda illa obligatione vtatur plena omnino libertate, & tanta, quanta ad mortale peccatum sufficeret. Ex quo constat ad rationem dubitandi. *Nam* licet verum sit, quod semiplena libertas, & deliberatio sufficiat ad culpam venialem; non tamen sufficit ad votum, saltem obligans sub mortali; quia hoc modo graue quid onus, sine plena & matura discussione imponeretur vouenti. Sic vt certum docent Suarez *lib.1. de voto, num.5. & 6.* Sanchez *lib.4. cap.1. n.2.* Lessius *lib.2. cap.40. dubit.1.* Tamburin. *lib.3. cap.10. num.1.* Palaus, *disp.1. de voto, pun.4. n.2.* Ioan. à S. Thoma *loc. cit.* & alij, quos loquendo de essentia iuramenti, citauimus supra *tract.1. disp.1. quæst.17.*

QVÆSTIO VIII.

An saltem, semiplena libertas, seu deliberatio, sit sufficiens ad votum (seu iuramentum) quòd solùm sub veniali obliget?

AFfirmandum videtur. Quia ad violandum votum obligans solum sub veniali, vel ad transgrediendum votum quodcumque leuiter, sufficit semiplena deliberatio, seu aduertentia: ergo eadem sufficiet ad efficiendum votum obligans sub veniali. Ob hanc rationem ita sentit Gutierrez *lib.2. Canon. qq. cap. 22. n.5.8. & 9.* Vbi refert pro se Iosephum Angles, quorum sententiam esse probabilem affirmat Luysius de Torres *de iust. & iure, disp.64. dub.11. num.5.* Et pro illa refert Sanchez, Paludanum *in 4. d.38. q.1. art.1. n.8.* D. Anton. *2.p. tit. 11. cap.2. initio, notab.6.* Et Nauarrum *cap.12. n.24.*

Sed multò probabilius Respondeo: Adhuc non esse sufficientem libertatem ad aliquem valorem voti (seu iuramenti) nec ad aliquam obligationem, adhuc sub veniali. Ratio est. Quia obligatio, sub culpa veniali, etiam est res grauis: Ergo non potest homo sibi imponere sine deliberatione sufficiẽti ad actum simpliciter humanum, & liberum. Item quia lex obligans ad culpam venialem, non potest imponi, sine maturo & deliberato consilio: Ergo nec votum, quod est veluti priuata lex potest aliter obligare. Vel maximè, quod quantitas obligationis pendet ex materia in quam votum, vel lex cadit: & ideo si ex illo actu oriretur obligatio, esset iuxta capacitatem materiæ, præsertim si per directam intentionem non limitaretur ad leuem obligationem. Hæc omnia, vt relata sunt à me (non vt à Prado) dicit & scribit Suar. *loc.cit.n.7.* vbi respondet ad rationem contrariorum dicendo

dicendo non esse eamdem rationem de transgressione veniali voti, & inductione obligationis. Quia licet culpa venialis, propter suam imperfectionem committi possit per illam imperfectam libertatem; obligari ad opus aliàs liberum, subquacumque culpa, etiam veniali, requirit perfectam libertatem: quia illud ipsum est res satis grauis, & maximè moralis, pertinensque ad perfectum vsum liberum actionum humanarum. Sic ille eximius Doctor Suarius. Sic etiam Sotus *de iust. lib. 7. quæst. 1. art. 2.* Aragon 2.2. *quæst.* 88. *art.* 1. Molina, Rodriguez, Petr. Ledesma, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *num.* 8. Palaus *punct.* 4. *num.* 2. Prado *cap.* 31. *de voto, quæst.* 1. §. 5. *n.* 36. Ioan. à S. Thoma *art.* 3. *cit.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO IX.

An, sola libertas, seu deliberatio, quæ ad peccandum mortaliter sufficit; sit sufficiens, & requisita necessariò, ad voti, seu iuramenti, valorem?

NEgandum videtur. Quia cum hac deliberatione requisita ad peccandum mortaliter, compatitur leuis consideratio in vouendo, & consequenter Diuinæ Maiestatis offensio, qualis adest, cùm calore iracundiæ quis votum emittit: ergo dicta deliberatio non semper sufficit ad votum: quia voto colitur Diuiua Maiestas, non offenditur.

Sed vt mihi certum Respondeo solam illam libertatem, seu deliberationem, sufficere, & requiri, quæ ad peccatum mortale requiritur. Quod hoc sufficiat, constat: quia deliberatio illa, quæ in peccando sufficit ad demeritum, sufficit ad voti, seu iuramenti meritum: nam vt rectè glossa in cap. *Mulier* 32. *quæst.* 1. *per tantam deliberationem potest obligari Diabolo*, nempe, per peccatum; *potest etiam obligari Deo*, nempe, *per votum*: ergo. Quod verò dicta deliberatio requiratur, conuincit ratio, quâ *quæst.* 7. probauimus non sufficere semiplenam. Sic Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 8. *num.* 5. *& lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *num.* 2. vbi *num.* 3. notat, quod vt adsit deliberatio hæc ad mortale, & subinde ad votum seu iuramentum requisita, opus est vouentem præmeditari passionem illam ad vouendum impellentem, & finem, quo ducitur, idque conferendo illud, de quo deliberat, cum eius oppositio. Quia aliàs non est simpliciter, & plena libertas. Nec tamen mora temporis ad hoc desideratur, sed momento fieri potest. Nec exigitur, vt deliberatio tempore præcedat, sed solo naturæ ordine votum. Sic ille. Legantur pro nostra sententia Suarez *lib.* 1. *de voto, cap.* 6. *num.* 4. *&* 8. Azor *lib.* 11 *cap.* 12. *quæst.* 3. Molina, Aragon, & Lessius, vbi supra. Layman *lib.* 4. *tract.* 4 *cap.* 1. *num.* 3. Palaus *disput. de voto, punct.* 4. *num.* 2. Tamburinus *lib.* 3. *Decalogi, cap.* 10. *numero* 1. D. Thom. Caietan. & alij, quos citat & sequitur Prado, vbi supra *num.* 26. Luysius *in sum.* 1. *part. cap.* 141. *dub.* 3. Malletus *loco cit. Bract.* 1.

Ad rationem autem dubitandi incontrarium, dicendum est, quod votum factum calore iracundiæ, & absque matura & exacta excussione, sit peccatum veniale, vt supra est habitum; sed non inde sequitur votum non esse; quia solum extrinsecè, & in circunstantia vitiatur, non in substantia. Cum enim in nostro casu ponatur libertas necessaria (vt supponimus) ponitur iam completè votum in substantia, & solum defectus est in circunstantia extrinseca: idest, votum coniungitur cum defectu exactioris discussionis: quare Deus acceptabit substantiam, respuet qualitatem: sicuti acceptat sacrificium, & quodcumque opus in sustantia bonum, respuit (*sic lege, non, respicit,*) culpam venialem, qua quis v. g. per aliquam leuem negligentiam, vel vanam gloriam, illa operatur. Sic omnino Tamburinus.

QVÆSTIO X.

An, ad valorem voti, seu iuramenti, sufficiat deliberatio virtualis, quæ fundatur in actuali, & formali deliberatione præcedente?

NEgat Angles 2. *p. q. de voto, art.* 1. *diff.* 3. *concl.* 1. *& 2. & append.* 2. *necnõ concl.* 4. Quia existimat ad validitatem voti, seu iuramenti, necessario requiri deliberationem actualem. Pro hac sententia refert Raphael de la Torre, Patrem Suarium, vbi infra, sed immerito profectò.

Sed vt certum Respondeo dicendum, quod deliberatio virtualis, quæ fundatur in actu formali præcedenti, verè sufficiat ad valorem voti, vel iuramenti. *Primò.* Quia raræ essent actiones humanæ validæ, si formalis, aut actualis aduertentia, seu deliberatio, essent ad sui valorem requisitæ. *Secundò.* Quia virtualis intentio, seu deliberatio, verè sufficit ad conferenda, vel recipienda sacramenta, iuxta dicta à nobis 1. *p. tract. de Sacram. in genere, disput.* 4. *à quæst.* 14. *& disput.* 5. *à quæst.* 2. ergo & debet sufficere ad votum. Vnde, si quis ad locum Professionis destinatum vadat, ex vero animo emissurus tria vota; & tempore, quo illa emittit, aut ex scripto recitat, omnino caret deliberatione, aut aduertentia actuali, propter distractionem etiam voluntariam, ad alia, non obinde redditur inualida Professio: quia illa formalis voluntas, & intentio vouendi in virtute, & in effectu à se relicto manet; ac proinde reddit votum validum. Sic communiter Doctores omnes. Suarez *lib.* 1. *de voto, cap.* 10. *à num.* 4. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 26. *Caiet. quæst.* 88. *art.* 1. *dub.* 3. Petr. Ledesma, 3. *p. tract.* 10. *cap.* 1. *dub. vltimo, concl.* 1. Ioan. à S. Thoma *disp.* 29. *art.* 3. *not.* 2. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 8. *n.* 21. *& lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *num.* 6. Palaus *disp.* 1. *de voto punct.* 4. *num.* 4. Bonac. *disputat.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 1. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 5. Tamburin. *lib.* 3. *Decal. cap.* 10. §. 2. *num.* 1. Prado *cap.* 31. *de voto, quæst.* 1 §. 6. *num.* 48. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. Filliucius *tract.* 26. *cap.* 2. *num.* 16. sequitur Raphael de la Torre 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. *disputat.* 5.

QVÆSTIO XI.

An item, ſufficiat ad valorem voti, ſeu iuramenti, deliberatio virtualis, quæ non fundatur in actuali præcedente, ſed in conſuetudine, vel malitia, quam quis habet aliquid faciendi?

AFfirmant aliqui ex Authoribus pro noſtra ſententia adducti, præcipuè Caiet. Raphael de la Torre, & Prado, docentes, ad votum & eius valorem, ſat eſſe præcedere ex deliberatione virtuali, nulla precedente actuali, in qua fundetur. Apponunt exemplum in illis, qui ex malitia, conſuetudine, vel negligentia operantur aliquid, ſiue bonum, ſiue malum: actus enim illi dicuntur eſſe deliberati ex deliberatione virtuali, non quia fundentur in deliberatione formali, quæ præceſſit, ſed quia ita procedunt, ac ſi præceſſiſſet. Vnde dicunt, quod illi, qui ex conſuetudine vouent, vel iurant, nulla facta diſcuſſione, an expediat, necne; ſi de facto voueant, vel iurent, manent obligati, quia iſte eſt actus verè, & ſimpliciter humanus.

Sed probabilius multò Reſpondeo: Non ſufficere deliberationem virtualem, quæ non fundatur in actu, qui præceſſit, ſed ſolum eſt virtualis, quia ita imputatur actus, ac ſi præceſſiſſet. Quia multò probabilius eſt, quod tunc non operatur quis humano modo, nec facit actum humanum. Sic Suar. *cap.* 10. *cit. vbi num.* 8. ſic hanc partem probat. Quia ad vouendum, neceſſaria eſt formalis voluntas ſe obligandi voto, quæ in ſe, ac formaliter, libera ſit; & ad illud obiectum in ſe terminetur, cum ſufficienti notitia illius, ſiue hæc voluntas actu duret, quando fit votum, ſiue tantum eius virtus: ergo niſi præceſſerit deliberatio circa talem voluntatem, non poteſt votum eſſe validum, cùm voluntas illa debeat eſſe deliberata. Conſequentia nota eſt, & antecedens patet: quia obligatio voti, non eſt ex his, quæ inuoluntariè oriri ſolent ex actionibus hominis (vt eſt obligatio ſatisfaciendi ex iniuria orta, vel ad pœnam ex culpa) ſed eſt obligatio omnino voluntaria: ergo non contrahitur per moralem imputationem, ſed per directã voluntatem. Hæc omnia, & alia, ſapientiſſimus Doctor. Vt videat Raphael de la Torre ſententiam Suarij. Sic etiam Sanchez, Bonac. Caſtro Palao, Trullench, Layman, & Filliucius locis citatis. Nauarr. etiam, Ludou. Lopez *1. p. inſtructorij. c.* 43. & Aragon 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1. *fol.* 966. apud Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſputat.* 8. *num.* 21. & alij mox citandi.

QVÆSTIO XII.

An, qui præuidet in ſomno, aut ebrietate vota, aut iuramenta emittere, & de hoc non curans inebriatur, aut dormit, & ſic votum, aut iuramentum emittit; validè voueat, & iuret?

AFfirmant aliqui, quos, tacitis nominibus refert Suarez *lib.* 1. *de voto, cap.* 10. *num.* 9. Ratio eorum eſt: quia voluntarium ſufficiens ad peccatum mortale, ſufficit etiam ad votum, ſeu iuramentum: atqui voluntarium in cauſa ſufficit ad peccandum mortaliter: ergo ſufficiet ad votum, & iuramentum. Minor probatur. Quia ſi quis præuideret ſe in ebrietate perpetrare ſolitum eſſe homicidia, & inebriari vellet, verè peccaret, cum virtute eligeret in cauſa homicidia: ergo ſimiliter.

Sed vt certum Reſpondeo: tunc non vouere, aut iurare validè. Quia externa prolatio votorum, ſine aliqua interna promiſſione, quæ eſt, vel fuit, minimè eſt votum: quia ad hoc efficiendum, non eſt ſatis velle proferre verba promiſſionis, ſed neceſſarium eſt velle aliquo modo ſub ratione promiſſionis, vel obligationis. Sic Suarez *num.* 9. *cit.* Qui ad fundamentum contrariorum reſpondet dicendo. *Primò*, quod non ſit certum, ſed dubium inter Theologos, an homicidium in ebrietate commiſſum, etiamſi præuiſum fuerit, dicendum ſit peccatum; vel tantum effectus peccati præteriti, vt multi probabiliter defendunt. *Secundò*, quod indubitatum ſit, in illo actu non eſſe nouam culpam, nec nouum demeritum apud Deum; ſed ad ſummum, eſſe nouum actum externum, qui denominatur peccatum, ab interiori voluntate, & culpa, quæ præceſſit, & cum illa conſtituit vnum peccatum, quod non habet aliam, vel nouam malitiam, præter eam, quæ fuit in voluntate præcedente: ergo ibi non eſt ſufficiens voluntas ad peccandum de nouo: ergo nec ad vouendum. Hæc Suar. illiuſque ſententiam tenent Sanchez *lib.* 4. *cap.* 1. *nu.* 6. & antea *lib.* 1. *de matrim. diſputat.* 8. *num.* 20. & 21. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 26. Bonac. *diſputat.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 5. Palaus *diſputat.* 1. *de voto, punct.* 4. *num.* 4. *verſ. ſed aduerto.* Prado *quæſt.* 1. *citata*, §. 6. *num.* 50. Mallettus, *Malleat.* 4. *Bractea* 1.

QVÆSTIO XIII.

An, ſi quis ante ebrietatem, vel ſomnum, voueat, aut iuret v. g. caſtitatem; ſi ebrius, aut ſomnolentus verba promiſſoria caſtitatis proferat; tunc poſita conditione, tali voto obligetur?

REſpondeo vt certum. Tunc poſita conditione, manere voto obligatum. Quia iam ſupponitur vouentem habuiſſe formalem, & actualem voluntatem ſe obligandi, poſita conditione. Vnde huiuſmodi non emittit votum dum ebrius eſt, cum ſui compos non ſit, ſed ſolum apponit conditionem, vt votum antea quoad ſubſtantiam factum, obliget. Sic Palaus, & Prado locis citatis. Suarez *num.* 10. Qui ſecus dicunt, caſu, quo quis præuidit ſe ſolere in ebrietate vota emittere, non tamen habuit animum ſe obligandi, ſed ſolum promiſſionem aliquam, tacitam vel expreſſam proferendi verba promiſſoria, tempore ebrietatis; tunc enim talis promiſſio, non eſſet valida, aut obligaret: Quia, vt ſupra eſt habitum, ſola prolatio verbi promiſſorij, ſine voluntate vouendi, aut ſe obligandi, non inducit obligationem.

Qua autem ratione, metus obligationem voti aut iuramenti impediat, diximus ſatis ſupra *tract.* 1. *diſput.* 10. *per totam.*

§. II.

De proposito requisito ad votum, & iuramentum.

QVÆSTIO XIV.

Quid sit propositum, & in quo distinguatur à deliberatione?

RESpondeo quod propositum, est voluntas deliberata aliquid faciendi, vt ait Tamburin. *lib.3. cap.11.num.1.* vel est actus voluntatis, quo vouens apud se statuit promittere, vt explicant Azor *tom.1. lib.11.cap.13.quæst.4. fine*, per hæc verba: Quæres quid significetur nomine *Propositi*, & in quo à *Deliberatione* distinguatur? Caietanus *Deliberationem* accipit, actum siue iudicium rationis, quo quis scienter deliberat facere quod promittit. *Propositum* intelligit actum voluntatis, quo sponte statuimus id facere, & exequi quod promittimus, ita vt votum sit promissio Deo facta ex deliberatione, siue iudicio rationis, & proposito voluntatis, quâ iudicamus nos facturos quod promittimus, & decernimus id nos facere. Cæterum Respondeo significari ea voce, voluntatis actum, quo vouens certò, & firmo animo, apud se statuit, promittere, siue vouere. Vnde à deliberatione differt, quoniã qui vouet, primùm decernit vouere, deinde vult vouere, vel promittere. Hæc Azor. Et ex illo Sanchez sic: Distinguitur deliberatio, & propositum, quod illa sit iudicium, seu actus rationis, quo quis deliberat, & decernit; num sibi vouere expediat: hoc autem, est actus voluntatis, quo vouens, apud se statuit promittere, vt ex mente Caietan. 2.2. *quæst.*88. *art.*1. explicat Azor. Hæc Sanchez, sed non benè in illo, quod dicit, id docere Azorium ex mente Caietani, vt vidisti.

QVÆSTIO XV.

An solum propositum absolutum exequendi rem honestam in cultum Dei (excluſa promissione) sufficiat ad votum?

AFfirmant omnes, qui existimant promissionem non esse de ratione essentiali voti. Ducuntur ex cap. *Consulti, de Regular.* vbi quidam, qui Religionem ingredi proposuerat, & habitum Monachalem induit, iubetur in illa persistere: ergo ex solo proposito, excluſa omni promissione, oritur obligatio voti: Idem probatur ex cap. *statuimus. & cap. super eo, eod.tit.* ob quæ iura, sic sentiunt communiter Canonistæ, cum Glossa in cap. *litterarum, de voto, v. Proponens*: & cap. *Qui bona. v. deliberant.* 17. *quæst.*1. Innocen. eo cap. *consulti*, & ibi Hostiens. *num.*3. & alij. Et ex Theolog. Maior *in* 4. *d.*38. *quæst.*1. & D. Anton. 2 *part. tit.*11. *cap.*2. Palud. *in* 4. *d.*38. *quæst.*1. *art.*1. *n.*11. & ad idem tendit antiqua definitio voti, quam refert D. Thom. 2.2. *quæst.*88. *art.*1. & traditur ab Altisiod. *lib.*3. *sum. tract.* 28. *cap.*1. per hæc verba: *Votum est conceptio boni propositi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum, vel non faciendum, se Deo obligat.* In qua definitione, vt vides solùm postulatur propositum, ad vinculum voti.

Sed vt certum Respondeo, solum propositum, (quantumuis absolutum & efficax sit) non esse votum, neque voti obligationem inducere, ni si promissione firmetur. Probatur *Primò*, ex *cap. litterarum, cit.* vbi Pontifex de quodam morbo laborante dixit, non teneri voto, si vltra propositum intrandæ Religionis, in voto non est progressus. *Secundò.* Quia nemo obligatur, sine voluntate se obligandi: sed qui habet voluntatem se obligandi; aliàs nemo proponeret aliquid, si statim ex proposito obligatus maneret: ergo. *Confirmatur.* Quia si aliquis efficaciter proponeret seruare aliquod consilium Euangelicum, vt dare eleemosynam communi pauperi, vel audire Missam, etiam diebus non festiuis, peccaret quidem mortaliter, si voto facto, hæc omitteret: ergo si propositum hanc similem obligationem induceret, illius transgressio mortalis esset: quod est absurdum: ergo propositum ex se, nullam inducit obligationem, & consequenter non sufficit ad votum. Sic D. Thom. *art.*1. *cit.* & ibi Caiet. Bonauen. *in* 4. *dist.*38. *quæst.*1. Angel. *votum* 1. *num.*6. & ibi Sylvest. *quæst.*2. Nauarr. *cap.*12. *num.*26. Sotus *lib.*7. *de iust. quæst.*1. *art.*2. Couarru. *de pactis*, 1. *p.* §.3. *num.*12. Azor *lib.*11. *cap.*13. *qu.*5. Valentia 2.2. *disp.*6. *q.*6. *pun.*1. Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *de voto, c.*2. *n.*3. Sanch. *lib.*4. *Decal. c.*1. *n.*20. Lessius *lib.*2. *c.*40. *dub.*4. *n.*21. Bonac. *disp.*4. *qu.*2. *pun.*1. *in principio.* Palaus *disp.*1. *de voto, pun.*2. *n.*2. Less. *in sum.*1. *p. cap.*141. *dub.*2. Malletus, *tom.*2. *malleat.*4. *Bractea.*1. Ioan. à S. Thoma 2.2. *q.*88. *disp.*29. *art.*1. vbi docet id esse verum etiamsi res sit incepta. Raph. de la Torre 2.2. *q.*88. *art.*1. *disp.*7. *n.*3. Prado *cap.*31. *de voto, q.*1. §.7. *n.*53. Tamburin. *c.*10. *cit.* & omnes communiter.

QVÆSTIO XVI.

An, sit peccatum, veniale saltem, resilire à bono efficaciter proposito?

AFfirmant non pauci Doctores, existimantes, esse veniale peccatum, nolle facere illud bonum, quod quis firmiter proposuerat. Ratio est, quia tunc fit contra virtutem constantiæ, quæ non solum inclinat, vt quis perseueret in bono obligatorio; sed etiam, nisi legitima excuset causa (tunc enim prudentiæ erit mutare consilium) in voluntario firmiter proposito. *Confirmatur.* Quia negari non potest, inordinatum esse à via inchoata perfectionis deflectere, absque vlla causa: nam saltem est actus otiosus, se sine causa mutare. Ita Castro Palaus *disp.*1. *de voto, pun.*2. *num.*3. *vers. Ad argumentum.* Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*4. *n.*22. *vers. Ad secundum.* & *lib.*3. *cap.*2. *dub.*6. *fine.* Raph. de la Torre *q.*88 *cit. art.*1. *disp.*7. *n.*7. & 8. Rodrig. 2. *tom. sum. cap.*92. *fine.* Villalob. 2. *p. tract.*34. *diff.*1. *n.*8. Barthol. à S. Fausto *lib.*1. *Thesaur. q.*4. *n.*9. Angel. *votum* 1. *n.*7. citat etiam Palaus pro sua sententia, Sayrum *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *de voto, cap.*2. *n.*7. sed non benè. Tenet tamen illam Prado §.7. *citato num.*56.

Sed probabiliùs Respondeo. Nec veniale peccatum esse resilire à bono proposito. Quia ad rem illam propositam nulla lex, nec diuina, nec humana obligat, vt supponimus: propositum autem solum, non habet vim legis priuatæ obligantis, cùm ipse proponens nullam obligationem sibi assumere per merum propositum profiteatur: ergo ex nullo

capite oriri potest tale peccatum. Sic Nauarr. in *sum.* Hispana *cap.12.n.26.* (licet in Latina oppositum insinuet) Toledo *lib.4.sum.cap.17.n.7.* Valentia 2.2.*disp.6.qu.6.pun.1.col.9.vers. Respondeo*, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.4.Decal.cap.1. num.21.* sed ex his non benè citat Toletum; quia *num.7.* solum agit de promissione, & *num.5.* vbi agit de proposito requisito ad votum, non tangit hanc quæstionem. Sic etiam Suarez *cap.2. cit.n.5. & 6.* Sotus *lib.7.de iust.qu.1.art.2. circa finem.vers. vnde pro solutione.* Azor *lib.11.cap.13.qu.5.* Tamburin.*lib.3. Decal.cap.11. num.2.* Sayrus *in Clavi Reg. lib.6. cap.1. num.6.* Trullench *lib.2. cap.2. dub.1.num.2.* Qui tamen male citat Villalobos pro hac parte, loco à nobis citato pro contraria; expresse enim illam tenet *num.8.* illis verbis: *Verdad es, que el que tener proposito y voluerse atras, dize inconstantia, y assi sera peccado venial*, &c. Sic ille. Bonacina *disp.4.quæst.2.punct.1.num.2.* Qui citat Lessium *lib.2.cap.4.* (lege tu 40.) *dubit.4.num.21.* Sed oppositum docet hic Author *num.22.* Nam *num.21.* solum dicit, solum propositum non sufficere ad votum. Sic etiam Dicastillo *tom.1. de iust. lib.1.disputat.2.dubit.12.num.244.* per hæc verba: Item, quando quis tædio diuturnitatis, vel similis incommodi desistit, mutatque propositum, circa bonum ad quod tenebatur ex graui præcepto, aut voto, mortaliter peccat. Si vero leuis materia sit, venialiter. Non tamen erit peccatum (quid quid alij acclament) mutare propositum, & relinquere inceptum exercitium, vel opus, ad quod quis, nullo modo ex præcepto tenetur, nisi fortè id fiat ex aliqua passione, & affectu inordinato. Tunc enim inordinatè à bono desistit, ac proinde venialiter peccat; intellige *ratione adiuncti.*

§. III.

De promissione requisita ad votum & iuramentum.

QVÆSTIO XVII.

Quid sit promissio requisita ad votum, & in quo à proposito differat?

REspondeo ad primum, quod huiusmodi promissio, nil aliud sit, *quàm actus, quo nos obligamus ad aliquid faciendum ad Dei cultum.* Sic communiter DD. Sicut promissio in communi, est *actus, quo quis intendit aliquid facere, sub obligatione alteri exhibita.* Legantur Valentia 2.2.*disput.6. qu.6.puncto 1.* per totum. Tamburin. *lib.3. cap.12. §.1.num.1.* & alij.

Circa secundum Respondeo, quod promissio distinguitur à proposito, quod hoc, procedit ex deliberatione conuenientiæ rei faciendæ. Illa verò, ex deliberatione acceptandæ obligationis, sibique illius imponendæ. Sic Sanchez *lib.4.cap.1.nu.19.* ex Valentia *loco citato*, vbi de hac materia latissimè agit. Legatur etiam Suarez *lib.1. de voto, cap.13.*

QVÆSTIO XVIII.

An, promissio ita sit de essentia voti, vt etiam sine proposito, sufficiat ad illius valorem?

AFfirmandum videtur. Quia multoties vouentes, etiam solemniter, non solum carent, imo habent propositum non seruandi promissa, vt sic lautè viuant; atqui certum est, quod huiusmodi verè vota emittunt: ergo.

Sed vt quid certum Respondeo: Non sufficere. Quia certum est, quod essentia voti perficitur in promissione, vt supra est habitum: atqui promissio, in qua perficitur essentia voti, procedit ex proposito faciendi, vt ait D.Thom. 2.2.*quæst.88. art.1.* ergo sine proposito, aut voluntate promittendi, non extat votum. Sic communiter DD. inter quos Raphael de la Torre *art.cit. disput.9.* de qua materia latè disseruimus supra *disputat. 44. per totam.* Legantur ibi, quæ hic tractant communiter Doctores.

QVÆSTIO XIX.

An, votum simplex sufficienter perficiatur per solam promissionem, sine traditione?

NEgandum videtur. Quia votum castitatis, non solum solemne, vt constat, sed & simplex, non solum promissionem, sed etiam traditionem includit, quia statim, & ex vi illius, vouens corpus suum tradit, & consecrat Deo in perpetuam castitatẽ. Et idem cernere licet & in voto simplici obedientiæ in sæculo facto; nam per illud statim tradit vouens suam voluntatem illi, cui obedire promittit: ergo, ad minus, votum simplex, non sola promissione, sed simul cum traditione perficitur.

Sed vt certum Respondeo dicendum, quod votum, vt votum est, sola promissione Deo facta perficitur: nec vllum est votum simplex, quod, in sua ratione essentiali, traditionem includat. Constat *Primò* ex ipsa definitinne voti, in qua loco generis ponitur *Promissio*, & loco differentiæ, Ordo ad Deum in materia capaci talis promissionis: ergo quidquid vltrà additur, est extra essentiam voti. *Secundò.* Quia votum ingrediendæ Religionis, est verum ac perfectum votum: & tamen in sola promissione consistit; cùm sic vouens nihil statim, & ex vi voti tradit Deo, sed solum obligat se ad tradendum in futurum: ergo. Sic, ait Suarez, sentiunt Scholastici *in* 4. cum D.Thoma *art.1.quæst.1.art.3. quæst.2. &* 3. D.Bonau. *art.2. quæst.1.* Ricard. *art.7.* Durand. *quæst.2.* & omnes, qui constituunt differentiam, inter votum simplex, & solemne castitatis, in hoc, quod simplex, est pura promissio; alterum vero inuoluit traditionem. Sic ipse. Suarez *lib.1.de voto, cap.14.num.6.* vbi contrariam sententiam dicit esse falsam, & sine vllo Authore, qui illam typis mandauerit. Legatur Sanchez *lib.7. de matrim.disp.25.num.7.*

§. VI.

Qua ratione intelligatur id quod in definitione voti dicitur, nempe, votum esse de meliori bono, *aut* meliorum bonorum ?

QVÆSTIO XX.

An, votum semper debeat fieri de meliori bono ?

REspondeo affirmatiuè. Quia ita definiunt votum communiter Theologi, & iuris Canonici interpretes, dicentes, quod votum sit *Promissio Deo facta de meliori bono.* Sic S.Thom. 2.2.*qu.*88. *art.*2. Caiet. *ibid.* Ricard. *in* 4. *d.*38.*art.*2. *quæst.*2. *ad* 2. Palud *ibi quæst.*5.§. *sexta definitio.* Soto *lib.*7. *de iust.quæst.*1. *art.*3. *in concl.* 5. & nos cum illis supra *quæst.*2.& 3. & alij communiter.

Sed difficultas est, qua ratione intelligi debet, quod *sit de meliori bono*, nonne, quia id quod vouetur semper debeat esse optimum, aut solum consilij opus ? Minimè quidem, sed ideo, quia (vt quidam dicunt) maioris virtutis officium est, quod in votum cadit, quàm eius contrarium. V.g. vouet quis castitatem ; Castitas, grauius est bonum, quàm Matrimonium. Præterea, vouet quis peregrinationem, aut Eleemosynam, ieiunium, precationem, aut Religionem, vnumquodque horum, melius est opus, quam eius oppositum. Ita Sanchez *lib.*4. *cap.*1.*num.*1. referens Azorium. Sed Azorius solum refert relatum dicendi modum, dicens esse aliquorum Doctorum. Ipse vero aliter respondet dicendo, votum esse meliorum bonorum, quoniam est eorum, quæ in consilium cadunt, quæ comparatione eorum, de quibus sunt data præcepta, haud dubiè meliora sunt bona. Sic ille *lib.*11. *cap.*14. *fine.* Et hoc eodem modo respondet Raphael de la Torre 2.2 *quæst.*88.*art.*2. in eius explicatione, vbi *concl. vltima*, ita dicit : Propriè loquendo votum est de meliori bono. Probatur : Nam ea bona pertinentia ad consilia, dicuntur meliora, in comparatione ad ea, quæ sunt necessaria ad salutem ; quia sunt perfectiora : & de his propriissimè est votum. Sic ille.

Sed facilius Respondet Tamburinus dum definiens votum solum dicit, quod sit *Promissio facta Deo de re ipsi grata*, &c. vt retulimus *quæst.*2. Sed addit Malletus *tom.* 2. *Malleatione* 4. *Bractea* 1. in fine, quod illud dicitur & est Deo gratum, quod est melius quàm eius oppositum, & ideo (ait) non est validum votum factum de rebus, quæ repugnant consilio, cum non sit de meliori bono. Hæc Malletus. Cuius verbis explicata manet mens Tamburini, quæ sic explicata coincidit cum aliorum placito, & mente.

DISPVTATIO II.

De multiplicitate votorum.

QVÆSTIO PRIMA.

In quotuplex diuidatur votum ?

RESPONDEO : Quod diuiditur, *Primò* in Absolutum, Purè conditionatum, & Pœnale. *Secundò* in Solemne, & Simplex. *Tertiò*, in Necessarium, & in Liberum : seu in Commune, & Singulare. *Quartò* in Reale, Personale, & Mixtum. *Quintò* in Affirmatiuum, & Negatiuum. Tandem accidentaliter diuiditur in Perpetuum, & Temporale ; in Reseruatum, & non Reseruatum, in Publicum, & Occultum ; in Expressum, & Tacitum ; &c. Sic Tamburinus *lib.* 3. *cap.*9. Legatur Prado *cap.*31. *de voto, quæst.* 3. §.1.

QVÆSTIO II.

Quid sint votum absolutum, purè conditionatum, & conditionatum pœnale ?

RESpondeo dicendum quod votum absolutum est, quod obligat absolutè, & ab omni conditione independẽs : vt *voueo castitatẽ, ieiunium*, &c.

Purè conditionatum est, quod obligat, posita tamen aliqua conditione ; vt *voueo castitatem, ieiunium*, &c. *si salutem obtinuero.*

Conditionatum verò pœnale datur, quando quis rem promissam consequi volens, addit aliquam pœnam in delicti crimen : vt *voueo castitatem, aut ieiunium, si luxero, si fornicatus fuero*, &c. De his omnibus tractarũ inuenies *tract.*1. *de iuramẽto disp.*21. vbi de iurante, & vouente Religionẽ absolutè, egimus. Item *disp.*41. *de voto, & iuramento purè conditionali, & disp.*24. *de voto, & iuramento conditionali pœnali.* Legatur etiã *disp.*28. circa huiusmodi vota.

QVÆSTIO III.

Quid sint votum solemne, & votum simplex ?

RESpondeo quod votum *solemne* sit illud, quod fit in publico, in conspectu Ecclesiæ, & ab illa acceptatur. *Simplex* verò, quod priuatim, & quasi in abscondito, emittitur. Sic communiter DD. Legantur Tamburinus, & Prado *locis citatis.* Necnon & Vital. *tract. de voto, inquisit.*1. *n.*2.

QVÆSTIO IV.

An, votum solemne, & simplex differant specie ?

AFfirmant plures Doctores. Quia promissio, & donatio, iure ciuili sunt actiones distinctæ moraliter : sed votum solemne transfert vouentem, & tradit illum in obsequium ipsius Dei, quod non facit votum simplex, vt constat ex dictis *disput.*1.

§. 3.*quæst.*23. ergo huiusmodi vota specie morali inter se differunt. Ita Sotus *lib.*7. *de iust. quæst.*2. *art.*5. *ad* 1. Aragon 2.2. *quæst.* 88. *art.*7. *ad finem.* Barthol. de Medina *lib.* 1. *summæ, cap.* 14. §. 18. *vers. Tercera.* Corduba *lib.*1.*quæst.* 24. *fol.* 215. & Rodriguez 1.*p. sum. cap.*53. *num.*5. Quos omnes, sic relatos, sequitur Mag. Ioan. Martinez de Prado *cap.*31.*de voto, quæst.*3.§.4.*num.*58.

Sed probabiliùs Respondeo: Non differre specie, sed solũ accidentali extrinseca differentia. Quia, videlicet, votum solemne munitur ea solemnitate ab Ecclesia instituta, simplex verò illa caret. Sic sentiunt Metina *lib.*4. *de Sacrorum homin. contin. controu.*7. *cap.* 38. Suarez *tom.*3. *de Relig. tract.*7. *lib.*2.*cap.*11.*n.*6. Sanch.*lib.*7.*de matrim.d.*25.*n.*21. (non *disp.*29.*n.*31. vt inuenies, errore Typographi, citatum apud me vbi infra) *& lib.*5. *Decal.c.*5.*n.*7. *& sequent.* Caiet. 2.2.*q.*88.*art.*6. *dub. vltimo.* Azor 1.*p.lib.*11.*cap.*6.*q.*8. *& cap.*19. *quæst.* 10. Valentia *tom.*3.*disp.*6.*qu.*6.*punct.*3.§.*vltimo.* Petr. Ledesma *de matrim.q.*53.*art.*2.*ad* 4.*& tom.*2. *sum.c.*6. *dub.*2. *concl.*4. vbi benè id probat, & respondet argumento facto pro prima sententia. Caramuel *in Regul. S.Bened. disp.*66. *concl.*9. *num.*999. Diana *par.*2. *tract.*7. *resol.* 4. *& p.*3. *tract.*5. *resol.*67. Lege me ipsum 1.*p.tract.*5.*disp.*8.§.2.*quæst.*8.

QVÆSTIO V.

An, votum solemne differat ex natura rei, & iure diuino, à voto simplici?

AFfirmant multi DD. Quia votum simplex solùm dicit promissionem Deo factam de meliori bono: at vero votum solemne superaddit actualem traditionem vouentis in manus Dei, & Prælatorum Dei vices gerentium: ergo ex natura rei distinguuntur. Ita nouissimè tenet, & defendit mordicùs, Mag. Ioan. Martinez de Prado *cap.* 41. *de voto, quæst.*3.§.2.*&* 4. qui pro se citat D. Thom. *quodlib.* 3. *art.*18. *& quodlib.* 18. *art.* 10. *& in* 4. *sentent.d.*40.*qu.*2.*art.*1.*q.*2.*ad* 1.*&* 2.2.*q.*88.*art.*7. 9.*&* 11. & alibi: Domin. Sotum *in* 4. *dist.*38.*q.*2. *art.*1.*& lib.*7.*de iust. quæst.*2,*art.*5. Petrum Sotum *lect.*5 .*de matrim.* Sylvest. *votum* 4.*q.*5. Turrecrem. *in* cap. *Præsbyteri, dist.*27. Capreolum *in* 4.*dist.*33. *art.*1.*concl.*2. Rayner. *v.votum, cap.*8.§.1. Ludou. Lopezium 2.*p.instruct.cap.*48. Victoriam *relect.de potest. Papæ, num.*1. Ledesmam *de matrim. qu.* 53. *art.*2.*post* 6.*probat.& ad* 5.*&* 6.*&* 2.*p.sum.tract.*10. *cap.*6.*dub.*1.*&* 2. Nũnum *in Addit.ad* 3.*p.q.*9.*art.*2. *dub.*3. *concl.*5. Ambros. Catherin. *lib.* 6. *annot. in Caiet. à fol.*512. Texedam *lib.*1. *tract.*1. *contro.*1. Ioann. à S. Thoma *tract. de approbat. doctrinæ S. Thomæ, disp.*2.*art.*3.*propos.*13.*&* 2.2.*qu.*88.*disp.*29. *art.*15.*concl.*3. Grauinam *tomo vltimo Præscription. controu. vltima, q.* 4. Aragonium 2.2.*qu.*88.*artic.*7. Syluium *ibidem.* Thom. Hurtadum *tom.*2. *variar. tract.vltimo, resol.*2. Petrum Cornejum *de matrim. tract.*6.*disput.*7. *dub.*9. omnes Thomistæ, & vltra illos & eorum scholam, refert Bonauent. Durand. Ricardum, Henriq. Valentiam, Sayrum, Mirandam, Vegam. Man. & Heroicum Rodriguez, Cordubam, Machadum, & alios.

Alij verò contrà negant, existimantes votorum solemnitatem, solo iure Ecclesiastico esse institutam. Quia sola Ecclesiæ constitutione, Religiosa Professio habet vim irritandi subsequens matrimonium. Sic ex cap.*vnico, de voto, & voti redempt. in* 6. & ex constitut. Greg. XIII. incipiente, *Ascendente Domino.* & ex Bulla Gregorij XIV. incipiente, *Ecclesiæ*, docent Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.*28.*num.*4. *& lib.*5.*in Decal. cap.*1. Basil. *lib.*7. *de matrim.cap.*7.*&* 22. Vasquez 1.2.*disp.* 165.*c.*2. Suar.*tom.*3.*de Relig.tract.*7.*lib.*2.*à cap.*4. *& tom.*4. *tract.*10.*lib.*3. *&* 4. *& lib.*4.*cap.*5. *num.*5. Lessius, Castro Palaus, Ægidius, & alij plures, apud eumdem, *loco citato*, §.2.*num.*18. Sed ego maiori cum distinctione.

Respondeo primò. Votum solemne non differt à simplici, ex natura rei, aut essentialiter; sed solum accidentali extrinseca differentia, vt constat ex dictis *disp.*1.§.3.*quæst.*23. & nuper *quæst.*4. vbi hanc partem vt probabiliorem sustinuimus contra Martinez.

Respondeo secundò. Votum solemne castitatis videlicet, aut Professionis, non solum iure Ecclesiastico, sed etiam iure diuino dirimit & irritat matrimonium; non tamen ob hoc distinguitur essentialiter à voto simplici Castitatis, licèt hoc non irritet matrimonium. Quia hanc vim irritandi matrimonium non habet votum solemne ex se, sed ex addito, nempe ex priuilegio Christi Domini: vt diximus *par.*2.*tract.*9. *de matrim. disp.*5. *quæst.*11. *& disp.*22.*q.*2. ex se ergo non distinguuntur prædicta vota essentialiter. Prima pars huius responsionis defenditur ab Authoribus primæ sententiæ: secunda verò, illis aduersatur.

QVÆSTIO VI.

Quid sit votum necessarium, & votum liberum?

REspondeo dicendum quod *votum necessarium* est illud, quod in Baptismo omnes faciunt, acceptando legem Euangelicam, & spondendo renunciare diabolo & pompis eius: diciturque necessarium, quia est de re ex præcepto omnino debita. Et ideo huiusmodi votum non est propriè tale, quia nec mutat speciem peccati, nec nouam addit, vt fatentur omnes. *Votum verò liberum*, est, & dicitur illud, quo aliquis, non ex præcepto, sed sponte, & voluntariè aliquid promittit, v.g. seruare Castitatem, &c. Legantur D. August. *super Psalm.*75. Hostiens. apud Palud. *in* 4. *dist.*38.*qu.*2. *n.* 6. *&* 8. Thom. Tamburin. *lib.*3. *Decal. cap.*9. Martinez *cap.*31.*de voto, quæst.*3.*num.*1.

QVÆSTIO VII.

Quid sit votum commune; & quid singulare, aut particulare?

REspondet Bonacina, quod *votum particulare* sit illud, quod quisque emittit, iuxta suam voluntatem. *Commune verò*, quod emittitur à communitate, aut ab omnibus.

Sed clariùs, aut veriùs, cum communi Respondeo quod *votum commune*, & *votum singulare*, idem omninò sint, ac votum necessarium, & votum liberum: vt tradunt Authores *quæst.*6. *citati.* Sylvest. *v. votum* 1. *quæst.*5. Suarez *lib.*1. *de voto, cap.*19.*num.*3.